CONTROVERSIARUM SCOLASTICO-POLEMICO-HISTORICO-CRITICARUM,

AUCTORE

LIBERIO a JESU

CARMELITA DISCALCEATO, THEOLOGO EXIMIO,
COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO,

TOMUS SEXTUS ex posthumis

Complectens Tractatum

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Cum Appendice

VARIARUM DISSERTATIONUM

AUSPICE

EXCELL.MO, ET REV.MO PATRE

ANSELMO II. SCHVVAB

ORDINIS CISTERCIENSIS
CONSISTORIALI ABBATE VIGILANTISSIMO,
REGII, IMPERIALIS, ET EXEMPTI MONASTERII B.V.M. IN SALEM,
NEC NON UTRIUSQUE SAC. REGIO-CÆSAREÆ MAJESTATIS
INTIMO, ACTUALI CONSILIARIO.



MEDIOLANI MDCCLII.

Ex Typographia Petri Francisci Malatestæ.
SUPERIORUM PERMISSU.


DE
GRATIA
INTIMUS
MAJESTATIS

EXCELL.ME, AC REV.ME PATER.

QUod adſpirante BENEDICTO XIV. P. O. M., quatuorque Purpuratorum Principum auſpicio, hucuſque Dogmatici Liberiani Operis prælo commiſſum eſt, hoc ſibi præclariſſimum vendicat, ne reliquum publici juris fiat, quin eximii alicujus Mecœnatis adornetur nomine. Quamobrem Sextum hocce Volumen Tibi ſiſtitur, EXCELL.ME, AC REV.ME PATER, cujus tanta ubique percrebuit doctrinæ celebritas, ſpectatiſſimæque virtutis commendatio, ut longo quamvis Regionum diſſitum intervallo Te Patronum exquiſierit, aſſecutumque ſummopere gratuletur. Egregiam ſiquidem illam ad bene de omnibus merendum indolem, Sapientiam, Prudentiam, Pietatem, quæ Te Suhabiæ univerſæ conſpicuum fecêre, Italiæ retulit Fama, novitque Te Virum conſuetudine amabilem, charum omnibus, potiſſimùmque Eruditis ſpectabilem, quippe qui amœniores, ſacraſque Diſciplinas, nova venuſtate, mirabili rationum pondere Te, ſive loquente, ſive docente, auctas uno ore fatentur, id ſatis

ample probante SCHIBBOLET THOMISTICO DE GRATIA a Te nuper in lucem edito, quo tam feliciter reserrasti Angelici Doctoris sensa, ut eo, velut Lydio lapide, sinceros Thomisticæ Facultatis Cultores quisque cernere valeat. Præcellentem similiter novit, qua emines in suprema rerum Spiritualium, temporaliumque administratione, Prudentiam, ardentissimum Zelum, sartum tectumque custodiendi perfectionis Monasticæ studium, ingenuam, & absque fuco Comitatem, quæ Te unà cum exacta vitæ ratione summis æque, ac infimis reddit acceptissimum, indefessam Vigilantiam, qua omnibus præstò es, ut omnibus bene consulas. Quorum omnium præclarissimum specimen sedulò a primis Monasticæ vitæ exercitationibus contuentes oculatissimi Salemitani Patres, Te vix tertium supra trigesimum ætatis annum agentem (quod sane æterni præconii instar nulla temporis injuria obliterabit) in Abbatem Consistorialem Regii, Imperialis, atque Exempti Salemitani Monasterii, antiquitate celeberrimi, florentissimi Sanctitate, Pontificum, Regum, Imperatorum Privilegiis refertissimi, ex lectissima insignium Monachorum frequentia assumpsêre, nec ultra passi sunt sub modio delitescere, quem ad regendum laudabili consensione Natura, & Virtus efformasse videntur. Qui tum omnium plausus! quæ gratulationes! sed quanta itidem in Te, EXCELL.ME, ET REV.ME DOMINE, animi demissio! quanta erga commissum Gregem Sollicitudo, Providentia, Dilectio! Nemo sane unus est, qui Te Sapientissimum Præsulem, Vigilantissimum Pastorem, amantissimum, ac providentissimum Patrem non audiat: Dignus plane, ut Supremus Rei Christianæ Moderator, æqui, bonique optimus Judex BENEDICTUS XIV. electionem tuam in amplissimo Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Cœtu confirmans, duabus propria manu ad Te datis Epistolis, plurimùm commendaverit.

Excelsa hæc, atque præclara, immo & majora, quæ ad publicum, amplioremque honorem sese ultro offerunt spectanda, quæque tantum Tibi nomen apud Principes conciliarunt, ut FRANCISCUS Romanorum Imperator semper Augustus, Ejusque Augustissima Conjux Imperatrix, Hungariæ, & Boemiæ Regina MARIA THERESIA duplici, eoque honorificentissimo Diplomate, motu proprio, Utriusque Sacræ Regio-Cæsareæ Majestatis Intimi, Actualis Consiliarii munere Te decoratum voluerint, a superno rerum Divinarum studio, quod quam maxime prosequeris, velut inducta videntur. Apprime siquidem callens, quod Melifluus Sanctissimus Institutor tuus BERNARDUS, cujus Sanctitatem, doctrinam, ceterasque virtutes egregie æmularis, testatum reliquit, Te nempe Deo debere pietatem (a), cui Te totum impendas, nihil plane in votis habes, nihilque antiquiùs, quàm ipsum impensè colere, ac venerari. Hinc assidua

orandi

(a) *Ad Fratres de Monte Dei.*

orandi consuetudo, atque operosum Cœlestium contemplationum otium; hinc in labiis exultationis (a) diu, noctuque Divinæ laudes, accurata mentis collectio, eaque omnia pietatis officia exquisite adoptata, quæ interiorem hominem renovant, atque perficiunt. Diligens inde decorem domus Dei (b), & locum habitationis Gloriæ ejus, magnificentiâ, pene dixerim, Regiâ, Templa vel noviter extruxisti, vel extructa restaurasti, omnia permagnis exornans sumptibus.

Quoniam verò, EXCELL.ME, AC REV.ME PATER, e Religione est (hanc quippe Angelicus (c) pietatem vocat superexcellentem) impia Hæreticorum Dogmata non aversari tantùm, sed profligare, perdere, funditusque evertere, in eam spem erigor, fore, ut Liberianum hoc Opus quovis ævo præstantissimum, quod arma satis, superque suppeditat, quibus Heterodoxorum tela retundantur, eorumque infringatur pervicacia, benigno excipias favore, nec non offerentem, qui publico, perennique devictissimi animi testimonio hoc Tibi nuncupat, dum feliciora auspicatur

EXCELL.MÆ, AC REV.MÆ DOMINATIONI TUÆ

Humillimus, Obsequentissimus, Addictissimusque Servus
Joannes Franciscus a Tritio.

(a) *Psal.* 62. (b) *Psal.* 23. (c) 2. 2. *q.* 106. *art.* 1. *ad* 1.

PRIVILEGIUM.

MARIA THERESIA, Dei Gratiâ, Romanorum Imperatrix, Regina Hungariæ, Bohemiæ &c., Mediolani Dux &c. &c. &c.

PEtrus Franciſcus Malateſta Preces Nobis dedit tenoris ſequentis, videlicet — P. R. Petrus Franciſcus Malateſta cupiens imprimere Opus, cui Titulus — *Controverſiarum Scholaſtico-Polemico-Hiſtorico-Criticarum, Auctore Liberio a Jeſu Carmelita Diſcalceato, Theologo Eximio, Collegii de Propaganda Fide Præfecto*, neceſſarium videt pro ſua indemnitate facultatem a M. V. obtinere illud imprimi faciendi, ac privative vendendi ſaltem per annos decem, & quia evenire poſſet, quod alii ſub eodem, vel diverſo Titulo, illud imprimi faciant in hoc Dominio, aut alibi impreſſum introducant, aut venale habeant, fructumque ex alieno damno percipiant, decrevit ideo Supplicans, ne ſibi maximum hoc detrimentum ſequatur, ad M. V. confugere, Eam humiliter exorando, dignetur Litteris ſuis patentibus tribuere, & concedere facultatem, & privilegium favore Supplicantis, ejuſque Succeſſorum, privative imprimi faciendi, ac vendendi dictum Opus ſub nomine, quo ſupra, per decennium in antea decurrendum, cum omnibus legibus, prærogativis, pœnis, qualitatibus, atque aliis in ſimilibus exprimi ſolitis, quod &c.

QUIBUS VISIS, tenore præſentium, ſtatuimus; & inhibemus Impreſſoribus, Bibliopolis, aliiſque omnibus, & ſingulis, ne hinc ad annos decem ab edito Libro numerandos, narratum Opus imprimere, aut imprimi facere, alibive impreſſum in hoc Dominium importare, vel venale habere, aut vendere audeant, ſub pœna amiſſionis omnium Librorum, ac præterea aureorum quinquaginta, cujus pœnæ dimidium Fiſco Noſtro, reliquum Supplicanti applicetur: Mandantes quibuſcunque Officialibus, & Juſdicentibus Dominii Noſtri Mediolanenſis tam mediatis, quàm immediatis, ut præſentes Litteras Noſtras inviolate obſervent, & obſervari faciant, procedendo contra inobedientes juxta earum diſpoſitionem, atque tenorem. In quorum fidem præſentes Sigillo Noſtro munitas fieri, & regiſtrari juſſimus. Dat. Mediolani die XXII. Decembris MDCCL.

Galliorius.

L. ✠ S.

J. C. De Tortis Cancellarius.

FA-

FACULTAS, ET APPROBATIO ORDINIS.

J. ✠ M.

FR. SYMPHORIANUS A S. ANDREA
PRÆPOSITUS GENERALIS
Fratrum Carmelit. Discalceat. Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejusdem S. Montis Prior.

TEnore præsentium facultatem impertimur, quantùm ad Nos attinet, P. F. Joanni Francisco a S. Maria Magdalena Congregationis Nostræ Sacerdoti Professo, ut Typis mandet Libros, quibus titulus *Opera P. Fr. Liberii a Jesu Carmelitæ Discalceati*, a supradicto Patre concinnatos, & a duobus Theologis e Nostris recognitos, & commendatos. Datum Placentiæ in Conventu Nostro S. Theresiæ die 13. Septembris 1741.

Fr. Symphorianus a S. Andrea Generalis.

L. ✠ S.

Fr. Clemens a Passione Secretarius.

APPROBATIO

R. AD. P. GABRIELIS MARIÆ A S. DOMINICO
Ord. Disc. S. Augustini, Sacræ Theologiæ Prælectoris, & Definitoris Provincialis.

DE mandato Reverendissimi Patris Hermenegildi Todeschini Sacræ Theologiæ Magistri, & Mediolani contra hæreticam pravitatem Generalis Inquisitoris, ad meum inde prolaturus judicium, accurate legi Admodum Reverendi Patris Liberii a Jesu Carmelitæ Discalceati Tomum Sextum ex posthumis, cui titulus: *Controversiarum Scholastico-Polemico-Historico-Criticarum:* continentem Tractatum VIII. *De Sacramento Matrimonii*, nec non *Appendicem Variarum Dissertationum;* & in eo non modò nihil penitus offendi, quod instructionem, atque ædificationem Fidei, Morumque non sapiat, verùm etiam ea omnia, quæ hanc circa materiam exigi possunt in Doctore aut Catholicos instruente, aut Hæreticos profligante, consueta Doctissimo Auctori eruditione, ac pietate concinnata, & numeris omnibus absoluta inveni. Quare, ut Typorum impressione ad omnium utilitatem publici juris fiat, dignissimum judico.

Mediolani ex Conventu SS. Cosmæ, & Damiani die quintadecima Octobris Anni 1750.

F. Gabriel Maria a S. Dominico Ordinis Discalceatorum S. Augustini Sacræ Theologiæ Prælector.

Die 26. Octobris 1750.

Attenta supradicta Approbatione

IMPRIMATUR.

Fr. Hermenegildus Todeschini O. P. Inquisitor Generalis Mediolani.

J. A. Vismara Pœn. Major pro Emo, & Rmo D. D. Cardinali Archiepiscopo.

Galliorius pro Excellentissimo Senatu; absente Egr. Bersano Provinciali.

ELEN-

ELENCHUS CONTROVERSIARUM TRACTATUS OCTAVI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Numerus paginæ columnam indicat.

PROOEMIUM CANONICO-THEOLOGICUM DE SPONSALIBUS.

TRA-

TRACTATUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DISPUTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA, ET ESSENTIA MATRIMONII.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

DISPUTATIO TERTIA.

DE SACRAMENTO MATRIMONII UNITATE.

DISPUTATIO QUARTA.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE IMPEDIMENTIS SACRAMENTI MATRIMONII EX PARTE PERSONÆ.

SYNOPSIS.

CON-

FINIS.

TRA-

TRACTATUS VIII.
DE SACRAMENTO
MATRIMONII.

PROŒMIUM CANONICO-THEOLOGICUM DE SPONSALIBUS.

1 Sicut juxta ordinem a natura in rebus constitutum dispositiones præeunt formam, utpote præparatoriæ subjecti; ita in ordine sive morali, sive civili dispositiones contractibus præmittuntur. Sponsalia itaque relate ad matrimonialem contractum censentur dispositiones; ea propter ex regulis canonicis, & civilibus, immo jure gentium, Matrimonio præponuntur. Præmittenda sunt Sponsalia, sicuti habemus Cap. *Cum inhibitio*, *de Clandest. Desponſ.*, ut pro publicationibus tempus suppetat, ne clandestinum habeatur Conjugium. Itidem ex Cap *Aliter* 30. *q.* 5., cui concinit Jus civile *l. in Sponsal.*, & *l. in potestate de Sponsalibus*, præmittenda sunt Sponsalia, ut Parentum consensus exploretur; quod sane magnæ æquitatis est. Additurque in lege *Pro oneribus*, Cap. *De jure dotali*, ut Dos præparetur, sicut & ut Sponsus pro honestate, & convenientia Conjugii aptare possit necessaria; unde ia a debito pugnandi eximitur *Deut.* 20. *vers.* 7., & 1. *Machab.* 3. *vers.* 56.

Sponsalia sunt dispositiones Matrimonii.

Quare præmittenda sunt Sponsalia.

Cum igitur Sponsalia dispositiones sint Matrimonii, eaque Jura omnia Matrimonio praeponunt, priusquam Sacramenti hujus disceptationes exordiamur, jure & merito præloqui debemus de Sponsalibus. Hinc eorum Controversias, quas pertractabimus, quasi totius Tractatus Proœmium appellamus, sive exordium. Theologi Dogmatici, vel Polemici propria Provincia per se non est hujusmodi materia, sed veriùs moralium Theologorum, & Canonistarum; nihilominus placet nobis illam non omittere, & Controversias Canonico-Theologicas disserere, ut Tractatus iste numeris omnibus absolvatur. Brevibus res tota complebitur, Doctorem Angelicum imitantes, qui in Summa dilucide per articulos, multiplices quidem, sed breves, omnes evolvit difficultates. Si quid verò diminutum videbitur, consulantur Auctores proprii, qui rem totam uberiùs explanant.

CONTROVERSIA I.

AN SPONSALIA PROMISSIONIS NATURAM SORTIANTUR.

2 Rerum essentia radix est proprietatum; quapropter si illa ignoretur, haud certa dari potest notio conditionum, quæ ad ipsam consequuntur. Examinetur itaque oportet Sponsalium essentia, ut hinc de consequentibus sermo instituatur. Cumque Sponsalia sint præparatio ad conjugalem contra-
A ctum, hujus naturam sortiri debent; proindeque inquiritur, num natura promissionis, quæ est voluntatis determinatio ad aliquid agendum sub obligatione, ipsis competat.

DICENDUM itaque, Sponsalia promissionis naturam sortiri.

3 PROB. Ex Dialecticæ regulis, rei cujuscumque natura per definitionem explicatur: sed Sponsalia definiuntur per promissionem, videlicet: Sponsalia sunt mutua promissio futuri Matrimonii signo aliquo sensi-
B bili expressa; ergo Sponsalia hujus naturam sortiri meritò censendum est. Minorem propositionem habemus ex Cap. *Nostrates* 30. *q.* 9. ex Nicolao — Post Sponsalia fœdera, quæ futurarum sunt nuptiarum promissio &c. — cui consonat *l.* 1. *ff. de Sponsalibus*.

Definitio Sponsalium.

Res clarescat I. Nomina significant juxta rerum, a quibus derivant, naturam: sed Sponsalium nomen derivat, & denominatur a *spondere* quod in idem redit, ac promittere, ut innuit Ulpianus *l.* 2. *ff. de Sponsal.*,
C & S. Bernardus *Ser. de Virginibus* — Sponsæ, „ vel Sponsi nomen ab eo, quod est spondere, Grammatici derivant. Dicuntur autem Sponsus, & Sponsa, quia se sibi alterutrum spondent, ut nec ille, nec illa alteri nubat —

Sponsalia a spondere.

Clarescat II. Ex veteri consuetudine, Uxores stipulabantur; stipulatio autem fit de promissis. Isidorus *lib.* 9. *Etymologiarum*, *cap. ultimo*. — Est aliquis Sponsus, non quia „ promittit, sed quia spondet, & Sponsores „ dat — hoc est, Fidejussores. Notas velim
D clausulam illam, *non quia promittit*, non esse promissionis exclusivam, sed qualificativam, quatenus Sponsalia non quamcumque involvunt promissionem, sed firmatam, & completam. Etenim in aperto est, Fidejussores non nisi ad corroborandas promissiones, & ad assecurationem executionis promissorum advocari; unde promissio principaliter intelligitur.

Stipulatio de promissis.

CONFIRMATUR. Varro *lib.* 5. *de lingua latina* asserit, Sponsalia ideo nuncupari promissionem futuri Matrimonii, quia apud
E Veteres invaluit consuetudo, ut nuptura, ab illis, sub quorum cura erat, sive Pater sit, sive Tutor, promitteretur; ea propter Sponsus dicebatur promissus, promittens Fidejussor, contractus Sponsalia. Unde Sponsalia jure optimo dicuntur promissio, ut utriusque Juris Doctores communiter propugnant.

Sponsus dicebatur promissus &c.

DISSOLVUNTUR OBJECTA.

4 OBJIC. I. Sponſalia, ut colligitur ex 1. *Reg.* 18. *v.* 25. ab arrhis, & muneribus ſponſalitiis nuncupantur: *Non habet Rex ſponſalia neceſſe*: ſed ſponſalitia munera, utpote omnino gratuita, non habent rationem promiſſionis; ergo.

RESP. Utique ſponſalitia munera non ſunt promiſſio, utpote quæ ad lineam donationis ſpectant, quæ, ut teſtatur Angelicus, *eſt gratuita ex amore datio*. Donatio non conſiſtit in determinatione voluntatis aliquid dandi, ſed in actuali rei largitione *l. Senatus §. Donatio ff. de donatione cauſâ mortis*; promiſſio autem determinationem importat voluntatis cum obligatione adimplendi promiſſum. Perperàm deinde aſtruitur, Sponſalia ab arrhis denominari; hæ namque promiſſionem ſupponunt, eamque confirmant. Unde in laudato Scripturæ textu denominatio Sponſalium a præſuppoſitis deſumitur; & eſt ſenſus: ſponſalitiis muneribus, quæ poſt celebrata Sponſalia donantur, Rex nequaquam indiget.

Quid Donatio, & Promiſſio.

5 OBJIC. II. Exultatio in ſuperbia nequit licitum reddere contractum: atqui futuri Conjugii promiſſio eſt exultatio in ſuperbiis, juxta illud Jacobi 4. v. 16. *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt*; quibus in eos animadvertit, qui aliquid poſtmodum facturum promittunt; ergo licita Sponſalia nequaquam importare poſſunt promiſſionem.

RESP. Redarguit Jacobus rerum temporalium promiſſiones ab iis factas, qui taliter ſibi fidunt, ut nullimode de vita ſciant dubitare. Qui hoc modo agunt, dum futura promittunt, utique exultant in ſuperbiis ſuis, quaſi vitæ & mortis ſint Domini. Qui verò promittit cum ſubordinatione ad voluntatem Dei, non eſt criminandus, ut compertum eſt; hujuſmodi autem eſt ſponſalitia promiſſio rite, ſanctèque celebrata.

Quænam promiſſiones criminandæ.

6 OBJIC. III. Quæ ad liberum nuptiarum contractum diſponunt, nequeunt earundem impedire libertatem; ſed ſi Sponſalia, quæ diſpoſitiones ſunt ad nuptias, promiſſionis naturam ſortirentur, libertati nuptiarum officerent: cum abſque crimine promiſſio nequeat violari; ergo.

RESP. Dubio-procul Nuptiæ plenam exquirunt libertatem; coacta enim Conjugia malo omine celebrantur. Ceterum abs re dicitur, Sponſalia libertatem nuptialis contractus lædere. Ultro concedimus, promiſſionem involvere obligationem adimplendi promiſſum; ſed hæc non adimit libertatem, cum fuerit plene voluntaria.

Sponſalia non offi ciunt libertati.

7 OBJIC. IV. Contractus de præſenti nequit eſſe promiſſio de futuro: ſed Sponſalia habent rationem contractus de præſenti: cum Nupti in Scripturis Sponſorum nomine nuncupentur, ut de Beata Virgine legere eſt in Evangelio; ergo.

RESP. Sponſalia proprie dicta non dicuntur a matrimoniali contractu de præſenti inito; ſunt enim veluti diſpoſitiones ad ipſum, & ſunt, ut ait S. Thomas *in 4. d. 27. quæſt. 43. art. 1. ad 6.* — Quædam ſacramentalia matrimonii, ſicut exorciſmus Baptiſmi — Per quandam tamen extenſionem, ob impletam promiſſionem, noviter Nupti dicuntur Sponſi, & quandiu matrimonium eſt ſolummodo ratum; quo pacto in Scripturis Beata Virgo, & S. Joſeph Sponſi vocantur.

Nupti quando dicantur Sponſi.

8 OBJIC. V. Si Sponſalia rationem haberent promiſſionis, Sponſus v. g. cum aliena peccans, malitiam ſpecie diverſam contraheret, aperiendam in Confeſſione: promiſſio namque jus tribuit ad rem; ſed hoc eſt falſum; ergo. Oſtenditur minor propoſitio. Sponſalia ſe habent ad nuptias, ſicut votum Religionis ad Profeſſionem, cujus obligatio novam non addit malitiam, ſi vovens contra caſtitatem delinqueret; aliàs filii procreati inter adulterinos fœtus accenſerentur; ergo.

RESP. Juxta plauſibilem multorum Sententiam concedimus majorem propoſitionem; quia Sponſalia jus tribuunt ad rem. Emptio ante rei traditionem jus importat ad rem, & contra juſtitiam peccat, qui jus illud violat; ex. gr. qui equum Petro venditum, ſed non traditum, Paulo concedit, indubie contra æquitatis jura delinquit. Ita Sponſi jura lædunt juſtitiæ, ſi alteri uſum ſui tradunt. Quæ ratio plane urget ſive in Sponſo, ſive in Sponſa; nam mutuò acquiſierunt jus ad rem. Exemplum de vovente Religionem abs re affertur; ſiquidem votum illud non Religioni, ſed Deo fit; ea propter Religio, ubi caſtitas ſine ſacrilegio nequit violari, jus nullum neque in re, neque ad rem relate ad voventem acquiſivit. Filii a Sponſis procreati ſolummodo naturales illegitimi cenſentur; ſecus adulterini, aut ſpurii. Ut Filii cenſeantur adulterini, requiritur, quod ex adulterio proprie dicto naſcantur: ut ſpurii, requiritur, quod geniti ſint ab habentibus impedimentum dirimens Conjugium. Neutrum horum impræſentiarum occurrit.

Sponſi jus habent ad rē.

Sponſorum Filii.

CONTROVERSIA II.

AN PROMISSIO SPONSALIUM DEBEAT ESSE MUTUA.

SEnſus Controverſiæ eſt, num ad conſtituenda Sponſalia ſufficiat ſola promiſſio ex parte unius alteri manifeſtata, an verò neceſſaria cenſeatur mutua repromiſſio. In hoc diſcriminantur Doctores. Sunt, qui volunt, ſola interna promiſſione obligari Sponſorem; requirunt alii acceptationem alterius, ſed non repromiſſionem; nonnulli demum utrumque neceſſarium ducunt.

DICENDUM, promiſſionem mutuam requiri ad conſtituenda Sponſalia.

9 PROB. I. Ratione deducta *ex l. 1. ff. de Sponſalibus*, & ex Cap. *Si inter*, *de Sponſalibus*. Sponſalia continent virtute, quod actu Conjugium: Sponſalia ſiquidem promittunt de futuro, quod per Conjugium præſtatur de præſenti; ſed Conjugium eſſentialiter mutuam exigit perſonarum traditionem; ergo

Sponſalia ſunt virtute conjugium.

ergo mutuam exigunt promissionem Sponsalia.

Sponsalia sunt contractus onerosus.

10 PROB. II. Contractus ex utraque parte onerosus mutuum petit consensum; sed Sponsalia sortiuntur naturam contractus onerosi; important namque promissionem sele alteri tradendi, cum obligatione ut alter itidem se dedat: non enim est gratuitus contractus; ergo &c.

Firmitas ad perfectum contractum.

11 PROB. III. Contractus ex natura sua perfectus omnem firmitatem postular, si nulla occurrat rerum mutatio: hoc est, nisi quid extraordinarium superveniat; sed Sponsalia perfectis contractibus jure accensentur: cum nequeant ultro dissolvi; ergo firmitatem postulant. Atqui firmitatem sortiri nequeunt, nisi utriusque Partis consensus interveniat; claudicabit siquidem, si unius desit; ergo.

Sine consensu non fit translatio juris.

12 PROB. IV. Sponsalia transferunt jus ad rem, seu jus sui in alterum: sed hoc absque mutuo consensu nequit subsistere; ergo. Jus ad rem præstat, quod res illa sit habentis jus; fieri autem nequaquam potest, rem mei juris fieri sine meo consensu; ergo.

Promissio homini facta assimilatur illi, quæ fit Deo.

13 PROB. V. Promissio homini facta proportionaliter involvit conditiones promissionis factæ Deo; sed hæc non obligat, nisi Deus acceptet, & repromittat· hoc est, nisi qualitates illæ adinveniantur, sub quibus in Scripturis palam fit, promissiones acceptari, atque repromitti retributionem a Deo; ergo neque promissio homini facta ligat, nisi adsit repromissio, & potissimùm in Sponsalibus, cum de re maximi momenti agatur.

OBJECTA REFELLUNTUR.

14 OBJIC. I. Interna promissio veram inducit obligationem: sed hæc non connotat repromissionem; ergo sponsalitia promissio veram importat obligationem sine repromissione. Major, quæ a pluribus adoptatur, ostenditur.

I. Promissio interior innititur veritati; sed veritas ex suis intrinsecis obligationem involvit: unde mendax est, qui interiùs promissa non exequitur; ergo.

II. Qui non servat promissa interiùs facta Deo, infidelis est, Eccl. 15. v. 5. *Displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*; ergo homini infidelis est, qui interiùs promissa homini facta ei non servat.

III. Promissionis obligatio a peculiari lege dimanat; sed quisque internam sibi facere valet legem: nam eam sibi facere potest externam, cujus vis tota ab interiori voluntate dependet: adeoque obligationem supra internum actum potest apponere, quam supra externum; ergo.

IV. Promissio aliquid superaddit proposito: sed non addit nisi obligationem; ergo interior promissio obligationem inducit.

V. Hodie promittens interiùs, si post triduum promissionem manifestet, indubie tenetur adimplere promissionem; ergo compertum est, interiorem promissionem ex se obligare.

VI. Per solum interiorem actum potest quis rei suæ possessionem abdicare *l. 1. §. Si vir, l. 3. §. In admittendo, & l. Si quis 2. §. ult. ff. de acquisit. possess.*; ergo poterit similiter solo interno actu alteri jus tribuere in rem suam.

A

VII. Si quis noverit sibi factam internam promissionem, quam promittens executioni demandare non vult, potest ille, ut propugnat Diana *Ref. 110. p. 3. Tract. 5. Miscell.* secreta uti compensatione; ergo.

RESP. Major propositio juxta D. Thomam 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. falsa est, si intelligatur per ordinem ad homines -- Pro„ missio, quæ ab homine fit homini, non „ potest fieri nisi per verba, vel quæcun„ que exteriora signa. Deo autem potest „ fieri promissio per solam interiorem co„ gitationem; quia ut dicitur 1. *Reg.* 16. „ Homines vident ea, quæ patent, sed „ Deus intuetur cor -- Et sane homo nequit se alteri homini obligare, nisi modo sibi connaturali, qui alius non est, nisi per signa sensibilia, cum sit corporeus. Hinc respondeo.

B

Homo alteri obligatur per exteriora signa.

Ad I. probationem. Quando quis solummodo interiùs obstrictus est promissione, potest itidem se solo seipsum solvere; quia ex regula Juris, res per easdem causas, quibus nascitur, dissolvitur. Quare seipsum solvens, si promissa non servat, mendax perperàm dicetur.

C

Non est mendax, qui interna promissa non servat.

Ad II. Quæ Deo interne promissa sunt, non solùm cognita, sed ab eo acceptata habentur: secus quæ homini promittuntur per solius voluntatis actus; proindeque latum inter utrumque intercedit discrimen.

Discrimen promissionis internæ factæ Deo, vel homini.

Ad III. Qui per legem ligare potest, potest ligatos solvere; propterea qui per internam legem seipsum obstrinxit, absolvere seipsum valet; immo ille ligatus non censetur, qui pro libito potest toties quoties ligamen abrumpere. Vis obligationis utique a voluntate dependet; verùm quandiu vinculum est in libera potestate ligati, nullius roboris reputatur. Si verò actus internus signis manifestetur, ab uno Foro ad aliud transit, atque legibus Fori communis subordinatur.

D

Ad IV. Promissio addit proposito imperfectam quandam obligationem, & veluti vialem, non habentem tamen statum, defectu firmitatis; quoniam verò revocabilis est ad placitum promittentis nihili habenda est.

Quid addat proposito promissio.

Ad V. Promissio moraliter perseverans, si de interna fiat externa, subditur illico conditionibus exterioris providentiæ; unde nil mirum, si post manifestationem obligare incipiat.

E

Ad VI. Per actum pure internum potest quis rem suam abdicare; cum ejusdem perfectum habeat dominium. Nequit tamen jus ad rem alteri conferre per actum ejusdem naturæ, nempe internum; potest namque is rem promissam respuere, eique displicere; proindeque absque ipsius actu vim nullam sortitur promissio.

Ad VII. Si simplex est internæ promissionis notitia, nullum prorsus acquiritur jus compensationis; cum in potestate omnino libera promittentis sit illam revocare. Si

Ex promissione interna nullum jus compensationis.

verò

verò sit notitia illa a promittente exhibita, atque habeantur conditiones dantes contractui firmitatem; tunc propugnari potest præcitata doctrina.

Prædicta ex certis intrinsecis principiis urgent; propereaque extrinsecam evertunt probabilitatem, etiam eorum, qui contendunt, interne promittentem teneri præconceptam manifestare promissionem.

15 OBJIC. II. De essentia promissionis inducentis obligationem non est acceptatio · sed sponsalitia promissio essentiam habet promissionis; ergo absque acceptatione subsistit. Major evincitur. Promissio facta Infanti, subsistit, *L. jubemus c. de mancip. lib. nisi infante · sint*, & tamen non acceptatur ab Infante, utpote incapax est acceptationis; ergo. Confirmatur hoc idem ex promissione facta in favorem causæ piæ, quæ non acceptatur.

Promissio ut obliget debet acceptari.

RESP. Prima propositio falsa est, nec inducta probatione roboratur. Etenim Infans incapax quidem est acceptationis per physicam personalem voluntatem; secus per alienam, ejusdem reputatam, qualis est voluntas Reipublicæ per Jura decernentis, custodientis, omniaque membra, debita proportione, gubernantis: Idem dictum volumus de dispositione favore causæ piæ. Verùm ultro admissa majori de quibusdam promissionibus, omnino de promissione sponsalitia negatur; cum singularia onera, peculiares conditiones, & circumstantias involvat.

16 OBJIC. III. Stat personalis obligatio etiam cum sui traditione, absque alterius acceptatione repromissiva, sed sponsalitia promissio est personalis cum traditione juris ad rem; ergo non requirit repromissionem; tota namque ratio, ob quam repromissio necessaria censetur, est illud personale onus. Assumptum ostenditur. Coadjutores Societatis Jesu, qui formati dicuntur, per vota simplicia sese obligant, traduntque Religioni, absque eo quod Religio acceptet repromittendo: atqui non minus onerosa est traditio facta ad onera Religionis, quàm ad onera nuptiarum; ergo. Ratio porro, quæ utrinque urget, habetur a Sanchez *Disp.* 5., videlicet, quia potest quis alteri se gratis obligare absque obligationis conditione ex parte alterius.

Promissio duplex.

RESP. Duplex adinvenitur promissio; gratuita una, onerosa altera, & mutua. Gratuita promissio ea est, in qua unus se ultro alteri obligat, nil ab eo exigens: sicut contingit in promissione donativa; hæc porro subsistit, etsi Donatarius nihil prorsus nec actu, nec promissione redonet. Onerosa, & mutua promissio intelligitur ea, qua quis alteri sese obligat, ut & alter remaneat obligatus ad aliquid; ut videre est in promissione venditionis domus: ita enim Dominus promittit domum vendere, ut alter pretium solvere debeat. Promissio sponsalitia secundi generis est; etenim promittens spondet, in futuro Conjugio seipsum tradere, ut alter similem traditionem exequatur. Exemplum Societatis nobis arridet. Siquidem etiam Societas in prædicto casu se obligat, licèt sub certis conditionibus, quibus non servatis, Coadjutores dimittit; adeoque exemplum mire deservit ad evincendum, Sponsalia, urgente rationabili causa, fore solubilia. Doctrina Sanchez valet in gratuita promissione.

17 OBJIC. IV. Ad Sponsalium firmitatem sufficit taciturnitas; sed hæc nec implicite, nec explicite innuit repromissivam acceptationem: cum *ex regula* 44. *in* 6. tacens nec consentire, nec dissentire videatur; ergo ad Sponsalia hujusmodi acceptatio non est necessaria. Major in aperto est. Cum enim Parentes spondent, præsente Filia, & tacente, subsistunt Sponsalia: sicut cum declarant promissionem alteri factam, & ipsa silet; ut clare habetur in Cap. unic. *de desponsat. Impuberum in* 6. §. *fin.* — Ex Sponsalibus, quæ Parentes pro filiis puberibus, „ vel impuberibus contrahunt, si Filii ex„ presse consenserint, vel tacite, ut si præ„ sentes fuerint, nec contradixerint, obli„ gantur, & ex eis oritur justitia publicæ ho„ nestatis -- Et hac de re *l. Isti quidem ff. de eo, quod metus causâ*, opportuna affertur ratio, videlicet, quia Parentes magis Filios diligunt, quàm seipsos; adeoque præsumitur, Filiis bene consulere; ea propter taciturnitas filiorum meritò reputatur consensus.

RESP. Majori propositioni absolute spectatæ plerique refragantur. Possunt namque Filii tacere sive ob metum reverentialem, sive ob timiditatem, sive quia credunt, satiùs esse silere, quàm loqui, cum ex hoc nil sibi profuturum judicent; possunt itidem tacere, cum non nisi imprudenter dissensus causam referre valerent; quare sub illa taciturnitate positivus interior dissensus adesse potest, irrita prorsus reddens Sponsalia. Occurrit & alia difficultas in concordantia prædicti textus *Cap. unico* cum alio nempe capite, *Tua Fraternitas* sub eodem tit. *lib.* 4. *Decretalium*. In primo namque textu asseritur, Patrem posse pro Filio sive pubere, sive impubere, contrahere; in secundo aperitur, non posse pro Filio pubertatem nacto. Itaque major propositio admitti potest, quando tales occurrunt circumstantiæ, ut certò moraliter prudens judicare valet, verum positivum, ac mutuum consensum adesse; & in hoc sensu intelligitur a S. Thoma, nec non ab aliis, sicut etiam a lege Civili, & Canonica. Relatum momentum de Parentum amore erga filios ultro admittimus, eo tamen casu ut Parentum studium non a peculiari inclinatione, sed a recto dictamine dirigatur; nam sæpenumero plures novimus a Parentibus malo omine desponsatos. Conjugium est onus gravissimum, & totius vitæ; ea propter in contrahentibus plenam voluntarietatem meritò exigi.

Taciturnitas non semper involvit consensum.

Taciturnitas non semper habetur pro consensu.

Ad plenam tamen intelligentiam illius textus, in Glossa prædictæ Regulæ 44. duo dicendi modi referuntur. Primus est, quando actus contrahentis explicari potest absque actu Principalis: ut cum quis rem alterius vendit, Domino sciente, & tacente; taciturnitas tunc non habetur pro consensu, nec valet regula, qui tacet consentire videtur. Quando verò actus contrahentis non potest explicari v. g. sine meo consensu, tunc taciturnitas habetur pro consensu; & sic Filiorum taciturnitas, Patre promittente, habe-

tur

fur pro consensu; etenim sine voluntate Filiorum intelligi nequit sponsalitia promissio. Modus alter est, quando res cedit in commodum, vel honorem; tunc taciturnitas reputatur consensus. Secus est si in gravamen vergat, ut cum agitur de obligatione contrahenda; & in hoc sensu Filiorum taciturnitas nequaquam æquipollere censetur consensui. Plura exempla referuntur in notulis ad prædictam regulam 44. in 6., ex quibus unum sumere placet. Si Prælatus aliqua de re, quam sine scandalo palam facere nequit, sciscitatus taceat, abs re taciturnitas pro consensu reputaretur. Porro casus hujusmodi apte accommodari potest Filiis coram Patre tacentibus; cum habere possint impedimentum, quod absque infamia revelare nequeant.

Pro aliis textibus conciliandis volunt nonnulli, quod Caput *Tua Fraternitas* non loquatur definitive; ita quod ex quadam decentia, non necessariò, in adulto exquirendus sit consensus. Verùm ejusmodi solutio arbitraria prorsus est; nam interrogans Pontificem scire volebat, num personalis consensus adulti sit essentialis? ea propter responsio interrogationi respondere debet; potissimùm cum loquatur ex opposito ad infantem, cujus personalem consensum affirmat non esse necessarium. Itaque sensus prædicti textus est quidem de adulto; sed qui non vult tunc temporis contrahere, in eo casu per solam Patris voluntatem contractus nequit celebrari.

Ex his palam fit, non Patrem tantummodo, sed etiam Matrem pro Filiis posse contrahere; in cap. namque Unico *de despons. Imp.ub.* non Patris, sed Parentum mentio habetur. Reliquis autem a Parentibus hoc non competit; etenim amor, qui specialiter in his operatur, non est in aliis invenire.

18 OBJIC. V. Ex capite *Veniens, qui Clerici, vel voventes* obligat sponsalitia promissio absenti facta: sed ibi nulla occurrit mentio mutuæ repromissionis; hæc igitur haud necessaria censenda est.

Promissio absenti facta non obligat sine repromissione.

RESP. Dupliciter intelligi valet promissio absenti facta; vel simpliciter, vel accedente stipulatione. Simplex promissio habetur, cum promittens absque alterius acceptatione voluntatem suam manifestat. Accedere etiam potest prædictæ promissioni stipulatio; casu nempe, quo absentis nomine quis eam acceptat; & hoc quidem vel cum mandato, vel absque illo. Quocunque modo intelligatur, non subsistit promissio absque absentis acceptatione, atque repromissione; est enim contractus respectivus, sive onerosus, mutuum respectum exigens in utroque contrahente, sicut in nuptiis obligatio esse debet mutua. Et sane *l. Absenti ff. de donationibus* omnis promissio absenti facta, ante acceptationem est revocabilis: sed si acceptatio non foret necessaria, nequiret ante acceptationem revocari, independenter siquidem ab ea firmitatem haberet promissio; ergo. Hujus rationem habemus ex *l. 1. ff. de pactis*; nempe quia non oritur obligatio, nisi ex mutuo duorum consensu: hic verò mutuus duorum consensus repromissionem exigit, unde posita acceptatione ab absente, non statim irrevocabilis censetur; sed fas est, quod & innotescat promissio, & vicissim repromissio: & quidem non ex notitia quocunque modo habita, sed expresse per ipsos contrahentes, sive per Epistolam, vel per Internuncium manifestata. Hæc necessaria sunt ad perficiendum contractum; porro contractus perfectio *l. 1. cit. ff. de pactis* sita est in duarum voluntatum unione, quæ inter absentes non intelligitur, nisi promissio mutuò innotescat ex *l. 1. ff. de contrahenda emptione*.

Leges hujuscemodi non tantùm obligant in Foro externo, quàm in Foro conscientiæ. Ratio est, quia in æquitate juris naturalis fundantur; & aliàs leges Civiles, quando Canonicis non adversantur, adoptantur in Foro conscientiæ, Cap. *Intelligimus, de novi operis nunciatione*; potissimùm agentes de Conjugio, cujus materia est contractus naturalis, & civilis. His non adversatur Canon *Veniens*. Supponit namque sponsionem rite factam absenti, atque ab eo acceptatam; quam propterea validam declaravit Pontifex, prout factam juxta regulas, & naturam talis contractus.

Hinc promittens nuptias absenti, ante stipulationem promissionem potest revocare, quandiu ipsi non innotuerit, quandiu non fuerit acceptata, atque non accesserit repromissio; quia his deficientibus, nutat contractus. Ubi verò promissio, etsi gratuita, est stipulata, idest, ab alio fuit absentis nomine acceptata, & promissio dirigatur ad præsentem Stipulatorem, remanet irrevocabilis; cum accesserit acceptatio. Si autem promissio dirigatur ad absentem, v. g. Petro absenti promitto equum meum, promissio non firmatur per stipulationem; quia, ut stipulatio firmet contractum, necesse est, Stipulatorem vicea gerere, & personam absentis, proindeque ad ipsum præsentem verba dirigenda sunt, quod si ad absentem dirigantur, Principalem, non Stipulatorem respiciunt. Stipulatio ex jure communi tribuit jus ad rem; unde Stipulator non potest promissionem reprobare, nec quidquam exequi donec absens eam ratam habeat, atque acceptet; non tamen is ratam habere, aut acceptare tenetur: quia stipulatio intrinsecam involvit conditionem, si absens acceptet.

Hæc in gratuitis. Nam in respectivis, & onerosis, quibus accensentur Sponsalia, requiritur in Stipulatore mandatum Principalis; quia nemo unus est, qui absque voluntate onera subire velit; aliàs onera respectiva mutuum consensum, mutuamque exigunt repromissionem. Quapropter contractus inter absentes infirmi sunt, & revocabiles, quousque absens non repromittat; sufficit tamen acceptatio, & repromissio Procuratoris, quando, hoc mediante, celebrantur.

Stipulatores qui esse possunt.

Pro absente stipulare possunt, tum qui ad hoc specialiter, vel generaliter sunt deputati, tum qui superioritatis gaudent prærogativâ, ut Pater pro Filio, Dominus pro Servo, Prælatus pro subdito, Curator pro furioso, Tutor pro pupillo, tum Notarii, & publici Tabelliones, potissimùm si instrumentum conficiant; sunt tamen, qui hujusmodi stipulationem solummodo

pro

pro externo Foro valere contendunt.

10 Habes ex dictis, ad contrahenda Sponsalia non sufficere gratuitam, etsi mutuam sponsionem, si non sit respectiva. Etenim Sponsalia involvunt contractum ultro, citroque obligatorium; atqui illæ duæ gratuitæ promissiones, cum ad invicem non dependeant, contractum utriuque obligatorium non efficiunt: sicut quando quis liberaliter alteri donat librum, & iste imaginem redonet, non intervenit contractus *do, ut des*, quia sunt donationes independentes; ergo. Et quidem quoad Sponsalia, utpote gravissimi momenti, tutiores, & plausibiliores adoptandæ sunt opiniones, ne inde dissidia, & lites exoriantur.

Promissio de indeterminata Persona.

20 Habes etiam non contrahi Sponsalia, si promissio cadat supra indeterminatam Personam, ut si Pater unam ex pluribus consentientibus Filiabus promittat, vel Vir spondeat unam ex illis ducere. Sponsalia namque sunt dispositiones ad Conjugium, quod certas exigit, atque determinatas Personas. Tenetur tamen unam dare, quam ipse Pater velit, cum electio sit liberi juris promittentis, juxta regulam 70. *in 6.* — In alternati-
„ vis debitoris est electio, & sufficit alterum
„ adimpleri — & *l. Plerunque ff. de jure Gentium*. Quod si omnes, unâ exceptâ, morerentur, hanc superstitem tradere deberet. At verò si contingeret Promissarium cum una ex illis peccare, nullam Pater deberet dare; non illam cum qua peccavit, cum in ejus potestate sit eligere tradendam; non alias, propter exortum affinitatis impedimentum. Ex adverso Vir spondens unam ex pluribus ducere, eam, cum qua peccavit, censetur eligere; non efficiuntur tamen Sponsalia, nisi mutuò sibi spondeant, quæ mutua sponsio, si contingat etiam in casu Patris promittentis, habentur Sponsalia, & publicæ honestatis impedimentum consurgit.

CONTROVERSIA III.

AN FICTA PROMISSIO CONSTITUAT SPONSALIA.

Promissio actum intellectus, & voluntatis importat.

21 PRomissio in suo constitutivo duo dicit; unum ex parte intellectus, aliud ex parte voluntatis. Ex parte intellectus importat esse deliberatum, atque ordinatum; ex parte voluntatis importat esse intentum, seu intentionem. Deliberatio, alia est semiplena, plena altera. Semiplena dicitur, quando advertentia ad rem, quæ agitur, est imperfecta, hoc est, non reflectit ad omnia necessaria ad electionem, sed crasso quodam modo, & sub quadam generali confusione, & extemporali reflexione. Plena deliberatio est, quando advertentia est perfecta, scilicet, quando clare cognoscitur id, quod agitur, ex. gr., novit homo se futurum promittere Conjugium, se obligando ad statum afferentem perpetuitatem, rem, de qua agitur, cum suo opposito conferens, ut locus detur voluntati ad eligendam partem, in qua major aliqua elucet ratio boni. Videatur Cajetanus 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. Unde non est necessaria omnium circumstantiarum, quæ occurrere possunt, consideratio.

Ad Sponsalia requiritur perfecta deliberatio.

22 Ad Sponsalia requiritur deliberatio perfecta; ut colligitur ex Capite *Litteras*; ex Capite *Accessit*; ex Capite *Ad dissolvendum. De Despons. impuberum*. Ratio est, quia Sponsalia sunt contractus valde onerosus, importans statum perpetuitatis in promissare de futuro; unde ad minus tanta requiritur deliberatio, quanta ad graviter delinquendum. Dixi ad minus, quia N. Gabriel quid plus exposcit. Et sane ad lethale peccatum sufficit advertentia præsentium; ad Sponsalia autem consideratio etiam futurorum requiritur. Hinc si quis ex semiplena advertentia contrahat, nullam contrahit obligationem, neque sub veniali, quamvis semiplena sufficiat advertentia ad venialiter peccandum; quia lumen vultus Domini signatum super nos suadet, neminem esse obligandum ad onus grave per legem sibi impositam, ad quod non plene advertit, non plene deliberat, non plene consentit. Et quomodo consurgere potest obligatio sub veniali, si sponsalitia promissio non subsistit?

In promittente triplex adesse potest intentio.

23 Ex parte voluntatis triplex assignatur intentio. Prima est intentio promittendi: secunda est intentio se obligandi: tertia est intentio adimplendi promissum. His tribus intentionibus respondent tres correlativæ fictiones. Prima fictio est exterior promissio sine interiori animo promittendi: secunda cum animo promittendi, sed nequaquam se obligandi: tertia cum animo promittendi, & se obligandi, sed sine animo adimplendi. Quæstio non agitur de prima, & tertia fictione; certum est enim apud omnes, nullam esse in re promissionem, cui deficit animus promittendi, cum sit hujusmodi promissio simpliciter verbalis, & lusoria. Indubium itidem est subsistere promissionem ex animo promittendi, & se obligandi, si desit voluntas adimplendi; siquidem in ea reperitur tota promissionis substantia, & adimpletio solummodo spectat ad lineam effectus necessariò consequentis. In utroque casu sic promittens Sponsalia, peccat graviter; nam lex justitiæ præcipit, quod uterque promittens in contractu mutuo vere promittat, & promissum adimpleat. Est etiam contra justitiam, & charitatem in re gravi Proximum circumvenire; porro per utramque fictionem in casu Proximus in re gravi decipitur; adeoque gravi crimine reus evadit Deceptor. Difficultas igitur præsentis Controversiæ ad fictionem secundi generis devolvitur.

DICENDUM, promissione fictâ non contrahi Sponsalia.

Vis promissionis est obligatio.

24 PROB. I. Omnis conditio contraria substantiæ contractus, & promissionis, nullum efficit contractum, & promissionem: sed animus se non obligandi est conditio directe contraria substantiæ promissionis sponsalitiæ, cum vis cujuslibet promissionis sit obligatio; ergo sponsalitia promissio non subsistit, & est nulla. Habetur argumentum Cap. *Si conditiones. De conditionibus appositis in Despons., vel aliis contractibus*,

ubi

ubi -- Si conditiones contra substantiam Co- „ njugii inserantur, puta &c. matrimonialis A „ contractus, quantumcumque sit favorabi- „ lis, caret effectu -- Ex quo instauratur probatio. Non minus est de substantia promissionis obligatio, quàm sit de substantia Conjugii perpetuitas: sed volens contrahere, seu promittens contrahere Conjugium ad tempus, nullum facit contractum, eo quod conditio illa est contraria substantiæ contractus Conjugii; ergo etiam nulla efficitur promissio, ubi animus se obligandi desideratur.

Sponsalia vim Legis habent.

25 PROB. II. Sponsalitia promissio vim, & naturam sortitur legis particularis: sed ex intrinsecis legis est obligatio omnino B dependens a Legislatoris arbitrio, in cujus voluntate stat, quod obliget lex ad culpam, vel non, sub gravi, vel sub levi; ergo promissio non obligat nisi juxta promittentis intentionem, qui sibi legem facit particularem; ea propter nolens se obligare, non tenebitur ex justitia ad promissa.

Non est juramentum sine animo se obligandi.

26 PROB. III. Sicut ex promissione, ita ex juramento oritur obligatio: sed stante intentione jurandi, si animus se obligandi desit, non subsistit juramentum, docente D. Thoma 3. *Sent. Dist* 39. *art.* 3. *quæst.* 1. *quæstiunc.* 3., ubi distinguens in hujusmodi juramento rationem juramenti, & rationem C dolosi, ait -- Quamvis ergo ex ipsa ratione „ juramenti, in quantum juramentum, non „ obligetur ad servandum ipsum, nisi secundùm suam intentionem: tamen ex necessitate juramenti, in quantum dolosum, „ obligatur ad observandum, taliter quod „ ex dolo alius non lædatur. Et hoc est „ quando secundùm intentionem recipientis „ implet juramentum. Si autem simpliciter „ juret absque dolo, tunc in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundùm suam intentionem; sed in foro &c. -- ergo. Ex quo etiam habemus, nullam esse talem promissionem, quando juramento, utpote acces- D sorio promissioni, firmatur.

Ex dupli ci intentione contrariâ quænam subsistat.

27 PROB. IV. Ex communi Doctorum placito, ubi duplex contraria occurrit intentio, ea subsistit, quæ alterius est revocatoria: sed in casu intentio se non obligandi est revocatoria intentionis promittendi; ergo hæc, non prima, subsistit. Explicatur assumptum. Intentio illa censetur alterius revocatoria, quæ super alteram est reflexiva: sed intentio se non obligandi est reflexiva super intentionem promittendi, cum sit ex prioris cognitione, & posterior ipsâ; ergo. Insuper illa est alterius revocativa, quæ spectat ad rationem formæ contractus: obligatio E spectat ad formam contractus, & promissionis, cum sit differentia essentialis distinctiva voluntatis promissivæ a non promissiva voluntate, ut est propositum; ergo. Præterea hæ duæ intentiones sunt ad minus æquales; & hoc ipso nullam efficiunt promissionem.

Qui non vult se obligare ad nihil tenetur.

28 PROB. V. Majoris est efficaciæ deliberatio exclusiva per scientiam præsuppositam, quàm ex præsupposita ignorantia: quia illa est expressa, & directa, & plene volita, secus ista: sed si promittens, obligationem ignoraret, & promittendo nollet se obligare, nulla foret promissio, quia impediret, & tolleret voluntarietatem ex *l. Si per errorem ff. de Jurisdic. omn. judic.*, cum nihil sit contrarium magis voluntarietati, quàm error, & ignorantia, ergo a fortiori voluntarietatem evacuat promissionis directus animus ex scientia emanans se non obligandi. Ob hanc doctrinam N. Gabriel partis oppositæ propugnator *Disp.* 4. *De Matr. quæst.* 6. præsupponit, nullam esse promissionem ab eo factam, qui ignorat obligationem, & illius, qui non vult promittere, sicut alii promittunt.

OPPOSITA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

29 OBJIC. I. Ex regula Juris *l.* 1. *ff. Si usus fructus* qui vult antecedens, vult etiam consequens: sed promissio est antecedens, obligatio verò est consequens; ergo qui vult promissionem, vult etiam obligationem.

Promissio cum intentione se non obligandi est nulla.

RESP. Effatum illud Juris valet ubi antecedens est verum, & necessarium; secus ubi est apparens, & a libero dipendens consensu. Promissio in casu nolentis se obligare, non est vera, sed verbalis, sed apparens tantummodo. Ejus vis tota dependet a voluntate; unde si voluntas se non obligandi non adest, neque adesse potest promissio vera, sed evanida, & apparens est.

30 DICES. Obligatio est intrinseca promissioni magis quàm igni calefactio: illa enim se habet per modum formæ etiam a Deo inimpedibilis, & ista est in genere causæ efficientis, & a Deo suspendi potest; sed dari nequit ignis absque calore; ergo neque dari potest promissio absque obligatione.

RESP. Argumentum, aliàs palmare, se ipsum solvit. Ea ratione a Deo non est impedibilis obligatio in contractibus, quia dependet, seu veriùs consistit in actibus liberis, & voluntariis. Hoc ipsum principium in causa est, quod si promittens nolit se obligare, promissio non sit vere obligatoria, sed solùm apparenter. Ignis apparens calefactionem non infert, sed solùm verus. Et sane sicut ignis, si applicetur, exigit calefactionem, si verò impediatur, non calefacit; sic promissio exigit obligationem, si tamen eam non vult promittens, non obligat promissio.

31 INSTABIS. In promissionibus onerosis non est liberum promittenti se obligare modo, quo ipse vult: sed promissio sponsalitia est onerosa, & quidem in re gravi; ergo nequit promittens ex sua voluntate obligationem impedire. Explicatur. Illud est discrimen gratuitam inter & onerosam promissionem, quod per illam promittens imponit sibi fidelitatis legem: per hanc sibi, & alteri, imponit legem justitiæ; adeoque liberum est ei se obligare in promissione gratuita quomodo vult, in promissione onerosa nequaquam.

RESP. Argumentum non ferit difficultatis punctum; immo falsum supponit. Modum tangit instantia se obligandi sub gravi, vel sub levi; at difficultas præsens versatur

Substantia obligationis in animo est.

circa obligationis substantiam. Ubi deest animus se obligandi, etiam substantia obligationis deficit, & promissio est apparens, pure externa. Porro alia est quæstio, & longe diversa, an posita voluntate se obligandi, liberum sit in materia gravi, & onerosa, se graviter, vel leviter obligare. Satis firma extat Sententia, quod etiam in materia gravi potest Legislator obligare tantùm sub levi. Qui verò non habet animum se obligandi, nec sibi, nec alteri, veram imponit legem, nec onus verum, sed alterum profectò decipit.

32 REPLICABIS. Intentio se non obligandi habetur pro non apposita: sed nihil efficit conditio illa, quæ habetur pro non apposita; ergo intentio illa se non obligandi nihil efficit; ac proinde non evacuat promissionis vim, seu substantiam. Major propositio eruitur ex Cap. *Finali. De conditionibus appositis in Despons.*, ubi turpes, & impossibiles conditiones rejiciuntur; intentio se non obligandi est hujusmodi; ergo est rejicienda ut non apposita.

RESP. Falsa est major propositio. Intentio quippe se obligandi, vel non, pertinet ad substantiam contractus. Jus eo loci contraponit conditionibus turpibus, & impossibilibus conditiones de substantia; & turpes, ac impossibiles intendit non appositas, contrarias verò substantiæ declarat ipsam prorsus destruere, ac tollere substantiam contractus.

33 OBJIC. II. Ita se habet ad intentionem se obligandi intentio promittendi, sicut ad inferendum consensum advertentia: sed ad valorem sponsalitiæ promissionis sufficit advertentia tantùm confusa; ergo sufficiet etiam intentio promittendi absque intentione se obligandi. Declaratur. Sicut advertentia consensum præcedit, & ipsum in radice præcontinet: ita intentionem se obligandi præcedit intentio promittendi, & ipsam saltem radicaliter, exigitive, & confuse præcontinet. Rursus, si quis affectus inordinati passione concitatus, vel tentatione vexatus promittat Sponsalia, indubie Sponsalia contrahit; aliàs plerumque irrita forent Sponsalia cum maxima Reipublicæ confusione, & deordinatione, nam plurimi perturbato animo, sive amore, sive spe, & hujusmodi passionibus, contrahunt.

Disparitas intentionem inter & advertentiam.

RESP. Major adæquate non urget. Nam advertentia se tenet ex parte intellectus, & solùm respicit objective consensum, qui ex parte voluntatis se tenet; advertentia quippe est cognitio rei, in quam consentit voluntas. At verò intentio promittendi, sicut & intentio se obligandi, tenet se ex parte voluntatis, & hæc secunda intentio se habet velut prioris forma; unde defectus istius infirmat vim illius, & inanem, nullamque reddit.

Ad difficultatem in minori propositione propositam, quæ ad praxim deservit, respondent nonnulli Canonistæ, invalidos esse hujusmodi contractus; habemus enim Can. *Divortium de pœnitentia dist.* 7. — Quidquid calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non „ priùs ratum est, quàm si perseverantiâ ap„ paruit judicium animi fuisse; ideoque per „ calorem misso repudio, si brevi reversa est „ Uxor, nec divertisse videtur — Id in *leg.* 48. *ff. de reg. juris*; & *lib.* 3. *De divortio*. Verùm cum Theologis distinguendum est, Vel passionis motus advertentiam impedit necessariam ad peccatum mortale, vel non impedit. Si impedit, dubio procul non subsistunt Sponsalia, sicut nec vota, nec juramenta, nec alii contractus de re gravi. Secus dicendum est, si non impedit advertentiam illam; adest siquidem cognitio sufficiens ad deliberate agendum humano modo. Vehementi passione acti clamabant per os plebis Sacerdotes, & Scribæ: tolle, tolle, crucifige; & tamen peccaverunt graviùs, quàm Pilatus. Est nota laudato Canoni apposita.

Contractus ex passione quando irritus.

Quandonam passio tollat advertentiam.

34 Verùm pro praxi gravis difficultas est, quomodo dignoscere possumus, abstulisse passionem advertentiam, vel non. Sunt qui sequentem adoptant regulam, quæ deduci videtur ex 2. parte laudati Canonis; videlicet, si succedente animi tranquillitate, pœniteat contrahens se contraxisse. Alii aliam statuunt regulam; nempe, si non contraxisset, ea non extante passionis commotione. Nihilominus solitarie acceptæ hæ regulæ fallunt. Experientiâ constat, quod quis impetu iracundiæ excitus hominem occidit, statim animo composito, de patrato crimine quàm maxime dolet; similiter quis ex passione culpabiliter blasphemat ludendo, quam sane blasphemiam non protulisset, si ludi occasio non extitisset. Quare peculiares spectandæ sunt circumstantiæ, tum Personæ, tum excitantis causæ. Perpendendum est, num sub fluctuante passione ad rem, quam agebat, animum converterit; num finem intenderit actionis suæ. Nec est fidendum, quod non præcesserit tempore advertentia, sed sat est præcessisse naturâ; valde enim colligatæ sunt potentiæ volitiva, & intellectiva.

Laudati Canonis sensa valent pro Foro externo, ne mulier illa, quæ reversa est, puniatur. Duplex regula assignata ut supra valere poterit, quando res, pensatis omnibus, manet dubia; tunc enim præsumi potest inconsulte actum esse contractum, ut Nonnulli contendunt. Alii tamen docent, standum esse pro contractu, pro voto, pro juramento &c. Horum fundamentum est, quia contractus est in possessione; de ipso enim certitudo constat, & de advertentia dubitatur. Rursus, quia semper præsumitur, adesse libertatem, quæ in nobis insita est, nisi oppositum probetur:

Regula pro praxi.

Ubi de peccato lethali agitur, si certò constat de advertentia, sed non de consensu, aut ex adverso constat de consensu, sed non de advertentia, N. P. Gabriel *Disp.* 4. *quæst.* 5. *De Matrimonio* hanc tradit regulam. In Viro probatæ virtutis præsumendum est negative; secus in alio. Ratio est, quia in Viro probatæ virtutis consensus perfectus, vel advertentia plena facilè sui memoriam, & notitiam post se relinquit: cum assuetus sit agere reflexe, & crimina execrari; unde si dubius est, præsumitur defectus in consensu, vel in advertentia. In alio Viro e contra, cum ex habitu, & obtusa quadam considera-

tione

tione soleat operari, nec in suis deliberationibus reflectat agat, non adeo facilè pariter notitia, ac memoria. Extenditur hæc doctrina ad contractus, ad vota, ad juramenta &c.

35 OBJIC. III Radicalis volitio Sponsalium cum actuali inadvertentia facit valida Sponsalia: sed intentio promittendi, stante intentione se non obligandi, simili æquivalet volitioni, & eamdem fortitur æquiparantiæ vim; ergo etiam ipsa valida efficit Sponsalia. Explicatur. Si quis mente sanus deliberat contrahere Sponsalia, & superveniente amentia, vel ebrietate, tunc contrahat, valida sunt ejusdem Sponsalia: sicut valet Baptismus priùs volitus: sicut est verus homicida in eo statu hominem ex prævisione, & intentione priùs habita, occidens. Patet autem, in eo statu nullam esse advertentiam, nullumque consensum, atque omnimode desiderari. Igitur stante animo se non obligandi, sufficiet radicalis volitio præcontenta in Intentione promittendi.

Contractus in ebrietate, vel amentia, sunt nulli.

RESP. Dando majorem, & negando minorem, ejusque probationem. Non subsistunt Sponsalia, & alii contractus in ebrietate, & amentia, quamvis fuerint prævolita; nam requiritur actus humanus, pro quo formaliter, vel virtualiter, necessaria est actualis libertas, quæ pro statu amentiæ, vel ebrietatis non datur, cum ligatæ sint potentiæ, ac impeditæ ad agendum cum reflexione. Obligatio in utroque contrahente consurgens non emanat a priori voluntate, neque a causa, in qua est volita, sed ab ipso actuali contractu; & ideo ejusdem constitutiva debent esse humano modo præsentia, ideft, sub statu libertatis. Contrahentes sunt Ministri, & Actores; proinde debent in actu contractus se ipsos movere. Hinc in Ministro Baptismi non sufficit baptizandi voluntas præhabita ad amentiam, vel ebrietatem, ut palam fit a Theologis in disceptationibus de Ministro Sacramentorum. In suscipiente tamen Baptismum sufficit voluntas illa; quia passive se habet. Primum igitur exemplum in objectione productum non officit nobis, immo favet.

Occisio in ebrietate quomodo volita.

Ad aliud exemplum resp. Malum ex quocunque defectu, bonum ex integra causa. Occisio illa in ebriètate est objectum volitum, & prævisum in priori intentione; ac imputatur ebrio occisori, vel amenti, quia ebrietatem, vel amentiam oriam ex causa libera, debebat præcavere; & quia cum prævidens posset causam non intendere, & in causa affectum, voluit utrumque.

Ex his deducitur, esse a fortiori incapacem Sponsalium Amentem a nativitate, sicut illum, qui in hac peculiari materia contractus insanit, quamvis in aliis rebus fortè rectè judicet. Mutus, surdus insimul, & cæcus, non est capax contrahendi, cum fieri non possit, ut apte instruatur; secus de muto, & surdo, qui signis instrui potest.

36 OBJIC. IV. Sicut verba externa sunt promissionis interioris signa, sic subarrhatio per annulum est signum interioris animi: sed sola subarrhatio annuli constituit Sponsalia, ut consuetudo fidem facit; ergo etiam sola verba exteriùs promissoria constituunt Sponsalia. **A** Utrobique ratio est eadem; quia hæc sunt ipsemet contractus; sicut locutio detractiva, est detractio, etiamsi desit animus detrahendi.

Verba exteriora sunt signa æquivoca.

RESP. Exteriora verba, sine interna intentione, sunt signa apparentia, & præsumptiva; non vera, & realia. Fundant præsumptionem pro Foro externo; non tamen verum efficiunt contractum. Ita subarrhatio annuli est signum satis æquivocum; cum ex alio fine possit oriri, puta ex turpi affectu &c. Locorum consuetudo solummodo facit præsumptionem; adeoque aliud addi necesse est: ut si tractatus præcesserunt antea, & promisit **B** Vir se ducturum Mulierem, deinde porrigit annulum, & mulier acceptat, tunc sufficit ad Sponsalia, quia pars altera facto acceptat, & repromittit; Glossa *Lua, de Sponsalibus*. Idem evenit, quando amicos inter de Conjugio agitur ineundo, Muliere conscia, & Vir annulum mittit, vel arrhas, & Mulier acceptat. Similiter dum spondet Vir, & manum porrigit Mulier. Hæc vera sunt; quia taciturnitas, etiam ubi agitur de obliganda Persona, habetur pro consensu, eique æquivalet, quoties actus aliquis positivus concurrit de linea rei, de qua est tractatus.

Taciturnitas quando stet pro consensu.

Detractio sine animo detrahendi est peccatum.

Exemplum detractionis non urget. Nam **C** per se ipsam læsiva est famæ Proximi exterior detractio, etiamsi a detrahente non sit intenta. Promissio exterior non est per se ipsam effectiva contractus, nisi præsumptive, & in Foro contentioso; quapropter necesse est, validum reddere contractum, media intentione se obligandi.

37 OBJIC. V. Negativa, & æquivoca Intentio periude se habet, ac promissio sine animo se obligandi: sed negativa, & æquivoca intentio constituit vere Sponsalia; ergo etiam intentio se non obligandi. Major in aperto est. Nam æque decipit qui promittit animo se non obligandi, & qui per æquivocationem promittit, & per non voluntatem. **D** Explicatur Minor. Per has frases: *numquam aliam a te ducam*: *nullam ducam, nisi te*: *tecum volo contrahere*. & per alias similes, contrahuntur Sponsalia. Hæ porro frases sunt aut negativæ, aut æquivocæ; potest enim quis eas proferre juxta interiorem sensum, qui exteriùs non intelligatur.

Variæ frases pro Sponsalibus.

RESP. Concedendo majorem propositionem pro præsenti materia. In minori discriminantur Auctores. Vera, & communior doctrina negat, prædictis frasibus contrahi Sponsalia; sunt enim tantummodo aptæ ad generandas lites in Foro externo, & ad **E** sovenda inter Proximos dissidia. Pro negativis frasibus non includentibus saltem implicite affirmationem ratio in aperto est; nam consensus non præstatur per negationem; & hujusmodi est illa, *numquam aliam a te ducam*. Idem pro æquivocis valet; hæ siquidem scientiam non inferunt, cum certum non habeant sensum. Talis est frasis altera; *nullam ducam nisi te*; ista siquidem potest sensum habere exceptivum, insuper & conditionalem; exceptivum, ut, *ducam te*, & *non aliam*; conditionalem, ut, *si aliquam duxero, ducam te*. In priori sensu exceptivo per

 ali-

aliquos Doctores verba illa sufficiunt ad sponsalitiam promissionem; in posteriori conditionali, apud omnes nihil efficiunt verba illa, non enim absoluta exprimitur voluntas, neque quid sit facturus sic promittens. Ultima frasis, *volo tecum contrahere*, satis est æquivoca, ob triplicem sensum, quem potest habere: unum de præsenti expressivum actualis traditionis: alterum de futuro inclusivum futuræ traditionis: tertium solius propositi de faciendis nuptiis; & iste sensus primò percipitur.

Doctores nonnullas collegerunt verborum constructiones de præsenti, & de futuro, capaces diversorum sensuum, adeoque reddentes aut dubiam, aut æquivocam promissionem. Ad evitanda igitur incovenientia, quæ suboriri possent, scrutanda est primò intentio Promittentium, eorumque mens investiganda. Secundò examinandæ sunt occurrentes circumstantiæ; sæpe enim istæ declarant id, quod est obscurum. Quod si res adhuc remanet dubia; tunc ad communem verborum intelligentiam est recurrendum. Id autem compertum sit in re tanti momenti, quod pars securior tenenda est; ut nempe Sponsores ad iterandam promissionem claris, ac apertis terminis inducantur.

38 OBJIC. VI. Pro contrahendis Sponsalibus æque necessaria est Ecclesiæ intentio, ac Promittentis intentio se obligandi: sed sine Ecclesiæ consensu subsistunt Sponsalia; ergo pariter subsistunt sine voluntate se obligandi in Promittente. Major videtur certa. Siquidem inhabilis ad Conjugium, inhabilis quoque est ad Sponsalia; unde sicut sunt correlativæ prohibitio Conjugii absolute, & prohibitio Sponsalium: ita prohibitio Conjugii clandestini, & prohibitio Sponsalium clandestinorum. Prohibita esse Sponsalia clandestina colligunt plerique relati a Sanchez *lib. 7. disp.* 13. ex Cap. *Finali De clandest. Desp.* Esse invalida docent plerique Canonistæ ex *l. Oratio ff. de Sponsalibus*, & ex *l. Si quis Tutor ff. de ritu nuptiarum*. Minor videtur communis Theologorum; quia non est eadem ratio de Conjugio, ac de Sponsalibus. Nam clandestinum Conjugium in causa est contrahendi adulterinas nuptias; priori siquidem repudiata Uxore, ducebatur altera, nec reus ab Ecclesia cogi poterat ad priorem recipiendam, cum probari non posset Conjugium per tabulas. Addunt ex *Clementina I. De consanguinitate* pœnam Conjugii non extendi ad Sponsalia; unde ibi excommunicantur docentes consanguineam, secus contrahentes Sponsalia cum ipsa; in odiosis enim nomine Conjugii non veniunt Sponsalia.

Sponsalia clandestina an valida sint.

RESP. Argumentum insplicit difficultatem, num necesse sit contrahere Sponsalia coram Parocho, & Testibus; si enim hoc necesse sit, currit æqualitas cum necessitate habendi intentionem se obligandi. Ceterum conciliari possunt Canonistæ, & Theologi, si termini explicentur. Sponsalia igitur contrahi possunt clandestine de futuro Conjugio itidem clandestino, vel cum circumstantia impedimenti dirimentis; & possunt contrahi clandestine de futuro Conjugio libero ab omni vitio irritante. In primo casu bene dicunt Juristæ; tunc enim sunt invalida, quia sunt de re illicita, & nulla. In altero casu optime loquuntur Theologi; quia sunt de re licita, & dispositio Tridentini de Conjugio non extenditur ad Sponsalia, cum sit correctio Juris communis, quæ ad casum non expressum non extenditur, *l. Præcipimus C. de appellatione*; unde in Decreto Tridentini habentur Sponsalia, ut casus omissus *l. Commodissime ff. de liberis, & posthumis*.

39 Hinc solvitur argumentum. Dupliciter potest esse quis inhabilis ad Conjugium; absolute, hoc est, ad omne Conjugium; vel tantùm ad hoc determinatum. Quando quis inhabilis est primo modo propter impedimentum perpetuum, tunc inhabilis est etiam ad Sponsalia; cum sint de re semper illicita, & nulla. Quando quis inhabilis est secundo modo, inhabilis est ad Sponsalia de illo ineundo Conjugio, non de alio in forma debita contrahendo.

Prohibitio Conjugii absolute, correlativa est prohibitioni Sponsalium, ob mox dicta. Prohibitio Conjugii clandestini correlativa est prohibitioni Sponsalium clandestinorum, si Sponsalia sint de Conjugio clandestino; secus si sint de Conjugio legitime celebrando.

Ex Cap. *Finali de Clandest. Despons.* non recte deducitur, esse prohibita Sponsalia clandestina; loquitur enim expresse de solo Connubio. Nec movet ratio ex eo deducta, videlicet, quando aliquid est prohibitum, etiam id prohibitum est, per quod ad illud pervenitur; pervenitur porro per Sponsalia ad Connubium. Non movet, inquam; non ratio illa formalis est: hoc est, quando pervenitur ad illud, ut prohibitum; proinde solum infertur quod Sponsalia clandestina de Connubio prohibito, invalida sunt, & illicita: non quia clandestina, sed ratione rei volitæ, quæ mala est, & nulla. Clandestina tamen Sponsalia de Connubio non clandestino, nec prohibito, subsistunt, & licita sunt.

Denique ex duabus productis legibus nihil evincitur. Sunt enim in sensu formali, ita quod iis in casibus, in quibus Connubium est nullum, nulla etiam sint illius Sponsalia, etiamsi de Sponsalibus Lex non sit locuta. Verba legis *Oratio ff. de Sponsalibus* sunt — „ Recte tamen dicitur, etiam Sponsalia in „ his casibus jure nullius esse momenti, ut „ suppleatur quod orationi deest -- In his casibus, ait. Hoc sensu intelligitur etiam Lex *Si quis Tutor ff. de ritu Nuptiarum* Item utraque Lex loquitur, quando idem occurrit momentum; non autem eadem est ratio Connubii clandestini, & Sponsalium. In Connubio clandestino foventur adulteria; secus in Sponsalibus clandestinis; siquidem cum his stare possunt nuptiæ non clandestinæ, per quas adulteria evitantur.

Discrimen inter Sponsalia, & Connubia clandestina.

Id, quod a Theologis additur de pœna ex Clementina, impræsentiarum non habet locum. Nam esse non clandestinum per præsentiam Parochi, & Testium, a Tridentino exigitum, non est pœna addita, sed est forma constitutiva, & essentialis contractus conjugalis; voluit enim has conditiones Tridentinum ad valorem illius: pœna verò statuitur

pro

pro violatione legis constitutæ, non pro constitutivo rerum essentiali .

40 OBJIC. VII. Nullum potest habere valorem intentio , quæ nata est per se damnum alteri inferre · hoc enim est per se injustum ; sed intentio se non obligandi apposita promissioni , per se nata est Proximum lædere : quia alter illuditur , & facilè potest allici ad crimen aliquod , hoc est , ad turpitudinem admittendam , sub spe promissarum nuptiarum ; ergo intentio illa se non obligandi nullum debet habere valorem , seu vim ; adeoque promissio debet subsistere .

Promissor fictus in duplici differentia .

RESP. Promissor fictus dupliciter intelligi potest ; vel ut negative illudens , & fraudans ; vel positive . Negative tunc intelligitur , quando promissum præcise non præstat ; positive , quando sub spe promissi alterum inducit ad malum . Si primo modo , negative videlicet , se habet fictus Promissor , tunc Sponsalia sunt nulla , & ille ad nihilum tenetur , nisi scandalum inde sequatur , vel meliores impediantur nuptiæ . Non tenetur fictus ille Promissor ad promissionem servandam ; hæc enim nulla est . Non tenetur ad damnum reparandum ; quia nullum sequitur , cum tantùm deludatur Compromissarius , & peccet Promissor contra veritatem . Si scandalum sequitur , adoptanda tunc est solutio mox subjicienda .

Si positive decipit Promissor quid agendum .

Si secundo modo decipit fictus Promissor , idest positive , quid fieri debeat , declarat Angelicus Doctor 4. *Sent. Dist. 28. quæst. 1. art. 1. ad* 4. Vel Deceptor est æqualis , aut ferme æqualis conditionis , ac Mulier decepta ; vel ipsa decepta Mulier inferioris est conditionis , & Vir superioris , & nobilioris . In primo casu , si est Innuptus Deceptor , deceptam debet ducere ; in secundo casu tenetur eam dotare , & providere de nuptiis .

Ostenditur prima pars ex *l. 2. ff. Si certum petatur* . Justitia commutativa obligat ad reddendum idem , quoties contractus est de re danda , & reddenda individua : sed in casu , contractus promissionis est de nuptiis contrahendis ; ergo nuptiæ sunt ex justitia commutativa reddendæ ; adeoque debet fictus Promissor deceptam ducere . Major propositio firmam , & communem continet doctrinam . Hinc qui furatus est equum , qui extat , debet eumdem restituere , & non sufficit ei alterum æqualem reddere . Hinc qui contractum fecit injustum de agro , agrum debet reddere , non domum . Fortiùs hoc urget , quando unus ex contrahentibus , promissum ex sua parte adimplevit . Minor propositio est ipsamet substantia facti . Sequitur illatio directe . Siquidem in contractu *Do , ut des , facio , ut facias* , si unus muneri suo faciat satis , tenetur alter ex justitia commutativa , etiamsi ficte promiserit , contractum absolvere : tenebatur enim ex justitia veraciter promittere , cum contractus sit onerosus ; aliter , si liceret oppositum , male provisum foret bono Reipublicæ . Unde si quis alteri negotium aliquod peragendum committat , puta transcribere Codicea , ire Neapolim , cum promissione Scutorum decem , & animo interiori se non obligandi promittat , tenetur in utroque Foro ex justitia , transcriptis ab altero Codicibus , itinere expleto , decem Scuta solvere . Prædicta adoptes velim , si duos excipias casus . Primus est , cum Mulier ex certis signis , & circumstantiis cognoscit , alterum ficte promittere , & decipere ; tunc si ille promissis non stet , sibi imputet Mulier , voluit namque voluntarie decipi . Alter casus est , quando ex nuptiarum celebratione grave sequeretur scandalum , aut malum , ut rixæ , homicidia inter Parentes .

Ostenditur nunc altera pars ; & locum habet , quando Mulieri ignotus erat status Viri , aut si notus erat , signa cum aliis circumstantiis promissionem suadebant esse sinceram , ex quibus prudenter judicare poterat , omnem abesse deceptionem . Igitur non tenetur ille promittens servare Sponsalia ex vi promissionis ; quia nulla est . Non tenetur ex justitia commutativa ; quia hæc non obligat ad inæquale , sed solummodo ad æquale , & nuptiæ Viri notabiliter superioris conditionis sunt inæquales ; ac proinde ad has non obligat justitia commutativa . Obligatur tamen ad reparandum damnum fraudolenter illatum , quod in hoc casu abunde fit , providendo , ut diximus , Mulierem vel de dote , vel de congruis nuptiis . Et ad hoc tenetur ex justitia fraudolentus promissor , nisi & ipse fuerit a Muliere deceptus , ipsa falsò affirmante , se Virginem esse .

CONTROVERSIA IV.

AN SEPTENNIUM MORALITER COMPLETUM SIT NECESSARIUM AD CONTRAHENDA SPONSALIA .

AD valorem Sponsalium non solùm requiritur deliberatio , & intentio ; verùm etiam ætas sufficiens ad contrahendum , & quod Personæ sint habiles . Quoniam verò de deliberatione , & intentione satis actum est , superest modò agendum de ætate necessaria . Itaque

DICENDUM est . septennium moraliter completum necessarium fore ad Sponsalia.

Jura pro Sponsalibus exigunt septennium .

41 PROB. I. Id , sine quo contractus est nullus , necessarium est ad contractus firmitatem : sed Sponsalium contractus nullus est , si septennium moraliter completum desideratur ; ergo . Assumptum manifestum est in Jure Canonico Cap. *litteras* ; Cap. *accessit* ; Cap. *ad dissolvendum* , *De despons. Impuberum* . Dicitur enim in primo Capite — „ Cum Desponsationes hujusmodi nullæ sint — In secundo — Quia Desponsationes , & Ma„ trimonia ante septem annos fieri non pos„ sunt — In tertio — Nec Sponsalia fuisse „ contracta , cum constet puellam nondum „ ad septennium pervenisse — Ibidem etiam declaratur , ex talibus promissionibus non oriri affinitatis impedimentum . Idem statuitur in Jure Civili , *l. In sponsalibus contrahendis ff. de Sponsalibus* .

Septennio capacitas contrahendi .

42 PROB. II. Illud est necessarium ad contrahendum , per quod capacitas acquiritur ad contractum : sed in septennio capacitas acquiritur ad contrahenda Sponsalia ; ergo .

Decla-

Declaratur. Capacitas ad Sponsalia tunc datur, quando adest potentia proxima ad consensum, sine quo nullus subsistit contractus: sed hæc proxima potentia ad consensum acquiritur per septennium, quo usus rationis apparet; ergo. Argumentum habetur *l. Si infanti*, *l. potuit C. de jure deliberandi*. In prima lege voluntas postulatur pupilli, ut ei acquiratur hæreditas. In secunda asseritur, septennio majorem capacem esse hæreditatis. Supponitur ergo in lege adesse septennio contrahendi capacitatem.

43 PROB. III. Pro contractu Sponsalium requiritur cognitio discretiva bonum inter & malum, unum conferens cum alio, ad præsentia, & ad futura prospiciens: *Discursus acquiritur in septennio.* enim per Sponsalia contrahitur onus standi promissis pro præsenti, & exequendi Conjugium in futuro; sed hujusmodi discretiva cognitio nequit haberi, nisi per discursum, & rationis judicium, quod in septennio acquiritur: eo enim tempore homo incipit esse sui juris, & antea non differt a servo, hoc est, sensus habet, & potentias rationales ligatas; ergo.

44 PROB. IV. Ex communi Theologorum placito, pro Sponsalibus ea saltem requiritur deliberatio, quæ sufficiens est ad peccandum mortaliter: *Ætas ad peccandum.* sed hujusmodi deliberatio, communi pariter calculo, septennio acquiritur; ergo.

CONTRARIA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

45 OBJIC. I. Valent puerorum Sponsalia ante septennium a Parentibus celebrata: sed eadem est ratio de aliis Sponsalibus in infantili ætate celebratis; ergo septennium non est necessarium. Declaratur major propositio a simili. Tenent vota Parentum pro Filiis, sicut in Ecclesiasticis monumentis palam fit: tenent acta Tutoris in bonum pupilli; ergo etiam tenent Sponsalia puerorum a Parentibus celebrata. Minor est clara. Nam in infantibus sive subjectis, sive non subjectis Parentibus, æque rationis usus desideratur.

RESP. Major falsa est. Non enim Sponsalia a Parentibus celebrata pro Filiis infantibus obligant, nisi Filii ipsi sufficientem ætatem nacti ea rata habeant: ut habetur *Requiritur ad Sponsalia propria voluntas.* Cap. unico, *De Despons. in 6.*; & ratio est, quia status electio est personalis. Nulla etiam sunt Sponsalia, si unus sit juris sui, secus alter; quia mutuam promissionem, mutuum que onus involvunt. Exemplum voti nobis arridet. Nisi enim talia vota adoptentur a Filiis, hi non ligantur; ut Sacræ testantur Historiæ. Exemplum alterum de pupillo sub Actoribus non evincit. Nam ibi Jura per fictionem mutuant Reipublicæ voluntatem in realem pupillorum utilitatem: hic verò Jura ipsa reclamant. Ratificatio sufficit quod sit æquivalens, hoc est, sufficit in signis, & operibus, quæ ad hæc significanda communi usu adhibentur; in re tamen adeo gravi satius est claram expectare declarationem, cum signa possint aliter intelligi, eaque propter Sponsalia eludi.

46 OBJIC. II. Sicuti est onus personale obligatio nuptiarum, ita etiam obligatio Legis Evangelicæ: sed absque ratificatione obligatur puer ad Legem Evangelicam ex sola Parentum promissione, vel Ecclesiæ in Baptismo facta; ergo pariter obligatur puer ad nuptias sine propria nova ratificatione; utrobique enim est eadem ratio, cum utrumque, Conjugium scilicet, & Baptismus, sit Sacramentum ad bonum Fidelium institutum.

RESP. Paritas non urget. Lex Evangelica necessaria est unicuique venienti in hunc Mundum: unde Baptismus, qui est *Discrimen Baptismum inter & Conjugium.* Ecclesiæ janua, est Sacramentum necessitatis; & qui eum suscipit universæ legis debitor efficitur. Nuptiæ verò non sunt cuilibet necessariæ; sed aliquibus tantùm de Republica indeterminate, & cœlibatus majus est bonum, & cuique particulari liberus, consiliis namque Evangelicis accensetur 1. *ad Corinth. 7.*

47 OBJIC. III. Si necessarium foret septennium pro Sponsalibus, tempus ipsorum non esset indefinitum: siquidem non potest septennium anticipari; sed est indefinitum, ut constat ex *l. In Sponsalibus contrahendis ff. de Sponsalibus*, ubi — In Sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in Matrimonio — ergo.

RESP. Negando minorem. Textus ex Jure productus explicatur a Glossa in duplici sensu. Primo per correlationem identitatis cum Conjugio; hoc est, quod sit eadem ætas pro Sponsalibus assignata, & pro Conjugio. Secundo per correlationem æqualitatis; ut scilicet una sit ætas pro masculis, alia pro fœminis in Sponsalibus, sicut in Conjugio, in quo duodecimus assignatur annus pro fœminis, & quartusdecimus pro masculis, etenim potentia propagationis inæqualiter perficitur, annus autem, seu tempus discretionis per se æqualiter habetur in septennio in utroque sexu. Hæc dicuntur regulariter; nam inspectis personalibus dispositionibus, quandoque contingit rationis usus post septennium.

48 OBJIC. IV. Qui contrahunt Sponsalia ante præfinitam ætatem, peccant mortaliter: sed pueri ante septennium possunt contrahere Sponsalia sine crimine; ergo septennium non est ætas præfinita Sponsalium, neque ad ipsa necessarium est. Argumentum constat ex Cap. 2. *De Desponsat. impuberum*, ubi — Districtiùs inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur, nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur — ergo.

RESP. Hac in re discriminantur Doctores. Negant quidam peccari mortaliter, vel venialiter, inter quos Sanchez *De Matrimonio*; quia nulla datur lex prohibens. Sed momentum hoc ex laudato Canone corruit; *Sponsalia ante præfinitam ætatem an peccaminosa.* quia gravem innuit prohibitionem dicens *Districtiùs inhibemus*. Rursus concedit ipse Sanches, adesse legem irritantem; porro lex irri-

irritans est virtualiter prohibens. Docent alii, hujusmodi Sponsalia, ob laudatam legem, esse peccaminosa. Sed durum est, & a ratione alienum, ea ætate puerum posse lethaliter delinquere. Volunt nonnulli, legem illam esse intelligendam de Conjugio, non de Sponsalibus, propter verbum ibi expressum *conjungantur*, & *conjunctio*. Verùm hæc solutio ex contextu etiam corruit; ibi enim non de Conjugio, sed de Sponsalibus mentio occurrit. Præterea dicta solutio cum textu non cohæret, quia in eo agitur de incapacibus consensus: *ubi non est consensus*; pro Conjugio ante pubertatem datur capacitas consensus, ut compertum est nono, aut decimo ætatis anno; proinde locum non habet prædicta responsio. Rursus aptari non potest hæc responsio motivo laudatæ legis, quod, ut notat Glossa, aliud non est, nisi ut impediantur rixæ, & dissidia, quæ inter Parentes suboriuntur: cum Sponsalia ante septennium sine consensu puerorum, accedente rationis usu, dissolvantur. Demum ex his quidam sunt Doctores, qui locutionem illam legis contendunt explicare, fore indeterminatam, pro casu, quo malitia prævenit. Tunc enim, dicunt, Sponsalia ex jure naturæ valida sunt; nam usus rationis eo in casu datur pro sufficienti deliberatione expeditus; & sicut Conjugium ante ætatem tenet in Jure, ubi malitia prævalet, ita & Sponsalia; cum utrobique requiratur discretio proportionata. Præscribitur tamen septennium, quia tunc præsumitur communiter adesse usum rationis; propterea habetur lex tamquam definita; quoniam verò habet eadem exceptionem in Conjugio, ideo extenditur etiam exceptio ad Sponsalia. Nihilominus explicatio hujusmodi subsistere non potest. Ratio est, quia casus productus malitiæ, est per accidens, & infrequens; adeoque abs re foret legem condere.

Non debent Parentes pro Filiis contrahere ante septennium.

Itaque dicendum est, textum loqui de Sponsalibus a Parentibus ante septennium Filiorum infantium celebratis. Eruitur hoc idem ex Canone, cum dicat in passivo, *aliqui conjungantur*; subintelligitur, ab habentibus eorum curam. Constat insuper per exceptivam, *nisi aliqua urgentissima necessitate*, cujus sane urgentissimæ necessitatis prævidendæ, præmeditandæque incapaces sunt infantes. Potissimùm denique evincitur ex quo Canon hujusmodi ad eamdem spectat materiam, ad quam antecedens, qui clare agit de Sponsalibus Filiorum a Parentibus initis.

49 OBJIC. V. Ad impediendas nuptias vim sortiuntur æqualem impedimenta tam extrinseca, quàm intrinseca: cum utraque Personas reddant inhabiles; sed stante extrinseco impedimento, puta simplicis castitatis voto, sunt valida Sponsalia: quia valor nuptiarum cum tali voto componitur; ergo etiam stante intrinseco ætatis impedimento subsistunt Sponsalia.

Impedimenta Conjugii duplicis generis.

RESP. Ut hæc difficultas dilucide solvatur, supponendum est primò, duplicis generis esse impedimenta Conjugii. Alia sunt dirimentia, hoc est, contractum nuptiarum irritantia; alia sunt tantùm impedientia, cum quibus contractus valor subsistit, quamvis illicite. Quando primi generis est impedimentum; tunc nulla sunt Sponsalia; quia de re impossibili. Quando impedimentum est secundi generis; vel est perpetuum, ut castitatis votum pro toto tempore vitæ; vel temporaneum, ut idem votum ad tempus determinatum elicitum. Cum impedimentum impediens est perpetuum, & præcedit contractum; nulla est promissio sponsalitia, sed irrita; quia illicita est, utpote de nuptiis illicitis, & prohibitis, & nemo se potest obligare, vel obligari ad illicitum, sive ad peccatum. Si verò hoc idem impediens impedimentum perpetuum subsequatur contractum, ut aliquibus placet, sicuti dicemus infra, non dissolvitur promissio; quia quod ab initio validum fuit, tractu temporis non dissolvitur. Cum autem impedimentum impediens est temporaneum; tunc subsistit promissio; quia appellat supra tempus, quo impedimentum non erit.

His præsuppositis, neganda est major propositio objectionis. Impedimentum siquidem intrinsecum spectat ad essentialia constitutiva contractus, quibus deficientibus, pro quocumque statu ejus constitutum nullum est. Usus rationis est de constitutivo sponsalitiæ promissionis, cum absque illo impossibilis sit deliberatus consensus, & liber; & quamvis sit temporanea carentia usus rationis, sitque præsens tempore, quo nuptiæ contrahuntur, nihilo tamen minus, cum non adsit, quando fit promissio, hanc irritam relinquit.

CONTROVERSIA V.

AN SPONSALIA GRAVEM INDUCANT OBLIGATIONEM.

SPonsalia in suo constitutivo dicunt promissionem, quæ ex sua essentiali differentia obligationem importat. Hæc porro obligatio gravis esse potest, vel levis. Impræsentiarum inquirimus, qualis sit obligatio Sponsalium. Ita igitur enucleabitur difficultas, ut & obligatio probetur, & ejus qualitas. Insimul disponemus argumenta tali lege, ut plurimæ quæstiones, quas Theologi versant, & Canonistæ, facilè solvantur.

DICENDUM itaque, Sponsalia per se gravem inducere obligationem.

50 PROB. I. Veritas, & veracitas obligant sub gravi, quoties earum violatio graviter lædit Proximum: sed Sponsalia veritati innituntur, & veracitati, quarum violatio graviter lædit Proximum; ergo Sponsalia obligant sub gravi, seu gravem inducunt obligationem. Explicatur. Seria, & sincera Sponsalia habent esse a veracitate, qua quis alteri loquitur, simulque a veritate secundùm quam alter sibi loquitur; hoc est, secundùm quod in mente quis concipit, & sentit. Porro virtus veritatis obligat, ut verba sint consona menti, & facta verbis, & menti; nam ad hæc obligat, ut non ficte agamus, & opere præstemus promissum. Si veritas circa materiam versetur levem, ejus violatio erit levis; si verò circa gravem, erit gravis violatio. Materia Sponsalium est gravissima, cum agatur

Sponsalia habent esse a veritate, & veracitate.

nur de perpetui status electione; ideoque ait D. Thomas *suppl. quæst.* 43. *art.* 1. *ad* 2. — „ Ex tali promissione obligatur unus alteri „ . . . . . & peccat mortaliter non solvens „ promissum, nisi legitimum impedimentum „ interveniat — ergo.

Fidelitas in re gravi graviter obligat.

51 PROB. II. Virtus fidelitatis in re gravi obligat sub lethali: sed Sponsalia includunt ex suis intrinsecis fidelitatem, cum sint repromissa promissio; ergo lethaliter obligant. Ostenditur assumptum. Violatio juris alterius in re gravi, lethalis est culpa: sed virtus fidelitatis obligat, ne violetur jus alterius; ergo in re gravi gravis est obligatio. Expenditur magis. Ex communi Doctorum placito fidelitas est virtus a veritate distincta; unde fidelitatis violator dicitur infidelis, seu perfidus in Sacra Scriptura, & violator veritatis nuncupatur mendax. Utraque virtus locum habet in affirmativis; veritas tamen magis se extendit. Comprehendit namque veritas omne affirmativum genus; fidelitas verò sistit in solis affirmativis promissis. Hinc fit quod promissor sua affirmatione tribuit alteri jus ad exigendum sibi promissum; quapropter duplici titulo promittens fit debitor, & ne sit mendax, & ne alieni juris sit violator. Caput *Præterea de Sponsalibus* huic innititur rationi.

Fidelitas quomodo a veritate discrimnetur.

In Sponsalibus obligatio ex justitia.

52 PROB. III. Justitia commutativa in pactis onerosis de re gravi obligat sub gravi peccato: sed Sponsalia pactum involvunt onerosum de re gravissima; ergo obligant sub gravi. Prob. major. Justitia est voluntas tribuendi unicuique quod suum est; porro non tribuere quod alteri debetur in re gravi, ex communi doctrina cum D.Th. 2. 2. *quæst.* 59. *art.* 4. est grave crimen. Aliàs fidelitatis, & justitiæ obligationes in custodiendo alterius jure ne violetur, conveniunt; sed in hoc discriminantur, quod obligatio justitiæ strictior, fortiorque est. Nam obligatio fidelitatis in simplici, & gratuita promissione faciliùs est solubilis, quàm obligatio, quæ ex justitia oritur vi contractus; hinc violans simplicem promissionem non tenetur ad compensationem lucri cessantis, secus violans contractum. Hæc dubio procul gravem innuunt obligationem in contractu Sponsalitio.

Sponsalia effectum inducunt gravissimi momenti.

53 PROB. IV. Vinculum, quod gravissimi momenti effectum inducit, gravem indubie obligationem importat: sed Sponsalia effectum inducunt gravissimi momenti, videlicet impedimentum publicæ honestatis; ergo important gravem obligationem. Explicatur. Ex Sponsalibus oritur impedimentum dirimens inter Consanguineos in primo gradu, ut habet Tridentinum *sess.* 24. *De Reform. Matr. cap.* 3., ita quod Sponsus non possit nubere cum Matre. & Sorore Sponsæ, & nequeat Sponsa cum Patre, & Fratre Sponsi contrahere, etiamsi Sponsalia mutuo consensu, vel per mortem unius, dissolvantur. Hæc affinitas vocatur impedimentum publicæ honestatis, & publicæ justitiæ. Porro hoc quanti sit momenti in aperto est.

Violatio Sponsalium graviter punitur.

54 PROB. V. Lex, seu contractus, cujus injusta violatio graviter mulctatur, gravem innuit, ut patet, obligationem: sed injusta violatio Sponsalium est hujusmodi; ergo. Argumentum compertum est ex pluribus Canonibus; sufficiat tamen unum producere. Cap. *Præterea de Sponsalibus* habetur — Hi, „ qui de contrahendo matrimonio pure, & „ sine omni conditione fidem dederunt, com„ monendi sunt, & modis omnibus indu„ cendi, ut præstitam fidem observent — Hanc rationem adducit D. Thomas *in Supplem. quæst.* 43. *art.* 1. *ad* 2.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

55 OBJIC. I. Omnis obligatio graviter ligans conscientiam, certum habet terminum suæ adimpletionis, aliàs longo frustrari posset temporis spatio: sed Sponsalia certum non habent terminum adimpletionis, siquidem differri possunt ad alterutrius arbitrium; ergo gravem non inducunt obligationem.

RESP. Sponsalibus aliquando certus præfigitur terminus, aliquando nullus. Ubi Sponsalia promittuntur certo præfixo termino, patet servandum esse tempus determinatum. Ubi verò nullus præfigitur terminus, locum habet objectio, pro qua solvenda duplex occurrit Sententia. Docet una, esse adimplenda Sponsalia quando alter requirit; docet altera, obligare statim. Hanc secundam ut veriorem nos adoptamus, si tamen explicetur ad mentem Canonum, & Legum, nempe si sumatur illud *statim* pro eo tempore, quod prudentia dictat conveniens ut necessaria disponantur. Probatur ex *l. In omnibus ff. de Regulis juris* — In omnibus obligationi„ bus, in quibus dies non ponitur, præsenti „ die debetur — hoc est, ne multùm differas. Ex *l. Eum, qui §. quoties ff. de verbis oblig.* — Quod sine termino debetur, statim debe„ tur — idest, cum primùm necessaria in promptu fuerint. Et hoc exigit natura promissi, quod est Conjugium pro toto tempore vitæ, unde cum differtur, alter suo jure fraudatur. Res clarescet exemplo voti. Quemadmodum in voto, & promissione facta Deo, quovis tempore urget promissi adimpletio, ab instanti, quo emissum est, si commode adimpleri potest, nam ex justa causa differri posset; ita etiam in Sponsalibus.

Quando adimplenda Sponsalia.

56 DICES *L. Debitores præsentes C. de pignoribus* statuitur, non teneri Debitorem solvere, nisi a Creditore fuerit requisitus; ergo.

RESP. Abs re assumitur Lex, quæ non agit de solutione debiti, sed de distractione pignoris, quam Creditor nequit exequi, nisi præmonito Debitore, unde præscribitur, quod, facta conventione de non distrahendo pignore, si Creditor vult distrahere eo quod alter est in mora, debeat illum publicis tabulis, idest, coram Testibus admonere.

57 DICES secundò. Contractus in alterius utilitatem celebrati debent tempore, quo illi sunt utiles, executioni mandari: sed Sponsalia non statim sunt utilia, immo sæpe utiliora sunt ulteriùs protracta; ergo non nisi ad instantiam partis obligant; sicut mu-

tuum

tuum Mutuatario non esset utile, si statim esset restituendum.

RESP. Fundamentale hoc adversæ Partis argumentum, destruit naturam Sponsalium. Important Sponsalia onus mutuum, mutuamque utilitatem; unde eorum obligatio non est regulanda penes unius utilitatem, sed temperanda est sub quadam æquitate utrique favorabili. Stat quod dilatio sit utilior uni, & incommoda alteri: stat quod uni non conveniat Sponsalium executionem exquirere propter honestatem verecundiæ. Ceterum per se ipsam natura promissionis mutuæ semper sollicitat; proinde illa per se est admittenda dilatio, quam prudens necessariam ducit pro iis parandis, quæ ad nuptias prærequiruntur; utilior verò unius dilatio non est attendenda. Mutuum, de quo in objectione, est contractus in utilitatem unius tantùm; adeoque revocabile non est, nisi expleto utilitatis tempore.

Diximus per se; quia dilatio quando erit necessaria, causa superveniente, ut est in *l. Sæpe de Sponsalibus*, ubi -- Sæpe justæ, „ & necessariæ causæ, non solum annum, vel „ biennium, sed etiam triennium, & qua„ driennium trahunt Sponsalia; aut valetudo „ Sponsi, Sponsæque, vel mores Paren„ tum &c. -- Quæ exceptio, & declaratio confirmant, statim adimplenda Sponsalia, nisi rationabile dilationis momentum occurrat.

58 OBJIC. II. Habetur *L. 1. C. De Sponsalibus* -- Alii desponsata renunciare „ conditioni, & nubere alii non prohibetur -- sed hoc non subsisteret, si Sponsalia obligarent, ergo.

Liberum est mutuo consensu promissis renunciare.

RESP. Hujusmodi lex non intendit Sponsalibus auferre obligationis vim, sed regulam instruere, quod liberum est ex mutuo consensu promissis renunciare, & hac facta renunciatione liberum eis alteri nubere; videbatur enim sequi ex statuta lege de obligatione exequendi Sponsalia uni promissa, prohiberi alteri nubere, etiam facta legitima dissolutione per mutuam cessionem. Quare directe non solvit objectionem Sanchez *Lib. 1. disp. 17.* recurrendo ad revocationem Cæsareæ illius Legis per Jus Canonicum.

59 OBJIC. III. Quoties in conventionibus urget gravis obligatio, toties cogi potes fœdifragus, mediis pœnis, ad servandam fidem: sed violator promissionis sponsalitiæ nequit cogi per Judicem ad standum promissis; ergo promissio Sponsalia non obligat sub gravi. Minor propositio comperta est Cap. *Requisivit De Sponsalibus*, ubi -- Cum libera „ debeant esse Matrimonia, monenda est „ potius, quàm cogenda, cum coactiones „ difficiles soleant exitus frequenter habere --

Fœdifragum Sponsalium per se cogi potest ad servandâ fidem.

RESP. Duplex est coactio; una interioris Fori, exterioris altera. In Foro interiori Injustus fœdifragus cogendus est monitis, & absolutionis denegatione, utpote mortali reus crimine absque sincero emendationis proposito. In Foro exteriori pœnis compellendus est ille, sive jurata fuerint Sponsalia, sive non. Probatur hoc Cap. *Ex litteris 1. De Sponsalibus*, ubi definit Pontifex, cogendos esse Desponsatos ad verba retinenda, quibus usi sunt, secundùm communem intelligentiam; & ibi nulla est mentio juramenti. Ratio in aperto est, quia Judex tenetur ex officio compellere ad dandum cuique ex justitia quod suum est: sed Sponsi vi promissionis tenentur ex justitia mutuò se tradere, seu Sponsalia dant jus ad mutuam Personam; ergo Desponsati cogendi sunt ad standum promissis. Præterea Forum externum Ecclesiasticum ordinatur primò ad spirituale animarum bonum, & ejus Judex, utpote Pastor est ovium Christi, ad id tenetur: sed ad spiritualem Sponsorum utilitatem spectat observatio fidei datæ, cum eam frangendo peccent; ergo Ecclesia fœdifragum cogere potest Censuris ad fidem servandam. Quod intelligas velim, ut diximus, sive jurata fuerint Sponsalia, sive non jurata; Cap. 1. 2., & 3. *de pactis*, Cap. *juramenti 22. q. 5.* Hinc posita certitudine, & legitimitate Sponsalium, fœdifragum compellere potest etiam Judex civilis, sicut cogit ad servandam fidem aliorum contractuum; observatio enim Sponsalium spectat ad bonum politicum Reipublicæ. Nequit tamen talis civilis Judex de valore ipsorum Sponsalium examen instituere.

60 DICES. Conjugia debent esse libera: sed coactio opponitur libertati; ergo non possunt cogi.

RESP. I. Quod sola coactio injusta opponitur libertati. II. Conjugium est plene liberum in sua causa, quatenus voluntarie sunt contracta Sponsalia. Unde compulsio promovet executionem liberæ promissionis.

61 DICES. II. Caput *ex litteris Sylvani, De Sponsal.* jubet compelli ad servanda Sponsalia jurata, præmissa priùs admonitione -- Et si non acquieverit monitis, Ecclesia„ sticâ Censurâ compellas -- ergo solum jurata Sponsalia subduntur Censuris, & cogi possunt.

RESP. Affirmatio unius non est negatio alterius. Pontifex respondet casui proposito, qui juramentum involvebat; & huic facit satis, quin verba apponat excludentia casum non juratum. Aliunde fundamentalis ratio utrobique urget; & juramentum est accessorium, novum addens ligaminis titulum, supposita contractus validitate; si enim contractus non valeret, nec juramentum ligaret.

Resilientes a Sponsalibus quando compelli non possunt.

62 Prædicta urgent, spectatâ Sponsalium naturâ. Quoniam verò sæpenumero ex judiciali coactione fœdifragi sequi possent plura scandala, dissidia, divortia, & hujusmodi alia mala: iis in casibus nequit Judex injuste resilientem compellere. Ostenditur I. Non est licitum cogere ad media, quando non deserviunt fini, & potissimum si eidem contrariantur: sed iis in casibus Sponsalia contrariantur fini, bono videlicet Matrimonii, cujus fructus est pax; ergo. II. E Judicis munere est, tueri, & promovere innocentis bonum: sed non cogendo infidelem, promovet innocentis bonum, & cogendo illum, fovet malum, quod prævidetur futurum; ergo. III. Juxta prudentiæ regulas, ex duobus malis minus est eligendum: sed minus est malum Sponsalium solutio, quàm rixosi celebratio Conjugii; ergo. Huc respicit Canon uterque *Requisivit, De Sponsalibus*, & *Ex litteris 2., De Sponsalibus*,

quamvis contrarii videantur. In primo Canone Lucius III. primariò attendit ad ea, quæ sæpe eveniunt; propterea adjicit, coactiones hujusmodi parere difficiles exitus. In secundo Alexander III. respicit primariò Sponsalium jura; ideo subjungit, *nisi rationabilis causa obstiterit*.

Si verò Pars innocens damnum patiatur ex violata promissione, puta, si non inveniat æquales nuptias; tunc Pars fœdifraga tenetur illud resarcire, augendo dotem illius. Tunc etiam ad hoc damnum resarciendum debet compelli infidelis promissor in Foro interiori a Confessario; immo a Judice civili in Foro exteriori etiam cogi potest.

63 OBJIC. IV. Si Sponsalia ex suis intrinsecis obligarent, haud licitum foret adjicere in eis pœnam solvendam a resiliente: nam esset jam vere ligatus; sed licitum est hanc pœnam adjicere in Sponsalibus, ut habetur *l. Titia ff. de conditionibus, & demonstrationibus*, insuper & *l. 1. C. De Institut., & substit.*: & ideo tenet hæc sponsalitia conventio: *solvam tibi centum, si mecum nupseris, ea amissurus, si nolueris*; ergo.

Pœna adjicibilis Sponsalibus est duplex.

RESP. Pro solutione hujus objectionis satis profuse immorantur Auctores; nos verò necessaria, & utilia tantùm seligimus. Pœna adjicibilis contractui sponsalitio duplex a Juristis assignatur; positiva una, negativa altera. Positiva, quam alii vocant pœnam propriam, consistit in onere solvendi aliquod pretio dignum, ex. gr. centum scuta. Negativa, quæ ab aliis pœna impropria appellatur, consistit in non acquisitione alicujus boni, ut non recipere centum scuta sibi promissa, vel legata. Negativa pœna adjici posset, dupliciter; vel ad retrahendum a nuptiis, ut *promitto tibi mille, si non nupseris*: vel ad alliciendum ad nuptias, ut, *si nupseris, dabo tibi centum*. Utraque hæc pœna positiva, & negativa apponi posset a Parentibus, a Consanguineis, ab amicis, & ab extraneis. Quantum ad negativam pœnam dicemus infra *num.* 70., loquamur modò in primis de positiva.

Pœna positiva irritans Sponsalia.

Pœna igitur positiva adjecta a Parentibus, Consanguineis, & ab Amicis irritat Sponsalia, & est illicita. Irritat, quia plenam impedit nuptiarum libertatem; timor enim ne damnum eis obveniat, cogit ad nubendum. Sic Jus Canonicum Cap. *Gemma, de sponsalibus*. Sic Jus Civile *l. Titia ff. De verborum obligatione*, & *l. Finali, C. De Sponsalibus*. Utrumque Jus involuntarias intendit præcavere nuptias, ex quibus jurgia inter Consortes, Familiarumque perturbationes oriuntur. Et licèt hæc quandoque non eveniant; id tamen censetur fortuitum.

Nec distinguit Lex inter pœnam gravem, & levem, sed loquitur absolute, & indefinite; quia assignata ratio in utraque pœna sive gravi, sive levi, locum habet, siculi per utramque periculum datur saltem minuendi libertatem. Ait Lex *Final.*, *C. De Sponsalibus* -- Si cautio pœnam stipulationis „ continens fuerit interposita, ex utraque „ parte nullas vires habebit, cum in con„ trahendis nuptiis libera potestas esse de„ beat -- Similiter indefinita est ratio in *L. Titia ff. De verborum obligatione* -- Inhone„ stum visum est pœnæ Matrimonia obstrin„ gi, sive futura, sive contracta -- Cumque omnis Lex irritans sit virtute prohibens, sequitur, pœnæ adjectionem esse etiam illicitam; & quidem sub gravi, cum circa materiam versetur satis gravem. Non est igitur sequenda opinio Cajetani, aliorumque Scribentium, inveniri culpam tantummodo levem.

64 DICES. Eadem est ratio de substantia Sponsalium, ac de eorumdem executione, quoad adjiciendam pœnam: cum utrobique periculum sit minuendi libertatem; sed pro sollicitanda Sponsalium executione licet pœnam adjicere, ut docent Doctores; ergo etiam licebit adjicere substantiæ contractus. Et meritò quidem; siquidem adhuc stante conventionali pœna, contrahentes possunt resilire.

RESP. Latum intercedit discrimen substantiam inter, & executionem Sponsalium. Adjectio pœnæ pro substantia secundùm se lædit libertatem; at verò adjectio pœnæ pro sollicitanda executione non lædit libertatem, sed ipsius usum promovet, seu perfici celeriùs exercitium libertatis intendit. Hinc Parentes tenentur tantummodo urgere Sponsalium adimpletionem, non tamen effective executionem concludere; & ad pœnam solvendam non adstringuntur, sive perficiatur, sive non, promissio sponsalitia.

Pro executione Sponsalium licita est pœna positiva.

65 INSTABIS. Non minus apta est ad impediendam libertatem nuptiarum obligatio solvendi pœnam, quàm obligatio solvendi interesse consurgens ex resilientia a Sponsalibus: sed obligatio solvendi interesse subsistit; ergo etiam illa solvendi pœnam. Explicatur argumentum. Si Sponsa pinguem offerat dotem, vel hæreditatem; ipsa resiliente, amittet Sponsus lucrum hujus dotis. Si Sponsa spondeat Viro spectabili, & diviti; ipso resiliente, amittet Sponsa divitiarum, & nobilitatis bonum. Si factæ sint expensæ a Sponso; resiliente Sponsa, patitur ille expensarum damnum. In his casibus, si subsisteret obligatio in resiliente solvendi interesse, sive damnum reparandi, jam ejus libertas valde ligaretur, sicut ligatur ex obligatione solvendi pœnam supra relatam; quia timore reparandi hoc damnum cogeretur ad contrahendum. Sed utique subsistit hæc obligatio reparandi damnum, ut a Doctoribus propugnatur ex generali juris naturalis regula, qua in omni contractu adstringitur violator injustus ex justitia ad damna reparanda; ergo etiam subsistet alia obligatio solvendi illam pœnam.

RESP. Circa difficultatem hanc negant quidam minorem propositionem, propter rationem argumenti, imminutæ scilicet libertatis; & propter Legem *Titia De verbor. obligatione* prohibentem omnem omnino pœnam: obligatio porro reparandi damnum indubie magna est pœna. Hinc Lex *Fin.*, *C. de Sponsalibus* permittit arrhas amittere. Alii e contra ultro concedunt minorem.

Probabilior opinio distinguit interesse positivum a negativo. Interesse positivum est damnum emergens ex factis expensis; negativum

tivum est lucrum cessans, ex quo quis ad pinguiorem non evehatur fortunam. Ad interesse positivum tenetur fœdifragus; sed non vi promissionis sponsalitiæ, non vi conventionalis pœnæ, non vi legis positivæ; sed æquitate naturalis juris obligantis omnem injustum damnificatorem ad damnum reparandum; quæ æquitas omnem transcendit contractum, ac proinde per se inimpedibilis est a jure positivo. Hoc igitur positivum interesse eamdem non sortitur vim in ordine ad minuendam nuptiarum libertatem, sicuti sortitur pœna extrinseca, hoc est, per pactum extrinsecum adjecta. Æque est intrinseca promissioni obligatio solvendi damnum emergens, ac est intrinseca prohibitio non peccandi, seu non frangendi fidem: sed timor peccandi inductus a promissione non minuit nuptiarum libertatem; ergo pariter timor solvendi, seu reparandi damnum emergens ortus ab obligatione juris naturalis libertatem non minuit.

Fœdifragus quomodo teneatur damnũ reparare.

Obligatio reparandi damnum positivi non lædit libertatem.

Lex *Titia* impræsentiarum non urget. Non enim oritur obligatio solvendi hoc interesse positivum ex natura conventionalis pœnæ, quæ irrita est; sed præscribitur a justitia, & jure naturali. Nec etiam Lex *Finalis* evincit oppositum. Nam ista prohibet, præter arrhas, genus omne pœnæ extrinsecùs appositæ; non tamen prohibet damni solutionem, cum nequeat justitiæ jura impedire. Si deberet interesse compensari tamquam pœna stipulata; tunc deberet stipulans sibi imputare damnum emergens; sed quia compensationis debitum a lege dictatur naturali, & a justitia intimatur, justa est compensatio, & stipulans damno subjacere non debet.

66 REPLICABIS. Ex Novella 18. Leonis Imperatoris, injuste frangens fidem debet pœnam solvere; ergo pœnalis conventio non est irrita.

RESP. In hac instantia occurrit difficultas de contrahentibus determinate cum pacto solvendæ pœnæ casu quo injuste quis recedat a promissione. Sanchez *num.* 2. irritam semper propugnat omnem conventionem; quia semper ratio militat de imminutione libertatis. Veriùs tamen sustinent alii, subsistere determinatam pœnæ conventionem pro injuste resiliente, eamque teneri fœdifragum solvere. Huic sententiæ fundamentum præstat laudata Novella, quæ anteriores videtur explicasse leges, earum declarando materiam. Itidem Caput *Gemma*, quod est de Sponsalibus impuberum, qui juste resilire possunt. Neque libertas læditur, cum a valido contractu nemini sit licitum injuste recedere.

Determinata conventio pœnæ subsistens

67 SUBSUMES. Ad minuendam nuptiarum libertatem perinde est quod pœnæ solutio oriatur a simplici conventione, vel a jurata: utrobique enim est coactio; sed pœnalis conventio jurata tenet, ut plerique docent cum Lessio *De Justitia, & Jure, lib.* 2., *cap.* 10. propter fidem Deo datam, licèt, postulata a Papa dispensatione, vel ab Episcopo, repeti possit solutum; ergo etiam simplex conventio tenebit ob fidem homini datam. Porro Legum dispositio ad solum Forum externum pertinere dicendum est.

RESP. In argumento pro certo habetur, juramentum illud non firmare contra-
A ctum conventionalis pœnæ. Generalis ratio est quod juramentum non est iniquitatis vinculum: esset tamen si obligationem firmaret rei illicitæ, & irritæ; ergo non firmat. Item commune proloquium est, quod accessorium sequitur naturam principalis; cumque in casu principale sit irritum, etiam juramentum, quod est accessorium, censendum est irritum. Rursus Cap. *Si diligenti*, *de Foro competenti* irritum declaratur pactum juratum de conveniendo Clerico coram Judice Seculari: quia contrariatur privilegio concesso Clericorum statui propter dignitatem gradus; atqui in casu nostro pactum juratum adversatur nu-
B ptiis propter libertatem; ergo.

Juramentum non firmat contractum illicitũ.

Ex iisdem principiis juramentum hujusmodi non obligat, etsi contractum non firmet, cum non possit esse vinculum iniquitatis. Ea enim ratione inducitur juramentum, ut Stipulator remaneat obligatus ad pœnam solvendam stabilitam per conventionem, ut per se satis patet: sed conventio illa illicita est, & nulla; ergo inducitur juramentum ad servandam conventionem illicitam. Explicatur. Juramentum assumitur, ut ejusdem vis obligativa substituatur obligationi simplicis promissionis: sed obligatio principalis est de re juste prohibita per Leges; ergo obligatio;
C quæ per juramentum substituitur, est de re prohibita. Adde, juramentum de re contra bonos mores naturales, vel civiles, non obligat: sed solutio pœnæ illius est contra bonos mores saltem civiles, hoc est, contra bonum pacis Reipublicæ; ergo non tenet juramentum.

Tale juramentum non obligat.

68 Nec valet quod solutio illa non sit illicita, utpote non prohibita. Licèt enim secundùm se non sit prohibita, nec mala; est tamen mala ut est pœna adjecta promissioni, cum ponatur virtute pacti illiciti. Est igitur approbatio conventionis illicitæ; ac proinde sub juramento cadere nequit, nullamque ex
D eo sortitur obligationem.

Nec etiam valet, si objicias sequentia tria exempla; unum nempe juratæ solutionis usurarum, Cap. *Debitores*, *De jurejurando*; aliud juratæ solutionis pecuniæ perditæ in ludo prohibito, & irritæ a lege 8., & 9. *Tit.* 7., *lib.* 8. *Reco il.* prohibente, & annullante promissionem pecuniæ creditæ in ludo; & alterum juratæ solutionis promissionis factæ Mulieri ratione criminis commissi. Hisce in exemplis solutiones independenter, & prævie ad juramentum sunt honestæ. Prima, scilicet usurarum solutio, a charitate oritur erga se ipsum, ut ab injusta se redimat vexatione.
E Secunda solutio pecuniæ creditæ in ludo non pugnat directe contra commune Reipublicæ bonum, sed contra particularium Personarum bonum: & prohibetur ludus ille a Republica directe propter dispendium particulare ludentium; siquidem nihil, vel parum refert ad commune bonum, quod hæc pecunia sit penes hunc, vel illum. Quare non videtur Lex positive obligans, sed deobligans, hoc est, eximens a solutione; insimul videtur pœnalis, quatenus lucranti non concedit jus ad petendam solutionem. Tertia solutio est pretium rei vendibilis, & voluntarie venditæ;

C 2 sup-

supponimus enim, pecuniam illam non dari pro inducenda Muliere ad peccatum, quia tunc est illicita, nec a juramento firmatur. Hæc porro in casu nostro non occurrunt, ut constat ex productis rationibus.

60 SUBDES. Si fœdifragus solvat pœnam, non tenetur in conscientia recipiens solutionem ad hanc restituendam: sed teneretur ad restitutionem si irrita esset promissio: cum nullum acquireret jus in illam ob pacti nullitatem; ergo. Majorem propositionem propugnant plerique Doctores.

Quis recipiens solutionem pœnæ nõ teneatur restituere.

RESP. Triplici motivo potest fœdifragus pœnam solvere; motivo obligationis existimatæ; motivo spontaneitatis cum cognitione nullitatis; motivo denique servandi fidem ob bonum nomen. Quando vi existimatæ obligationis solvit fœdifragus pœnam, tenetur recipiens ante Judicis sententiam restituere; quia promissio est nulla, & Leges deobligant; nec in tali circumstantia intendit fœdifragus solvens pœnam cedere juri suo, & sponte donare. Quando cum cognitione nullitatis sponte solvit; tunc recipiens restituere non tenetur; quia non solvit virtute promissionis, sed ultro donat cedens juri suo. In hoc sensu loquuntur Auctores negantes obligationem restitutionis; & in primo sensu loquuntur alii affirmantes. Similiter cedit juri suo, si solvit motivo servandi fidem, sciens se non teneri. Si verò sententia accedat Judicis præceptiva restitutionis, sive sponte ab ipso Judice emanata, sive ad instantiam Partis, tenetur restituere.

Pœna negativa quando subsistit in Sponsalibus.

70 Hactenus fuit sermo de pœna positiva; nunc restat loquendum de negativa. Quando hæc ab extraneis imponitur de bonis indebitis in ordine ad contrahendas honestas nuptias, tenet promissio; *l. Titia §. 1. ff. De condit., & demonstrat.*, *l. 2. C. De institutis, & constit.* Ratio est, quia spe lucri allicitur nubilis ad nuptias, quæ sunt de genere boni honesti. Diximus *de bonis indebitis*; si enim esset pœna de bonis aliunde debitis, ut est Legitima: tunc non subsisteret; siquidem ad pœnam spectaret positivam, essetque impeditiva libertatis a Legibus asignitæ. Diximus *ad nuptias honestas*; quia si talis conditio honestatis desit, non tenet promissio; nam id possumus, quod jure, & honeste possumus, *l. Nepos proculo ff. de verborum signific.*, ea verò conditio, quæ honesta non est, jure est etiam impossibilis, ut declaratur *l. Cum ita legatum ff. de condit., & demonstr. §. Videamus, l. 32. Tit. 9. §. 6.* Quapropter si Legatum factum sit puellæ, ut Titio nubat: si Titio non nubat, sed Cajo de Patris consensu, Legatum subsistit; siquidem nulli puella honeste nubit absque Patris consensu; adeoque fictione juris subintelligitur in eo Legato, nisi Pater alteri voluerit Filiam tradere.

Si contrahentes sibi imponant negativam pœnam, ex. gr., *si mecum volueris contrahere, dabo mille*, distinguendum est. Vel a Viro promittitur absque compensationis titulo; vel a fœmina. Si a fœmina, tenet pœna; quia præsumitur adjici titulo honesto dotis, ut habetur ex Alexandro III. Cap. *Illis, de condit. a positis*. Si a Viro promittitur, non tenet; quia præsumitur adjecta turpitudinis affectu; & statuitur *l. Si ita stipulatus fuero, §. Si tibi nupsero ff. de verbor. signific.* Diximus *absque titulo compensationis*, quia si Vir id adjiciat ad compensandum juventutis defectum, ut Senex, vel ad compensandum nobilitatis defectum, quæ excedit in fœmina, tunc subsistit; *l. Mulieris, C. De dignitatibus, lib. 2.*

Quando apponitur pœna negativa ad retrahendum a nuptiis, ex. gr., *dabo mille, si non nupseris*; tunc distinguendum est. Vel promissioni, & contractui adjicitur; vel Legato adjicitur, & donationi causâ mortis: & hoc, aut numquam nuptæ: aut viduæ. Adjecta pœna negativa promissioni, & contractui nusquam nuptæ, non rejicitur; sed vitiat contractum, & irritat. Ratio est, quia conditiones a natura, vel Jure reprobatæ, censentur impossibiles, & habentur ut non adjectæ: cum id solùm possumus, quod jure possumus, *l. Conditiones contra Edicta ff. de conditionibus*; atqui conditiones impossibiles contractui adjectæ non rejiciuntur, sed vitiant contractum, *§. Impossibilis, Instit. de inutilibus stipulationibus*, & generaliter disponitur *l. Non solùm de action., & obligationibus*: aliunde pœna illa promissioni, vel contractui adjecta de abstinendo a nuptiis, est conditio reprobata a jure relate ad Virginem; ergo non rejicitur, sed promissio est nulla, & contractus est irritus. Ex adverso pœna negativa adjecta Legato, & donationi causâ mortis, rejicitur, & non vitiat Legatum. Ratio disparitatis est. Contrahentes possunt, cum sint superstites, contractum a vitio purgare, removendo conditionem; ac proinde contractum valent legitime complere. Testator verò legans nequit, cum obierit, legatum validare; ea propter subintrat Lex, & disponit in favorem Testatoris, conditionem rejiciendo, & Legatum, donationemque causâ mortis confirmans.

Hinc sequitur, si Titius puellæ innuptæ promittat mille sub hac conditione, *si cœlibatum voluerit servare*; promissio hujusmodi nulla est, & puella amittit mille, sive cœlibem eligat vitam, sive conjugalem. E contra si Titius leget mille sub eadem conditione; tenet Legatum, & puella acquirit mille transeundo ad nuptias; *l. Quoties 22.*, *l. Cui tale 72.*, & *l. Titia, Si non non nupserit, ff. de condit., & demonstr.* Hujus dispositionis motivum inseritur *l. 2. C. de indist. Viduis*, scilicet Reipublicæ perutilis propagatio.

Denique cum adjicitur pœna negativa Viduis sub conditione non transeundi ad nuptias, subsistit conditio, sive promissione, sive contractu, sive Legato, fuerit apposita: & Vidua transiens ad secundas nuptias, amittit lucrum; Autentica, *De nuptiis §. Quo verò, Collat. 4.*, Autentica, *Cui relictum C. de indist. Viduis*. Motivum traditur Cap. *Finali 31. quæst. 1.*, videlicet commendabilis honestas abstinentiæ a secundis nuptiis. Sustinetur similiter illa conditio in Eunuchis, & similibus impotentibus: in Hæreticis: si ad certum tempus sit alligata: si causâ piâ, ut in Virgine, si non nubat, & si nubat transeat ad causam piam; de quibus Becanus *Concl. ult. quæst. 18. De Sponsalibus*.

Ex

Ex his patet solutio ad quartam objectionem.

71 OBJIC. V. Contractus ex jure naturæ, & positivo, obligans; seu validus, & ex suis intrinsecis firmus, non indiget ulterius firmari; sed sponsalitio contractui licitum est, & concessum a Jure, exigere pignora, *l. 1. C. Si Rector Provinciæ*, ut obligetur, & firmetur; quæ pignora vocantur arrhæ, & sunt a Jure permissæ; ergo Sponsalia ab intrinsecis suis non sunt obligantia, & valida, sed sunt ex se tantummodo liberæ quædam animi expressiones, & mutuæ simplices voluntatum determinationes.

Pignora in Sponsalibus quomodo licita.

RESP. Pignora possunt in Sponsalibus dupliciter exigi; primò, ut stipulata ad obligandum; secundò, ut signa rei factæ ad executionem impellentia. Primo modo sumpta non possunt exigi; revocantur enim ad genus positivæ pœnæ a Legibus reprobatæ. Secundo modo coincidunt cum arrhis a Jure permissis, *l. Arrhis*, *l. Final.*, *C. De Sponsalibus*: sed istæ contractum supponunt jam validum, & subsistentem; non debent proinde pignora computari inter principia intrinsece constitutiva Sponsalium. Producta Lex pignora accipit non primo, sed secundo sensu. Pignora ut stipulata ad obligandum, quæ ad pœnam revocantur positivam, æqualiter jure naturæ se habent cum arrhis; reprobantur tamen illa sic sumpta arbitrariâ juris positivi dispositione, & arrhæ permittuntur. Hujus discriminis fundamentum assignant Doctores; videlicet, quia datur pœna positiva ad coarctandas nuptias; arrhæ verò instituuntur ut signa rei gestæ in assecurationem sub onere restitutionis, secutis nuptiis.

SYNOPSIS.

DE ARRHIS, ET LEGATIS PRO SPONSALIBUS.

FRequens est arrharum usus in Sponsalibus; ideoque plures practici occurrunt casus resolvendi. Doctores nonnulli satis diffusas super his quæstiones instituunt. Nos brevem Synopsim subjicimus juxta regulas insertas *l. Final.*, *C. de Sponsalibus*.

Arrhæ Sponsalium in rebus tantum mobilibus.

72 Constituendæ sunt arrhæ in rebus tantùm mobilibus. Constat hoc dilucide ex laudato capite *De Sponsalibus*. Primò, quia ibi loquitur Lex de arrhis velut de quantitate præsentialiter numerata. Secundò, quia concedit, posse, & deberi in aliquibus casibus duplicari, & quadruplicari; quod in rebus immobilibus contingere non potest. In hoc igitur non est audiendus Sanchez *lib. 1. disp. 35.*, utpote recedens a contextu Legis.

Non in quacumq. quantitate.

73 Non sunt tradendæ arrhæ in quacumque quantitate, sed commensurate ad conditionem contrahentium. Sic optime advertit Bartolus ad *l. Titia*, *de verbor. obligat.* Ratio est, quia convenirent aliàs cum genere pœnæ positivæ, & libertati officerent; siquidem qui traderent arrhas, ne tantam amitterent quantitatem, etiam inviti nuptias eligerent.

Fatemur equidem, Leges indefinite loqui super his; sed cum rationabilis censenda sit Juris dispositio, quantitas illa intelligenda venit, quæ conditioni congruit contrahentium. Deducitur ex argumento apud Bartolum relato hæc intelligentia, nempe ex Romanorum more, apud quos rescindens Conjugium dotem solummodo solvere tenebatur: sed arrhæ sunt inferiores dote, & Sponsalia minoris sunt conditionis relate ad Conjugium; ergo non possunt Sponsalibus adjici arrhæ in quacumque quantitate, sed solùm infra dotem; adeoque proportionatæ contrahentium qualitati debent esse.

Resilientes quomodo arrhas perdant, vel non.

74 Ubi utraque Pars tradidit arrhas æqualiter, suas perdit injuste resiliens, & acceptas tenetur restituere; quod si minores dederit, defectum debet supplere. Constat, quia servatur in hac mensura æqualitas; & quia pœna dupli a Lege constituta adimpletur.

75 Arrhas tradens, & ex causa justa resiliens, eas non amittit, sed ipsi sunt restituendæ. Hæc enim est arrharum Lex, ut tradens eas amittat, si ipsius culpâ non celebrantur nuptiæ; reddantur verò, si celebrantur; *l. Fin.*, *C. De Sponsalibus*. Induunt ipsæ naturam pignoris additi contractui venditionis, qua venditione secuta, restituitur pignus, qua non secuta alterius defectu, retinetur. Rationem tradit *l. Sancimus 22. C. de pœnis*, quia ubi abest culpa, debet abesse & pœna; sunt enim duo hæc correlativa, quæ mutuò se inferunt, mutuoque se destruunt.

76 Si resiliens ob motivum impedimenti inter Sponsos præscius fuerit hujus impedimenti, amittit arrhas; & si redditæ fuerint, tenetur restituere, dummodo recipiens alterum mala fide egisse ignoraverit. Hoc evenit propter malam fidem, qua processit in Sponsalibus; sicque exigit natura contractus per Leges confirmati.

Restitutio dupli quando urgeat.

77 Ubi alter spondentium solus arrhas dedit, si recipiens suâ culpâ promissionem dissolvat, tenetur in duplum, videlicet arrhas receptas restituere, & tantundem de suis bonis; similiter si convenerint de triplo, vel quadruplo, *L. Fin.*, *C. De Sponsalibus*. Fundamentum est jus servandi æquale; in nullo enim recipiens puniretur, si solas reddere teneretur acceptas arrhas.

Hæc regula solùm locum habet in majoribus vigintiquinque annorum; minores enim ad solas receptas arrhas adstringuntur, cuicumque sint solutæ, sive ipsis, sive Parentibus, sive Tutoribus, nisi ætatis veniam impetraverint. Quod si hujusmodi arrhæ solutæ fuerint Patri, qui nomine proprio eas receperit, promittendo nuptias, tunc ad duplum tenetur, *L. Fin.*, *C. De Sponsalibus*.

Restitutio dupli obligat post Judicis sententiam.

78 Restitutio dupli a Lege statuta non cadit sub obligatione in conscientia, nisi post Judicis Sententiam. Probat hoc Lopez; quia Lex illa adversatur Juri Canonico, cum omnis pœna reprobetur Cap. *Gemmæ*. Non valet tamen motivum istud; etenim arrhæ proprie non sunt pœna, sed potius pignora. Dicimus ergo non obligare; quia pœnæ legales ad Forum externum spectant: adeoque earum so-

lutio

lutio pendet a Jodicis Sententia; unde resiliens solas receptas arrhas restituere tenetur ante Sententiam Judicis, hæ namque ex natura contractus Parti innocenti sunt debitæ.

79 Triplum, vel quadruplum ex conventione contrahentium, probabilius restituendum est ante Judicis Sententiam, & ante petitionem Partis.

Triplum ex conventione ante Sententiam Judicis obligat.

Ostenditur pars prima. Pœna conventionalis dependet a voluntate contrahentium: sed horum intentio est se mutuò obligare privata lege fidelitati innixa boni viri; ergo firmata remanet ante Sententiam Judicis. Judea enim publicas inspicit tabulas: contrahentes autem ad privatas, honestasque conditiones attendunt, potissimùm, cum id ex industria faciunt, ne deceptus subire conatur onera recurrendi ad Judicem, quem adversum sibi timere potest, cum Leges tantummodo de duplo disponant: unde non sic contrahunt explicita legis permissione, sed permissione juris naturalis; adeoque ad triplum, vel quadruplum juxta conventionem tenentur independenter a dispositione judiciali per leges regulata, nec illud adjiciunt, ut possint in Foro externo compelli, sed ex fidelitate a naturali lege regulata. Fatemur tamen, oppositum esse probabile.

Etiam ante petitionem Partis.

Secunda pars ex producto momento palam fit. Quæ ex conventionali contractu, & naturali lege debentur, urgent sicut cetera debita: sed alia debita ante creditoria petitionem sunt obnoxia solotioni; ergo etiam in casu nostro; nisi ex circumstantiis prudenter colligatur, creditorem sponte donare, cedendo juri suo. Oppositum pariter est probabile ab extrinseco.

De Legatis, vel hæreditatibus.

80 De Legatis, vel hæreditatibus relictis sub conditione amissionis, casu, quo conditio non purificetur, plures plura sentiunt. Veriorem seligamus doctrinam. Legantur Bertæ ex. gr. mille sub conditione ducendi Cajum; at verò Cajum non ducit Berta absque sua culpa, sed quia non vult Cajus. In hoc casu completa censetur conditio, & Legatum subsistit; *l. In Testamento 2. ff. de conditionib.* Si verò conditio illa non purificatur, quia Cajus moritur, perit Legatum, *l. Legatum, C. de condit.* Et hoc intelligitur, nisi fuerit Legatum in favorem alimentorum, quia pauperi, vel fuerit in favorem piæ causæ a Testatore dispositum. Si conditio suo facto deficiat, Legatum debetur; ut si Ecclesiæ legata fuerint mille sub hac conditione, *si Cajus in ea sepeliatur*, & non sepelitur Cajus, quia obiit excommunicatus, Ecclesiæ debentur mille. Quando impeditur conditio a tertia Persona, Legatum cessat; habet tamen Legatarius actionem adversùs impedientem.

Hinc habea quid resolvendum casu quo Cajus, qui primò noluit, postea pœniteat, & velit ducere Bertam, sed hæc nolit. Legatum tunc amittit Berta; quia potest conditionem implere; supponimus enim, quod alteri non nupserit. Si tamen alteri nupserit, illud retinet; nam ab initio fecit ipsa, quod in se erat, nunc autem parere non potest Testatoris voluntati. Alteri nupta quando Legatum ei fuit factum, si tempore successivo, hoc est, post Testatoris mortem, sive tempore exequendi Testamentum, sit capax nubendi propter viduitatem; tunc subsistit Legatum. Ex adverso non subsistit Legatum, si tempore dicto successivo sit inhabilis, & decursu temporis fiat vidua; nam tunc ad alios devoluta est hæreditas in actu, nisi sint clausulæ expressivæ futuritionis. Locutiones Testatoris rectè inspiciendæ sunt, & ab his mens ipsius venanda est; unde si ipso facto Bertam privet nolentem nubere cum Cajo prima vice, qua exquiritur, non acquirit Legatum, quamvis postea pœniteat; jam enim ad alios transiit hæreditas. Secus dicendum est, integra manente causa; quia dispositio non est statim irritans, & privativa.

Ultimam proponimus difficultatem circa Legata. Titia relinquitur legataria, ut Cajum, quia nobilem, ducat; ipsum ducit, sed postmodum remanens Vidua ducit Sempronium ignobilem. Dicendum quod amittit Titia Legatum, si conditio fuit alligata Cajo de secundario ut nobili, sive ut duceret nobilem. Ratio est, quia dispositio illa, & finalis conditio includit particulam negativam, ut ignobilem non ducat; particula verò negativa est perpetua. Si autem conditio alligata fuit Cajo de primario, quem nobilitas distinguit; tunc Legatum non amittit in secundis nuptiis ducendo ignobilem. In hunc sensum posset applicari *l. Boves §. Hoc serm. ff. de verbor. significatione*; videlicet quod sermo simpliciter prolatus stat pro prima vice. Hæc tamen Lex in se, & secundùm se, intelligitur, quando sermo simpliciter prolatus non includit particulam negativam.

CONTROVERSIA VI.

AN POSSINT EX PACTO PROMITTI, ET DARI PIGNORA, ARRHAS, LEGATA, ET SIMILIA, PRO SPIRITUALIBUS NUPTIIS.

81 Spirituales nuptias Religiosam intelligimus professionem, media qua, suam consecrat quis vitam perpetuo Dei servitio. Necessitas, & utilitas hujus resolotionis amplior est; extenditur enim ad plures alios casus. Tomo II., ubi de Potestate Ecclesiæ in Ethnicos, *Controv. VIII. colum. 752., & seqq.* abunde actum est, an Infideles ad Fidem suscipiendam allici possint muneribus, seu etiam pacto induci. Quoniam verò paucis ab hinc mensibus a quodam Minorita apud Hæreticos Missionario super unum casum sciscitatus fui; ob identitatem doctrinæ placet ipsum impræsentiarum referre. Evangelicus iste Minister veritatem enuncians sedentibus in tenebris, & umbrâ mortis Fidei, pollicebatur iis, quos ab errore vendicabat, congruam alimentorum subministrationem. Id ægre ferens Hæreticus Minister, nec suis sophismatibus valens Catholicæ veritati obsistere, ut conversionibus, quæ frequenter occurrebant, obviam iret, e suggestu declamabat, illicitum plane esse ob bonum temporale Religioni nomen dare; unde

Spirituales nuptiæ quænam sint.

unde plures a sancto proposito revocabat. Itaque hoc etiam dubium resolutum fiet ex resolutione præsentis difficultatis.

Porro ad intelligentiam sensus Controversiæ prænotanda sunt sequentia. Primò. Licet indubie muneribus homines allicere ad Religiosum statum amplectendum. Sicut enim licitum est donis blandiri Infidelem ad Baptismum suscipiendum: ita etiam licitum est donis homines blandiri ad Religiosum statum amplectendum; hæc quippe sunt liberales donationes ad benevolentiam consequendam, media qua, faciliùs audiuntur persuasiones, & auditæ voluntatem inclinant ad assentiendum. Secundò. Non est dubium licere impedimenta amovere retrahentia ab ingressu Religionis; ut si quis ære alieno foret gravatus, & alter pro ipso debitore solveret. In his nulla turpitudo; nullum enim est caput, per quod illicita hæc evadere possint. Hinc Ecclesia instituit hospitalia Neophitorum ex Hæresi, vel Judaismo, ne ob alimentorum inopiam, a conversione deterreantur. Sensus igitur Controversiæ est, an liceat Legata facere, pignora, arrhas promittere, lege, & pacto, seu conditione, ut fiat quis Religiosus. Negant communiùs Legistæ post Bartolum ad *l. Titia ff. de verbor. obligat.* Negant etiam aliqui Canonistæ ad Cap. *Gemma*, *Mulier*. Affirmant verò cum Sanches *lib. 1. disp. 39.* plerique Theologi. Itaque

Munera allicentia ad Religionem sunt licita.

Licitum est amovere impedimenta ad Religionem.

DICENDUM, licita fore Legata, pignora, & similia, cum pacto Religiosum statum amplectendi.

82 PROB. I. Sicuti est res temporalis, & pretio æstimabilis, pecunia, torques, & aliud quid simile, ita etiam est corporalis libertas: sed licitum est libertatem dare mancipio cum pacto, si Monachatum subeat; ergo etiam licitum est, pecuniam, & quid simile promittere, & date, espressa lege si Religionem ingrediatur. Assumptum habetur Cap. *Cum sit proprium, de conditionibus appositis*, ubi Diaconus quidam duos servos libertate donavit, ea conditione, quod Monachi fierent in quodam Monasterio, & in eo permanerent. unus susceptum Religiosum habitum dimisit, & inter Clericos adnumerari voluit; cumque res delata fuerit ad Summum Pontificem, ipse respondit — Tu „ ergo, si ita esse reperis, sic te exhibe, „ ut nec illi Monasterium deserendi sit facultas, & manumittentis voluntas non „ valeat præteriri —

Licite datur libertas mancipio cum pacto ut fia. Religiosus.

83 PROB. II. Non minus e re spirituali est ingressus in Ecclesiam Dei, Evangelicæque Legis professio, quàm ingressus in Religionem, & professio Regularis observantiæ: sed fas est corporales noptias Infideli Viro offerre sub conditione Catholicam suscipiendi Fidem; ergo etiam licebit pecuniam promittere Juveni sub pacto Religiosam vitam profitendi. Assumptum habetur Cap. *Non oporet 28. q. 1.*, ubi prohibentur Connubia cum Hæreticis, dando eis filios, non autem eos accipere — Si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholi- „ cos —

84 PROB. III. Sicut plena gaudent libertate corporales nuptiæ, ita & spirituales: utræque enim vi celebratæ nullæ sunt; sed subsistit Legatum sub pacto ut quis cum determinata Persona nubat, ut habetur *l. Titio centum §. Titio centum ff. de condition.*, *& demonstr.*; ergo etiam subsistit Legatum sub pacto, ut quis spiritualiter nubat, adoptando Religiosum statum. Si enim Jus nullam agnoscit libertatis læsionem in primo casu, nulla itidem erit in secundo. Nulla emptio Sacramenti in primo; ergo nulla emptio status Religiosi in secundo.

85 PROB. IV. Sicut ad consilia Evangelica spectat Religiosus status *Matth. 19.* sic ad eadem spectat vidualis castitatis status. 1. *Corinth. 7.*: sed licitum est Legatum Viduis cum pacto non nubendi; ergo licitum erit Legatum cum pacto ut statum Religiosum quis suscipiat. Assumptum habetur *Autentic.*, *Cui relictum C. De induct. Viduis tollend.* taliter quod Viduæ tradendum non est Legatum, nisi sub cautione Mutiana, videlicet, ut si transeat ad secundas nuptias, Legatum debeat restituere cum omnibus fructibus perceptis.

Legatum Viduis ne nubant est licitum.

86 PROB. V. Communi Doctorum calculo nulla reperitur turpitudinis labes in pacto promissorio, ex quo promittenti nulla adveniat utilitas: sed nulla in casu nostro utilitas advenit promittenti; ergo. Non advenit utilitas temporalis promittenti; quia nihil temporale a promissario exigit. Nec etiam spiritualis; quia in sui favorem nihil expostulat. Sola igitur promissarii utilitas intenditur, ut in aperto est. Hinc Sacra Rituum Congregatio approbat in officio Sancti Alberti Nostri Ordinis Carmelitani factum illud, in quo a naufragio Judæos quosdam liberavit, habita pactione, ut baptismate regenerarentur — Qui cum mergi cœpissent, „ ad Sanctum, ut eis opem ferret, clamare „ cœperunt. Promisit ille, si Christiani fieri „ vellent, se eis auxiliaturum Quibus id „ promittentibus, Vir Dei ambulans super „ aquas, manus eis porreait, eodemque in „ flumine eos baptizavit, & ad ripam inco- „ lumes perduxit — In solutione argumentorum res clarescet.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSÆ OPINIONIS.

87 OBJIC. I. Eadem est turpitudo velle alteri, mediâ pecuniâ, Dei donum, ac velle sibi: sed promittere alteri pecuniam pro ingressu Religionis est velle alteri Dei donum: ergo est eadem turpitudo, ac velle sibi; sed velle sibi, mediâ pecuniâ, Dei donum, est simoniacum; ergo etiam alteri velle. Ostenditur argumentum ex textu Sacræ Scripturæ *Act. 8.*, ubi Simon Magus cum vidisset per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum Sanctum, obtulit eis pecuniam, ut darent ei hanc potestatem conferendi Spiritum Sanctum; Petrus autem dixit ad eum: *pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*. Hic habemus, simoniacam

cam

eam labem in eo esse, quod quis velit donum Dei possidere pecuniâ, ex improportione, quæ pecuniam inter & donum Dei adinvenitur. Porro professio Religiosa est donum Dei, ut colligitur ex Apostolo 1. *Corinth.* 7., & ex Evangelista Matthæo *cap.* 19. Ergo simoniacum est velle sibi pecuniâ Religiosam professionem; ergo etiam ipsam alteri velle; nam semper subsistit improportio pecuniæ ad donum Dei, temporalis ad spirituale.

Simonia a Simone Mago.

RESP. Ultro fatemur ex eo Scripturæ loco colligi Simoniacum vitium; & ideo ab universis Theologis, ac Patribus producitur ad illud explicandum, reprobandumque. Ipsi loco alludens Angelicus Doctor 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. definit Simoniam, qood sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali adnexum. Hanc voluntatem emendi satis clare suadet illa Petri locutio: *quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*; hoc est, acquiri dominium doni Dei traditione pecuniæ. Computavit ergo Simon donum Dei inter res, quæ humano commercio pecuniis comparantur; unde pecuniam offerens illud emere voluit; & quamvis erronea existimatione ductus esset, quia tamen vincibilis erat ejus ignorantia, ac fortè affectata, ab Apostolorum Principe execratus fuit, dirisque devotus. Qui hoc modo sibi, aut alteri vult donum Dei, utique simoniace agit. Ceterum promittens pecuniam Juveni, ut fiat Religiosus, non sic pecuniam tradit: sed solùm pecuniam certò dandam offert, ut eum ad statum sibi utilem assumendum alliciat; quapropter nec formaliter, nec æquivalenter, nec implicite, donum Dei vendit.

88 OBJIC. II. Æque damnabile est Deum præpostere colere, ac alium ad hujusmodi cultum inducere: sed ob bona temporalia præpostere colitur Deus; ergo damnabile est ob bona temporalia colere Deum, & alium inducere ad sic colendum Deum. Hoc porro fit, quando promissione pecuniæ ad Monasticum suscipiendum habitum quis allicitur. Argumentum desumitur ex Job *cap.* 1., ubi Satanas crimini vertit Job, quod propter temporalia bona famuletur Deo. Fit injuria Deo, in primo casu; fit injuria sanctitati Religionis in secundo.

Colere Deum ob bona temporalia quando deordinatum.

RESP. Argumentum æquivocatione laborat. Si quis unice ob temporalia bona Deo obsequatur, dubio procul præpostere agit; quia satis innuit, Deum nolle colere, nisi propter terrenas felicitates. Ceterum non est is criminandus, si ob temporale lucrum Deo inserviret, paratus tamen absque illo obsequium eidem præstare. Satanas malignans in Sancto Job perperàm judicavit, ipsum Deum famulari unice ob temporalia, ut eo loci *vers.* 9. satis innuitur; *Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*. Judicabat igitur impius recessurum Job a Dei cultu, si temporalibus spoliaretur. Erravit tamen, cum omnium bonorum jacturam passus in Dei cultu fidelis æquo animo perseveraverit. Qui Juveni pecuniam promittit, ut suæ consulat saluti, Religiosum statum amplectendo, non aliud intendit, quàm ipsum allicere, ut Deo peculiariter inserviat; ea propter finis præcipuus est ipsemet Deus; & in hoc nihil damnabile, nulla deordinatio.

89 OBJIC. III. Illicitum est id, a quo præcipit Apostolus abstinere: sed Juveni promittere temporale ex animo, ut Religiosus fiat, ab Apostolo vetitum legitur 1. ad Thessalonic. 5. vers. 21. *Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos*: ad statum autem Religiosum promissionibus temporalium quempiam impellere species profectò mali est; ergo.

Subdere temporalia spiritualibus, non est inordinatum.

RESP. Temporalia subdere spiritualibus nullam inordinationem secundùm se involvit; nam Deus temporalia largitur, ut eis utamur ad spiritualia acquirenda. Inordinatio foret temporalibus subdere spiritualia: per temporalia spiritualia negotiari. In casu nostro hoc non contingit; temporale siquidem subditur spirituali, quod unice tamquam finis intenditur: intendit enim promittens æternam alterius salutem; nec ibi negotiatio intervenit: cum ipse nihil recipiat.

90 OBJIC. IV. Promittere temporale ut motivum consequendi spirituale, est simoniacum: sed promittens pecuniam Juveni, ut fiat Religiosus, promittit temporale ut motivum consequendi spirituale; ergo simoniace promittit. Declaratur major propositio. Propositione 45. ab Innocentio XI. proscripta definitur, esse simoniacum dare temporale, non ut pretium rei spiritualis, sed ut motivum conferendi spirituale. Urbanus II. Cap. *Salvator* 1. *q.* 3. advertit quod Simon Magus non adeo hebes erat, ut putaret emi posse potestatem dandi Spiritum Sanctum; sed obtulit pecuniam, ut Apostolos moveret. Giezi itidem nihil postulavit ut pretium miraculosæ sanitatis Naaman Syro precibus Elisei collatæ, ut contextus declarat; petiis enim pro hospitalitate in adventu duorum Fratrum exercenda; collata sanitas ipsum in spem erexit quidquam postulandi. Porro æqualis malitiæ est actu dare, ac promittere se daturum, ut motivum consequendi spirituale. Minor propositio ostenditur. Promittens Juveni mille, ut Religiosus fiat, intendit movere, impellere, allicere ad statum Religiosum suscipiendum: hæc enim verba in idem redeunt; ergo promittit temporale ut motivum consequendi spirituale.

Temporale ut motivum consequendi spirituale quando simoniacum.

RESP. Motivum, in sensu Ecclesiæ, in collatione temporalis pro spirituali tunc est simoniacum, quando est totale, vel principale: quando est cum pacto saltem implicito alterum obligandi: quando demum est absolutum, & objectum voluntatis; inservit enim sub iis modis temporale ad negotiandum spirituale. Impræsentiarum nihil horum occurrit. Promissio temporalis non eligitur ut motivum totale, vel principale, nec ut finis ingressus in Religionem; nec Religio intenditur, ut a Juvene respiciatur temporale tamquam finis, tamquam totale, aut principale

pale motivum . Rursus nec implicite , nec explicite includitur in hac promissione intentio obligandi alterum . Pariter non est ista promissio objective absoluta : sed solùm conditionata , sed efficax ex parte promittentis : conditio autem nullam habet efficientiam in effectum ; unde promissum illud temporale non est effectivum Religiosæ Professionis .

Discrimen inter causam motivam finalem, & impulsivam.

Apud Canonistas , & Juristas causa finalis, & motiva , longe differt ab impulsiva . Motiva , & finalis , substantiam respicit ; impulsiva respicit modum . Defectus causæ motivæ , & finalis , irritat contractum , supplicationes , & rescripta ; secus defectus causæ impulsivæ . Hoc plane modo Deus ad sui famulatum promovebat Hebræos , & bonorum spoliatione , ab Idololatria avocabat . Illa temporalia se habent ut dulcedo in medicamine , quæ ægrum mulcet ad bibendum illud . Sic in virtute debilis ad bene agendum allicitur , vel excitatur , ad perfectius vivendum .

91 OBJIC. V. Majus est directe temporale promittere ad spirituale consequendum , quàm promittere temporale ad impedimenta removenda , ut alter consequatur spirituale : sed hoc secundum non licet ; ergo neque primum . Argumentum eruitur ex Cap. *Matthaeus . De Simonia* , ubi cum unus electus esset ad Ecclesiæ regimen , majoris partis suffragio , contradicentibus paucis , Amicus electi dedit uni ex opponentibus pecuniæ summam , quievitque adversantium rumor . Consultus Pontifex respondit , quod electus statim resignaret Ecclesiam , ne crimine macularet animam ; cum nihil prosit Universum lucrari Mundum , si anima detrimentum patiatur .

RESP. Impedimenta sunt in duplici differentia . Alia sunt præsupposita , & extrinseca ; intrinseca alia . Cum dicitur , licere , mediâ pecuniâ , impedimenta amovere pro consequendo spirituali : de impedimentis extrinsecis , & præsuppositis sermo est ; hæc enim connexionem non habent cum spirituali ; adeoque rei temporalis collatio non vitiat opus . Utique vitiatur opus , si impedimentum sit intrinsecum ; quia hoc unum & idem reputatur cum principali , videlicet cum opere spirituali . Contradictio , de qua Cap. *Matthaeus* , erat ex intrinseco Impedimento ; siquidem oriebatur ex contentione habentium jus ad electionem . Deinde Amicus pecuniam tribuit , annuente Electo , in cujus utilitatem cedebat contradictionis tranquillitas ; quare suspicandum est , quod data sit pecunia , ut motivum inducens Contradicentes ad Suffragium præstandum . In casu præsentis Controversiæ temporale promittitur pro spirituali dando alteri , seu veriùs ab alio acquirendo , absque promittentis utilitate .

Impedimentum aliud intrinsecum , extrinsecum aliud.

92 OBJIC. VI. Ut inquit D. Th. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 5. simoniacum est per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum : sed eadem est malitia hanc viam alteri parare : & ideo simoniacum est pecuniam dare Collatori , seu Intercessori , ut Amico conferat Ecclesiasticum Beneficium ; ergo similiter erit simoniacum , alteri per pecuniam parare viam , ut Religiosæ Professionis beneficium consequatur .

RESP. Angelici doctrina subsistit , quando pecunia datur ut motivum saltem principale , vel quasi pretium , vel cum pacto absoluto sub obligatione ; & sub his terminis eadem est malitia sive sibi , sive alteri parare viam ad spirituale obtinendum . Quantum ad præsens nihil horum occurrit . Promissio namque est conditionata ; quæ cum nihil ponat in esse , nullum habet influxum in effectum , sicut constat in applicatione ignis ad lignum .

Conditio non influit in effectum.

93 OBJIC. VII. Dare aliquid temporale Monasterio , ut Juvenem ad Professionem admittat Religiosam , omnino illicitum est : sed idem est fundamentum dare ut quis Religionem ingrediatur ; ergo . Assumptum habetur Cap. *Quàm pio* 1. *q.* 2. , Cap. *Non satis . De Simonia* , & *In extravaganti . Sane , de Simonia* , quibus concinit D. Th. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 4 Minor propositio videtur certa . Nam correlativa prorsus sunt dare Religioni , ut hunc suscipiat , & huic impertiri , ut Religionem ingrediatur ; & æqualis est improportio temporalis ad spirituale in Religione admittente , & in Juvene ingrediente .

RESP. In laudatis textibus aperte est prohibitum , ne quid accipiatur pro admissione ad habitum Religiosum ; quod tamen intelligitur , si illud exigatur ex pacto ultro , citroque obligatorio Sub his terminis intercedit venditio , & emptio , ut dicitur Cap. *Quàm pio* ; non quidem venditio formalis , quæ locum non habet , nisi apud stultum , ut dicit Urbanus II. , sed æquivalenter , hoc est , ea modo agendi , quia sic spiritualia habentur , ac in nundinis temporalia . Haud tamen vetitum est , aliquid recipere sincero eleemosynæ titulo , ut ibidem dicitur . Ad hoc facit Caput *Tua nos* , *De Simonia* , ubi Clericus cuidam Ecclesiæ sua offert bona sub conditione ut in Canonicum recipiatur . In hoc facto ipse Clericus , & recipientes declarantur Simoniaci a Papa ; quia temporale offertur , ut motivum consequendi spirituale , & sub conditione mutuò obligante -- Quod si „ is , qui talem donationem facit , ea intentione ducatur , ut per temporalia bona , „ quæ offert , spiritualia valeat adipisci , & „ Clerici , qui eum in Fratrem admittunt , „ non essent eum , nisi commoda temporalia „ perciperent , admissuri , sine dubio tam ille , „ quàm illi , apud districtum Judicem culpabiles reperiuntur -- Ex quo habemus , intentionem consequendi spirituale per temporale sufficere ad Simoniam ; ac proinde motivum conferendi , vel efficiendi spirituale per temporale constituit simoniacam turpitudinem ; & hoc appellatur emptio , & venditio . Nullum ex his capitibus in casu nostræ difficultatis reperitur . Pactum solummodo reperitur ex parte promittentis , & non extenditur ad obligandum alterum : conditio est omnino simplex , libere acceptanda , vel rejicienda : temporale non offertur , ut motivum , ut finis , sed ut blandimentum quoddam verbalibus suasionibus , & precibus , correspondens , in quo nil turpe invenire est . D. Thomas eo loci loquitur juxta Canonum intelligentiam ; propterea dicit -- pro ingressu Mo-

Quomodo nihil accipiendum pro ingressu in Religionem.

„ nasterii non licet aliquid exigere, vel ac-„ cipere quasi pretium --

94 DICES. Prædicto modo allicere ad spiritualia prohibitum habemus laudato capite *Quàm pio*; ait enim -- Nusquam enim „ legimus, Domini Discipulos, vel eorum „ ministerio conversos quempiam ad Dei „ cultum aliquo muneris interventu provo-„ casse, nisi fortè de pauperum alimento, „ quis in commune proponat, quorum nulli, „ cujuscumque professionis esset, victualia „ negabantur. Scimus enim, quod omne „ datum optimum, & omne donum perfe-„ ctum, desursum est descendens a Patre lu-„ minum, a quo bonæ voluntatis donum ac-„ cipit, qui sancto deliberationis arbitrio, „ gratis Deo servire disponit -- Atqui promissio pecuniæ Juveni, ut fiat, aut si fiat Religiosus, est provocativa ad cultum Dei: & donum suscepti habitus Religiosi non est inserviendi Deo gratis, cum habeatur pecuniæ oblectamento; ergo.

Pactum in spiritualibus reprobatur.

RESP. Verbum illud *provocasse*, non oblectamentum, sed motivum, innuit, sicut & pactum passive, & active obligans. Constat ex illis; *Dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio*. Hæc verò cessat in casu nostro. Non omnis intuitus temporalium bonorum viciat gratuitam rei spiritualis consecutionem. Glossula in hunc locum dicit, licitum esse, dando, honorando, loquendo, blandiri Infidelibus, ut convertantur; & quod Silvester omnibus, qui vellent baptizari, munera promisit. Conversio Peccatoris donum perfectum desursum est, & nihilosecius temporalibus pœnis sæpe Deus ad illam Peccatores excitat; sicut & provocat promissione, & collatione bonorum temporalium.

95 OBJIC. VIII. Si Legatum sub conditione nuptiarum spiritualium licitum foret, rejiceretur conditio, si esset, de iisdem non contrahendis: sed non rejicitur; ergo. Declaratur major. Si centum legentur Juveni, ut non nubat, seu si non nubat, rejicitur ista conditio, *l. Titia, Si non nupseris ff. de condition., & demonstr.*; & si nubat Juvenis, Legatum subsistit; quis Reipublicæ majus bonum sunt corporales nuptiæ, quàm non nuptiæ; unde Legatum avertens a nuptiis, sustinetur pro volente nuptias. Ita deberet igitur idem contingere in spiritualibus nuptiis; Legatum ab iis avertens deberet subsistere in volente illas. Minor propositio propugnatur a Sanchez, & a quibusdam aliis. Nam Lex de spiritualibus nuptiis non disponit; unde apte colligitur, censuisse Legem, turpe esse provocare temporalibus ad spiritualia.

Conditio de non contrahendis nuptiis etiam spiritualibus rejicitur.

RESP. Negando minorem, quam veriùs plures sustinent Auctores præcipue Juristæ, ut sunt Baldus, Decius, Acosta, Aretinus, Felinus. Constat ex Autentica, *De Sanctiss. Episcopis §. Sed & hoc præsenti, collat. 9.* dicente, eam conditionem pro non scripta haberi. Quare falsum est, quod Jura non disponant. Deinde Jura nuptiis corporalibus æque ac spiritualibus favent; quia utræque ad magnum Reipublicæ bonum ordinantur. In utrisque non intenditur per se primò privatum, sed publicum, & commune bonum. Reipublicæ apprime convenit, quod Dei cultus multiplicetur, pluresque Deo in statu Religionis inserviant. Male igitur concluditur, Leges judicare, quod Legatis provocare ad Religionem, sapiat turpitudinem; immo bonum opus operantur, qui talia agunt. Audiamus D. Thomam 2. 2. *quæst. 189. art. 9.* -- Inducentes alios ad Religio-„ nem, non solùm non peccant, sed ma-„ gnum præmium merentur .... posset ta-„ men contingere circa hujusmodi inductio-„ nem triplex inordinatio. Primò quidem, „ si violenter aliquis alium ad Religionem „ cogeret; quod prohibetur in Decret. 20. „ q. 3. Secundò, si aliquis simoniace alium „ ad Religionem trahat muneribus datis, ut „ prohibetur Decret. ibidem q. 2. cap. *Quam* „ *pio*. Nec tamen ad hoc pertinet, si ali-„ quis alicui pauperi necessaria subministret „ in Seculo nutriens eum ad Religionem, „ vel sine pacto aliqua munuscula tradat ad „ familiaritatem captandam. Tertiò, si men-„ daciis eum alliciat; imminet enim sic in-„ ducto periculum, ne cum se deceptum „ invenerit, retrocedat, & sic fiant novis-„ sima illius hominis pejora prioribus, ut „ dicitur Lucæ 11. -- Pactum accipit ad sensum producti Textus *Quàm pio*.

Status Religiosus Reipublicæ utilis.

Quædam limitatio de Legatis.

Cum diximus, Legatum relictum, si non nubat, valere in favorem nubentium temporaliter, vel spiritualiter, intelligitur si conditio sit universalis, & absoluta; secus si sit restricta ad particularem personam in corporalibus, vel ad singularem Religionem, aut Monasterium; cum aliæ sint Personæ, aliaque Monasteria, in quibus spirituales nuptias celebrari possint, sicut in corporalibus.

Illud indem certum videtur, quod relinquens Legatum sub hisce terminis *si ingrediatur Religionem* intendit ingressum media professione completum; vult enim quasi providere subsidia vitæ. Unde saltem suâ culpâ egrediens, quatenus habitum Religiosum assumpsit animo egrediendi, vel datâ operâ culpas committit, ut dimittatur, non lucratur Legatum; non enim hujusmodi intendit fictiones Testator, sed ut sincere habitum induat seria intentione experiendi Religionis onera secundùm Ecclesiæ mandatum de probationis anno. Quod si candide, bonaque fide ingressus dimittatur, etiam propter defectus, ob quos meruerit habitu expoliari, ad hunc tamen finem non commissos, potest utique Legatum retinere, prout verba exprimunt, cum & aliunde quid diversum sit profiteri & ingredi; aliàs novit Testator, præmitti probationis annum, ut idonei assumantur, & dimittantur inhabiles, & tamen absolute, & absque exceptione Legatum instituit. Num verò dimissus ab hac Religione, aliam tencatur experiri, ab illa pendet quæstione, quæ consimiliter in emittente votum Religionis ad examen revocatur.

§ § §

CON-

CONTROVERSIA VII.

AN PER INGRESSUM IN RELIGIONEM, ET PER CASTITATIS VOTUM SOLVANTUR SPONSALIA.

96 INgressus in Religionem prout solemnem includit validam Professionem, dubio procul dissolvit Sponsalia. Nam, ut dicemus infra agendo de Sacramento Matrimonii in hoc Tractatu *Disp. IV. Contr. IV.* Matrimonium simpliciter ratum per solemnem Religiosam Professionem dissolvitur; ergo a fortiori per eam dissolvuntur Sponsalia, cum vinculum illius sit fortius istorum vinculo. Loquimur igitur impræsentiarum de ingressu in Religionem præcisive a Professione, sincero tamen animo facto in ordine ad ipsam Professionem, quantum est de se, suo tempore emittendam. Sub eodem titulo comprehendimus etiam votum simplex Castitatis, votum Religionis, & votum suscipiendi Sacros Ordines; quia de iis omnibus una videtur ratio. Hæc verò vota necesse est subsequi ad Sponsalia. Non enim contractus per aliud dissolvitur, nisi ipse contractus supponatur; porro impedimentum prævium incompossibile jam dirimit, irritatque contractum. Loquimur etiam de Sponsalibus juratis: propter fundamentum sæpe productum, quod juramentum contractui accessorium sequitur ejusdem naturam. Non tamen sermo instituitur de casibus per accidens, qui sunt præter Legem, & de quibus proloquium asserit, non dari scientiam.

Circa simplicem approbatæ Religionis ingressum triplex adest opinio. Prima docet, utrinque Sponsalia absolute dissolvi. Sic cum Silvestro Navarrus, Toletus, Sanchez. Opinio altera oppositum propugnat, nisi superveniat Professio. Ita cum Ricardo Durandus, Paludanus, Coarruvias. Tertia affirmat, dissolvi ex parte remanentis in Seculo, secus ex parte suscipientis habitum. Sic Coninck, Pontius, Amicus, Henriques. Quælibet harum opinio pro se explicat eumdem D. Thomæ Textum.

Quoad simplex Castitatis votum eadem pariter occurrit dissensio. Negant dissolvi Sponsalia Coninck, Silvester, Navarrus, Paludanus, Sanchez. Affirmant Cajetanus, Suarez *Tom. 2. de Relig.*, *lib. 2. de voto cap. 4.*, Azorius *Tom. 1. Moral. Institut.*, *lib. 11.*, *cap. 21. q. 10.*, Sylvius *In Comment. art. D. Th.*, Ledesma, Pontius. Concedunt dissolvi ex parte non voventis, secus ex parte voventis, Brunellus, Cuens, & alii. Itaque ut veriorem, & Juribus consonam eligamus opinionem.

DICENDUM quod per ingressum in Religionem, & per votum simplex Castitatis dissolvuntur absolute Sponsalia, ita quod utraque Pars libera evadit.

97 PROB. I. Quod legitime in aliud mutatur, in se non manet: sed Sponsalia per ingressum in Religionem, & per votum Castitatis in melius legitime mutantur; ergo in se non manent. Declaratur assumptum. Status Cœlibatus per se est melior statu nuptiali; pertinet enim status Cœlibatus ad Consilia Evangelica *Matth.* 19. & 1. *Corint.* 7. Hic porro status assumitur sive per votum Castitatis, sive per ingressum in Religionem; ergo.

Cœlibatus melior Connubio.

98 PROB. II. Contractus habens firmitatem sub conditione, esse non habet, non purificata conditione: sed in contractu Sponsalium includitur tacita conditio, si statum superiorem non eligero, & hæc conditio non purificatur in eo, qui votum emittit Castitatis, vel ingreditur Religionem; ergo non habet esse in eo contractus Sponsalium, sed dissolvitur. Hac ratione Cap. *Ex publico 7., De convers. Conjugatorum* Professio Religiosa dirimit Conjugium ratum; quia in nuptiali contractu tacita involvitur conditio, nisi Religiosam emisero Professionem. Ita in Sponsalibus, quæ sunt via ad nuptias, tacita includitur conditio, nisi meliorem statum assumpsero: Quoniam verò minoris firmitatis sunt Sponsalia, quàm Conjugium ratum, non requiritur ad solvenda Sponsalia Professio, & votum solemne, sed sufficit ingressus in Religionem, aut simplex Castitatis votum.

Conditio implicita suspendit contractum.

99 PROB. III. Dissolvuntur Sponsalia quotiescunque talis supervenit illis rerum mutatio, quæ si antecedenter fuisset, prudentes non contraxissent: ut colligitur ex Cap. *Quemadmodum*, *De jurejurando*: sed ingressus in Religionem, & simplex Castitatis votum hujusmodi mutationem faciunt; ergo. Quantùm ad votum non est difficultas; quia tale votum præcedens irritat Sponsalia, quæ non possunt esse de illicitis. Quantùm ad ingressum in Religionem constat; quia nemo prudens spoponderet nupturum, quem sciret seriò suscepturum Religiosum habitum. Profectò assumptio Status Religiosi dicit in communi sensu magnam cum nuptiis improportionem. Et certe majorem dicit quàm mutatio notabilis in divitiis: hæc autem est causa sufficiens ad dissolvenda Sponsalia; ergo etiam ingressus in Religionem. Addatur quod apud nonnullos quædam dedecoris species censetur nubere cum his, qui a Religioso statu recesserunt: opinantur enim in hac defectione turpitudinem; unde sicut morum asperitas est causa sufficiens dissolvendi Sponsalia, ita ingressus in Religionem.

Rerum mutatio in Sponsalibus.

100 PROB. IV. Renuntiatio dirimit Sponsalia, si est ex titulo legitimo: sed ingressus in Religionem, sicut & votum Castitatis, est renuntiatio Sponsalium ex titulo legitimo; ergo dirimit Sponsalia. Renuntiationem hanc jure fieri, in aperto est; nam bonum eligitur superioris ordinis. Aliàs nemo contrahentium dum contrahit in bonis inferioribus, vult sibi damnum afferre se impotentem efficiendo ad bona acquirenda excellentiora; hinc nemo intendit stare contractui in re pecuniaria, cujus solutio vergit in grave præjudicium famæ.

Nemo spoliandus suo jure.

101 PROB. V. Quoties duo occurrunt vincula incompossibilia, prævalet fortius, Cap. *Si inter*, *De Sponsalibus*: sed Sponsalia, & votum Castitatis sunt duo vincula incompossibilia, & votum est vinculum fortius; ergo prævalet illud, & Sponsalia dissolvuntur.

Ingressus in Religionem fortius vinculum Sponsalibus.

vuntur. Proportione servata, idem valet de ingressu in Religionem. Quamvis in eo nulla detur obligatio, nec ex parte Novitii, ad perseverandum, nec ex parte Religionis ad eum retinendum: est tamen in illo vis quædam superioris ordinis participative a Professione, ad quam tendit; quia vincula spiritualia fortiora sunt corporalibus. Per Baptismum homo fit de Ecclesia, & obligatur ad observantiam Legis Evangelicæ: & Catechumenus dicitur de Ecclesia merito, & virtute, eo quod status Catechumeni est via, & petitio Baptismi. Similiter per Religiosam Professionem homo fit de corpore Monastico, & ligatur ad Monasticam observantiam: & Novitiatus ex sui institutione, & ex animo susceptus, est via, & petitio, Professionis; proinde Novitiatum ingrediens merito, & virtute, de corpore Religionis censetur. Refunditur ergo vigor aliquis ex Professione in ingressum in Religionem.

Confirmatur. Sicut se habet forma ad formam, ita se habet dispositio ad dispositionem; & sicut forma fortior superveniens formam destruit præexistentem, ita dispositio ad formam fortiorem superveniens tollit dispositionem præexistentem ad formam minus fortem, Sponsalia sunt dispositio ad nuptias, & ingressus in Religionem est dispositio ad Professionem; ergo.

Ex utraque Parte solvuntur Sponsalia.

102 Ex his eruitur quod utraque Pars libera evadit. Nam hæc omnia inter utramque Partem versantur, & promissio Sponsalitia est mutua; si igitur una Pars remanet libera, necesse est & altera remaneat libera; ablato enim uno relativo, deficit & alterum.

Rursus. Concedunt omnes, quod serius ingressus in Religionem sit cessio juris acquisiti per Sponsalia super aliam Partem, unde illa remanet libera; hoc ipso & ista eadem debet libertate gaudere. Remanens in Seculo acquisierat jus a repromissione alterius, & alter acquisierat jus per acceptationem repromittentem: hæc omnia tollit cessio; adeoque facit ambos liberos.

SOLVUNTUR ARGUMENTA OPPOSITA.

103 OBJIC. I. Ingressus in Religionem non dicit sui juris cessionem: sed hoc ipso non dissolvit Sponsalia, ut constat; ergo. Explicatur. Ingrediens in Religionem intendit experiri, utrum status Religiosus sit convenientior statu nuptiali; adeoque non cedit statim suo juri, sed solùm sub conditione, si Professionem emisero.

Ingrediens Religionem absolute cedit Sponsalibus.

RESP. Qui sincere ingreditur Religionem, ingreditur ex intentione permanendi, & profitendi, & eligit statum Religiosum, quia absolute est melior, & securiùs conducit ad æterna; adeoque non ingreditur, ut experiatur, an sit sibi convenientior. Si verò dimittit Religiosum statum: vel voluntatis vertibilitati, vel debilitati naturæ tribuendum est, itaque cessio juris est absoluta, & ex parte utriusque, cum Sponsalia non sint contractus, qui claudicare possit.

104 OBJIC. II. Sicuti Professio Religiosa non componitur cum nuptiis, ita non componitur cum possessione beneficii: sed simplex ingressus in Religionem non solvit possessionem Beneficii, nisi conjungatur cum Professione; ergo pariter non solvit Sponsalia, nisi conjungatur cum Professione.

Cur incompossibile jus Sponsalium cum statu Religioso.

RESP. Maximum reperitur discrimen inter oppositionem unius, & oppositionem alterius. Professionis oppositio cum nuptiis oritur ex dignitate, & perfectione, status Religiosi; oppositio autem Professionis cum Beneficio nascitur ex operum exercendorum, & onerum incompossibilitate. Aliàs possessio juris beneficiarii nulli affert gravamen; secus jus Sponsalium, cum toto Novitiatus tempore alter foret ligatus expectando, num subsequatur Professio, & interim meliores occurrere possent nuptiæ, quas dimittere cogeretur. Quapropter ingressus in Religionem cessionem involvit juris Sponsalium, & ex utraque parte dissolvuntur Sponsalia; non cedit tamen juri Beneficiario.

105 OBJIC. III. Sponsalia sunt vinculum fidelitatis, & veritatis, non minus quàm vota simplicia: sed ingressus in Religionem antecedenter ad Professionem non solvit vota simplicia; ergo neque Sponsalia.

Cur ingressus in Religionem non relaxet vota, sed Sponsalia.

RESP. Vota simplicia solvuntur per Professionem; quia Professio eminenter continet illa, & aliunde omnia vota facta sunt Deo. Ingressus autem in Religionem non continet eminenter vota; & fieri potest quod nullatenus ista illi opponantur, neque ratione materiæ, neque ratione formæ. Quod si materia voti sit incompatibilis cum operibus Novitiatus, ut peregrinatio, commutatur, participatione privilegiorum, in alia opera compossibilia. Promissio sponsalitia facta est homini, qui si expectare teneretur Professionis exitum, gravaretur. Insuper Novitiatus, utpote dispositio ad Professionem, opponitur dispositioni ad nuptias, adeoque Sponsalibus; si enim integra remanerent Sponsalia, quæ sunt dispositiones ad nuptias, grave forent impedimentum Novitio, ne pacifice suo incumberet profectui, assiduisque tentationibus ipsum perturbarent.

106 OBJIC. IV. Status, & actus superveniens, nullam involvens obligationem ad alterum, vim non habet dissolvendi actum, & statum priorem hanc dicentem obligationem: sed Sponsalia involvunt obligationem ad alterum: secus ingressus in Religionem, cum nec Deo, nec Religioni obliget; ergo.

Actus posterior quandonam solvat priorem.

RESP. Actus, & status superveniens, potest esse melior, ad quem jus haberi potest, ne ejus assecutio impediatur: potest insuper esse impletio conditionis inclusæ in priori actu: & potest esse contrarius priori. Actus, qui similibus qualitatibus ornatus est, efficaciam habet dissolvendi priorem. Hujusmodi est ingressus in Religionem: ipse est electio melioris status, & Deus habet jus ne ab ullo impediatur, utpote de re sibi gratissima, quoties nulli parti illatum est damnum: est impletio conditionis in Sponsalibus involutæ, videlicet, nisi statum elegero superiorem: opponitur insuper actui Sponsalium. D. Thomas *in Supplem. quæst. 43. art. 3. ad 1.* habet — Talis promissio solvitur per mortem

spi-

„ spiritualem, cum sit spiritualis tantùm, „ ut dictum est — Promissio Sponsalitia est tantùm spiritualis, hoc est, consistens in affectu, quia nondum corporalem facit possessionem in Sponsis, sed solùm affective, & initiative, cum non sit ipsum Conjugium, sed solummodo dispositio ad Conjugium. Ingressus in Religionem mors est spiritualis: in affectu scilicet, propter desiderium perseverandi, & profitendi: & initiative, utpote est dispositio ad Professionem; insuper est non solùm spiritualis mors, sed etiam onus est experimentale operum profitendorum, quod fundat jus, ut sine causa nequeat Novitius a Religione dimitti. Ex laudata igitur profunda doctrina Doctoris Angelici satis elucet, quod ingressus in Religionem Sponsalibus superveniens vim habet dissolvendi ipsa Sponsalia.

107 OBJIC. V. Dissoluta dicuntur in casu Sponsalia ob præintellectam conditionem, nisi statum elegero meliorem: sed hoc perperàm dicitur; ergo. Perperàm dicitur; quia in nullo textu de Sponsalibus reperitur; nec etiam ex natura promissionis colligitur. Qui pecuniam alteri debet ea promissione, non solvit obligationem, si meliorem eligat statum: nec satisfacit, si in melius, scilicet pauperibus, illam largiatur. Præterea nec in juramento, nec in voto datur locus commutationi in melius, quando in alterius vergit præjudicium, *l. Id quod honestum est, De reg. juris*; ergo multo minus in Sponsalibus.

RESP. Dictum illud, ut vulgare proloquium adoptatur in electione Status. Capite *Verum, De conversione Conjugatorum* declaratur, Religiosam Professionem solvere Conjugium ratum, ob id motivum inclusum, & præintellectum in contractu nuptiali. Id autem extenditur ad Sponsalia, propter rationis identitatem: cum sint Sponsalia via ad nuptias, & Status Regularis sit melior; quare dispositio Juris non fuit necessaria singularis de Sponsalibus.

Promissiones sunt in duplici differentia. Aliæ circa Personas versantur; aliæ circa res. Primi generis sunt, quæ solùm ad Statum eligendum spectant; secundi generis sunt, veluti promissiones pecuniariæ. In illis subintelligitur prædicta conditio; unusquisque enim sibi optimum statum naturaliter exoptat eligere; unde quamdiu res manent integræ, nullus vult impediri a consecutione illius, donec Persona realiter non est tradita. In promissionibus secundi generis non subintelligitur conditio illa; quia res ipsæ sunt obligatæ, & ipsæ alteri sunt utiles; unde nec per assumptionem status melioris, nec per largitionem eleemosynæ solvitur debitum.

Promissiones in duplici genere.

Ad ultimam instantiam, negatur suppositum, quod Comparti fiat ullum præjudicium. Nullum sane fit; nam illa conditio est & ipsi favorabilis, cum & ipsa eâdem uti potuisset conditione.

108 OBJIC. VI. Actus illicitus superveniens nequit licitum solvere præsuppositum contractum: sed ingressus in Religionem Sponsalibus superveniens, sicut & votum Castitatis, est actus illicitus; ergo. Minor propositio eruitur ex Cap. *Veniens, Qui Clerici vel voventes*, ubi pœnitentiæ subjicitur Fœmina, quæ votum Castitatis emiserat post celebrata Sponsalia. Et sane offertur Deo illicite, & nolliter, quod est Creaturæ debitum. Adde quod opposita opinio viam parat fraudibus.

RESP. Sanchez *disp.46.* docet, illicitum esse illud votum Castitatis, & ingressum in Religionem. Ceterum doctrina hujusmodi nec Juribus, nec solidioribus principiis consonat. Dicimus itaque, votum illud esse licitum, sicut & ingressum in Religionem; quia promissio Sponsalitia conditionem involvit, nisi statum meliorem elegero, ita quod etiam post celebratas nuptias concedit Ecclesia bimestre ad deliberandum. Persona non est alteri absolute debita, nisi conditione purificata, idest, nisi statum non voluerit mutare in meliorem; adeoque nihil Deo offertur illicitum.

Votum Castitatis post Sponsalia licitum.

Laudatus Canon non urget. Mulier enim illa fraudolenter processit. Distulit artificiose Sponsalium executionem, volens alteri nubere; & ut mentem suam impleret, emisit Castitatis votum, ut Compromissarius aliam duceret, & sic ipsa remaneret libera. Insuper ligata voto sacrilege peccavit: unde Pontifex dicit: *fide mentita, & violato voto*; propterea juste fuit pœnitentiæ subjecta. Ad præcavendum tamen majus malum indulsit Pontifex nuptias, data Episcopo facultate ad votum relaxandum.

Hoc ipso, quod votum est licitum, est etiam validum, aliàs si post votum vovens nuberet, esset ei cohabitatio omnino licita, tam active, quàm passive; quam cohabitationem horrent Adversarii concedere. Si autem votum validum est, jam Sponsalia, quæ mutua sunt, ex utraque parte soluta sunt. Hinc infertur, quod si post votum labatur ille in peccatum, peccat solummodo contra votum, non etiam contra fidem mediis Sponsalibus datam. Et si dispensationem peteret a voto, posset alteri nubere; quia Sponsalia illa absolute sunt utrinque dissoluta, nec remanent suspensa, nisi expressa mentio conditionis fuerit interposita, idest, quamdiu ligatus manebo voto. Hæc proportionaliter dicenda sunt de ingressu in Religionem.

Etiam est validum illud votum.

Nec patet aditus fraudibus ex vi præsentis doctrinæ; si enim sequuntur fraudes, ea privatorum malitia sequuntur. Hoc est scandalum passivum acceptum, sicuti Pharisæorum ex occasione operum Christi.

109 OBJIC. VII. Æque opponuntur Sponsalibus Minores Ordines, ac ingressus in Religionem: sed Minorum Ordinum susceptio non dissolvit Sponsalia; ergo neque ingressus in Religionem. Minorem omnes adoptant. Major facilè constat; siquidem Minores Ordines constituunt suscipientem in Statu superiori initiative, & tribuunt ei privilegium Canonis, & capacitatem, & jura ad Ecclesiastica Beneficia.

RESP. A posteriori evincitur, aliquod adesse discrimen inter oppositionem, quam dicunt Sponsalibus Ordines Minores, & illam, quam habet ingressus in Religionem; omnes enim conveniunt quod Minores Ordines non dissolvunt Sponsalia, plurimi verò

pro-

propugnant, ingressum in Religionem utique illa dissolvere. Ceterum discrimen in eo est, quod Minores Ordines non dicunt spiritualem mortem, neque initiative. Licet enim ex Ecclesiæ lege nullus pervenire possit ad Majores Ordines, nisi per Minores: tamen isti medium quemdam constituunt Statum, in quo quis potest libere permanere; adeoque est Status mixtus ex Sacro, & non Sacro. Plurimi, Ecclesia non reclamante, cum Minoribus Ordinibus nubunt; & hoc regulariter, & non nisi rarò, in Novitiis non contingit. Sunt itaque Ordines Minores finis intermedius suam habens bonitatem per se expetibilem, in quo quis potest consistere, & per eum pariter potest ulteriùs progredi. Novitiatus autem est velut purum medium, quo expleto, aut dimittendus est, aut Professione complendus.

Discrimen inter Ordines Minores, & Novitiatum.

Illud certum est, quod susceptio Sacri Ordinis dirimit Sponsalia propter votum solemne. Certum est etiam quod votum suscipiendi Ordinem Sacrum, & votum Religionis solvunt Sponsalia, secundùm nostra principia ex parte utriusque. Etenim hujusmodi vota tenent; non possunt autem tenere de re illicita; & essent de re illicita, si subsisterent Sponsalia, cum executioni mandari nequeant in sensu composito cum voto, ob incompossibilitatem usus nuptiarum.

510 OBJIC. VIII. Magis opponitur prioribus Sponsalibus Conjugium cum alia Persona, quàm ingressus, & votum Religionis: sed Conjugium priora non dissolvit Sponsalia; ergo. Ostenditur minor propositio. Conjugium cum alia vim suspendit Sponsalium, ita quod si nuptus maneat liber per mortem Conjugis, tenetur primam servare fidem, ut colligitur ex Cap. *Si inter*, *De Sponsalibus*, & ex Cap. *Duobus*, *De Sponsa duorum*: eâdem prorsus ratione, qua quis votum habens Religionis, si nubat, & postea Compartis morte liber evadat, tenetur ad votum: eodem etiam modo, quo quis Petro vendidit equum, quem postea tradit Paulo, si equus iterum ad Dominum perveniat, tradendus est Petro; hi namque contractus suspenduntur pro tempore, quo extrema sunt incompossibilia. Major propositio est certa, cum Conjugium sit terminus ipse Sponsalium omnino incompossibilis cum alia Persona, etiam ex mutuo condicto.

RESP. Falsam esse minorem propositionem, quando Conjugium est validum, ut cum Sanchez *lib.* 1. *disp.* 48. docent plurimi ex iisdem laudatis capitibus in objectione, ubi altum habetur silentium de suspensione Sponsalium, & solummodo statuitur in primo capite, pœnitentiam injungendam fore ei, qui fidem fregit; & hoc idem est, ac definire, ab omni alio onere, præter pœnitentiam, illum esse absolutum. Ratio in aperto est ex natura contractus. Nam ipsimet Adversarii concedunt ex laudatis Textibus solvi Sponsalia ex parte innocentis; ergo hoc ipso etiam ex omni parte remanent soluta, cum mutua sint, & mutuis promissionibus contracta. Ex conceptu etiam nuptiarum patent soluta prima Sponsalia. Nuptiæ enim sunt ex suo genere perpetuæ, & opposite Sponsalibus cum alia Persona contractis; ergo perpetuam per se habent cum illis incompossibilitatem; adeoque non possunt illa ex natura sua remanere suspensa. Res clarescet exemplo. Fecit quis strictioris Religionis votum, & in laxiori profitetur. Primum votum prorsus solvitur Cap. *Qui post votum*, *De voto*, *& voti redempt.* in 6., hoc ipso quidem motivo, quod subsequens vinculum ex natura sua est irrevocabile, & perpetuum, quamquam sit dispensabile per Romanum Pontificem, ut ajunt Canonistæ, & sit commutabile cum Professione in strictiori Religione. Similiter ergo in casu præsenti priora Sponsalia omnino solvuntur; cum Nuptiæ sint irrevocabiles, & perpetuæ, ita quod, nullâ potentiâ, sint dispensabiles, vel commutabiles in alias.

Dissolvuntur per Conjugii priora Sponsalia.

Primum exemplum non urget. Votum enim Religionis non est vinculum mutuum, sed est simpliciter personale, secundùm se afficiens Personam; quapropter, supervenientibus Nuptiis, ex nulla parte dissolvitur, sed impeditum consistit quamdiu perseverant illæ, & sublato earum impedimento, reviviscit. Adde quod Religionis votum fit Deo, & acceptatur a Deo, qui numquam deest: nuptialis autem traditio fit mortali Creaturæ; hinc vis voti semper apud Deum vivit.

Disparitas inter Votum Religionis, & Conjugiū.

Neque etiam officit secundum exemplum. Equus siquidem est, qui obligatus remanet; unde primo debetur emptori, si traditio alteri facta solvatur. In casu nostro Personæ sunt obligatæ, & mutuò sunt obligatæ; adeoque ex dictis satis patet disparitas.

Diximus supra *quando Conjugium est validum*. Nam si sit invalidum, tunc utique Sponsalia non solvuntur; quia quod nullum est, nullum habet effectum *l. traslat*, *Regula* 51. *De regul. juris in 6.* — Quia non præstat „ impedimentum, quod de jure non sortitur „ effectum — Pars tamen innocens justam habet resiliendi causam, cum fuerit despecta. Qui post Sponsalia alias contrahit nuptias cum altera Persona absque causa legitima, & sine licentia petita, sive valide, sive invalide contrahat, peccat graviter; cum injuste in re gravi datam violet fidem.

Conjugium invalidū non dissolvit priora Sponsalia.

Diximus *quando Conjugium*. Etenim Sponsalia posteriora nullatenus dissolvunt priora, utpote posteriora sunt nulla. Quamvis essent jurata posteriora Sponsalia, sunt nulla, utpote de re illicita. Juramentum validum fortius est vinculum Sponsalium vinculo: quoniam verò in casu juramentum est nullum, cum non possit esse vinculum iniquitatis firmando promissionem de re illicita, etiam ejus vinculum nullum est, & Sponsalia nulla sunt. Hinc fit quod ubi unus ex Sponsis alteri promittit, tenetur sub gravi priorem servare fidem, si a primo requiratur Sponso; quamvis innocens ipse justam habeat recedendi causam, cum fuerit repudiatus. Hinc si priora dissolvantur Sponsalia, non tenetur qui cum alia Persona contraxit Sponsalia, hæc servare posteriora; siquidem in suo fieri fuerunt nulla, & quod ab initio mortuum fuit, non reviviscit amplius, juxta Regulam 23. *De Regul. Juris* in 6. — Non „ firmatur tractu temporis quod de jure ab „ initio non subsistit — Constat insuper a simili.

Sponsalia posteriora etiā jurata non solvunt priora.

simili. Habens votum Castitatis, si contrahat Sponsalia, & postea dispensetur a voto, illis stare nequaquam tenetur, utpote ab initio erant nulla. Similiter si Conjugatus post consummatum Matrimonium in aliqua profiteatur Religione, mortua Conjuge, non tenetur regredi ad Religionem; quia illa Professio fuit nulla.

111 DICES, Ex Cap. *Quidam*, *De convers. Conjugatorum*, qui uxoratus Monasticum susceperat habitum, mortua Conjuge, nequit aliam suscipere, quamvis primum votum declaretur nullum. Ratio fundamentalis est. Quia quod in totum valere non potest, valeat quantum potest; ergo promissio ab initio nulla, ac illicita, ablato tractu temporis impedimento, fit licita, & obligatoria.

RESP. Votum per Professionem emissum, invita Conjuge, nullum fuit; ideoque poterat sic vovens, mortua Conjuge, ad secundas nuptias transire. Ille uxoratus, de quo laudato Canone, aliud complicavit votum, nempe simplex Castitatis, quod ab ipso servari poterat in statu Conjugii, ut scilicet non peteret debitum; ideo ex hoc simplici voto impeditus remanebat pro secundis nuptiis, prima Conjuge mortua, erat enim illud de observanda castitate quantùm poterat.

Ratio producta non valet, quando promissio ab initio est nulla; id enim, quod nullum habuit esse ab initio, secundùm nullam partem subsistit, & secundùm nullam partem, aut modum obligat, nisi promittens aliter clare expresserit.

112 Quod hucusque dicta sunt, intellecta volumus, spectatâ rerum naturâ; potest namque aliunde fieri, quod ingressus in Religionem non sit licitus, nec debeant Sponsalia dissolvi. Hoc evenire posset, ratione scandali evitandi; ad reparandam nempe injuriam Sponsæ, quam defloravit Sponsus. Similiter dicendum est casu, quo quis, primis stantibus Sponsalibus, cum alia contraheret, accedente copula sub spe Conjugii; ut contra Sanchez, aliosque docent veriùs N. P. Andreas, & alii cum Coninck. Ratio est, quia jure antiquo Sponsalia hoc modo inita transibant in nuptias de præsenti, Cap. 15. *Qui de Sponsal.* ergo post Tridentinum, ubi est receptum, sufficient hæc posteriora Sponsalia ad infringenda priora; traditio enim actualia quoddam jus præsefert, ut constat in eo, qui vendidit equum Petro, & iterum vendit, & tradit Paulo, venditio secunda utique prævalet. Jus fortius prævalet minori: in casu fortius est jus Sponsalium posteriorum propter damnum positivum; quod prævalet negativo damno priorum Sponsalium consistente in eo, quod prima Sponsa non ducatur. In Foro exteriori Sententia Judicis staret pro ipsa. Diximus jam quod Sponsalia se habent ad nuptias, sicut ad Professionem ingressus in Religionem: sed qui post ingressum in Religionem peccaret cum puella cum promissione Conjugii, teneretur stare promissioni; ergo etiam qui post Sponsalia peccaret cum alia puella cum promissione Conjugii, teneretur huic stare promissioni.

Sponsalia posteriora, accedente copula, solvunt priora.

Hæc intelligenda sunt, quando consimile delictum non intervenerit in prioribus Sponsalibus; tunc enim illis primis standum est. Hoc idem intelligendum est, si secunda Mulier præcedentium Sponsalium fuerit conscia; cum enim sponte voluerit decipi, nullum jus acquirit. Si autem hæc secunda Sponsalia ex aliquo momento dissolverentur, remaneret contrahens prioribus obligatus; unde si sibi servari fidem Pars postularet prima, deberet eam ipsi servare. N. P. Andreas tenet ex hujusmodi secundis Sponsalibus, in quibus accessit copula sub promissione futuri Conjugii, oriri crimen publicæ honestatis, seu impedimentum publicæ justitiæ; & hoc alii quidam negant.

CONTROVERSIA VIII.

AN POSSINT SPONSALIA MUTUO CONSENSU DISSOLVI.

113 DOctores sub hoc titulo diversas admiscent difficultates de impubertate, & pubertate; ideoque incongruum non est prænotare, qualis sit earum Status, scilicet impubertatis, & pubertatis. Impubertas est hominis ætas a nativitate, seu veriùs ab usu rationis, in quo incipit a brutis discriminari, usque ad quartumdecimum annum in masculo, & in fœmina usque ad duodecimum. Pubertas incipit ab hoc prædicto tempore, quo sufficiens adesse creditur judicium etiam pro gravioribus absolvendis negotiis, inter quæ dubio procul numeratur Status electio.

Status impubertatis, & pubertatis.

Statui Conjugali præmittuntur Sponsalia mutuo consensu roborata, quæ in utroque Foro obligant; recte igitur quæritur, utrum possint eodem mutuo consensu dissolvi.

DICENDUM, libero mutuo consensu legitima dissolvi Sponsalia.

114 PROB. unico fundamento. Omnis contractus solubilis, per eadem principia dissolvi potest, per quæ habuit esse, Cap. *Omnis res* 27. q. 2. — Omnis res per quascumque nascitur causas, per easdem dissolvitur — & est 1. Regula Juris: sed sponsalitios contractus est dissolubilis, & a mutuo consensu suum habet esse; ergo per eumdem mutuum consensum potest dissolvi.

Confirmatur ex Cap. *Ex parte*, *De Sponsalibus*. Sponsalitius contractus est quædam societas ineunda Personarum, data fide, ad instar contractus societatis: sed hujusmodi contractus societatis est remissibilis simplici contrahentium voluntate; ergo — Ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contraxerunt, & postea tandem sibi remittunt — ait Canon, qui assumitur a D. Thoma *in Supplem. quæst.* 43. *art.* 3. *ad* 5.

Explicatur. Jus non resistit prudenti dissolutioni, immo hæc spectat ad Reipublicæ, & Familiarum bonum. Non enim abscondita quæque præscire potest homo, nec prævidere futura; aliqua sæpe deteguntur, quæ ab initio si forent præcognita, aliter fuisset dispositum; & superveniunt aliquando causæ, quæ pariter si fuissent prævisæ, initus non

non fuisset contractus. Hinc oritur concordantia illorum axiomatum, nempe *Prudentis est mutare consilium*, & *Stultus, ut luna, mutatur*. Mutatio dispositionum, iisdem stantibus momentis, levitati adscribenda est. Mutatio, novis accedentibus causis, vel quibusdam noviter detectis occultis, prudentiæ consilium est. Porro inter humanas dispositiones simili varietati subjectas præcipuum habet locum Status electio, maxime per nuptias, quæ sunt immutabiles, ac perpetuæ; quapropter optimum fuit, Sponsalia inducere, matura deliberatione, celebranda, solubilia, & mutabilia prudentiæ regulis. Sponsalium igitur solutio mutuo consensu facta non semper levitati imputatur. Quod si quandoque contingat levitas, patienter tolerandum est, ait laudatus Canon, ut majora evitentur mala.

Quorum mutatio imprudens, aut prudens.

A

B

ADVERSA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

115 OBJIC. I. Non minus jurata constituuntur Sponsalia mutuo consensu, quàm simplicia: sed jurata nequeunt mutuo consensu dissolvi, Cap. *Ex litteris, De Sponsalibus*; ergo neque simplicia.

C

RESP. Duplici distinctione; unâ ex parte motivorum, alterâ ex parte Personarum. Primò itaque potest quis contrahens jurare Sponsalia in commodum Partis; & potest ea jurare ad honorem Dei, ut si pauperem, aut destitutam ducere vellet ob amorem Dei. Secundò. Contrahentes possunt esse puberes, vel impuberes. De hac secunda distinctione dicetur in responsione ad sequentem objectionem. Respondemus modò cum prima distinctione; & ista suum habet fundamentum ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 2., ubi docet, juramentum homini factum in ipsius utilitatem dissolvi posse, illo renunciante, factum verò homini in honorem Dei non posse dissolvi.

Duplex juramentum.

D

Dicimus ergo, Sponsalia jurata, etiam in honorem Dei, mutuo consensu dissolvi. Ratio est, quia juramentum Sponsalibus accedens induit rationem, seu naturam Sponsalium, quæ mutua voluntate renunciantur. Omnis promissio, omneque juramentum in alterius commodum cedens, etsi in honorem Dei, conditionem includit, *si ille non cesserit*; adeoque renunciante Parte, cessat in utroque casu obligatio. Angelicus Doctor laudato loco loquitur de promissione homini facta in honorem Dei simpliciter, ita quod res jurata nullatenus cedat in commodum ipsius hominis; ut cum quis Patri jurat se Monasticam vitam suscepturum.

Juramentum accedens induit naturam principalis.

E

Hinc habes, qui in honorem Dei juravit ducturum unam pauperem indeterminate, potest absque juramenti violatione ducere divitem. Nam juramentum nulli determinate alligatum æquivalet voto, seu transit in votum: votum porro debet esse de meliori bono: Cœlibatus verò est melius bonum, quàm nuptiæ; unde juramentum illud non tenet, & Jurator liber est ac si non jurasset.

116 OBJIC. II. Sicut Sponsalitia promissio inter puberes per mutuam nascitur voluntatem, ita inter impuberes: sed inter impuberes dissolvi non potest per eorumdem voluntatem, Cap. *De illis* 7., *De Desponsat. impuberum*; ergo neque inter puberes; in utrisque enim datur capacitas concessa a natura.

RESP. Spectatis juris naturæ principiis, æqualiter se habent Sponsalia puberes inter, & impuberes. Attento Jure positivo directivo boni communis, & modificativo Juris naturalis, aliter se habent Sponsalia inter illos. In impuberibus, ob ætatis imperfectionem, frequentes contingerent rerum mutationes, & quidem imprudentes, dissonæque gravitati contractus, quæ tractu temporis gravia parere possent inter Familias dissidia; ea propter statuit Jus, expectandam pubertatem, ad quas pervenientes possunt tunc resilire.

Sponsalia impuberum.

Quando pubertatem assecuti impuberes, & cognitis Sponsalibus, statim non reclamant, censentur ea approbare, ac firmare. Illud autem *statim* stat pro triduo, *l. Finali*, *C. De errore Advocat.*, & *l. Finali*, *C. De judiciis*. Si unus ex impuberibus altero priùs pubertatem nanciscatur, potest, non expectata alterius pubertate, reclamare; cum potiatur ætate a Jure statuta. Ex adverso si pubes cum impubere contrahat Sponsalia, tenetur alterius expectare pubertatem, & non potest antea resilire; potest tamen impuber, assecuta pubertate, recedere. Hujus fundamentum habetur ex privilegio facto in favorem impuberum. Est insuper regula aliis etiam contractibus communis, quod Minor contrahens absque Tutoris consensu, possit cum Majore reclamare, & nequeat ipse Major, *l. Non eo minus*, *C. De Procuratoribus*.

Ad dissolvenda Sponsalia impuberum, accedente pubertate, sufficit in Foro Conscientiæ dissensus interior; nam hujus contractus anima est voluntas. In Foro tamen exteriori substitunt Sponsalia interiori dissensu soluta, & per judicem cogi possunt contrahentes; etenim præsumuntur in eadem permanere voluntate. Si contingat, quod impubes dissentiat, renuncietque, in eoque animo perseveret usque ad nactam pubertatem, Sponsalia dissolvuntur; quia perseverantia illa debitæ ætati juncta æquivalet dissensui actuali. Debet tamen esse saltem virtualis perseverantia; non enim sufficit habitualis, sicuti consensus habitualis omnino non constituit contractus. Si verò impubes animum non retractet ante pubertatem, Sponsalia perseverant integra.

117 OBJIC. III. Ejusdem est virtutis consensus expressus verbo, ac facto, seu, ut alii dicunt, tacitus, & expressus, propter regulam Juris, *tacitè*, & *expressè eadem est ratio*: sed mutuus consensus facto expressus non dissolvit Sponsalia; ergo. Probatur minor propositio. Si Sponsus mutet domicilium in regionem proficiscens longinquam, sciente Sponsa, Sponsus tunc renunciat facto, & acceptat facto Sponsa renunciationem; & tamen statim non solvuntur Sponsalia, sed, ut solvantur, biennium est expectandum, quando absentia Sponsi est intra eamdem Provinciam,

eiam, ut statuitur, *l. 2. C. De Sponsalibus*, vel triennium, quando extra Provinciam, *l. 2. C. De repudiis*, vel etiam tantum expectandum est tempus, donec cesset causa, quando absentia necessariæ innititur causæ, *l. Sæpe ff. De Sponsalibus*.

RESP. Concedendo pro præsenti materia propositionem majorem. Ad probationem minoris attendendum est, num scientia Sponsæ sit ex notificatione Sponsi petentis licentiam, & non reclamante Sponsa; vel sit casualis, non petente Sponso licentiam. Si primo modo contingat, non dissolvuntur Sponsalia; quia mutuo consensu eligitur Domicilii mutatio, aut profectio in regionem longinquam. Attendendum est ad dignoscendum quando dissolvantur hæc Sponsalia, an sibi præfixerint determinatum tempus, vel non præfixerint. Si primum; illud est expectandum tempus præfixum. Si secundum; observandæ sunt recitatæ Juris leges.

Absentia Sponsi quando dissolvat Sponsalia.

Quando verò scientia Sponsæ casualis sit, non petitâ a Sponso licentiâ; tunc statim dissolvuntur Sponsalia. Quia recedens Sponsus, ex modo agendi, suo renunciat juri; nec Sponsa tenetur eum sequi, remanetque libera in utroque Foro, nec cogi potest a Judice forensi. Sic habetur decisum Cap. *De illis 5., De Sponsalibus*, ubi -- Qui „ præstito juramento promittunt se aliquas „ mulieres ducturos, & postea dimittunt Ter- „ ram, se ad alias transferentes, liberum „ erit mulieribus ad alia se vota transferre --

Probationi ex laudatis legibus respondent aliqui, Jus Civile fuisse correctum per Jus Canonicum loco mox laudato. Non videtur tamen necessarium ad hoc effugium confugere; quoniam Textus illi sufficientem habent intelligentiam, videlicet, quando Sponsa scit Sponsi discessum ex notificatione, ut diximus, ipsius Sponsi licentiam petentis, & nullum præfixerint tempus determinatum absentiæ.

Hæc subsistunt, quando discessus est in longinquam regionem. Si in propinquam regionem fit discessus cum spe reditus, alia est regula. Tunc ex modo agendi non renunciat Sponsus; nam casus iste facile occurrunt. Unde reditus expectandus est, aut ei certa temporis mensura decernenda. Requisitus Sponsus, & non revertens ex justa causa, non videtur renunciare; adeoque non est deserendus, sed prudentis, vel Judicis judicio, pensatis omnibus circumstantiis, & periculis, rationabile tempus assignandum est, & expectandum.

118 DICES. Conditio servitutis habitandi in hoc, vel illo loco, rejicitur a Legato, & tenet Legatum, *l. Titio centum a., ff. de condit., & demonstr.* ergo quando mutat Sponsus, vel Sponsa, domicilium, Sponsalia non solvuntur, & tenetur alter discedentem sequi.

RESP. Vel conditio loci deducta est in pactum, vel non est deducta. Si in pactum deducta non est; vel secutæ sunt nuptiæ de præsenti, vel non. Si in pactum deducta est conditio, nequit rejici, & promittens tenetur fidem servare. In contractibus de rebus suis possunt omnes apponi conditiones, quæ iniquitatem non sapiunt, Cap. *Verum, De condit. apposit.*, & *l. 2. C. De pactis*: easque

Conditio domicilii quando subsistat.

A potissime sustinent Jura, quando in favorem cedunt nuptiarum, *loco citato*; conditiones verò vanæ, & nullius utilitatis rejiciuntur. Cumque maxime favorabilis sit fœminæ habitatio ubi educata, ubi cognita; ideo Sponsus tenetur fidem de ea servare, & non observans solvere debet interesse, vel appositam pœnam, nec ipsa tenetur illum sequi. Hæc regula communis est aliis contractibus, ut cum quis instituitur hæres cum pacto commorandi in tali loco, vel assumendi nomen talis Familiæ. Hæc porro in Sponsalitio contractu locum habent per se loquendo; si enim res notabiliter mutarentur, nova superveniente causa, ut si pestis grassaretur, si aer

B fieret insalubris, si gravia exorta forent dissidia, tunc pacti virtus cessaret.

Si in pactum non est deducta conditio loci, & nuptiæ sunt secutæ, Uxor virum, & non Vir uxorem sequi tenetur, nisi necessitate compulsa, aliò migrare cogatur mulier; quia Vir caput est mulieris. Itidem si noverat mulier, vagantem esse Virum, debet ipsum sequi, conditionem ejus sustinendo. Si non noverat, vagantem esse, non tenetur; perpetua enim vagatio onus est conjugali obsequio indebitum. Infortunium pariter sibi facere debet mulier commune, si Vir, etiam sine culpa, in exilium mittatur, *l. Si cum do-*

C *tem*, *§. Sin autem*, *ff. soluto matrimonio*; immo pauperem virum exolem tenetur ex bonis particularibus alere, & non solùm ex dotalibus, quibus hujusmodi obligatio conjungitur, ut docent Juristæ, & Canonistæ. Denique virum etiam excommunicatum derelinquere non potest.

119 OBJIC. IV. Non dissolvit Sponsalia qui errore deceptus a tertia Persona consentit solutioni Sponsalium: sed non minus veraciter consentit, qui sic deceptus consentit, quàm qui, nullo prævio errore, consentit; ergo sicut ille non dissolvit Sponsalia, ita nec iste. Major propositio com-

D munis est, & constat; quia sicut consensus ille dare non valet esse Sponsalibus, ita nec etiam potest auferre. Minor videtur certa; nam error a tertia Persona proveniens non tollit voluntarietatem, cum sit casualis, & incidens, eo modo quo metus non tollit.

RESP. Objectio ea involvit difficultates, quæ in contractibus, vi, metu, errore, dolo, celebratis versantur. De his satis agemus in hoc ipso Tractatu VIII. de Matrimonio *Disp. VI.*; idcirco sat est impræsentiarum leges, & regulas referre, quæ a Doctoribus traduntur.

E Dolus, & error, duplex est; alius dans causam contractui; & alter incidens contractui. Primus substantiam afficit, causamque motivam, & finalem includit, & sine ipso contractus non fieret; alter afficit modum, & absque eo adhuc fieret contractus. Quando dolus, seu error dat causam contractui, sive a Parte proveniat, sive a tertia Persona, contractum annullat subsequentem, *l. Et eleganter 7., ff. de dolo*, ubi nulla fit mentio distinctionis doli a Parte dari, vel a tertio. Et sane utrobique eadem est ratio; siquidem utrobique deficit objectum consensus, quod est res sine vitio, res co-

Duplex dolus, seu error.

 gnita,

gnita, cum voluntas non feratur in incognitum. Error autem, seu dolus incidens contractui, & ipsius modum afficiens, non substantiam, non inficit contractum; quia adhuc errore cognito, vel dolo, fieret.

Consensus ex dolo quando subsistat.

Nunc ad argumentum. Sive Pars, sive tertia Persona dolo, errore, deceptione, extorqueat ab aliquo ex Sponsis, vel etiam ab utroque consensum ad dissolvendam sponsalitiam promissionem, non dissolvuntur Sponsalia, quando dolus, aut error fuit causa talis consensus; nam hoc pacto consensus non est sicuti debet esse spontaneus, & voluntarius. Tunc Pars decepta jus habet, ut subsistant Sponsalia; & Pars altera nequit absque noxa recedere. Quod si Compars fuit in causa doli, in hoc etiam peccavit.

Itaque ad dissolvenda Sponsalia consensus debet esse spontaneus, & liber; proinde ab eo debent excludi vis, metus, dolus, fraus, error, preces importunæ, & quidquid impedit voluntarium proprie dictum. Debet dari consensus ex utraque Parte; unde si una resistat, debet altera datam servare fidem.

SYNOPSIS.

QUÆNAM SINT CAUSÆ DANTES JUS SOLVENDI SPONSALIA.

CUm timidæ sint cogitationes hominum, ejusque viæ incertæ providentiæ, non omnia possunt sub primordiis scire, & omnia prævidere, ut superiùs observavimus. Plurima temporis decursu sese offerunt, quæ prudentum consilium obligant in aliud mutare. Hoc potissime accidit in materia nuptiali; ideoque plures Civiles, & Canonicæ Leges conditæ sunt ad dirigendos casus ejus occurrentes. Has in præsentia examinamus, Canonistarum, Juristarum, & Theologorum vestigia sequentes; etenim sine hujusmodi discussione omnia forent implexa.

Generalis regula.

120 Generalis itaque regula est, ut omnis gravis mutatio in Persona, vel circumstantiis, aut extrinsecis accidentibus, quæ si fuisset ante Sponsalia, a viris prudentibus ea non fuissent celebrata, sit causa sufficiens, & justa ad ea dissolvenda; siquidem hujus generis contractus semper conditionem involvunt, stantibus scilicet rebus prout subsistunt. Nec ob hoc transit contractus in conditionatum. Nam sicuti absolute contrahitur secundùm quod res nunc sunt, & habent esse; ita conditio illa intrinseca absolutam rerum naturam non immutat.

Multiplices causæ resiliendi a Sponsalibus.

Porro hujusmodi causæ, aliæ sunt antecedentes, sed ignotæ, quæ postea deteguntur; & aliæ sunt subsequentes, sed nequaquam prævisæ. Rursus hæ subsequentes in duplicem classem dividuntur; aliæ sunt simpliciter ordinis physici, & ab extrinseco absque culpa patientis exortæ; & aliæ ad ordinem spectant moralem, hoc est, supponunt culpam in eo, quem afficiunt. His prænotatis, ut quadam methodo sine confusione procedamus, omnes has causas placet reducere ad quatuor particulares Regulas.

Gravis mutatio antecedens ignota sufficit ad resiliendum.

A 121 PRIMA REGULA. Gravis mutatio antecedens, & ignota, quæ si fuisset cognita, a Viris prudentibus non fuissent celebrata Sponsalia, sufficiens est causa ad dissolvenda Sponsalia.

Hujus rationem jam diximus supra *num. præc.* Constat insuper ex *l. In lege, ff. De contractu emptionis*. Quia res censetur fieri, quando innotescit, proinde non apparere, idem est, ac non esse: sed illa mutatio nunc innotescit: ergo nunc censetur res fieri, scilicet promissio Sponsalitia; atqui si ab initio fuisset cognita, celebrata non fuissent Sponsalia; ergo nunc sufficit ad ea dissolvenda, B cum nunc sciri idem sit ac de novo advenire. Hinc habes

Primò. Si Vir valde nobilis, & valde dives promisit Fœminæ, quam sibi credidit parem, & post Sponsalia novit valde disparem, vel ratione originis, vel ratione divitiarum: non tenetur eam ducere, sed legitime potest Sponsalia dissolvere. Hoc idem dicendum est, si Fœmina valde nobilis, & valde dives promittit Viro, quem sibi parem credidit, & postea valde disparem invenit.

Secundò. Si Sponsus est vitiis irretitus, vel prolem suscepit, & horum cognitio supervenit Sponsæ, jam initis sponsalibus: sufficiens C habet Sponsa momentum resiliendi. Nam indecorum est mulieri honestæ famæ cum Viro vitioso nubere; & si ipse prolem suscepit, adest perennis discordiarum fomes ob quandam contrarietatem in Uxoribus innatam ad prolem a Marito susceptam ex alia esto legitima Conjuge, sive etiam ex metu; ne communia bona in utilitatem prolis priùs susceptæ dissipentur.

Dictum est, *si Vir sit vitiis irretitus*. Si enim absque prolis susceptione aliquoties sit lapsus, non est causa sufficiens dissolvendi Sponsalia; quia apud homines non incongruum censetur tale Conjugium, cum apud D ipsos Viri ob tale crimen non vilescant.

Tertiò. E contra si Sponsa male sit conversata cum alio, & cognitio ejus criminis superveniat Sponso, jam celebratis Sponsalibus, potest Sponsus resilire a Sponsalibus. Etenim in hominum æstimatione probrosum est Viro ducere corruptam; & species quædam bigamiæ contrahitur, tale Conjugium ineundo.

DICES. Can. *Quemadmodum*, *De jurejurando* declarat Pontifex eum — qui jura-
„ vit se ducturum aliquam in Uxorem, non
„ potest ei fornicationem opponere præce-
E „ dentem, sed subsequentem, ut illa non
„ ducat in Conjugem — ergo.

RESP. Loquitur Pontifex quando delictum fuit præcognitum. Sic intelligitur prædictum caput, & sub hac intelligentia ad alias extenditur causas antecedentes graviter mutantes rerum statum.

Quartò. Si Vir promittat Viduæ ex Conjugio rato, quam virginem supponit, & detegat talem non esse: justam habet causam resiliendi; facta est enim notabilis mutatio ex parte Viri, cum vilioris sit æstimationis Vidua, & contrahatur defectus bigamiæ per hujusmodi nuptias.

122 Di-

Quædam exceptio.

122 Dicta subsistunt, quando eo animo erant dispositi, quod non contraxissent, si ab initio eos scivissent defectus. Si verò ita erant affecti, ut nihilosecius contraxissent: tunc superveniens cognitio non officit; nam error tunc est incidens, non lædens voluntarium, nec contractum infirmans.

In dubio circa mox dictam animi dispositionem, favor, & possessio stat pro innocente. Cognitio itaque defectuum superveniens jus impertitur ipsi innocenti ad resiliendum. Ipso facto non dissolvuntur Sponsalia: siquidem errores hujusmodi non versantur circa nuptiarum substantiam, quæ consistit in Personis habilibus ad earumdem finem, sed referuntur ad qualitates, cum quibus est componibilis affectio ad substantiam; proinde dant jus ad recedendum, & non statim irritant; nisi illæ qualitates taliter essent expresse volitæ, ut transirent in substantiam.

Alia exceptio.

123 Itidem dicta subsistunt, si post habitam defectus cognitionem, jus habens resiliendi non ratificet promissionem; nam ratificatio novo æquivalet contractui; & tunc absque nova superveniente causa nequit resilire. Porro ratificatio fit expressis verbis, aut facto, ut si ante dissoluta Sponsalia Pars innocens turpiter cohabitaret cum Comparte. Tunc jus omne amittit, & legum favori abrenunciat, sive id egerit animo ratificandi, sive non; ipsum enim factum ratificat. Si verò post dissoluta Sponsalia accidat turpitudo, non est positivum argumentum voluntatis redeundi ad priora Sponsalia.

Ratificatio duplex.

Quinam defectus manifestandi.

124 Defectus ad Sponsalia prævii, qui post Sponsalia cogniti dant jus resiliendi, in duplici sunt differentia. Alii sunt probrosi, vel reddentes graviter incommodas nuptias; ut sanguinis infectio, ab Hæreticis descendentia, lepra, paralysis, morbus gallicus &c. Alii non sunt probrosi, nec valde incommodum efficiunt nuptiale onus; ut aliqua deformitas, ignobilitas &c. Quando defectus sunt primi generis nequeunt occultari, nec sine manifestatione fas est inire Sponsalia, & multo minus Conjugium; & quidem sub lethali obligatione. Ratio hujus est, quia nemo sibi consulere potest cum positivo gravi damno alterius. In casu grave damnum positivum alteri sequitur; siquidem odiosa efficitur socialis cohabitatio, aliàs perpetua, rixosa, probrosa, indecora filiorum educationi &c. Quemadmodum ergo in ceteris contractibus occulti defectus noxii sub lethali, ex regulis justitiæ, manifestandi sunt; ita etiam in præsenti contractu. Imputet sibi Pars rea, si in eos ex culpa inciderit defectus; vel infortunio imputet, si ab extrinseco advenerint.

Quales, & quomodo defectus possint occultari.

Si defectus occulti alterius sint ordinis, poterit Pars vitiata licite Sponsalia contrahere, eorumque urgere executionem, quando simpliciter procedat occultando, non malitiose fingendo oppositum, nec artificiose negando interrogata (unusquisque enim jus habet ne decipiatur in contractibus) & non prævideat, nec timeat prudentialiter, eos, contractis nuptiis, detegendos, vel detectos gravia non parituros inconvenientia, insuper & Compars nec exceptionem, nec objectionem faciat. Nemo enim tenetur se ipsum infamare, suosque defectus propalare; & jus habet unusquisque absque alterius injuria sibi providere; nam e re alterius est de hujusmodi defectibus inquirere, cum soleant in communi usu agendi a contrahentibus percunctari, & communiter innotescat quod subesse possunt, & sæpe occultari.

Mutatio gravis antecedenter nota non sufficit ad resiliendum.

125 SECUNDA REGULA. Gravis mutatio antecedens, & non incognita, sed nota ante Sponsalia, non est causa sufficiens per se loquendo ad dissolvenda Sponsalia.

Huc spectat Canon *Quemadmodum*, *De jurejurando* -- Qui juravit se ducturum aliquam in Uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in Conjugem -- ubi Pontifex loquitur quando delictum fuit præcognitum; & ut diximus *num.* 120, hæc causa ad alias etiam extenditur antecedentes, quæ rerum naturam graviter immutant. Et sane unusquisque sui Dominus est, & se ipsum potest cui voluerit tradere absque Creatoris injuria absolutum habentis dominium; ergo licite se tradit unus alteri quem scit gravi defectu irretitum; atqui si licite & scienter se tradit, tenetur, per se, datam servare fidem; ergo nequit a promissione recedere.

Hinc habes, si Vir, vel Fœmina promisit alteri Parti, quam sciebat valde sibi disparem, vel ratione originis, vel ratione divitiarum, aut vitiis irretitam &c., tenetur per se loquendo nuptias contrahere, & non potest Sponsalia dissolvere.

DICES. Qui pro merce promittit venditori, vel pro actu turpi promittit prostitutæ pecuniam valde excedentem, non tenetur ad excessum, sed solummodo ad æquale; ergo etiam in casu non tenetur Vir fidem servare valde dispari datam, sed sufficit ei æqualitatem servare, eam dotando; utrobique enim datur imprudentia, & prodigalitas, & Creatoris injuria.

Substantialis æqualitas Sponsalium.

RESP. Paritas non urget. Siquidem non promittit spondens se ipsum in pretium; non enim contractus Sponsalium est contractus venditionis, & emptionis, sed spontanea, & simpliciter liberalis promissio. Substantialis æqualitas consistit in Personis ut habilibus ad finem Sponsalium; & ista servatur. Paupertas, ignobilitas, & ex adverso divitiæ, & nobilitas, sunt conditiones Personæ, & accidentales qualitates. In relatis exemplis pecunia illa excedens datur in pretium; propterea reduci debet ad æqualitatem secundùm justitiæ regulas. Quantùm ad secundum exemplum sunt Doctores, qui volunt, promittentem teneri etiam ad excessum.

126 Diximus *per se loquendo*, idest attentâ rerum naturâ. Nam si ex hujusmodi nuptiis valde disparibus grave oriretur scandalum, gravesque discordiæ inter Familias excitarentur; tunc Promissor non tenetur, nec debet, stare promissis, & fidem servare, cum sit de re illicita, quæ absque peccato nequit compleri. Hoc idem dicendum, etiamsi promissio foret juramento firmata; ne-

nequit enim juramentum esse vinculum iniquitatis.

Gravis mutatio physica subsequens quando sufficiat ad resiliendum.

127 TERTIA REGULA. Mutatio spectans ad ordinem physicum, & Sponsalia subsequens, adeo gravis, ut prævisa meritò, & rationabiliter moveret prudentes, eosque retraheret a contractu, est causa sufficiens dissolvendi Sponsalia.

Fundamentum hujus est idem ac illud præunitum sub generali Regula *num.* 120. Capite *Quemadmodum* 25. *De jurejurando* aliquæ describuntur hujusmodi causæ physicæ -- Quod si post hujusmodi juramentum „ mulier fieret non solùm leprosa, sed etiam „ paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, „ numquid Vir teneretur eam ducere in „ Uxorem? profectò ductam non posset di„ mittere -- Ad hos defectus revocantur aliæ infirmitates, morbique, ut gallicus, malaolentia oris, deformitas per amissionem pristinæ venustatis. Hæc notabiliter mutant in hac materia rerum statum: societati nuptiali gravamen inferunt, perpetuas gignunt displicentias; proindeque sufficiunt ad dissolvenda Sponsalia. Doctrina hujusmodi communis est.

Status paupertatis, vel divitiarum.

128 Ad hoc caput revocatur Status paupertatis, & divitiarum, qui sub triplici combinatione potest considerari. I. Si unus cadat a Statu divitiarum in paupertatem. II. Si ambo pauperes evadant. III. Si unus ascendat ad divitias notabiliter majores. Aliqui Doctores, inter quos N. P. Andreas, propugnant, in omnibus hisce casibus subesse sufficientem causam dissolvendi Sponsalia propter notabilem mutationem.

In primo casu totum onus Familiæ sustentandæ in unum ex Sponsis revocatur. Multo magis augescit mutatio, si paupertas sit ex parte Sponsæ; nam omnia ipsius bona computantur pro dote, sive formaliter, sive reductive, cum semper ad onera deserviant allevianda.

In secundo casu licèt interveniat quædam compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius, revera tamen difficilius redditur nuptiale onus ex utriusque indigentia. Hujusmodi compensatio ad hoc deservit, quod si unus ex Sponsis velit alteri pauperi nubere, tenetur priorem servare fidem; etenim in pari casu melior est conditio possidentis.

In tertio casu respectu divitis efficitur durior Sponsalium adimpletio, stante illa divitiarum affluentia, quæ si contractum præcessisset, nequaquam promisisset. Alii Doctores docent, augmentum illud divitiarum non esse sufficiens ad dissolvenda Sponsalia; quia nulla intercedit deceptio ex parte alterius, & solùm facta est mutatio ex parte sui, in quem non fertur intentio, & consensus. Adducunt exemplum; si Petrus equum promittit venditurum Paulo pretio justo, & tempore traditionis valor augescit; hæc valoris mutatio non officit, sed suam habet contractus firmitatem.

129 In ordine physico referre possumus impedimenta nuptiarum dirimentia: cum possint supervenire, etiam inculpabiliter; resolutio tamen fere eadem est ac si culpa adesset. Itaque indubie ex parte utriusque dissolvuntur Sponsalia per impedimentum dirimens; quia cum eo est impossibilis Sponsalium executio, scilicet nuptialis contractus, & ad impossibile nemo tenetur.

Impedimentum dirimens Conjugium sufficit ad resiliendum.

Hinc fit quod Pars innocens expectare non tenetur dispensationem, aut oblatam acceptare; jam enim acquisivit illa jus resiliendi, & libera facta est. Si tamen dispensationem requirat eadem Pars innocens, tenetur altera eam petere, diligentias adhibendo, & expensas. Ratio est, quia apponens impedimentum lædit jus alterius: adeoque tenetur illud reparare modo quo est communiter reparabile; porro Pars innocens jus habet ad executionem Sponsalium, & ne efficiatur inhabilis; ac proinde habet jus ut amoveantur impedimenta, quod fit per dispensationem. Apud omnes illud compertum est, quod si innocens ex dissolutione Sponsalium damnum patiatur, aut propter peccatum commissum, aut propter infamiam resultantem, vel quid simile, tenetur alter ex generali regula dispensationem sollicitare.

DICES cum Sanchez *lib.* 1. *disp.* 56. Promissio subsistere intelligitur, rebus invariatis; ergo cum in casu res non sint ejusdem conditionis, jam plane fit, nullam adesse obligationem.

RESP. Prædicta verificari si mutatio habeatur fortuitò; secus si ex culpa contrahentis. In casu ex culpa impedimentum subortum est; ergo tenetur Pars rea illud tollere, cum nemo jus habeat alterum lædendi.

DICES II. Dispensatio est beneficium Principis; porro nemo tenetur illud petere, cum dicat exemptionem a legibus.

RESP. Ultro concedimus, neminem absolute adstringi ad expetendam dispensationem; tenetur tamen damnificans, si ea sit necessaria ad reparandum damnum alteri illatum; ut in casu.

DICES III. Nemo tenetur cum gravi incommodo servare promissa.

RESP. Si incommodum, expensarum mensuram excedat, & laboris, taxatam in ea linea, utique absolvitur Promittens ab obligatione; secus si non excedat, potissimùm cum agitur de reparando violato jure, læsa Parte instante. Et sane Adversarii in eam confluunt Sententiam, ut dispensationem petere reus teneatur, si facilis sit, si moderatæ expensæ, si mora brevis, & ad hoc obligatos intelligi contrahentes. Ergo cum incommodum, ex prudentiæ regulis æquum, & rationabile, non excessivum judicetur, ad hoc subeundum dubio procul obligabitur.

Sufficit etiam impedimentum impediens.

130 Impedimentum non dirimens, sed solùm impediens nuptias, sufficit ad resiliendum ex parte innocentis. Non dissolvit tamen immediate Sponsalia; quia licet nuptiis obstet exequendis; vim tamen non habet sufficientem ad ea dissolvenda, quam habebat causa integra. Excipienda sunt ab hoc capite impedimenta provenientia ex voto Religionis, vel Castitatis, ex ingressu in Religionem, & ex crimine hæresis.

131 Quæ-

131 QUÆRES. Si superveniente impedimento dissolvente Sponsalia, contrahant Sponsi de novo, vel priora ratificent sub hac conditione, *si Papa dispenset*, teneant ne hæc Sponsalia?

RESP. Tenent prædicta Sponsalia sub regulis conditionati contractus; unde, purificata conditione, transeunt in absoluta, absque novo consensu, & fundant honestatis impedimentum; ac proinde nequeunt Sponsi resilire, nisi nova accedente causa. Fundamentum habes ex solemni principio apud Jurisconsultos, quod actus factus tempore inhabili, relatus ad habile tempus, valet pro illo; quare promissio illa sponsalitia prorogatur ad tempus, in quo licita est executio.

132 QUARTA REGULA. Defectus morales Sponsalia subsequentes eo modo sufficiunt ad ea dissolvenda, quo dictum est jam de physicis defectibus.

Defectus morales subsequentes.

Doctrina communis est, quod crimen hæresis, delictum, ex quo infamia consurgit, læsio famæ, honorisque, odium, discordiæ inter Familias, sævitia Sponsi, & quæcumque alia propter quæ fieri potest thori separatio, dissolvunt Sponsalia, & sufficiunt ad resiliendum.

133 Inter hæc delicta computatur peccatum fornicationis, ob violatam fidem; unde Pars innocens potest recedere. Hoc verum est, quamquam Sponsa fuerit vi oppressa; nam in hominum æstimatione vilior facta est, & cedit in exprobrosum dedecus Viri, ut colligitur ex Cap. *Raptor* 27. *q.* 1.

Ob fornicationem alterius potest innocens resilire.

DICES. Hoc pugnat cum Cap. *Desponsatas* 27. *q.* 1., ubi raptas, & quæ vim passa est, reddi jubetur.

RESP. Caput illud loquitur expresse de desponsatis per verbum de præsenti, & vere nuptis. Ceterum notes velim, mulierem non rejici, quia rea, sed quia vilior facta est. Nec officit, hoc non sufficere ad thori separationem inter nuptos. Nam quid majus requiritur ad thori separationem, quàm ad dissolvenda Sponsalia.

134 Si contingat utrumque labe forpicaria infici, dicunt nonnulli, quod Vir resilire potest; quia licèt sint æquales in fidei fractione, Sponsa tamen facta est vilior, & exprobrosa Sponso. Fœmina verò non habet jus, dicunt illi, resiliendi; quia non tanti fit hoc delictum in homine, nec ad dedecus reputatur, quamvis prior deliquerit. Unde colligunt, quod si Vir exigat mandari Sponsalia executioni, tenetur Sponsa; secus ipse, si illa exigat.

Quid dicendum si uterque sit fornicatus.

Sub eadem regula volunt iidem Doctores, quod in Fœmina, sola oscula, actusque impudici cum alio, sufficiant ad dissolvenda Sponsalia ex parte Viri; secus ex parte Fœminæ, si a Viro exerceantur cum alia. Si tamen ob nimiam frequentiam in Viro gravis generetur suscipio, quod nuptus fracturus sit fidem; tunc volunt dari ex parte Fœminæ causam sufficientem dissolvendi Sponsalia.

Oscula etc. sufficiant ad resiliendum.

Alia Sententia docet, quod in casu ex nulla parte datur causa sufficiens. Motivum est, quia in eo quod est principale, sunt ambo æquales, scilicet, in fractione fidei: major, aut minor disconvenientia, accidentalis est; adeoque aut ex parte nullius, aut ex parte utriusque æqualiter urgere debet causa. Hoc apto clarescet exemplo. Nupti si ambo frangunt sibi fidem, faciunt sibi compensationem, ita quod nullus potest alium a thoro excludere; & tamen lapsus in Fœmina turpior est, eamque viliorem efficit; & hoc verum est, quia principale quod est fides, in utroque fractum est.

Hæc secundà opinio videtur plausibilior. Ad illud de osculis, fatemur, ut quid turpius censeri in Fœminis apud vulgarem æstimationem; nihilosecius in Viro sunt quid gravius, cum Vir sit caput mulieris.

CONTROVERSIA ULTIMA.

AN EXISTENTIBUS LEGITIMIS CAUSIS RESILIENDI A SPONSALIBUS POSSINT SPONSI RESILIRE ABSQUE JUDICIS AUCTORITATE.

135 Causæ enumeratæ in præcedenti Synopsi sive antecedentes, sive subsequentes Sponsalia, aliæ ipso facto dirimunt Sponsalia, ut nuptiæ cum alia Persona celebratæ, impedimentum dirimens, assumptio ad Ordines Sacros, ingressus in Religionem; aliæ ipso facto non dissolvunt, sed jus tantummodo præstant resiliendi. Loquendo de primis non desideratur Judicis Sententia. Sunt enim impossibiliter conjungibiles cum Connubio; sed ad impossibile nemo tenetur, nec ulla auctoritate obligari potest; ergo nullius Judicis Sententia est exquirenda. Pro ipsis neque etiam declaratoria requiritur Sententia Judicis; nam, cognità harum causarum naturà, sequitur, evidentià illationis, Sponsaliorum dissolutio. Difficultas itaque Controversiæ ad secundas causas solummodo devolvitur, non ad primas.

DICENDUM quod ad dissolvenda Sponsalia ob causas præbentes jus resiliendi sæpe requiritur Judicis Sententia.

136 PROB. I. auctoritate D. Thomæ *in Supplem. quæst.* 43. *art.* 3. *in corp.*, ubi ait — In omnibus prædictis casibus Sponsalia „ contracta dirimuntur, sed diverso modo, „ quia in duobus, scilicet, cum quis ad Religionem confugit, & cum alter Conjugum cum altero per verba de præsenti „ contrahit, ipso jure Sponsalia dirimuntur; „ sed in aliis casibus dirimi debent secundùm „ judicium Ecclesiæ — Et sane instituit Ecclesia speciale Tribunal super causas matrimoniales, quia plerique casus occurrunt judicialem discussionem expostulantes: item inseruit super hac re titulos plures in corpore Juris. Jus civile etiam condidit Sanctiones plurimas pro judicibus dirigendis. Hæc omnia necessitatem recursus ad Sententiam Judicis abunde declarant.

Judicium Ecclesiæ in Sponsalibus.

137 PROB. II. Quotiescunque ex privata Sponsalium dissolutione exoritur scandalum, Ecclesiæ satisfaciendum est, illud auferendo: sed hoc fieri nequit, nisi per ejusdem Ecclesiæ judicium; ergo. Major propositio

positio constat. Sæpe enim publica sunt Sponsalia, & causa resiliendi non est cognita; unde fit, ut privatim a promissis recedendo, suspiciones emergant, oblocutiones, diffamationes, jurgia. Minor ex se est evidens. Nam scandala publica ex contractibus orta, potestate publica debent auferri, nec aliter hominum mentes judiciis sinistris affectæ possunt suaderi, quàm per latam Sententiam mediis allegatis, & probatis. Hoc ita verum est, quod etiam si ab initio Sponsalia fuerint nulla, interpellandus est Judex, si ex dissolutione, seu ex privato recessu sequantur scandala. Judex autem debet esse Ecclesiasticus jurisdictionem habens in Foro externo; propterea Parochus huic muneri impar est.

Per Ecclesiæ judicium scandala auferuntur.

138 PROB. III. Sæpe resiliendi causæ sunt dubiæ, & incertæ: sed tunc necessarius est recursus ad Judicem; ergo sæpe non possunt irritari Sponsalia absque Judicis Sententia. Major ob diversas oppositas æque fundatas opiniones certa est; nam ex ipsis opinionibus oritur incertitudo juris, & confusio, & quidem rationabilis ob rationabiles opinantium contrarietates. Sæpe stante juris certitudine, facti consurgit incertitudo, eo quod non clare cognoscitur, utrum res ita sit, ita acciderit. Minor est facilis intelligentiæ. Etenim in contractu juris mutui, mutuæque utilitatis, nemo innixus incerto juri, vel facto, absque peccato recedere potest in præjudicium alterius, qui est in possessione ex vi contractus ab initio legitime initi; unde ad Tribunal justitiæ confugiendum est, quod omnibus expensis circumstantiis juxta leges tribuat unicuique suum.

Jure incerto, expectanda Judicis Sententia.

139 PROB. IV. Non rarò, celebratis Sponsalibus, variantur, & mutantur affectus ex qualitate bujusce materiæ dotibus naturalibus innixæ, maxime extrinsecis, propter quas Persona, quæ nunc placet, postea displicet, & fit quod leves causæ concipiuntur ut magnæ, & exaggeratorio proclamantur sermone: atqui in hisce casibus proprium judicium non est aptum Tribunal, utpote corruptum ab animi turbatione, & ab affectus pondere: siquidem amaro palato dulcia quoque amare sapiunt; ergo ad Ecclesiasticum confugiendum est.

Hominum affectus sæpe varii.

140 PROB. V. Quod communi bono deservit, adoptandum est: sed recursus ad Ecclesiam pro dissolvendis Sponsalibus communi bono deservit; ergo adoptandus est. Ostenditur minor propositio. Accidit quod causæ dolose apponantur, quod Pars altera falsis opprimatur momentis, quod æquivocæ implicentur conditiones: spectat autem ad bonum commune, quod horum judicium non concedatur partibus, ad detegendos dolos, ad audaces comprimendos, ad firmandam in contractibus veritatem, præcipue onerosis, & perpetuis; ergo ad Ecclesiam faciendus est recursus.

Judicium Ecclesiæ deservit bono communi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

141 OBJIC. I. Ut plurimùm occulte celebrantur Sponsalia: sed ad hæc dissolvenda nequit Judex interpellari, cum ad hæc, utpote clandestina, jurisdictionem non habeat Ecclesia; ergo plerumque necessarium non est Ecclesiæ judicium.

RESP. negando minorem. Contractus Sponsalium occulte celebratus, videlicet absque præsentia Ministri Ecclesiæ, utique subditur ejusdem jurisdictioni, cujus regulis dirigitur. Sponsalium contractus est via ad nuptias contrahendas in facie Ecclesiæ; proinde ad ejus Tribunal spectat. Nec Ecclesia supra matrimoniales causas habet jurisdictionem, quia clandestinæ non sunt; sed illum habet a sua dignitate, & universalitate potestatis supra Fideles. Nuptiæ ideo esse non debent clandestinæ; quia sic Ecclesia constituit, Si ergo Sponsalia occulte celebrata nequeunt absque scandalo privatim dissolvi, vel si litigiosæ sunt causæ; procul dubio judicio Ecclesiæ sunt dirimenda.

Etiam occulta Sponsalia subduntur Ecclesiæ.

142 OBJIC. II. Sæpe causa est occulta, quæ in judicio probari non potest: sed tunc ad Judicem deferri non debet: quia gravaretur innocens, cum Sententiæ sibi inofficiosæ, & noxiæ, stare deberet; ergo recursus ad Judicem non est admittendus.

RESP. Si instet Pars rea, vel affecta causæ præbenti jus alteri ad resiliendum, ut ei servetur fides, & scandalum oriatur ex dissolutione privata Sponsalium, Judex est interpellandus. Similiter si urgeat Pars rea apud Judicem, tenetur innocens subire judicium, & sententiæ obtemperare. Si tamen certus sit innocens de veritate causæ; tunc habet jus ad declinandam, legitimis mediis, executionem Sententiæ, utpote quæ falsæ innititur præsumptioni, ac proinde conscientiam non ligat; sicut certus de sua re apud alium existente, a quo non potest per Sententiam recuperare, potest eam artificiis eripere. Si verò nec scandalum immineat, nec instet Pars rea apud Judicem; tunc alter certus de causa recedere valet a Sponsalibus.

Quandoque non est standū Sententiæ.

143 OBJIC. III. Instantia apud Judicem pro dissolvendis Sponsalibus revelare debet alterius defectus: sed hoc est illicitum; ergo ad praxim non est deducenda. Explicatur assumptum. Dissolutionis causa plerumque est culpabilis, scilicet defloratio, ignobilitas occulta, secretum sanguinis vitium, infirmitas probrosa &c. sed hæc referre ad publicum Tribunal in dedecus Personæ vergit, & Familiæ; ergo.

RESP. In casu servanda est regula Evangelii *Matth.* 18., & Juris. Primò præmonenda est Pars rea per semetipsum, vel per Parentes, aut Amicos. Si nihilominus instet, minari debet publicum judicium. Si adhuc persistens deducatur ad Forum, & notetur infamiâ, sibi imputet; quia delatio hujusmodi fuit defensio proprii juris, non autem accusatio, & intentata honoris violatio.

Quid agendum ne alterius fama lædatur.

144 OBJIC. IV. Quod notabiliter aggravat

gravat innocentem, & ipsi perturbationem parit, alienum est ab æquitate: sed instantia apud Tribunal notabiliter aggravat innocentem: quia necessariò sunt plures idonei Testes providendi, in quibus quærendis labor non raro exigitur, & pecunia: e contra in privata dissolutione unus Testis sufficit non suspectus doli, quamquam non sit juratus, sufficitque publica fama; ergo.

RESP. Quando vel uterque, vel Pars accusata rem fatetur, tunc necessaria non est ulterior testificatio. Si vero sola Pars accusans testificetur, non sufficit hæc testificatio; non enim in causa propria, & in gravamen alterius ei credendum est. Porro prænotandum est, quod impedimenta præbentia jus resiliendi sunt in duplici differentia; alia sunt, cum quibus Sponsalium executio est illicita, puta, Castitatis votum; alia sunt, cum quibus illicita non est eorum executio, ut divitiarum carentia.

Quandonam, & quot requirantur Testes.

Si impedimenta sint primi generis, sat est unus ocularis Testis, & juratus; quia agitur de peccato præcavendo; Cap *Præterea* 12. *De Sponsal.*, & Cap. *Super eo* 22., Cap. *Licèt ex quadam*, tit. *de Testibus*. Triplex tamen casus ab hac regula excipiendus est. Primò, quando Sponsalia sunt jurata; secundò quando unus Testis nolit nomen suum prodere; tertiò quando Sponsalia sunt per verba de præsenti. In his casibus duo requiruntur Testes; eruitur hoc de primo ex laudatis Capitulis, de secundo ex Cap. *Præterea*, de tertio ex duobus Capitibus sub titulo *De Testibus*. Ceterum etiam in juratis unus sufficit Testis, dummodo sit juratus ocularis, & nomen suum manifestet. Sufficit etiam in juratis fama ex fide dignis testificantibus de impedimento pro Foro contentioso; ex Cap. *Super eo* 12. *De consanguinit.*, *& affinit.*, dummodo tamen Pars litigans oppositum non probet per Testes, ut colligitur ex Cap. *Cum in tua*, *De Sponsalibus*. Fama hæc non tantùm debet esse notoria, sed juridice probata; quia Judex non ducitur personali scientiâ, sed allegatis, & probatis.

Si impedimenta sint secundi ordinis, ea scilicet, quibus stantibus, licita est Sponsalium executio, requirunt communiùs Doctores duos Testes ex certa scientia deponentes cum juramento ad regulam ceterorum, in quibus alterius urget præjudicium, dicente Scriptura, *In ore duorum, vel trium Testium stet omne Verbum* Matth. 18. v. 16. Aliqui Doctores probabilem ducunt opinionem Paludani affirmantis, etiam in istis casibus unum sufficere Testem juratum. Hæc opinio sic probatur. Valde durum est, Virum ingenuum auctoritate illius Testis de crimine certum compellere ad criminosam ducendam Fœminam, quam honestam existimabat: hujusmodi enim nuptiæ infelices plerumque producunt exitus: unde si consuleretur Episcopus, num talis teneretur in conscientia, responderet negative; ergo Testis ille sufficeret etiam in judicio.

145 OBJIC. V. Omnis exceptio firmat regulam in contrarium: sed ad Ecclesiam recurrendum est pro sola juramenti dispensatione, quando jurata sunt Sponsalia, Cap. *Si verò*, *De jurejurando*, ergo non est necesse pro dissolvendis Sponsalibus Sententiam Judicis exquirere.

RESP. Non colligitur ex laudato capite argumentum exceptivum. Pontifex ibi absolute declarat — Non est tutum contra juramentum venire, nisi tale sit quod servatum in interitum vergat salutis æternæ — quod utique verissimum est.

Occasione tamen hujus Canonis lis exorta est, an dissolutis Sponsalibus, quæ fuerant jurata, sit necesse ad Ecclesiam recurrere pro juramento dispensando. Affirmat Soto allegans prælaudatum Canonem. Verùm negandum est cum aliis, propter communem regulam sæpe productam, quod juramentum afficiens contractum, ejusdem naturam induit, & conditiones; unde si contractus est licitus, est etiam licitum juramentum; si ille habet esse subsistens, & hoc subsistit; sicut & oppositum. Caput autem *Si verò* agit de juramento absoluto, non de illo, quod adjacet, afficitque contractum.

Juramentum afficiens contractum nullum non indiget dispensatione.

APPENDIX.

RESOLVUNTUR QUIDAM CASUS PRACTICI CONSECTANEI AD PRÆCEDENTES CONTROVERSIAS.

146 PRIMUS CASUS. Cajus exteriùs seriò coram Testibus promisit Bertæ, sed interiùs simulate promisit. Exquisitus a Parentibus Bertæ, ut staret promissis, recusavit. Ad Episcopum accusatus, & coram Testibus judicialiter interrogatus, promissionem inficiatus est; & propter hanc causam Confessarius illi absolutionem denegavit. Iterum accusatus sub novo testimonio confessus est, se promisisse, sed ficte; cum verò fictionem probare non posset, Sententia lata est, ut eam duceret; cumque executionem differret, ipsum repulit Parochus a Communione Paschali.

RESP. quod Cajus lethaliter peccavit ficte promittendo; & si quod secutum est damnum, tenetur ad ipsius reparationem. Etiam graviter deliquit negando Judici veritatem; nam legitime fuit interrogatus de re in præjudicium tertii vergente. Nec valet, quod ficta promissio censeatur nulla; nam vera fuit exterior promissio, & exteriora sunt materia propria Fori judicialis; cum autem de ista exteriori promissione, quam Testes affirmabant, fuerit interrogatus, hanc fateri debebat.

Judex in Cajum postea confitentem, ficte promisisse, juste secundùm allegata, & probata, Sententiam dixit; non enim tenetur in propria causa, & alteri præjudiciali credere. Quia tamen Sententia falsæ innititur præsumptioni, non obligat; unde eam potest Cajus justis artificiis declinare; sed si inevitabile subsit scandalum tenetur obedire.

Parochus, si Cajum ob scandalum repulit a Communione Paschali, optimo jure laudandus est.

147 SECUNDUS CASUS. Cajus promisit Bertæ animo non se obligandi, voluntatem tamen habuit verba proferendi externa, quibus in facie Ecclesiæ contrahuntur Sponsalia. Volentem absque alia causa a Sponsalibus resilire noluit Parochus ad Sacramenta admittere duobus innixus sequentibus exemplis. Primò. Clericus exteriùs volens Sacrum suscipere Ordinem absque interiori animo observandi continentiam, ad eam nihilominus tenetur. Secundò. Baptismus subsistit, & Baptizatus tenetur ad Evangelicæ, & Ecclesiasticæ Legis observantiam, si Hæreticus baptizet utendo Christi verbis, sed cum animo non faciendi Baptizatum Ecclesiæ Romanæ Filium. Itaque Cajus etiam volens exteriùs Sponsalia contrahere per verba, quibus communiter contrahuntur in facie Ecclesiæ, tenetur fidem servare, licèt non habuerit animum se obligandi. Ratio utrobique eadem est. Nam, cum in verbis exterioribus communiter acceptis contineatur vis obligatoria, volens ea sic proferre, vult se obligare; & hæc voluntas est reflexiva, & priorem retractat voluntatem; sicut quia Baptismus per verba Christi collatus facit Filios Ecclesiæ, volens sic baptizare, hoc idem vult, & hæc voluntas retractat priorem.

RESP. cum distinctione. Vel sciebat Cajus, in exterioribus verbis contineri per communem acceptationem obligationem, & in facie Ecclesiæ acceptari Sponsalia ut obligatoria; vel non sciebat. Si hoc secundum, claudicant Sponsalia, & non tenetur Cajus stare promissis, sed sola damna reparare, si quæ sunt secuta; & Parochus nequit ei Sacramenta denegare. Si primum, tenetur Cajus fidem servare. Nam posterius velle est reflexivum supra priorem animum se non obligandi; porro ex duabus voluntatibus prævalet reflexiva supra aliam. Itidem universalior voluntas prævalet particulari; voluntas autem proferendi verba obligatoria, prout communiter accipiuntur, est universalior. Parochus igitur tunc juste ipsum repulit a Communione; & ad hoc evincendum producta deservire possunt exempla.

148 TERTIUS CASUS. Cajus ad peccatum induxit Bertam, ficta nuptiarum promissione, & suscepta ab ea prole, negavit stare promissis, obligans se ad alimenta prolis. Instabat illa ad fidem servandam, offerebat alter pecuniæ summam; acceptavit, & cedit Berta. Hoc ut novit Parochus, utrumque a Paschali Communione repulit, donec fidem servent sibi datam; & hoc fecit propter damnum prolis, quod reparari nequit, nisi per nuptias illam legitimando.

RESP. Duo sunt impræsentiarum consideranda; ea nempe, quæ per se, seu intrinseca sunt rei; & ea, quæ per accidens, seu extrinsece se habent. Attentis, quæ sunt per se, indubie debet Cajus ducere Bertam, ad reparandum prolis intrinsecum damnum, quod fieri non potest, nisi per Conjugium, quo legitima evadit proles. Nec justitiæ fit satis ministrando alimenta; siquidem secundùm Reipublicæ leges majus est damnum natale illegitimum, & spurium. Potest quidem Fœmina juri suo cedere quoad injuriam, quam ipsa passa est; sed juri prolis, quæ ad plura remanet inhabilis ob originis defectum, nequit cedere. Spectatis autem iis, quæ sunt per accidens, quatenus scilicet prudenter futura timentur scandala, & quidem gravia, ut perpetua inter Familias dissidia; tunc cessat obligatio, & proli consulendum est meliori possibili modo. Cum talia non prævideri Parochus secutura inconvenientia, meritò eis Paschale denegavit beneficium.

149 QUARTUS CASUS. Cajus effræni passione actus promisit coram duobus Testibus, intra mensem ducere Bertam; & ista repromisit. Elapso verò mense, urget Berta pro executione Sponsalium; & negat Cajus dicens, se non advertisse tunc temporis quid ageret, nec consensisse promissioni, & addit juramentum. Illa certiorem facit Parochum; & Parochus declarat, teneri Cajum, nec posse absolvi donec servet Sponsalia.

RESP. Duo hic distinguenda sunt; Forum nempe Ecclesiæ externum; & internum conscientiæ contrahentium. In Foro externo remanet Cajus Sponsalibus obstrictus. Nam certò constat de exteriori promissione Testibus firmata, & ad ipsum spectat defectum probare sufficientis advertentiæ, & consensus; hoc autem non evincitur per juramentum: etenim ex regulis juris juranti non creditur in causa propria vergente in damnum alterius. Cum ad hoc respexerit Parochus, denegavit absolutionem.

In Foro interno conscientiæ plane dubia, & difficilis est resolutio. Effrænis animi motus, & tentatio ita perturbat, & rapit aliquando mentem, ut lumen non relinquat operanti sufficiens ad reflectendum, & consentiendum rationabiliter, hoc est, cum advertentia necessaria ad graviter peccandum. Aliquando urget passio vehementer, sed libertatis sufficientiam, & cognitionis ad peccandum non impedit. Passio primo modo accepta veritatem impedit promissionis; secus secundo modo. Ad Parochum itaque pertinet, Cajum diligenter examinare, & rem totam bene perpendere, hinc ferre judicium circa promissionis obligationem.

150 QUINTUS CASUS. Promisit Cajus coram Parentibus Bertæ ipsam ducturum, completis jam Natalitiis Solemnitatibus: acceptavit ista repromittens, at in corde conditionem retinuit, si mihi tunc placebit me obligare, nolens antea se obligare; interim pœnitet Cajus, & voluntatem retractat, illa verò e contra se obligat. Completa sunt Festa Natalitia, & urgent Parentes executionem Sponsalium, & quia recusat Cajus dicens, se mutasse voluntatem, comminantur Parentes ad Judicem accedere. Confessarius interea renuit Cajum absolvere. Quæritur, num teneatur Cajus Fidem servare Sponsalium?

RESP. Pro recta solutione duo inquirere

rere opus est. Primum. An Cajus voluntatem A retractaverit exteriùs, & eam retractatam manifestaverit Parti. Secundum. An Berta se intra tempus obligaverit, quo perseverabat Cajus in promissis. Nunc dicimus.

Primò. Contractus ab initio coram Deo revera fuit nullus. Nam defuit consensus mutuus de præsenti; cum Berta intus in corde libertatem retinuerit se obligandi, & actu se non obligaverit.

Secundò. Si Berta intus se obligavit, perseverante Cajo in priori voluntate, tunc B contractus effectus est validus. Contractus enim conditionatus, purificata conditione, transit in absolutum; porro contractus in casu fuit conditionatus, & conditio completa est, quando consensui alterius virtualiter interiùs, exteriusque, perseveranti accessit completive consensus Bertæ, qui erat antea suspensus.

Tertiò. Cum Cajus absque causa voluntatem mutaverit, potest in Foro exteriori ad Judicem fieri recursus. Prudenter tamen expendendum est, an expediat coactio per Sententiam; non enim rarò coactiones hujusmodi gignunt jurgia, & dissensiones.

Quartò. Si mutavit Cajus voluntatem intra tempus, quo Berta adhuc erat suspensa: contractus realiter est nullus; & si id posset probari, non solùm in Foro interno deobligaretur, sed neque in Foro externo posset cogi.

Quintò. Confessarius si nullitatem nullatenus deregit, juste denegat absolutionem Cajo, utpote qui injuste resilivit; cumque debet monere, ut satisfaciat Parti, vel petat, ut altera Pars ultrò cedat, & ipse resarciat, si quæ secuta fuerint, damna.

Hæc dicta sufficiant pro Procemio Canonico-Theologico Tractatus Octavi De Matrimonio, quem ad Dei gloriam suscipimus explanandum. Quidquid hactenus scripsimus, & scripturi sumus deinceps, judicio Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & correctioni, humiliter subjectum volumus.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1 Diversis nominibus Sacramentum hoc appellatum novimus. Nunc Matrimonium dicitur, a Matre desumpta nuncupatione; cum ad ipsam operosior labor in susceptæ prolis educatione pertineat. Nunc Connubium nominatur a velando, juxta veterem consuetudinem, qua vir mulierem in Sponsam electam pallio obumbrabat; qua de re habemus Ruth. 3. v. 9. ipsam postulantem propinquum suum Booz, ut pallium suum super eam extenderet: *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es*. Frequentiùs sub nuptiarum nomine accipitur. Porro Nuptiæ dicuntur a Flammeo, quod erat genus quoddam velaminis crocei, quod a novis Nuptis gestabatur in signum indissolubilis Conjugii. Vocatur demum Conjugium a communi jugo, cui nubentes, per mutuam corporis traditionem, sese subjiciunt.

Matrimonium diversimodè nuncupatum.

2 Ut ejus percipiamus naturam, advertendum est, Matrimonium considerari posse, ut est in officium naturæ institutum, & ut novæ legis Sacramentum. Secundùm priorem intelligentiam tripliciter definitur.

A

Primò definitur: duarum Personarum idonearum legitimus de conjunctione consensus. Secundò: viri, mulierisque maritalis conjunctio inter legitimas Personas individuam vitæ consuetudinem retinens. Tertiò: consortium communis vitæ, & communicatio divini, & humani juris. Definitiones hujusmodi rem probe explicant; secundam tamen adoptant Theologi velut essentialem. Dicitur enim *conjunctio* mutua illa obligatio, quæ ex interno, externoque consensu, virum

B

inter, & mulierem oritur; *maritalis*, quia contrahentes invicem corporis dominium transferunt; *viri & mulieris* in singulari, ad excludendam Polygamiam; additur *inter legitimas Personas*, ut innuatur, nullum subesse debere impedimentum; *individuam vitæ consuetudinem*, sive societatem, *retinens*, ut Matrimonii indissolubilitas declaretur. Matrimonium verò ut est novæ legis Sacramentum

C

definitur: Sacrum signum practicum gratiæ, quo unio Christi cum Ecclesia exprimitur.

Definitiones Matrimonii.

His prælibatis accedimus ad explicandam existentiam, essentiam, ministrum, unitatem, atque indissolubilitatem Matrimonii, acturi postmodum de impedimentis, quæ illud vitiant.

DISPUTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA, ET ESSENTIA MATRIMONII.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN PERSEVERANTE INNOCENTIÆ STATU FUISSENT NUPTIÆ.

3 PRodicus, quem Gnosticorum Schola discipulum habuit, luridam Adamitarum Sectam instituit, ubi alia inter deliramenta, nuptias negabat futuras, perseverante Innocentiæ Statu — Ipsos nuptias adversatos fuisse, quia nec „ priusquam peccasset Adam, nec priusquam „ dimissus esset de Paradiso, cognovit uxo„ rem. Credebant ergo, quod nuptiæ fu„ turæ non fuissent, si nemo peccasset — Sic Augustinus *De Hær. ad Quodvultdeum hær.* 31. Guido *in Summa de Hæresibus* inter errores Armenorum undecimo loco refert, ipsos propugnasse, nuptiarum usu nullatenus propagandam humanam speciem, si Prothoparentes in integritate naturæ stetissent. Bernardus de Lutzemburgo *in suo Catalogo Hæreticorum* affirmat, hunc errorem exstimulasse Almaricum Parisiensem Doctorem, ut legere est apud Alphonsum de Castro *hær.* 3. *de Adam, & Eva*, qui Armenorum augendo

D

insaniam, non solùm pro illo statu carnalem copulam negabat, verùm etiam sexuum differentiam nullam futuram fuisse contendebat, refragrante clarissimis verbis Scripturâ Gen. 1. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum, & fœminam creavit eos*. Sunt, qui volunt, Chrysostomum *hom.* 18. *in Genes.*, Nyssenum *De hominis opificio cap.* 17., Damascenum *De Fide Orthodoxa cap* 25. sensisse, in statu Innocentiæ nequaquam futuram carnalem propagationem usu Nuptiarum. His prælibatis

E

DICENDUM est, perseverante Innocentiæ Statu, per usum nuptiarum humanum genus propagandum fuisse.

4 PROB. I. Gen. cap. 2. v. 18. *Dixit Dominus Deus. Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi*. Talia protulit Deus pro eo Statu, quem homini constituerat daturum, si mandato ipsius de abstinentia vetiti fructus obtemperasset, adeoque pro Statu Innocentiæ; hæc enim dicta habentur pro Statu, quo hominem posuerat Creator in Paradiso, ut ibi vitam ageret,

ut ex præcedentibus innuitur: *Posuit illum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum*; ubi particula *ut* perpetuitatis exprimit intentionem. In eo itaque Statu non erat bonum, hominem esse solum: quia si solus fuisset, humani generis propagatio non evenisset; ea propter fecit ei adjutorium. Porro mulier non aliter opem valet præstare Viro, nisi deserviendo generationi: in aperto namque est, in reliquis convenientiùs hominem homini deservire; ergo.

Mulier in quo adjutorium esse viro.

5 PROB. II. Exscriptâ Evæ formatione, Gen. 2. v. 23. *dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Hujuscemodi verba ab Adam dicta sunt ante prævaricationem, immo scientiâ Dei referto: atqui in his dubio procul explicantur Nuptiæ, ut legere est *Matth.* 19., ubi Christus eâdem sententiâ revincit Judeos contendentes inter Conjuges licere libellum repudii; ergo. Hoc evidentiùs apparet, si attendamus, virum, & mulierem, non esse carnem unam, nisi per usum nuptiarum: propterea non dixit Adam *sunt*, quasi innuens ad Evam ex ipsius carne efformatam, sed *erunt duo in carne una*, quæ locutio futuritionem importat, atque ad omne tempus absolute extenditur; adeoque etiam ad illud, quo Adam Deo fideliter famulabatur; ergo.

Per nuptias vir, & fœmina fiunt una caro.

6 PROB. III. Perseverante Statu innocentiæ, propagatio fuisset naturalis quoad substantiam, sicut nunc est. Nam naturalis propagatio quod substantiam non est inflicta in pœnam peccati, sed solummodo quoad ærumnas, quæ illam comitantur; quod compertum habemus ex cap. 3. Gen. v. 16. *Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris*: quibus liquidò fit, maledictionem non quidem substantiam partus afficere, cum ipsos præsupponat, sed accidentalia, nempe multiplicationem, doloresque. Atqui nunc habetur generatio per carnalem commixtionem; ergo etiam in Statu Innocentiæ. Unde apte dicebat Augustinus *De Civit. Dei lib.* 14. *cap.* 21. — Procreatio„nem filiorum ad gloriam Connubii, non „ad pœnam pertinere peccati —

Propagatio quoad substantiam non est inflicta in pœnam peccati.

7 PROB. IV. Duobus momentis a S. Augustino relatis *loco mox laudato cap.* 22., *&* 23. Igitur primò habet S. Doctor — Nos „autem nullo modo dubitamus, secundùm „benedictionem Dei crescere, & multipli„cari, & implere terram, donum esse nu„ptiarum, quas Deus ante peccatum homi„nis ab initio constituit, creando mascu„lum, & fœminam, qui sexus evidens uri„que in carne est. Huic quippe operi Dei „etiam benedictio subjuncta est — Secundò idem evincit ab inconvenienti, quod inde haberetur — Quisquis autem dicit, non fuisse „coituros, nec generaturos, nisi peccassent, „quid dicit, nisi propter numerositatem „Sanctorum necessarium hominis fuisse pec„catum? Si enim non peccando soli rema„nerent, quia, sic putant, nisi peccassent, „generare non possent, profectò ut non soli „duo justi homines possent esse, sed multi, „necessarium peccatum fuit. Quod si cre„dere absurdum est, illud potius est cre„dendum, quod Sanctorum numerus, quan„tus complendæ illi sufficit beatissimæ Civi„tati, tantus existeret, etsi nemo peccasset, „quatenus nunc per Dei gratiam de multi„tudine colligitur peccatorum, quousque „filii hujus Seculi generant, & generantur. „Et ideo illæ Nuptiæ dignæ felicitate Para„disi, si peccatum non fuisset, & diligen„dam prolem gignerent, & pudendam libi„dinem non haberent — Ibique prosequitur explicare, quo pacto copula conjugalis, quæ impræsentiarum verecundiam affert, sine ea tunc temporis contingeret.

DISSOLVUNTUR OBJECTA.

8 OBJIC. I. S. Augustinus *De bono conjugali cap.* 2. affirmat, Nuptias non esse nisi mortalium — Nec esse concubitus, „nisi mortalium corporum possit — atqui perseverante innocentiæ Statu, homines immortalitatis dote fuissent donati; ergo.

RESP. Augustinus eo loci palam fatetur, quæstionem de propagatione in Statu innocentiæ resolvere nolle — Plures enim de „hac re Sententiæ, diversæque extiterunt. „Et si examinandum sit veritate divinarum „Scripturarum, quænam earum potissimùm „congruat, prolixæ disputationis est — alibi tamen, ut superiùs vidimus, in nostram consfluit Sententiam. Ceterum nomina corporis mortalis, juxta D. Bonaventuram, non intelligit corpus morti subjectum, sed corpus vitam habens animalem. Veriùs tamen explicatur secundùm contextum de corpore ex se mortali, quod, superaddita Dei virtute, a morte fuisset præservatum; ea propter etiam in Statu innocentiæ fuisset capacitas propagationis.

In Statu innocentiæ corpus ex se mortale fuisset.

9 OBJIC. II. Ex Joan. Damasceno *lib.* 2. *de fide Orthodoxa cap.* 11., & *lib.* 4. *cap.* 25. — Primus homo erat in Paradiso „terrestri sicut Angelus quidam — Sed homines, qui post resurrectionem erunt sicut Angeli, neque nubent, neque nubentur, ut ait Christus Matth. 22. v. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei*; ergo.

RESP. Primus homo in Statu integritatis originalis fuit sicut Angelus quantùm ad mentis integritatem; secus quantùm ad vitam animalem. Porro propagatio non fit secundùm mentem, bene verò secundùm animalem vitam. Post resurrectionem nemo unus vacabit generationi: quia completus erit Prædestinatorum numerus, atque naturæ intentio absoluta; unde nuptiæ cessabunt. Eodem plane sensu, quo Damascenus, intelligendus est etiam Chrisostomus *hom.* 18. *in Genes*, de qua supra *num.* 3., ubi ait — Ante „inobedientiam, Angelicam vitam imitaban„tur, & nullus de re venerea sermo erat — & meritò sane, siquidem ut ait Augustinus *lib.* 14. *de Civitate Dei cap.* 23. — Sine ullo „timore obscœnitatis liber sermo ferretur; „nec

Post resurrectionem Nuptiæ cessabunt.

„ nec ipsa verba essent, quæ vocarentur obscœna, sed quidquid inde diceretur, tam honestum esset, quàm de aliis, cum loquimur corporis partibus —

10 OBJIC. III. Vis generativa data est, ut quod in se conservari nequit, in simili conservetur: sed, homine non cadente, fuisset ejusdem conservatio in se; ergo nulla fuisset naturalis generatio.

Virtus generativa ordinatur ad speciei conservationem.

RESP. Virtus generativa ordinata est ad speciei conservationem, quoties individua ex se corruptibilia sunt, licèt ex dono non corrumpantur. Ordinata itidem est virtus generativa ad individuorum multiplicationem, ubi hæc spectat ad bonum Universi. Bonum autem Universi attenditur non solummodo secundùm esse permanens: verùm etiam secundùm esse successivum; hoc porro exigit successivam productionem. Addas velim, Deum propagationem decrevisse propter electorum multitudinem, quam successive fieri voluit; quapropter medio nuptiarum usu, necessaria censenda erat propagatio.

11 OBJIC. IV. Viri spirituales carnis operibus, inter quæ est carnalis generatio, non incumbunt: sed in Statu innocentiæ Prothoparentes spirituales fuissent; ergo.

Generatio opus naturæ.

RESP. Juxta Scripturæ sensum caro quandoque usurpatur ut vitium, ad Gal. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum*; quandoque pro humana natura, ad Ephes. 5. *Nemo carnem suam odio habuit*. Itaque opera carnis secundùm priorem intelligentiam spiritualibus non aptantur; secus secundùm posteriorem explicationem. Hujuscemodi autem conditionis fuisset propagatio in Statu originalis justitiæ.

12 OBJIC. V. Haud dari potest carnalis propagatio absque decisione virtutis: atqui in illo Statu felicitatis nulla esse poterat virtutis decisio: hæc quippe ex superfluo alimenti habetur, & superfluitas utpote vitiosa ab illo statu amandanda erat, sicut amandandum superfluum secundæ digestionis; ergo.

Superfluitas in animali perfecto est duplex.

RESP. Duplicem in animali perfecto agnoscunt Philosophi superfluitatem, prima vocatur residuitatis, & tertiæ digestionis; impuritatis, & secundæ digestionis altera. Si de prima recurrit sermo, utique per ordinem ad nutritionem dici potest superflua; idest non eâ opus est ad nutriendum individuum. Verùm hæc eadem non est superflua per ordinem ad generationem, idest ad conservationem speciei. adeoque ad complementum specificæ perfectionis pertinet; unde Statui innocentiæ haud dedecet. Superfluitas altera, quæ nihil aliud est quàm separatio puri ab impuro, ut patet in sudoris, aut urinæ emissione, dupliciter valet intelligi. Alia enim oritur ex debilitate virtutis, ut sudor; & hæc in Adamo non extitisset, in naturalibus siquidem efficaci præditus fuisset virtute. Alia verò habetur ex alimenti qualitate, quatenus natura, expulsis ceteris, idoneum ad nutritionem assumit; neque hæc Statui integritatis indecora erat; quod satis evincitur ex naturalibus organis in primi hominis creatione efformatis. Verùm segregatio hujusmodi quandoque fit cum violentia, læsione, fœtore, ob imperfectam decoctionem; sed hæc est lapsi hominis pœna.

13 OBJIC. VI. Animalis perfecti propagatio fieri haud potest absque corruptione virginalis integritatis, quæ maximam dicit perfectionem: ast si homo in justitia perseverasset, nullam perfectionis jacturam passus esset; ergo.

RESP. Hæc quæstio, ut ait S. Bonaventura, plus curiositatis, quàm utilitatis habet. Antiquos tamen Doctores fluctuantes legimus. Quoniam verò secundùm Augustinum *lib. sæpe laudato cap.* 26. — De rebus „ loquimur nunc pudendis, & ideo, quamvis antequam earum puderent, quales esse „ potuissent, conjiciamus ut possumus — paucis rem absolvemus.

D. Thomas varius fuit in hujus argumenti solutione. Docuit 1. *par. quæst.* 98. *art.* 2. *ad* 4., salvam futuram in eo statu integritatem; transfusa siquidem fuisset activa virtus per quandam nobis incognitam penetrationem, cum quadam proportione ad virgineam Christi conceptionem; atque Augustinum loco mox laudato refert dicentem — „ Nulla corruptione integritatis infunderetur „ gremio maritus uxoris — Verùm cum male solutio Angelici audiretur, conatus est Capreolus 2. *sent. dist.* 20. *quæst. unica* ipsum conciliare, textus concordando, affirmans S. Doctorem communem doctrinam propugnasse, quam tenuit 2. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1., salvam nempe non futuram tunc temporis integritatem. Ne tamen perperàm intelligatur, locum explicanda est. Tria itaque impræsentiarum perpendenda sunt; partium dilatatio, & extensio; læsio, ac pœnalis passio; turpitudo voluptatis. Primum naturæ est; pœnæ alterum; tertium vitiositatis. Illud absque inconvenienti fuisset in Statu innocentiæ, sicut manus, orisque distensio; utrobique enim natura ad hanc dilatationem disposuit membra. Alia verò duo dedecent. Et licèt Augustini verba videantur obscura, si tamen attente perpendantur, ab hac sententia non discrepat; quod palam fit, dum *ibidem* ait — Sed eo voluntatis nutu move„ rentur illa membra, quo cetera —

Quomodo in Statu innocentiæ salva foret in partu integritas.

14 OBJIC. VII. Divinæ prædestinationis ordo est immutabilis: sed condito innocentiæ Statu, series prædestinatorum erat coordinata per redemptivam Verbi incarnationem; ergo omnia, quæ Gen. 2., & 3. de nuptiis referuntur, non quidem ad eum alludunt statum, sed ampliative sunt intelligenda, per ordinem nempe ad statum prævisi criminis. Hæc doctrina est Nysseni citati supra num. 3. *lib. de hominis opificio*.

RESP. Argumentum hujusmodi veteres Scholasticos dissidentes habet. Quidam volunt nascituros, perseverante innocentiæ Statu, eos omnes, qui nunc nascuntur; alii negant. Sunt qui propugnant tantummodo nascituros, qui nunc sunt prædestinati; quod Scotus 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. contendit.

Quis nam in Statu innocentiæ nasceretur

Sanctus Thomas *Quolib.* 5. *art.* 8. tria docet. I. Non omnes nunc electos, tunc nascituros. Quia nunc sive ex adulteris, sive ex infidelibus plures gignuntur, cum tunc nullus adulter, nullusque infidelis; ut autem nume-

numerica unitas effectus habeatur, opus est numerica tum causæ efficientis, tum actionis unitas. Idem evincit Angelicus, ex quo plures Parentes ex diversis Uxoribus filios, quorum aliqui sunt prædestinati, suscipiunt; & pluralitas Uxorum tunc defuisset. II. Multos, qui nunc reprobis accensentur, tunc nascituros affirmat; quia nulla supperit ratio, cur Adam non potuerit eundem Cain, quem post peccatum genuit, gignere ante illius patrationem. III. Dicit, neutiquam nascituros reprobos, qui nunc tales nascuntur; quod innocentiæ Status probe declarat. Hinc ad argumentum respondet: Deum ex futurorum præscientia prædestinasse electos, eorumque Parentes, sicut & cetera præordinasse media; eaque propter nulla mutatio in prædestinatione. Ibidem facit satis auctoritati S. Gregorii *lib. 4. moral. cap.* 30. ad illa verba Job. 3. *Nunc ergo dormiens silerem* -- Si „ primum Parentem nulla peccati putredo „ corrumperet, nequaquam ex se filios ge„ hennæ generaret, sed ii, qui nunc per „ Redemptionem salvandi sunt soli, ab illo „ electi nascerentur -- Facit, inquam, satis, dicendo, S. Doctoris sententiam haud intelligendam secundùm personalem, bene verò secundùm simplicem demonstrationem; ut sit sensus, in eo statu nascituros electos, quales sunt electi, qui nunc nascuntur. Et solutio hæc in idem redit cum altera, quæ legitur 1. *par. quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 1. idest solos electos nascituros; quoniam per Parentes originalis noxa non transfunderetur.

S. Thomæ ratio non arridet Scoto affirmanti, eundem numero effectum a diversa efficienti causa haberi posse, cum numerica unitas ab efficienti causa non dependeat; unde qui nunc reprobus nascitur, tunc nasci potuisset prædestinatus. Sed Magistrum suum tuetur Capreolus, ubi supra, cui illud Ecclesiastici 7. *vers.* 29., & 30. accinere videtur. *Honora patrem tuum . . . memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses.*

CONTROVERSIA II.

AN IN STATU NATURÆ REPARATÆ NUPTIÆ SINT LICITÆ.

15 CAtholica doctrina de Nuptiis etiam sub primordiis Ecclesiæ hostes nacta est, qui Matrimonium pro Statu naturæ reparatæ illicitum dixerunt. Inter Eruditos non una est Sententia de primo hujusce hæresis Patrono. Simonem hujus erroris jecisse semina pro certo habetur, cum impudicitiæ laxavit habenas. Plerique Saturnino id adscribunt, quem Irenæus *lib. 1. cap. 24. editionis Paris.* dixisse affirmat, nubere, & generare a Satana esse. Natione Antiochenus fuit, suique erroris scholam in Syria instituit, ut apud Epiphanium *hær.* 23. Qua autem tempestate vixerit, dubium est. Quidam ad tempora Adriani Imp. ad annum circiter 120. ipsum referunt, ut Eusebius *lib. 4. Ecclesiast. Hist. cap.* 7.; alii ad tempora Cleti Romani Pontificis.

Marcion Ponticus Stoicæ Philosophiæ Professor post illatum Virgini stuprum, a Patre pientissimo Episcopo ab Ecclesia extrusus Romam fugiens, cum suffurari Romanæ Ecclesiæ communionem non valuisset, Cedronis secutus dogma de duobus principiis, nuptias execravit, ut caro, utpote a malo Deo, ulteriùs non propagaretur. Hinc Conjugatos a baptismo arcebat, ut legere est apud Tertullianum *lib. 1. contra Marcionem cap.* 29., qui sequenti capite subdit -- Postmodum idem „ Marcion pœnitentiam confessus, cum con„ ditioni datæ sibi occurrit, ita pacem re„ cepturus, si ceteros, quos perditioni eru„ disset, Ecclesiæ restitueret, morte præven„ tus est --

Tatianus olim S. Justini Martyris auditor in eandem hæresim prolapsus est, unde Matrimonium velut corruptelam, & fornicationem explosit; sic testatur S. Epiphanius *hær.* 46., & 47. Ejusdem labil fuere Encratitæ, qui suæ Sectæ Tatianum Principem agnoscunt. Severus, adoptatis Tatiani erroribus, addidit, ut habemus ex laudato Epiphanio *hær.* 45., mulierem esse opus Satanæ, & in humano corpore, id, quod infra umbilicum est, a mala conditum esse potestate.

Aliis demum omissis, Manichæos Nuptias reprobasse ad unum omnes fatentur cum Augustino, si Isaacum Beausordium excipias; qui *lib. 8. cap. 4. Historiæ Manichæorum Gallico idiomate conscripta* Augustinum carpit, quasi errorem non suum ipsis affinxerit.

Verùm casso, irritoque conatu Manichæis patrocinatur Beausordius. Nam præter coævos Auctores, qui de hac hæresi Manichæos criminantur, ut Chrysostomus *de Virginitate*, Alexander Lycopolites *lib. de Placitis Manichæorum*, Didymus Alexandrinus *lib. contra Manichæos*, Titus Bostrensis *lib. 2. contra Eosdem*, id palam fit ex Augustino pluribus in locis, & potissimùm *lib. 30. contra Faustum cap.* 6. -- Vos enim præcipue concu„ bitum detestamini, qui solus honestus, & „ conjugalis est, & quem matrimoniales quo„ que tabulæ præ se gerunt, liberorum pro„ creandorum causa, unde vere non tam „ concumbere quàm nubere prohibetis -- dixerat quidem S. Doctor *lib. de moribus Manichæorum cap.* 18. -- Hic non dubito vos „ clamaturos, invidiamque facturos; castita„ tem perfectam vos vehementer commen„ dare, atque laudare, non tamen nuptias „ prohibere; quandoquidem Auditores ve„ stri, quorum apud vos secundus est gra„ dus, ducere, atque habere non prohi„ bentur uxores -- quibus Beausordius contendit allucinatum Augustinum, dum affirmavit, Manichæos Nuptias execrasse. Ceterum dubio-procul Nuptias reprobarunt Manichæi, quandoque tamen eas quibusdam permittebant, non quidem ut aliquid boni, sed ut minus malum, ut majora evitarentur scelera, quo pacto apud Epiphanium *hær.* 27. Hierax volebat non laudandas post adventum Domini Nuptias, ne majus in exitium ruerent homines.

Beausordius male patrocinatur Manichæos.

In opus imperfectum in Matthæum, quod sive Chrysostomo, sive alteri adjudicetur, ab interpolatoribus hæreticis intrusum

legi-

legitur *hom.* 1., Matrimonium naturâ suâ esse peccatum, sed divina permissione excusatum — Ideo ergo ista conjunctio maritalis, „ cum esset peccatum, quantum ad naturam „ rei ipsius, concessione Dei facta est licen„ tia — His positis

DICENDUM est, Nuptias in Statu naturæ reparatæ licitas fore.

16 PROB. I. Deus illiciti contractus Auctor esse non potest: sed Deus est Auctor Matrimonii etiam in Statu naturæ reparatæ; ergo. Evincitur minor propositio. Geneseos 2. vers. 23. *Nunc os ex ossibus meis ... Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ*; hoc porro pro statu reparatæ naturæ dictum esse testatur Christus Matth. 19. v. 4., & seqq. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una ... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Quibus, Pharisæis tentantibus, an liceret uxorem dimittere quacunque ex causa, plane respondit, tum divinam institutionem referendo, tum ejusdem adstruendo indissolubilitatem. Unde apte dicebat Tertullianus *lib. 1. adversus Marcionem cap. 29.* — Co„ njugium enim defendentes, eum inimice „ accusatur spurcitiæ nomine, in destructio„ nem Creatoris, qui proinde conjugium „ pro rei honestate benedixit — Injurius est igitur Creatori, qui nuptias ut malum reprobat.

Deus Matrimonii auctor.

17 PROB. II. Quod Deus velut medium præscribit ad evitandum malum, nullimode potest esse illicitum: atqui Nuptiæ hujusmodi sunt, ut legitur 1. ad Timoth. 5. v. 14. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ*; ergo. Ibi per Apostolum Deus sermonem dirigit ad Viduas; etenim nonnullæ erant, quæ continentiam, voventes, otio, atque garrulitati indulgebant, irritamque facientes promissionem, occasionem dabant Gentibus maledicendi Ecclesiis Dei. Itaque ad hoc impediendum scandalum nuptias præscribit, ut in susceptа prole occupatæ a loquacitate abstineant, utque Adversarii fidei ipsas bene audiant.

Nuptiæ medium ad malum evitandum.

18 PROB. III. Apostolus perpetuus est in adstruenda Nuptiarum honestate 1. ad Corinth. 7. v. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*: sed si Nuptiæ malæ essent, oporteret eas dissolvere: malum enim de medio auferendum prorsus est; ergo. Et infra v. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit*. Ubi Augustinus *lib. de bono Conjugali cap.* 18. — Qui dixit: si acceperis uxorem, „ non peccasti &c. satis declaravit, nuptias „ nullum esse peccatum — Ad Ephes. 5. Matrimonium optimo jure declarat, bonum esse, quia Sacramentum est. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ ... Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam &c. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia*. Ad Timoth. Epist. 1. cap. 4. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere*. Demum ad Heb. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Quid clarius ad comprobandam Nuptiarum honestatem?

Scriptura Nuptiarum sanctitatem aperte declarat.

19 PROB. IV. Medium aptum infimul & necessarium ad finem per se bonum, & honestum, bonum esse debet, & honestum: sed Matrimonium est medium aptum, immo necessarium, ad naturæ humanæ propagationem, & quidem secundùm dictamen rationis; ergo. Probatur minor. In filiorum procreatione non solùm ipsa filiorum generatio attendenda est, verùm etiam ipsorum debita, & honesta educatio atqui licèt absque matrimonio per vagum concubitum, & fornicarium, procreentur filii, eis tamen de recta institutione non providetur: quia nec certum Parentem agnoscunt, nec rectè educari valent; ergo cum non sufficiat, quod homo filiis det esse, sed rectam quoque debeat eis educationem præstare, & hæc sine Matrimonio haberi non possit, jam plane fit, secundùm dictamen rationis, Matrimonium esse medium aptum, atque necessarium, ad humanam generationem; adeoque licitum, & honestum.

Matrimonium juxta dictamen rationis.

OPPOSITA HÆRETICORUM MOMENTA DISSOLVUNTUR.

20 OBJIC. I. Cum Christus solverit legem mortis, & peccati, hæc non amplius in statu reparatæ salutis subsistit: sed contractus nuptialis spectat ad legem mortis, & peccati: eum Moyses cum Judæis tradiderit, suisque inseruerit libris; ergo.

RESP. Faustus Manichæus apud Augustinum *lib.* 19. hoc utitur principio ad execrandas Nuptias. Etenim *ibidem cap.* 2., & 3. tria genera legum distinguit; primum Mosaveæ, quod vocat mortis, & peccati; aliud Gentium, quod naturale, seu antiquum nuncupat; tertium verò, genus legis Christianorum. Porro cum Christus dixit, non veni solvere legem, sed adimplere, locutus est de lege antiqua; secus de lege Moysis, hanc enim solvit. Ex quo legitime, ut notat Augustinus eo loci *cap.* 29. colligeretur, Christum Nuptias reprobasse. Hoc tamen apertè falsum est; ipse siquidem Christus doctrinâ ex Moysis libris relatâ utitur ad firmandas Nuptias, propositam sibi a Pharisæis dissolvens quæstionem circa libellum repudii; hinc referens Genesis textum cap. 2. *Quod Deus conjunxit, homo non separet* rem totam absolvit. Adimplevit itaque Christus legem, exceptis figuris; hæ nempe, adveniente veritate, completæ sunt; adimplevit præcepta, per

Fausti Manichæi deliramenta.

per quæ lex illa bona erat, non quidem secundùm litteram occidentem, sed secundùm vivificantem Spiritum.

21 OBJIC. II. Opus concupiscentiæ in Statu naturæ reparatæ illicitum est, dicente Christo Matth. 5. vers. 27. *Audistis quia dictum est, non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: atqui nuptialis propagatio est opus concupiscentiæ, atque in ea dominatur delectatio absorbens, & corrumpens rationem; ergo.

Matrimonium potest subsistere sine sexuum commixtione.

RESP. Argumentum, si quid evinceret, probaret maritale commercium illicitum, secus nuptias; siquidem Matrimonium vere subsistere potest absque sexuum commixtione. Audiatur Augustinus *lib. 1. de Nuptiis, & de Concupiscentia cap.* 11. -- Quibus „ enim placuit ex consensu ab usu carnalis „ concupiscentiæ in perpetuum continere, „ absit, ut inter illos vinculum conjugale „ rumpatur: immo firmius erit, quo magis „ ea pacta secum inierint, quæ chariùs con„ cordiusque servanda sunt, non voluptariis „ corporum nexibus, sed voluntariis affecti„ bus animorum -- Rem comprobat exemplo Conjugii Deiparæ Virginis, & S. Joseph.

Concupiscentia dupliciter accipitur.

Ceterum concupiscentia intelligi potest pro pœna ex Adamo descendente, secundùm quod dicebat Apostolus: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, estque pugna illa, seu repugnantia carnis adversùs spiritum; propter quam ratio membris nostris perfecte non dominatur; & juxta hanc intelligentiam concupiscentia nequaquam censeri debet formaliter peccatum. Usurpatur etiam, ut vitium est; & importat voluntariam inordinationem in usu contra dictamen rationis. Porro nuptialis propagatio secundùm se a dictamine rationis dirigitur; ea propter non est concupiscentiæ opus, ut vitiosa est. Si autem in conjugali commercio intersit inordinata delectatio -- Quid „ sit nuptiarum considerandum est, non quid „ nubentium, & immoderatiùs nuptiis uten„ tium -- dicebat egregie Augustinus *lib. de Bono Conjugali cap.* 14.

22 OBJIC. III. Quibus non est licitus usus alicujus contractus, neque licet ipsemet contractus; hoc accidit in re nostra, dicente Paulo 1. ad Corinth. 7. v. 30. *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint*; ergo.

Usus inordinatus Conjugii reprobatur.

RESP. Apostolus signanter locutus est cum modificatione *tanquam*, ut a nuptiis inordinatum usum excludat, illum nempe qui finem ultimum constituit in maritali commercio; quo pacto ibidem ait: *Qui utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur*; per quod non docet illicitum esse habere possessiones, sed tantummodo intendit monere, ne in iisdem finis ultimus constituatur.

23 OBJIC. IV. Quod bonum est, vel cadit sub præcepto, vel sub consilio: sed Matrimonium nec cadit sub præcepto, nec sub consilio; ergo. Non cadit sub præcepto; aliàs enim Christus, qui totam legem adimplevit, nuptias contraxisset. Neque etiam cadit sub consilio; quia duo actus contrarii sub consilio cadere non possunt; porro cœlibatus, qui est contrarius Matrimonio, cadit sub consilio.

Matrimonium quomodo sub præcepto.

RESP. Matrimonium utique est sub præcepto, non quidem singulos obligante, sed aliquos de communitate humani generis. Si autem nemo unus contrahere vellet nuptias, ad Principem, vel ad Rempublicam spectaret Personas designare ad nubendum; quo posito tenerentur ex jure naturæ Matrimonium contrahere, ne genus periret humanum.

24 OBJIC. V. Id quod a Deo sejungit, malum est: atqui Matrimonium est hujusmodi, idcirco Deus legem daturus Israelitis mandavit, ut àb uxoribus abstinerent; ergo.

RESP. Separatio a Deo per amissionem gratiæ, & charitatis, est quidem peccatum; secus separatio a Deo per hoc quod homo aliis distractus, Deo non semper actu attendat; aliàs dum dormit, vel aliis implicatur negotiis, peccaret. Hoc modo Matrimonium a Deo sejungit. Et quia Deus, dum legem dabat, actualem attentionem divinis exigebat; propterea tunc temporis abstinentiam ab uxoribus præcepit.

25 OBJIC. VI. Quæ intendit natura, potissimùm naturalia sunt, adeoque communia: atqui in aperto est, nec quovis tempore, nec ubique eodem modo celebratas fuisse nuptias: cum apud Tullium *lib. 1. Retb. de Invent.* legatur, a principio homines fuisse sylvestres, nec certos scivisse genitos suos; ergo.

Propagatio dependet a dictamine rationis.

RESP. Quamvis propagatio naturalis sit, nihilominus ejus practica rectitudo a dictamine rationis dependet. Porro dictamen rationis sæpenumero judicat, quibusdam conditionibus, pro locorum, temporumque differentiis, substantialem attemperare contractum. Eapropter nuptiarum substantia ad jus naturæ spectat; cetera ad jus humanum. Conjugia sub primordiis humani generis extitisse nos docet Scriptura. Quod verò Tullius refert, aliquam tantummodo particularem gentem respicit, ob præcedentia crimina pœnali cæcitate a Deo mulctatam. Videantur, quæ supra diximus *num.* 19.

26 OBJIC. VII. Fons peccati originalis malus est: sed originale peccatum ex nuptiis, & nuptiali concubitu tanquam ex fonte derivatur; ergo.

RESP. Argumentum probaret, nuptiale commercium, ex quo proles generatur, malum esse; secus nuptias, ut supra *num.* 21. vidimus. Ceterum argumento respondet Augustinus *lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia cap.* 21. -- Jam nunc si quodammodo inter„ rogemus bona nuptialia, unde ab eis po„ tuerit peccatum in parvulos propagari; „ respondebit nobis operatio propagandæ „ prolis: Ego in Paradiso magis felix essem, „ si peccatum non fuisset admissum, ad me „ namque pertinet illa benedictio, crescite, „ & multiplicamini. Ad hoc opus bonum „ diversi sexus diversa membra sunt condita, „ quæ quidem ante peccatum jam erant, sed „ pudenda non erant. Respondebit pudici„ tiæ fides: si peccatum non fuisset, quid „ me in Paradiso securiùs esse potuisset, ubi „ nec stimularet mea, nec alterius me libido „ tentaret. Respondebit etiam connubii Sa-

n cra-

„ cramentum: de me ante peccatum dictum „ est in Paradiso: Relinquet homo patrem, „ & matrem, & adhærebit uxori suæ . . . „ Quod magnum Sacramentum, dicit Apostolus, in Christo, & Ecclesia. Quod „ ergo est in Christo, & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum. Quid „ horum est in nuptiis, unde peccati vinculum transierit in posteros? Nempe nihil. „ Et certe his tribus bonis perfecte se haberet bonitas Nuptiarum, quibus bonis etiam „ nunc bonæ sunt nuptiæ —.

27 OBJIC. VIII. Quod bonum est, excusatione non indiget: sed Matrimonium excusatur propter tria, quæ ex eo deducuntur, nimirum, propter fidem Conjugum, per prolem, & propter rationem Sacramenti, quæ in eo adiovenitur; ergo.

RESP. Quædam sunt bona, ut ait S. Thomas *in Suppl. 3. par. quæst. 49. art. 1.*, quæ nonnulla secum afferunt detrimenta, ratione quorum prudens ea exercere non debet, nisi ob bona inde secuta honestentur. Hujusmodi est Matrimonium, quod aliqua involvit incommoda. Primum Matrimonii incommodum est perpetua servitus; hoc autem compensatur bono Sacramenti, quo Conjuges sese diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam: & gratiam recipiunt, qua facilius indissolubile vinculum valent sustinere. Secundum est distractiu mentem absorbens in carnali commercio; hocque suppletur per bonum prolis, quæ ad Dei obsequium ex ipsa prolis generatione deputatur. Tertium demum est nimia sollicitudo placendi Uxori, thesaurizandi, filiosque educandi; & hoc exæquatur per fidei, seu fidelitatis, bonum, quo Conjuges mutuo obligantur ad reddendum debitum, aliisque denegandum sui corporis copiam. Cumque hæc Matrimonio sint intrinseca, ea propter ex intrinsecis licitum est, atque honestum.

Incommoda Matrimonii exæquantur bonis.

CONTROVERSIA III.

AN MATRIMONIUM SIT VERE, ET PROPRIE NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.

28 ALphonsus a Castro *lib. de Hæresibus tit. de Auctiis hær. 3.* Armenos primos facit Auctores hæresis negantis, Matrimonium esse Sacramentum. Eosdem hac labe coinquinatos dicit Guido *lib. de Hæresibus* apud N. Thomam a Jesu *De conversione Gentium lib. 7. cap. 17.* Jodocus Coccius itidem *lib. 9. Thesauri Controversiarum tom. 2. art. 1.* ipsos inter dogmatizantes adversus Sacramentalem Nuptiarum dignitatem recenset. Verum Clemens Galanus *lib. 2. Reconciliationis Armenæ Ecclesiæ cum Romana q. 3. §. 1. n. 10., & §. 5. n. 12.* propugnat, hac super re Armenos cum Catholicis sensisse. Quare Novatores primi merito referuntur, qui malignati sunt in sancto; quibus Erasmus *ad cap. 7. prioris ad Corinthios* ora fovit.

Armenorum sensus de Sacramento Matrimonii.

Lutherus itaque *lib. de Captivit. Babylonica* de Matrimonio scribit — Matrimonium „ non solum absque Scriptura pro Sacramento censetur, verum iisdem traditionibus, „ quibus Sacramentum esse jactatur, merum „ ludibrium factum est. Matrimonium Sacramentum est, non divinitus institutum, „ sed ab hominibus in Ecclesia inventum, „ ignorantia tam rei, quam verbi adductis —

Primi Hæretici adversus Sacramentum Matrimonii.

Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 19. §. 24.* — Postremum est Matrimonium, quod ut a Deo „ institutum fateantur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii „ tempora viderat. Ordinatio Dei bona est, „ & sancta; & Architectura, Agricultura, „ Sutrina, Tonstrina, ordinationes sunt Dei „ legitimæ, nec tamen Sacramenta sunt. Id „ enim non tantum in Sacramento quæritur, „ ut sit opus Dei, sed ut sit ceremonia exterior a Deo posita in confirmandam promissionem. Nihil tale esse in Matrimonio „ pueri quoque judicabunt —

Melancthon *in locis Communibus tit. de Conjugio* in Matrimonio agnovit Dei mandatum, & promissionem gratiæ, non quidem sanctificantis, sed temporalis; adeoque non esse Sacramentum affirmat.

His concinit Kemnitius *2. p. examinis Tridentini* socium advocans erroris Durandum *4. Dist. 26. q. 3.* affirmantem, Matrimonium largo modo esse Sacramentum, quia non univocatur cum reliquis Sacramentis novæ legis. Verum esto Durandus erraverit, non est, cur sibi plaudet Kemnitius; non enim Patres, aliique Theologi per os Durandi sunt locuti. Ceterum Isambertus *Disp. 3. de Matrim. art. 2.* de Durando scribit — „ Durandus vero *cit. loco n. 5.* agnoscit, Matrimonium in nova lege esse Sacramentum; & hoc tanquam de fide. Deinde „ quærit, an conferat gratiam ex opere operato, sicut alia Sacramenta, & licet maxime propendat in partem negantem, eam „ tamen non audet determinare, ut ipsemet „ profitetur *n. 8.* . . . sed motus auctoritate „ quorundam Canonistarum voluit proponere „ suas circa istam partem difficultates, non „ tamen determinate explicando suam sententiam — Abste igitur ab Hæretico assertur Durandi Sententia. His positis

Durandus futiliter a Kemnitio adoptatur.

DICENDUM, Matrimonium esse vere, & proprie, novæ legis Sacramentum.

29 PROB I. Verum novæ legis Sacramentum est signum rei Sacræ a Deo institutum sanctificantis animam: atqui Matrimonium est e divina institutione tanquam signum rei Sacræ sanctificantis animam; ergo inter vera novæ legis Sacramenta accenseri debet. Minor quoad primam partem a Novatoribus merito adoptatur. Nam Matth. 19. dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, & Apostolus ad Ephes. 5. attendens ad Matrimonii institutionem a Deo factam ab origine Mundi, videlicet, *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, repetit verba, quæ ibi leguntur: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*. Nec institutum fuit ut signum vacuum, sed ut signum rei Sacræ productivum gratiæ. Etenim post

Matrimonium est signum rei Sacræ sanctificantis animam.

laudata verba subdit Paulus: *Et erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Quibus declarat, contractum Connubii elevatum esse in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Porro conjunctio Christi duplex est; corporalis prima, spiritualis altera; & una ab alia non sejungitur, immo prima est alterius fundamentum. Corporalis conjunctio habetur per unionem Verbi ad humanam naturam, mediâ incarnatione; spiritualis verò per dona supernaturalia; & potissimùm per dilectionem, quam largitus est, & largitur Christus Ecclesiæ; & ideo idem Apostolus dixit ibid. v. 25., & seqq. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . ut sit sancta, & immaculata*; Matrimonium autem hanc secundam unionem præcipue significat, & hanc principaliùs urget Apostolus, qui expresse in Christo, & in Ecclesia mysterium explicat; unde prima unio est cum toto humano genere, non autem explicite pro Ecclesia. Nequit verò Connubium spiritualem Christi unionem ad Ecclesiam referre, nisi in eo gratia, & charitas producantur; proindeque nisi elevetur ad esse instrumentum gratiæ collativum.

Duplex conjunctio Christi.

Ex hoc discursu contra Jueninum clare evincitur, apte colligi ex laudato Pauli textu gratiam produci, quod ipse *Dissert. 10. de Matrimonio cap. 2.* negat, impugnando Bellarminum.

30 DICES I. Apostolus Sacramenti nomine non intelligit signum rei Sacræ, sed ipsam rem, videlicet, conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ Sacra est, magnumque mysterium; ergo ex Pauli auctoritate haud colligitur, Matrimonium causare gratiam, adeoque verum fore Sacramentum.

SED CONTRA, Apostolus eo loci dicit; hoc Sacramentum magnum esse in Christo, & Ecclesia, seu ut legitur in textu Græco, in Christum, & in Ecclesiam, ad denotandum, unionem Christi cum Ecclesia non esse subjectum, bene verò terminum, hujus mysterii. Hanc habent intelligentiam Patres, quos inter Ambrosius *in cap. 5. ad Ephes.* — „ Mysterii Sacramentum grande in unitate „ viri, & fœminæ esse significat — Non igitur Matrimonium est Sacramentum propter sanctitatem conjunctionis Christi cum Ecclesia, sed propter sanctitatem, quam significat, & causat.

Matrimonii dicitur mysterium propter gratiam, quā causat.

31 DICES II. Apostolus ibidem sermonem instituit de Conjugio Adæ, & Evæ: unde & textum Genesis adducit; sed illud dubio-procul non fuit Sacramentum; ergo.

SED CONTRA, Quamvis Paulus ibidem sermonem habeat de Prothoparentum Conjugio, nihilotamenminus etiam de novæ legis Matrimonio loquitur: dicit enim: *Propter hoc relinquet homo* &c.; quæ verba indefinitam important locutionem, atque ad futurum tempus extenduntur. Immo primum Conjugium ut figura Matrimonii legis gratiæ refertur; cumque aliàs res figurata supra figuram excellat, si illud non fuit, hoc debet esse Sacramentum.

Verba indefinita ad omne tempus extenduntur.

32 PROB. II. 1. ad Timoth. 2. v. 15. de muliere habet Apostolus: *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*. Hic sermonem instituit Paulus de muliere conjugata, affirmans, haud alienam esse a salutis tramite, etsi generationi vacare velit; hocque refert tacitam evertendo objectionem. Ex quo enim dixerat, primam mulierem uxoratam seductam fuisse, atque prævaricasse, videbatur inferri, conjugatas a via salutis declinare; ea propter oppositum docet; si tamen permanserit in fide, dilectione, sanctificatione, atque sobrietate. Porro fidei nomine venit fidelitas thori, seu promissio facta Viro thalamum non violandi; quo sensu ibidem *cap. 5. v. 11.* idem Apostolus dicit, Viduas, quæ continentiam Deo voverant, ad secundas nuptias transeuntes, irritam fecisse primam fidem, idest promissionem. Dilectio ibi usurpatur pro speciali illa charitate inter Nuptos, quæ rixis inter Conjuges suborientibus adversatur. Pro sanctificatione recta intelligitur intentio, & in cohabitatione modestia. Sobrietas tandem ea est temperantia in usu Conjugii, de qua Angelus ad Tobiam cap. 6. v. 22. *Transacta autem tertia nocte accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus*. Porro in prædictis Apostolus dubio-procul intelligit quid speciale, propriumque, conjugalis status, idque pro consequenda salute necessarium ducit. Si enim sermo esset de illis virtutibus, quibus in baptismate donata est mulier uxorata, ut intendit Juenimus, ubi supra, in aperto est, etiam de non nuptis idem adstruere potuisse; ita quod si Virgo permanserit in fide, dilectione, sanctificatione &c, utique salvabitur. Jure itaque, & meritò, Apostoli sensa Uxoratis accomodantur; potissimùm cum circa ea difficultates, & gravia subeant pericula Conjugati, quæ evitantur, si permanserint in acceptis hisce donis collatis in Matrimonii solemniis.

Virtutes necessariæ in Conjugibus.

33 URGET citatus Jueninus, dici posse tum in lege naturæ, tum in lege scripta de muliere fideli: *Salvabitur per filiorum generationem, si permanserit* &c.; immo & in Evangelicâ, earum etiam mulierum respectu, quæ adhuc Gentiles nupserint, ac proinde quarum Matrimonium non fuerit proprie dictum Sacramentum novæ legis.

RESP. Non inficias imus, prædictas Uxoratas posse salvari; verùm cum majori difficultate, deficiente Sacramentali virtute; eo plane modo, quo quis adversùs fidei hostes valide pugnare poterit, etsi confirmatorio Chrismate non inunctus, difficiliùs tamen præ alio Sacramentali virtute roborato.

Gratia Sacramenti dat speciale robur.

34 INSTAT ulteriùs. Ex quo in Græcis codicibus, & in plerisque Latinis, verbum *Permanserit*, legatur in plurali *Permanserint*, consequens est id quod de fide, dilectione, ac sanctificatione, subjungitur, referri non ad mulierem, sed ad filios, quorum generatione, seu pia educatione, mulier æternam salutem promeretur. Hæc ille.

Verùm hujusmodi expositio absre videtur. Docet Paulus, salvandam mulierem per filiorum generationem, si permanserit. Porro

ut

Virtutes prosunt exercentibus eas.

ut salvetur mulier, fas est, ipsam virtutes nutrire, & non sufficit ejus saluti filiorum perseverantia in bonis operibus. Quandoque perit filius optime a Matre institutus, & salvatur Mater; ex adverso salvatur filius, & perit Mater. Alienum est a suavi Christi lege, Matris salutem alligare perseverantiæ filiorum in sanctitate, & justitia. Deinde Apostolus aptat determinate filiorum procreationi conditionalem illam, propter gravius periculum labendi: *Hi namque*, ut legitur Tobiæ 6. v. 17. *qui Conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Ea propter ad effugandum dæmonem necesse est permanere in fide &c. Et quia uterque Conjux in eodem versatur periculo, ideo a plerisque pluralis locutio adoptatur. Vel dicas sensum pluralem optime usurpari etiamsi de sola muliere intelligatur; quia accipitur terminus *Mulier* in principio indefinite pro qualibet nupta, & impræsentiarum, ut notant Primasius, & Sedulius, Apostolus persæpe transit de numero ad numerum, ut videre est in eodem capite, ubi primò dicit *Mulieres in habitu ornato* &c., & mox: *Mulier in silentio discat*. Itidem ad Galat. 6. *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite; considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

Filiorū procreatio periculum gravius Conjugatorum.

35 PROB. III. Quod Patres ceteris novæ legis Sacramentis exæquant, fas est ut verum Sacramentum suscipere: sed Fidelium Conjugium Patres exæquant ceteris Sacramentis novæ legis; ergo. Augustinus *lib. de bono Conjugali cap.* 24. Matrimonium Sacræ comparat Ordinationi — Bonum igitur nuptiarum „ per omnes gentes, atque omnes homines „ in causa generandi est, & in fide castita„ tis. Quod autem ad Populum Dei perti„ net, etiam in sanctitate Sacramenti, per „ quam nefas est etiam repudio discedentem „ alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec sal„ tem ipsa causa pariendi. Quæ cum sola „ fit, qua nuptiæ fiunt, solvitur vinculum „ nuptiale, nisi Conjugis morte. Quemad„ modum si fiat ordinatio Cleri ad plebem „ congregandam, etiamsi plebis congregatio „ non subsequatur, manet tamen in illis or„ dinatis Sacramentum Ordinationis — & *lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia cap.* 10. comparat cum Sacramento Baptismi — Inter „ viventes quoddam vinculum Conjugale, „ quod nec separatio, nec cum altero copu„ latio possit auferre: manet autem ad no„ xam criminis, non ad vinculum fœderis, „ sicut Apostatæ anima velut de Conjugio „ Christi recedens, etiam fide perdita Sa„ cramentum fidei non amittit, quod lava„ cro regenerationis accepit —.

Matrimonium aliis equatur Sacramentis.

Lucius Papa III. Can. *ad Abolendam extra de Hæreticis* Matrimonium Sacramentis novæ legis accenset — Universos, qui de Sa„ cramento Corporis, & Sanguinis Christi, „ vel de Baptismate, seu de peccatorum Con„ fessione, Matrimonio, vel reliquis Sacra„ mentis aliter sentire, aut docere, non me„ tuunt, quàm Romana Ecclesia prædicat, „ & observat, vinculo perpetui anathematis „ innodamus —

Martinus V. in idem concinit, dum in sua Constitutione, quæ in Constantiensi Concilio refertur, præcipit, ut suspectus de hæresi — Interrogetur, an credat, quod Chri„ stianus contemnens susceptionem Sacra„ mentorum Confirmationis, vel Extremæ „ Unctionis, vel solemnizationis Matrimo„ nii, peccat mortaliter —.

Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum definit, septem esse Ecclesiæ Sacramenta, inter quæ Matrimonium enumerat.

36 PROB. IV. ex Patribus. Chrisostomus *hom. 20. in Epist. ad Ephesios* explicans verba Apostoli *Sacramentum hoc magnum est* &c. habet — Interim autem dicit, *in* „ *Christo dico*, quoniam & ipse dimisso Pa„ tre descendit, & venit ad Sponsam, & „ factus est in spiritum unum. . . Revera „ est magnum mysterium eo, qui procrea„ vit, qui genuit, qui educavit, eâ, quæ „ concepit, quæ cum dolore peperit, qui „ tot, & tantis affecerunt beneficiis, cum „ quibus diuturnus fuit usus, & consuetudo, „ relictis, ei adhærere, quæ ne visa quidem „ fuit, & cum eo nihil habet commune, & „ eam omnibus præferre, revera est myste„ rium — S. Ambrosius de eo, qui uxoratam ducere cupit, scribit *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. — Qui sic egerit, peccat in Deum, „ cujus legem violat, gratiam solvit; & ideo „ quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis „ amittit consortium — S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Joan. cap.* 22. referens miram conversionem aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galilææ ait — Christum sanctificasse Conju„ gium, & gratiam nuptiis præparasse, ut „ aditus in hanc vitam benediceretur — S. Epiphanius *Hær.* 67. — Quomodò enim „ non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo „ habentes regnum cœlorum, cum vocatus „ sit Salvator ipse ad nuptias, ut nuptias „ benediceret —

Patres Matrimonii Sacramentū noverunt.

Ceteris omissis, cum ejusdem sint labii, adeamus Augustinum. Sæpenumero Sanctus iste Doctor Conjugium Sacramentum nuncupat; & ipsi Heterodoxi hoc idem fatentur. Verùm, ut tanti Doctoris auctoritatem eludant, dicunt, ipsum largo modo Sacramentum assumere, prout videlicet est quoddam genus sancte vivendi a Deo institutum; quo pacto Innocentius Pontifex Cap. *Gaudemus, De Divortio* Matrimonium inter Infideles Sacramentum appellat. Operæ itaque pretium erit unum, vel alterum Sancti Doctoris testimonium afferre, ubi illud proprie Sacramentum vocat. Et quidem, omissis his, quæ in superiori probatione retulimus, quæ rem plane evincunt, dum Matrimonium cum aliis Sacramentis confert.

Lib. *de bono Conjugali cap.* 18. Matrimonium Fidelium dicit esse Sacramentum, secus illud Infidelium — In nostrorum quippe nuptiis „ plus valet Sanctitas Sacramenti, quàm fœ„ cunditas uteri — Si ergo Matrimonium Infidelium discriminatur ratione Sacramenti ab illo Fidelium, cum illud, lata quadam significatione, Sacramentum dicatur, ut mox vidimus ex Innocentio, hoc utique erit Sacramentum proprie. Ex cap. 24. ejusdem libri clariùs innotescit Augustini sententia — Bonum Nuptiarum per

„ om-

„ omnes Gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis; „ quod autem ad Dei populum pertinet, „ etiam in sanctitate Sacramenti — & *lib. de fide, & operibus cap. 7.* — In Civitate „ Dei, in monte Sancto ejus, hoc est in „ Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, „ sed etiam Sacramentum commendatur — Speciale itaque est in Ecclesia, quod Matrimonium sit Sacramentum; porro si improprie Sacramentum diceretur, hoc non esset peculiare in Ecclesia, cum etiam Infidelium Conjugio, ampla quadam ratione, aptari possit.

Calvinus de mendacio redarguitur.

His habes, unde de mendacio Calvinum redarguas, qui affirmare ausus est, neminem ante Gregorium agnovisse Matrimonium ut Sacramentum; cum laudati Patres ad unum omnes ipsum præcesserint.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

37 OBJIC. I. Eâ ratione Matrimonium censetur Sacramentum, quia est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: atqui ex hoc non evincitur, quod sit Sacramentum — Nam etiam cœli, qui enarrant „ gloriam Dei, significant Apostolos, & Sol „ Christum designat &c., & tamen nulla „ colliguntur ex tot signis Sacramenta pro- „ prie dicta — ergo. Sic argumentatur Lutherus *lib. de Captivit. Babyl. cap. de Matrimonio*.

Quodnam signum est Sacramentum.

RESP. Non signum quodlibet est Sacramentum, sed illud quod a Deo est institutum cum promissione gratiæ: hoc porro signis in argumento enumeratis nequaquam convenit, bene verò Matrimonio, ut supra probatum est; ea propter nil mirum si cœli, Sol, sicut & alia signa, veri Sacramenti rationem non sortiantur, secus Conjugium.

38 DICES. Signum, quod est Sacramentum, efficit in nova lege rem significatam: sed Conjugium non efficit rem significatam, conjunctionem nempe Christi cum Ecclesia; ergo.

Matrimonium quomodo rem efficiat significatam.

RESP. Equidem Conjugium non efficit conjunctionem Christi cum Ecclesia, secundùm conformitatem naturæ: sed per hanc significationem elevatur ad efficiendam Christi conjunctionem Ecclesiæ dilectivam, non quidem in universali amplitudine, sed participative, quatenus conjunctionem efficit animorum per charitatem. Apte rem explicat Tridentinum *Sess. 24. in cap. Doctrinali* — „ Gratiam verò, quæ naturalem illum amo- „ rem perficeret, & indissolubilem unitatem „ confirmaret, Conjugesque sanctificaret, „ ipse Christus venerabilium Sacramentorum „ institutor, atque perfector, sua nobis pas- „ sione promeruit; quod Paulus Apostolus „ innuit dicens: Viri, diligite uxores ve- „ stras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & „ seipsum tradidit pro ea: mox subjungens, „ Sacramentum hoc magnum est; ego autem „ dico in Christo, & in Ecclesia. Cum igi- „ tur Matrimonium in lege Evangelica ve- „ teribus Connubiis per Christum gratiâ præ- „ stet, meritò inter novæ legis Sacramenta „ annumerandum, Sancti Patres nostri, Con- „ cilia, & universalis Ecclesiæ traditio, sem- „ per docuerunt — Notat itaque Concilium, Christum ut institutorem Sacramentorum gratiam promeruisse, qua Conjuges sanctificantur, & hoc innuere Paulum in conjunctione Christi cum Ecclesia; ipsa tamen gratia ab ipsomet Sacramento producenda est.

Christus gratiam promeruit.

39 DICES iterum, Signum, prout est Sacramentum, rem proprie significatam efficere debet: atqui Conjugium non efficit dilectivam Christi cum Ecclesia conjunctionem, cum Christus indissolubiliter Ecclesiam diligat, secus Conjuges; ergo.

Matrimonium dilectivam efficit conjunctionem Christi cum Ecclesia.

RESP. Ut Conjugium dilectivam efficiat conjunctionem Christi cum Ecclesia, sat est quod gratiam, & charitatem secundùm se perpetuam producat, licèt utraque amitti possit ex subjecti mobilitate. Addas velim, dilectivam Christi conjunctionem cum Ecclesia Sponsa inadæquate acceptâ quandoque solvi, nempe cum aliqua membra ex justis fiant injusta; secus si adæquate sumatur. Consimiliter solvitur dilectiva conjunctio in particularibus Connubiis, non verò in omnibus, ad hunc sensum, quatenus omnia Conjugia simul intellecta nusquam sunt sine gratia, & charitate....

40 OBJIC. II. Matrimonium tum ab initio Mundi, tum impræsentiarum apud Infideles, non minus verum, ac sanctum est, quàm apud nos: sed a Mundi initio, & apud Infideles, non est Sacramentum; ergo neque apud nos; vel si apud nos est Sacramentum, non est novæ, sed etiam veteris legis.

Alphonsus de Castro *De Nuptiis hær.* 3., Petrus a Soto *lect. 2. de Matrimonio*, & alii quidam, propugnant, Matrimonium in omni lege Sacramentum fuisse; quia Apostolus Conjugium Adæ cum Eva Sacramentum vocat, fuitque a Deo benedictum; unde meritò S. Leo *Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem* scripsit — Cum societas nuptiarum ita ab ini- „ tio constituta sit, ut præter sexuum conjun- „ ctionem, haberet in se Christi, & Eccle- „ siæ Sacramentum; dubium non est, eam „ Mulierem non pertinere ad Matrimonium, „ in quo non docetur, nuptiale fuisse myste- „ rium —

Ceterum id tutò defendi non potest, cum Florentinum Matrimonium inter novæ legis Sacramenta recenseat, & Tridentinum *Sess. 24. can. 1.* dicat a Christo in nova lege institutum. Nec momenta relata urgent. Apostolus loquitur de Matrimonio Fidelium, præfiguratum quidem in Conjugio Prothoparentum; Conjugium tamen Prothoparentum actualem significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia referre nequaquam poterat, nec gratiam causabat. Benedixit quidem Deus eorundem Conjugio; sed illa benedictio fuit solius fœcunditatis; quo pacto etiam piscibus, avibusque benedictionem largitus est. Denique S. Leo non alludit ad Mundi primordia, sed ad initium institutionis hujus Sacramenti per Christum.

Ut autem clariùs natura Conjugii pro diversis

Conjugium juxta diversos status explicatur.

diversis statibus intelligatur, adeamus S. Thomam *in Suppl. quæst.* 42. *art.* 2. — Natura inclinat ad Matrimonium intendens aliquod bonum: quod quidem variatur secundùm diversos hominum Status; & ideo oportet, quod illud bonum diversimode in diversis Statibus hominum instituatur. Et ideo Matrimonium secundùm quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria, etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum: secundùm autem quod remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ: secundùm autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi: sed secundùm quod repræsentat mysterium conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, institutionem habuit in nova lege; & secundùm hoc est Sacramentum novæ legis. Quantùm ad alias utilitates, quæ ex Matrimonio consequuntur, sicut est amicitia, & mutuum obsequium sibi a Conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de vi Sacramenti est, quod est signum, & remedium, ideo quantùm ad medias institutiones competit ratio Sacramenti, sed quantùm ad primam institutionem competit ei, quod sit in officium naturæ; quantùm verò ad ultimum, quod sit in officium civilitatis — Ex quibus compertum fit, Matrimonium ante peccatum non fuisse Sacramentum: in statu legis naturæ, & scriptæ fuisse Sacramentum sub statu imperfecto, eo plane modo, quo alia veteris legis Sacramenta; in lege autem gratiæ perfectum fuisse Sacramentum. Connubia verò Gentilium possent elevari ad esse Sacramenti; ceterum cum careant Baptismo, qui ad omnia Sacramenta prærequiritur, actu Sacramenta non sunt.

41 OBJIC. III. Pontificii reputant Nuptias tanquam sordes, ac Deo placere nequaquam posse affirmant, ut ait Siricius Papa, qui ad Hymerium Tarraconensem scribens ait — Qui in carne sunt, Deo placere non possunt — hic porro alludit ad Nuptias, cum ibidem prohibeat Sacerdotibus nubere, dicente Scriptura: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum*, & alibi: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*; ergo nuptiis nequaquam competere potest ratio Sacramenti; cum immundis rebus nullimode convenire possit. Adde Origenem *Num.* 6. asserere, Spiritum Sanctum non adesse Matrimoniali commercio.

Maritale commercium debet esse ordinatum.

RESP. Argumentum probat, Matrimonium non solùm e Sacramentorum Albo expungendum, sed & illicitum fore, ut intendebant Manichæi. Itaque nemo unus ex Catholicis nuptias nuncupat sordes, Siricius tantummodo sacrilega Sacerdotum Connubia execrat: cum ex Sacris Canonibus sint ipsis interdicta; ipsosque suadet, ut mundentur, cum sacra pertractare debeant. Origenes meritò affirmat, Spiritum Sanctum non adesse Nuptiali commercio, non quidem absolute, sed si inordinate fiat, modo nempe quo equus, & mulus, quibus non est intellectus.

42 OBJIC. IV. Sacramenta ad invicem non pugnant: atqui Ordo Sacer arcet a Conjugio Sacerdotes; ergo non est Sacramentum.

RESP. Utique unum Sacramentum non destruit aliud, sicut una virtus aliam non renuit; verùm quandoque contingit, ut determinata Persona, ratione Status, utriusque Sacramenti incapax sit. Unde Sacerdotes non arcentur a Matrimonio, quia Sacramentum, & propter Sacramenti rationem, quæ in illo est: sed propter specialem vitæ institutionem, quam servare debent, qui Deo sacrantur. Qua de re evidens occurrit momentum in Conjugibus, qui mutuo consensu perpetuam voverunt continentiam; Vir profectò Sacris valet initiari, existente Conjugali vinculo. Et quidem meritò hoc Ecclesiasticis sancitum fuit legibus; teste namque Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*, cum aliàs Sacris inauguratus totus esse deberet in Dei obsequio.

Sacerdotium cur Matrimonium excludat.

43 OBJIC. V. S. Augustinus *lib. de bono Conjugali cap.* 17., & 18. Patriarcharum Matrimonium non minùs Sacramentum nuncupat, ac Matrimonium Christianorum: sed illud erat improprie Sacramentum; ergo etiam istud. Ulteriùs *lib. de Nuptiis, & Concup. cap.* 21. affirmat — Quod in Christo, & in Ecclesia est magnum Sacramentum, hoc est in singulis quibusque viris, atque uxoribus minimum, sed tamen conjunctionis inseparabile Sacramentum — Sentit ergo S. Doctor, Conjugium non vere esse Sacramentum.

RESP. Frustra quæritur suffragium ab Augustino, cum ex superioribus compertum sit, inter novæ legis Sacramenta Connubium accensuisse. Nec relata momenta Hæreticis favent. Etenim nuptias in veteri lege vocat Sacramentum, sed sub statu imperfecto, cum non importarent perfectam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut in lege gratiæ. Minimum deinde vocat Sacramentum relate ad ipsam Christi cum Ecclesia unionem; hæc quippe unio cum Ecclesia maxima meritò dicenda est, cum causa sit omnium Sacramentorum, aut saltem ejusdem finis. Ceterum etsi minimum vocet, aperte tamen fatetur esse Sacramentum, dum ait — Sed tamen conjunctionis inseparabile Sacramentum —

Augustini sensa.

44 OBJIC. VI. Nec Patres sub primordiis rei Christianæ florentes, nec Concilia, nec Scholastici, nec Canonistæ, agnoverunt Conjugium ut novæ legis Sacramentum; qua de re invictum habetur momentum ex alto Patrum, Conciliorumque, silentio. Etenim ante Constantiense Concilium non fuit Matrimonium inter Sacramenta relatum; inter Scholasticos Magister Sententiarum 4. *Sent. dist.* 2. vult Connubium institutum in remedium peccati: cum alia Sacramenta dicat gratiam conferre: & Durandus affirmat solummodo æquivoce Sacramentum dici; Canonistæ, ut Hostiensis *Tit. de Sacramentis*, aliique, propugnant, non conferre gratiam: quod Sacramentis apprime convenit; ea propter non absre dixit Kemnitius, mentiri Tridentinum, dum scribit,

dogma

dogma de Sacramento Matrimonii quovis tempore fuisse ex Patribus, Conciliis, atque universali Ecclesiæ Traditione.

Cur ante Lateranense nihil definitum quoad Sacramentum Matrimonii.

Verùm de mendacio & jure, & meritò redarguendum esse hæreticum, abunde evincunt, quæ ex Patribus in superioribus adnotavimus. Nec momenti est, ante Lateranensem Synodum nihil quoad hoc Sacramentum conciliariter definitum. Nam priora Concilia id explicarunt, quod in discrimen adducebatur, puta circa institutionem, sanctitatem, Illiusque honestatem; cum autem circa Sacramenti naturam nullum subortum fuerit dissidium, haud mirum, si nihil definitum legatur. Magister Sententiarum non negat, Matrimonium esse Sacramentum, productivum gratiæ, cum *ibidem dist.* 1. Sacramentum definiens, esse nempe visibile signum invisibilis gratiæ, cujus similitudinem gerit, & causa existit, enumerat itidem Matrimonium; ea propter eo loci intendit assignare principalem finem distinctivum ab aliis. Circa Durandum jam satis superiùs. Canonistæ vel emendandi, vel explicandi sunt; quatenus loquuntur de Matrimonio non quidem adæquate intellecto, sed præcise ut est in officium naturæ.

45 OBJIC. VII. Matrimonium prout in Ecclesia celebratur profanum est: sed quod profanum est, nequaquam Sacramenti rationem sortiri valet; ergo. Major evincitur. I. Quia pro Matrimonio datur pecunia; porro pro re Sacra nusquam pecunia datur. II. Solemnitas Conjugii sunt epulæ, & convivia; hæc profectò sanctitatem non redolent. III. Si fiat ante Baptismum, ratificandum est, immo inter Fideles, qui per Procuratorem contrahunt, idem peragi debet; ergo.

Pecunia in Matrimonio ad quid ordinatur.

RESP. Matrimonium prout elevatum a Christo perperàm profanum dici. Nec quidquam urget, quod pecunia detur. Nam si loquamur de dote mulieris: hæc ordinata est ad sublevanda onera Matrimonii; si verò sermo habeatur de pecunia, quæ Sacerdoti elargitur: hæc traditur per modum eleemosynæ pro Sacrorum Ministrorum sustentatione, quo pacto datur pecunia pro Missæ celebratione.

Epulæ pro Nuptiis a Christo approbatæ.

Ad secundum. Moderata solemnitas per epulas, & convivia, quæ utique ordinatur ad exultationem, atque spirituale gaudium, non nisi male criminatur; quippe quæ eadem Christus in nuptiis in Cana Galilææ celebratis approbaverit, tum ipsius præsentià, tum miraculo conversionis aquæ in vinum.

Matrimonii inter absentes.

Ad tertium. Volunt aliqui, Matrimonium ante Baptismum contractum ratificari debere post sacram regenerationem, ut ad Sacramenti dignitatem elevetur. Quantùm ad aliud sunt qui dicunt, ratificari Matrimonium inter absentes initum, ut fraus omnis ablegetur. Alii verò dicunt, nequaquam ratificari, sed unice suppleri solemnitates; sicut ob idem momentum cum infantes domi baptizantur, iterum Ecclesiæ præsentantur. Vel dicas, ratum haberi a Conjugibus præsentibus, quod antea per Procuratores gestum fuit.

46 OBJIC. VIII. Sacramenta primam, vel secundam gratiam producunt: sed Conjugium nullam producit: aliàs melius esset Conjugium, quàm Virginitas, quæ Sacramentalem gratiam non producit; ergo.

Continentia perfectior Conjugio.

RESP. Matrimonium conferre gratiam abunde probatum est; non inde tamen colligi valet perfectius esse continentià. Nam aliud est statum cum statu comparare; aliud spectare modum operandi per Sacramentum. Status continentiæ perfectior est Statu Connubii, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Qui Matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Sacramentum autem Matrimonii in modo producendi gratiam nobilius est Virginitate; illud namque gratiam producit ex opere operato, hæc ex opere operantis. Quare continens, dum nubit, crescit in gratia; sed si propter Deum nolit nubere, plus gratiæ acquirit, quàm sit illa, quæ per Matrimonii Sacramentum confertur.

47 OBJIC. IX. S. Dionysius *De Ecclesiastica Hierarchia* loquens de Sacramentis, de Matrimonio altum habet silentium, & S. Hieronymus *adversùs Jovinianum* Conjugium deprimit: sed si esset Sacramentum, nec Dionysius siluisset, nec Hieronymus, illud parvipendisset; ergo.

Continentia Conjugio præferenda.

RESP. S. Dionysius ibi de Conjugio non agit; cum ejus institutum id non exigeret. Agebat de Ecclesiastica Hierarchia, & de sacris actionibus ab Ecclesiæ Ministris exercendis; ad quas peragendas, licèt alia Sacramenta necessariò prærequirantur, non tamen Matrimonium. S. Hieronymus haud deprimit Matrimonium ut Sacramentum, sed tantummodo continentiæ statum statui conjugali, utpote excellentiori, præfert; quod nemo nisi hæretice sapiens negabit.

CONTROVERSIA IV.

AN CONJUGIUM INTER ABSENTES SIT PROPRIE SACRAMENTUM.

48 DUrandus inter argumenta, quibus ostendere conatur, Conjugium inter Fideles non fore univoce Sacramentum cum reliquis novæ legis, supponit indubie, Matrimonium inter absentes celebratum non esse vere, & proprie Sacramentum, quamvis ejusdem plane rationis sit, ac Matrimonium initum inter præsentes; hoc propugnat *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 3. *num.* 11. Cajetanus *in Opuscul. Tract.* 12. *quæst.* 1., Franciscus a Victoria *in Summa n.* 244., Melchior Cano *lib.* 8. *cap.* 5., aliique, in eandem confluunt Sententiam. Audiatur Cano — Non igitur Ecclesia docet, quodlibet Fidelium Matrimonium Sacramentum esse. Nisi quis adeo desipit, ut Cajetanum damnet, qui & probabilissime, &, me quidem judice, verissime, Matrimonium inter absentes per literas, Procuratoresque contrahitur, Sacramentum esse inficiatus est — Quare ad Catholicam de Matrimonii Sacramento corroborandam veritatem, operæ pretium erit ad examen præsentem difficultatem revocare.

49 Pro cujus intelligentia notandum est

Quatuor conditiones in Procuratore ad contrahendum Conjugium.

est, ad Connubium inter absentes per Internuntium, seu Procuratorem, celebratum quatuor requiri conditiones. Prima est, quod Procurator hac super re speciale mandatum habeat; non enim sufficiens est generale, quo alicui omnia sua quis commendat. Secunda, quod mandatum de contrahendo Conjugio sit pro certa, atque determinata persona; siquidem nemo prudens rem maximi momenti, quanti est Matrimonium, censetur velle, nisi ipse personam, cum qua totum vitæ tempus transigere debet, Procuratori designaverit. Hinc tertia oritur conditio, quod scilicet Procurator per seipsum mandatum exequatur, nec alteri vices suas committat, nisi expressam habeat substituendi facultatem; eligitur namque personæ industria. Præcitatas conditiones habes ex Cap. *Procurator, de Procuratoribus* in 6., & citari solet sub Cap. *Finali, de Procurat.* in 6., quia ultimum est Constit. Bonifacii VIII. Ultima conditio ea est, quod Procurator, circa conditiones, quibus ineundum est Conjugium, stet mandatis; alioqui nullum foret. Nam *ex l. diligenter ff. mandati*, sine potestate agi censetur, quod excedendo mandatum exercetur. Regula hujusmodi jure optimo intelligenda videtur de intrinsecis conditionibus, atque essentialibus. Nam si Principalis extrinsecas præciperet adhibendas ceremonias, v. g. quod ab Episcopo exquiratur licentia, quod proclamationes habeantur, & Procurator ad hæc non attendat: boni nominis Doctores volunt, ipsum quidem peccare, sed valere contractum. Nam quæ formæ addantur, censentur extrinseca, ita ut sine illis possit subsistere; unde cum absque proclamationibus, vel Episcopi licentia, valeant nuptiæ, jam sequitur in eo casu valere Connubium. Excipies tamen conditionem, v. g. dotis, & similium; quamvis enim sine illis Matrimonium haberi possit, quia tamen sunt veluti requisita, & intrinseca contractus corrolaria, a Procuratore sunt exequenda.

Consensus Principalis Contrahentis permanere debet tempore executionis.

50 Nuptialis contractus per Procuratorem celebratus ideo subsistit, quia per Principalis consensum perficitur. Hinc eruitur quod Principalis consensus executionis tempore permanere debet; aliàs si fuerit revocatus, etsi hoc non innotuerit Procuratori, Connubium nullum est; ut declaratum legimus a Bonifacio mox laudato. Et meritò quidem; etenim consensus contrahentis essentialiter requiritur, taliter ut a Jure nequeat suppleri, sicut in aliis casibus suppletur, quando revocatio ad mandatarium non pervenit, *Clementina unica de renunciat. cap. In parte 33. de rescriptis. L. Si mandassem* 15. *ff. mandati*. Hinc si revocationis tempore Procurator mandatum exequatur, contractus per subsequentem ratihabitionem non revalidatur; cum ab initio nullus fuerit. Si revocatio tantummodo fuerit mentalis, coram Deo nullum est Conjugium; secùs in Foro externo. Porro revocatio exterior contingere potest sive verbis, sive Epistolâ, sive etiam facto; ut cum Principalis cum altera contractum inire vult; nam in aperto fit nolle cum priori contrahere, ob implicantiam contrahendi cum pluribus; quod indubium est, etsi juramento se adstrinxerit mandatum non revocandi. A crimine tamen non foret immunis, nisi justa intervenerit revocationis causa; sub ea namque conditione emissum intelligitur juramentum.

Quod si Principalis ficte ab initio mandatum dedit, sed inde, mutata voluntate, fictionem retractavit, verumque præstitit consensum, contendunt aliqui, nullum inde sequi posse contractum; cum Procurator consensum sibi commissum debeat exhibere, qui nullus revera erat. Alii verò validum affirmant: quia verba Procuratoris sunt signa consensus tunc existentis, atque consensum repræsentant præteritum quidem, sed prout censetur moraliter præsens: ille autem, qui fuerat nullus, nunc præsens verus est; ea propter factum tenet.

Quid si Principalis in amentiam inciderit tempore executionis.

Discriminantur itidem Theologi casu quo executionis tempore Principalis in amentiam inciderit. Nolunt plerique, validum esse, ob defectum præsentis consensus; sicut nullum utique foret Conjugium, si ille, qui primò voluit contrahere, factus amens præsentialiter contraheret. Oppositum alii sentiunt. Prior namque consensus moraliter perseverat; quo momento jure meritò adoptatur Baptismus adulto amenti collatus, si dum sanæ mentis erat, illum poposcerit. Hinc discrimen agnoscunt in stulto, qui personaliter contrahit; de præsenti namque per verba humana non fieret contractus; secus per Procuratorem, qui humano modo contrahit, referendo consensum Principalis moraliter; vel physice, præsentem. Aliter, etiam addunt, sentiendum esse, si ipse Procurator incidisset in amentiam; cum tunc temporis modo humano non contraheret. Verùm contra horum opinionem urget difficultas ex parte alterius contrahentis. Si enim Sponsa sciret, Sponsum in amentiam incidisse, dubio procul contractum non iniret, ob notabilem Status variationem. Pars igitur tutior in utroque casu amplectenda est; agitur enim de valore Sacramenti.

Quomodo per Procuratorem Connubium contrahendum sit.

51 Verba, per quæ Procurator contrahit, exprimere debent consensum præsentis traditionis, & acceptationis, nomine Principalis. Executio mandati coram Parocho, & Testibus, habenda est; his tamen prævie innotescere debet de veritate mandati. Porro haud necesse est, eâdem solemnitate tradi mandatum Procuratori; cum hæc ad præparatoria pertineant, ut a simili videre est in contractu inter præsentes; quidquid sit, an in Testamentis eadem requiratur solemnitas in executione, ac in collatione potestatis condendi Testamentum.

Quomodo per Epistolas.

52 Modo alio inter absentes contrahitur Conjugium; nempe per Epistolas. Tunc in Epistolis consensus traditionis, & acceptationis de præsenti ex parte utriusque contrahentis exprimi debet. Illæ porro insimul legi debent, præsentibus Parocho, & Testibus, explorata priùs Epistolarum veritate, si ex utraque parte litteræ habeantur; si verò tantummodo adsint ex parte unius, sat est, quod Pars altera consensum acceptet in litteris expressum, suumque præstet coram Parocho, & Testibus. His prælibatis.

DI-

DICENDUM, Conjugium in Ecclesia celebratum inter absentes veram sortiri Sacramenti rationem.

Christus naturam contractus Conjugii non immutavit.

53 PROB. I. Ubi Christus ad rationem Sacramenti Conjugium elevavit, nihil de natura Conjugalis contractus immutavit: sicut nihil de natura aquæ immutavit, dum eam elevavit ad Sacramenti materiam; atqui contractus Conjugalis in Ecclesia Dei indubie valet inter absentes: quod Adversarii non inficiantur; ergo illum elevavit Christus in Sacramentum.

In Conjugio inter absentes adsunt requisita ad verũ Sacramentũ.

54 PROB. II. Quoties propria Sacramenti materia, forma, & Minister, occurrunt, toties verum adesse Sacramentum ultro fatendum est: sed in Conjugio in Ecclesia inito inter absentes propria Sacramenti materia, forma, & Minister, occurrunt; ergo.

Prædicta coalescunt ex mutuo consensu expresso per verba de præsenti: ut loquitur Eugenii Decretum; & hæc adinveniuntur in casu, ut ex præsuppositis videre est; aliàs requisitam credimus adesse intentionem; ergo adinvenitur quidquid requiritur ad veram rationem Sacramenti, ac proinde Conjugium illud est verum Sacramentum.

Conjugium novæ, & veteris legis discriminantur.

55 PROB. III. Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 1. *Doctrinali* docet, Conjugium in lege Evangelica celebratum differre a Conjugiis veteris Testamenti, ex quo illud gratiam causet, secus hoc: sed Matrimonium inter absentes dubio-procul est legis Evangelicæ; ergo gratiam causat; ergo est Sacramentum — Cum igitur (ait Concilium) Matrimonium in lege Evangelica veteribus Connubiis per Christum gratià præstet; meritò inter novæ legis Sacramentum annumerandum —

Ecclesia probat Conjugia inter absentes.

56 PROB. IV. A veritate alienum est, Ecclesiam approbare Fidelium Conjugia, quin sint Sacramentum: cum ad sustinenda Matrimonii onera velit gratiam conferri; sed Ecclesia Principum Conjugia per Procuratorem celebrata approbat, ut quotidiana testatur experientia; ergo vere, & proprie, sunt Sacramenta.

Matrimonii inter absentes est novæ legis Conjugium.

57 PROB. V. Propositio universalis in materia necessaria, ad omnes particulares se extendit: sed Ecclesia universaliter definivit, Matrimonium esse novæ legis Sacramentum: aliàs etiam inter absentes celebratum est Matrimonium, & propositio versatur in materia necessaria, utpote dogmatica; ergo est Sacramentum.

Indissolubilitas in Conjugio a Sacramenti ratione.

58 PROB. VI. Conjugium apud Fideles celebratum inter absentes ratum est, & indissolubile; aliàs gravissima orirentur scandala, potissimùm cum Principes plerunque hi sint, qui per Procuratorem nuptias contrahunt, quarum dissolutio, ut in aperto est, gravissima afferret dissidia. Adde quod Tridentini Patres *Can.* 5. definierunt, Conjugium Fidelium, nullo apposito discrimine, esse indissolubile; quod absolute non dixissent, nisi omnia indiscriminatim indissolubilia credidissent. Atqui indissolubilitas Conjugii non aliunde habetur, nisi a Sacramenti ratione Cap. *Quanto, de divortio*; ergo inter absentes Conjugium vere, & proprie, est Sacramentum.

59 PROB. VII. Si hujuscemodi Conjugia inter absentes solummodo subsisterent in esse contractus civilis, & naturalis, eorundem causæ non ad Ecclesiasticum, sed ad politicum judicium devolverentur; atqui horum causas ad se avocat Ecclesia; ergo ea Sacramentis accensere non dubitat.

ADVERSA DISSOLVUNTUR.

60 OBJIC. I. Ratio Sacramenti Conjugii, eadem est, ac ratio ceterorum Sacramentorum: sed nullum Sacramentum inter absentes celebratum subsistit; ergo neque Conjugium.

Sacramentorum non una omnium natura.

RESP. Utique eadem est omnium Sacramentorum ratio in esse signi effectivi gratiæ: secus spectata qualitate materiæ, formæ, Ministri, aliarumque circumstantiarum; in his namque differunt ob diversos institutionis fines. Baptismus solummodo pro materia sensibile habet elementum; sola Eucharistia est Sacramentum permanens; in Pœnitentia suscipiens ponit materiam, in aliis ab extrinseco applicatur; quædam Sacramenta characterem producunt, quædam non. Cumque Conjugium involvat rationem contractus, quod aliis non competit Sacramentis, nil mirum si inter absentes celebratum Sacramenti naturam sortiatur.

61 OBJIC. II. Sicut actio, qua Sacramentum perficitur, est personalis ipsius Ministri, ita ejusdem receptio esse debet personalis: sed quando per Procuratorem celebratur Conjugium, receptio non est personalis, ut in aperto est; ergo.

Contractus inter absentes celebrari possunt.

RESP. Ultro concedimus, receptionem Sacramenti, ejusque operationem, debere esse personalem; sed juxta Sacramenti naturam. Porro natura Matrimonii est per modum contractus; adeoque petit, ut secundùm aliorum contractuum morem celebrari possit. Dicitur tamen personalis in eo, quod in persona Principalis, ejusque nomine, alter operatur; quod in aliis Sacramentis, quæ per modum contractus non sunt, non est invenire.

62 OBJIC. III. Quia in reliquis Sacramentis demonstrativa intersunt pronomina, v. g. *Ego*, seu *Te*, physica suscipientium præsentia necessariò requiritur: sed in Conjugio eadem intercedunt pronomina ex Cap. *licèt de Sponsa duorum*, ubi sequens contrahendi Conjugium forma refertur: *Ego te accipio in meam*; ergo.

Verba Ego te accipio &c. non sunt essentialia in Matrimonio.

RESP. In reliquis Sacramentis formalia verba essentialia sunt; proinde importanr physicam præsentiam. In Conjugio autem non sunt essentialia; nam in eo quæcunque sufficiunt signa exprimentia, & significantia mutuum utriusque consensum: & Contrahentes in signum assumere possunt sive nutus, sive Epistolas, sive verba, sive Internuncium. Itaque vis demonstrativa physicæ præsentiæ non est necessaria. Forma in laudato Canone relata non exprimitur ut essentialis, sed tanquam accommodatior, atque regulariter usurpanda.

63 OBJIC.

63 OBJIC. IV. Parochus Conjugio assistens ea verba profert: *Ego vos conjungo*: sed verificari non valent, quando per Procuratorem initur Conjugium; ergo.

Verba Parochi non sunt essentialia.

RESP. I. Ea verba non esse essentialia, ut *seq. Disp.* probabitur. II. Argumentum evincit, tale Conjugium neque ut contractum subsistere; quia illa verba neque civili vinculo Procuratores conjungunt. III. Præcitata verba apertam habent significationem. Etenim Procuratores propriam non referunt personam, sed alienam, idest mandantis, atque de eo verificantur. In Sacerdote, Christi personam agente, illa propositio verificatur: *Hoc est corpus meum*, cum Christi corpus, non verò Sacerdotis, ponatur sub speciebus.

64 OBJIC. V. Sicut Matrimonium est contractus, insimul & Sacramentum, ita Pœnitentia judicium est, & Sacramentum: sed Pœnitentia quamvis ut judicium inter absentes institui possit, nullimode tamen potest compleri ut Sacramentum; ergo quamvis Conjugium in ratione contractus inter absentes perfici valeat, nusquam perficietur ut Sacramentum.

Discrimen inter Conjugium, & Pœnitentiam.

RESP. Concedunt Adversarii, valere Conjugium inter absentes in ratione contractus, secus in ratione Sacramenti, verùm nequeunt concedere, valere Pœnitentiam ut judicium, quamvis non ut Sacramentum; fateantur igitur oportet discrimen aliquod Pœnitentiam inter, & Conjugium. Conjugium itaque est contractus adæquate juxta formam Fori exterioris; Pœnitentia verò est, quidem judicium, sed non complete juxta judicium Forense. In judicio Forensi non solùm Judex debet esse distincta persona a Reo, sed etiam Testis, & Accusator; in judicio verò pœnitentiali idem sunt Reus, Testis, & Accusator. Aliàs Sacerdos noscere debet præsentem pœnitentis dispositionem; quod utique in absentia contingere non potest. Unde meritò Pœnitentia ut Sacramentum compleri non potest; bene verò Conjugium.

65 OB. VI. Implicat, hominem peccare dormiendo: cum tunc temporis non adsit libertas ad peccandum requisita: atqui si Conjugium inter absentes foret Sacramentum, hoc contingere posset, casu nempe, quo Procurator nuptias celebraret, dum mandans gravi irretitus crimine dormiret; ergo.

Dormiens quando peccare potest.

RESP. Argumentum evinceret non subsistere Conjugium, neque in ratione contractus; etenim nemo dormiens in particulari contractu sese obligare potest. Ceterum qui die festo somno se tradit prævidens dormiturum longe post meridiem, Sacri auditionem omittendo, indubie delinquit. Eodem plane modo, cum mandans se quieti committit lethali reus crimine, prævidens tunc temporis ineundum esse Conjugium, utique mortaliter delinquit. Res clarescat. Qui mandatum dedit, debet quovis tempore paratum habere animum pro contrahendo Conjugio, adeoque pro suscipiendo Sacramento: ea propter obicem nequit apponere; unde peccando, atque in eo perseverando quoadusque contractus compleatur, sacrilegio eriminandus est.

66 OBJIC. VII. Absurdum est, quod quis in somno justificetur: sed evenire posset, quod, dum mandans cum sola attritione somno se tradit, Procurator Conjugium celebret; ergo in eo casu mandans justificabitur.

Justificatio in somnis.

RESP. Somniantur in nostro casu absurda, cum eadem occurrere possint in aliis Sacramentis. Si Cathecumenus Sacrum postulans regenerationis lavacrum somno detentus baptizetur, gratiam utique recipiet. Si pœnitens absolutionem petat, & amentià correptus absolvatur, dubio-procul justificabitur. Vi igitur illius non retractatæ voluntatis, qua voluit nubere, traditque mandatum, dum Conjugium completur, supposita attritione, quam inculpabiliter putat attritionem, justus evadet.

67 OBJIC. VIII. Novæ legis Sacramenta physice gratiam producunt *ex opere operato*: sed inter absentes hujusmodi physica gratiæ productio contingere nequaquam potest: ut si mandans Romæ existat, & Bononiæ contrahatur Connubium; ergo.

Dei virtus terminis non coarctatur.

RESP. Sunt, qui velint, eo in casu gratiam non physice, sed moraliter, produci, eo plane modo, quo Sacramenta eam causant, recedente fictione. Verùm his non urgemur; cum divina virtus, quæ in Sacramentis operatur, limites non patiatur. Ideoque Procurator licèt Bononiæ contrahat, Sacramentum Conjugii, ut Dei instrumentum, valet gratiam causare in mandante Romæ commorante.

68 OBJIC. IX. Conjugium inter absentes initum, solet præsentibus Conjugibus, iterum coram Parocho, & Testibus celebrari; at, si verum fuisset Sacramentum, iterari non deberet; ergo.

RESP. Non iteratur neque contractus, neque Sacramentum, sed solemnitates supplentur; quo pacto cum pueri domi baptizantur, iterum Ecclesiæ præsentantur. Insuper declaratur, a Conjugibus ratum haberi, quod a Procuratore peractum fuit.

CONTROVERSIA V.

AN EX INTENTIONE CONTRAHENTIUM IN ECCLESIA MATRIMONIUM, SEPARARI POSSIT RATIO CONTRACTUS A SACRAMENTI RATIONE.

69 Nervis omnibus contendunt Acatholici, Ecclesiæ doctrinam in suas partes trahere; cumque nonnullos deprehendant asserere, separabilem esse rationem Sacramenti a contractu Connubii, volunt non fore apud nos universim certum, Matrimonium esse novæ legis Sacramentum. Verùm enim verò licèt hujusmodi argumentandi methodus a veritate aberret, attamen pro elucidando Catholico dogmate, placet quæstionem hanc ad examen revocare. Cum igitur, ut alibi fusiori calamo probatum est, ad validam Sacramentorum susceptionem prærequiratur in adultis intentio, contingere potest, aliquem

 velle

velle nubere absque intentione faciendi Sacramentum. Hic porro est casus tituli Controversiæ, an scilicet eo in casu valeat Conjugium in esse contractus, non autem in esse Sacramentali. Utraque Catholica opinio suos sortitur Patronos; quoniam verò negativa solidioribus propugnatur momentis, ideo

DICENDUM est, Matrimonium inter Fideles celebratum in esse contractus haud esse separabile a ratione Sacramenti.

70 PROB. I. Si intentio necessaria ad valorem matrimonialis contractus est indispensabiliter intentio saltem virtualis Sacramenti, non potest, vi intentionis, separari ratio contractus in Conjugio a ratione Sacramenti: sed ex divina institutione contrahens in Ecclesia, per intentionem, qua vult nubere per modum contractus, vult facere Sacramentum; ergo Conjugium inter Fideles, vi intentionis, non est separabile a ratione Sacramenti. Cum major propositio ab Adversariis admittatur probanda est minor. Et primò quidem Eugenius IV. *in Instructione Armenorum* habet — Septimum est Sacramen-
„ tum Matrimonii, quod est signum conjun-
„ ctionis Christi, & Ecclesiæ secundùm
„ Apostolum. Causa efficiens Matrimonii
„ regulariter est mutuus consensus per verba
„ de præsenti expressus — Ex quibus instituitur argumentum. Mutuus consensus est causa efficiens Matrimonii formaliter in esse Sacramenti: de Matrimonio enim, ut Sacramentum est, loquitur Pontifex, utpote quod suscipit explicandum; volens itaque mutuum consensum vult causam efficientem Sacramenti; sed mutuus consensus est constitutivum Conjugii in esse contractus; ergo intentio constitutiva contractus est insimul intentio volitiva Sacramenti.

Mutuus consensus est causa efficiens Matrimonii.

Roboratur ex Cap. *Tua Fraternitati*, *de Sponsalibus*, *& Matrim.*, ubi Innocentius III. ad Episcopum Brixiensem habet — Matrimo-
„ nium in veritate contrahitur per legiti-
„ mum viri, & mulieris, consensum; sed
„ quantùm ad Ecclesiam necessaria sunt ver-
„ ba consensum exprimentia — Ex quibus sic instatur. Quoties consensus ab Ecclesia exigitus apponitur, toties datur Sacramentum: hoc enim intendit Ecclesia: sed consensus legitimus interior, exteriùs explicitus, est ab Ecclesia exigitus; ergo qui hunc apponit, vult, quod intendit Ecclesia, nempe Sacramentum perficere; sed consensus externe explicitus constituit Conjugium in esse contractus; ergo fieri nullimode potest quod rationem sortiatur contractus, & non Sacramenti.

71 PROB. II. Tridentinum *Sess.* 24. *Cap. Doctrinali* prævie ad anathematismus, quantùm ad ritus spectat, nullum agnoscit discrimen inter veteris, & novæ legis Conjugia, nisi quantum ad gratiæ collationem: sed sola intentio contrahendi sat erat in veteri lege ad esse Conjugii licèt imperfecti; ergo in lege nova, spectato ritu, intentio hujusmodi sufficiet ad esse Sacramenti, aliàs quoad ritus inter prædicta Connubia intercederet discrimen.

Conjugia novæ, & veteris legis æqualia quoad ritum.

72 PROB. III. Tridentinum *ibidem* propugnat, Conjugium in Evangelica lege fore Sacramentum: sed ritè celebratum inter Fideles est Conjugium legis Evangelicæ: non enim est veteris, aut legis naturæ Conjugium; ergo.

Conjugium in Ecclesia est Sacramentū.

73 PROB. IV. Nubere nemo potest juxta Ecclesiæ formam, quin velit, quod vult Ecclesia: sed nemo potest velle legitime nubere in esse contractus, quin nubere intendat justa Ecclesiæ formam: Ecclesia siquidem Sanctionibus suis habiles, vel inhabiles reddit personas ad contrahendum; ergo vult, quod intendit Ecclesia; sed dubio-procul Ecclesia conditiones legitimi contractus præscribendo, intendit Sacramentum; ergo certò certiùs volens in Ecclesia legitimum Connubii contractum, vult saltem virtualiter Sacramenti rationem.

In Conjugio Ecclesia intendit Sacramentum.

74 PROB. V. Conjugium, quod est ratum, idest, indissolubile, Sacramentum est: sed Conjugium inter Fideles celebratum, est ratum, & indissolubile; ergo est Sacramentum. Argumentum diserte habetur Cap. *Quanto*, *de Divortiis*, ubi Fidelium Conjugium ratum censetur, idest, indissolubile, quia Sacramentum; secus Conjugium infidelium, quod ratum non est, idest, indissolubile, quia non est Sacramentum. Porro si per intentionem contrahentium sejungi posset ratio Sacramenti a natura contractus, nulla est Canonis definitio, vel saltem diminuta dicenda foret; cum explicationem apponere debuisset, videlicet, dummodo Fideles facere Sacramentum intenderent; ergo.

Inter Fideles Conjugium est ratum.

75 PROB. VI. Nequit intendere Fidelis civilem nuptialem contractum, quin intrinsecam velit significationem in eo civili contractu ex divina institutione involutam. Nemo enim in essentiam potest ferri, quin & in proprietates feratur; nam si *ex l. ad rem mobilem*, *ff. de procuratoribus* qui vult consequens, vult etiam antecedens, ex regulis oppositionis qui vult antecedens, vult itidem consequens. Porro ex divina institutione in civili nuptiarum contractu a Fideli celebrato involvitur significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia; & hunc referunt sensum verba Pauli ad Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Ratio in aperto est. Siquidem ex quo quis Sacro regeneratus est lavacro, jam est de Ecclesia, jam pertinet ad Christum; proindeque ex quo baptisatus nuptialiter conjungatur, illa resultat significatio, nec contrahentibus optio datur hujuscemodi impediendi significationem. Civilis itaque nuptialis contractus, connotans subjectum baptizatum, nullo alio apposito, eam involvit significationem; & quemadmodum baptizatus per suam intentionem illud connotatum sejungere non valet, ita neque impedire potest illius significationis resultantiam. Hoc idem exprimitur Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; idest, non est in hominis potestate significationem, quam Deus voluit in legitimo civili nuptiarum contractu, tollere, aut separare.

Significatio intrinseca Conjugii.

76 PROB. VII. Pœnitentia, & Conjugium in eo a reliquis Sacramentis discriminantur, quod in his materia est quid sensibile exteriùs appositum, in illis verò actus pro-

Discrimen Conjugii ab aliis Sacramentis.

proprii pœnitentis, & nubentis, sunt materia. Præstat S. Thomam audire 3. *Part. quæst.* 84. *art.* 1. *ad* 1. — In aliis autem Sacramentis, „ quæ habent effectum correspondentem hu„ manis actibus, ipsi actus humani sensibi„ les sunt loco materiæ, ut accidit in Pœni„ tentia, & Matrimonio — & *in Suppl. quæst.* 42. *art.* 1. *ad* 2. — Sacramentum Ma„ trimonii perficitur per actum ejus, qui „ Sacramento illo utitur, sicut Pœnitentia; „ & ideo sicut Pœnitentia non habet aliam „ materiam, nisi ipsos actus sensui subjectos, „ qui sunt loco materialis elementi, ita est „ de Matrimonio -- Sed pœnitens actus suos non valet sensui subjicere, quin insimul faciat, & velit facere, judicium, & Sacramentum; ergo nubens nequit suos actus sensibiles reddere, nolens facere, & velle, contractum, & Sacramentum.

Addi posset Canon *Si conditiones, de conditionibus appositis*, ubi turpes, & impossibiles conditiones habentur ut non adjectæ, & Can. *Si vir, vel mulier de Cognat. Spirituali*, ubi asseritur, dolum, aut fraudem, nemini patrocinari; nolle autem facere Sacramentum, dum quis contrahere vult, turpis est conditio, & dolus in modo nubendi intervenit.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

77 OBJIC. I. Ex Eugenio IV. *in Instruct. Armenorum* Sacramentum tribus perficitur, materiâ, formâ, & intentione Ministri, & suscipientis: sed in casu, quo quis nubere intenderet, nolens tamen facere Sacramentum, deesset ex parte suscipientis intentio; ergo non compleretur Sacramentum.

RESP. Ad Sacramenti valorem virtualis Sacramenti intentio sufficiens est; qui autem vult legitime nubere intra Ecclesiam, Sacramentum virtualiter intendit. Etenim absque ulla immutatione Christus ad Sacramenti materiam ipsosmet actus elevavit, per quos civilis perficitur contractus; nec illa virtualis intentio per expressam Sacramenti nolitionem infirmatur, si semel actus nubentis validum efficiant contractum. Hac de re exemplum occurrit in Baptismo a Calviniano ministrato, intendente baptizare juxta Christi institutionem, habendo tamen explicitam intentionem baptizatum adscribendi Calvinianæ Ecclesiæ, & nullimode Romanæ. Baptismus hujusmodi a Doctoribus propugnatur validus; intentio namque perficiendi Sacramentum juxta Christi institutionem, virtualiter dicit intentionem adscribendi Romanæ Ecclesiæ baptizatos; quæ intentio, quippe quæ generalis, & legitima, a particulari erronea non inficitur. Similiter qui legitime vult nubere, videlicet, juxta formam pro civili contractu ab Ecclesia præscriptam, virtualiter vult Sacramentum perficere; cum Ecclesia contractum illum ad Sacramentum ordinet intrinsece; hæc porro virtualis intentio a vitiata peculiari intentione destrui nequaquam potest.

Intentio virtualis legitima, & generalis non infirmatur per expressã nolitionem.

78 OBJIC. II. Quamvis aqua a Christo elevata sit ad materiam Sacramenti, attamen nisi accedat intentio eâ utendi in Sacramentalem ablutionem, ablutio, alia intentione, peracta, nequaquam Sacramentum constituit; ergo quamvis Christus civilem contractum in Sacramentum elevaverit, nisi adsit intentio faciendi Sacramentum, hoc nequit constitui.

RESP. D. Thomas discrimen apposuit inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonii, & reliqua Sacramenta. In reliquis Sacramentis materia est res externa, ab alio exteriùs modo humano applicata; adeoque ex parte applicantis intentio requiritur, sicut ex parte adulti suscipientis; & cum non sit statutus determinatus modus physicam suscipiendi ablutionem, ideo intentio suscipiendi physicam ablutionem sejungi valet ab intentione faciendi Sacramentum. In Connubio autem materia constitutiva Sacramenti sunt iidem actus constituentes absque ulla immutatione civilem contractum; & ideo qui vult legitimum contractum, vult virtualiter, & per connexionem Sacramentum.

Intentio quid valeat in aliis Sacramentis.

Addas velim, eum, qui vult aquâ ablui juxta formam ablutionis ab Ecclesia declaratam, velle similiter implicite Sacramentalem ablutionem, nec physicam a Sacra ablutione separare posse. Cum igitur fieri nequaquam possit, legitime nubere intra Ecclesiam, & non nubere secundùm Ecclesiæ leges, quæ illum contractum individualiter immutatum agnoscit, atque ut Sacramentum constituit, nequit nuptialis contractus intendi ut legitimus, quin insimul virtualiter intendatur ut Sacramentum.

79 OBJIC. III. Ex proscripta 28. propositione ab Alexandro VIII. non valet — Ba„ ptismus collatus a Ministro, qui omnem „ ritum externum, formamque baptizandi „ observat, intus verò in corde suo resolvit, „ non intendo, quod facit Ecclesia — quamvis ritus ille exterior sit secundùm Ecclesiæ regulam; ergo non valet Conjugii Sacramentum per hoc quod extrinsece civiliter quis contrahat dicens in corde, non intendo facere Sacramentum.

RESP. Ecclesia invalidum meritò affirmat Baptisma illud; quia ibi nullam interiorem, sive virtualem, sive formalem, adesse intentionem compertum habet; Auctor namque illius propositionis omnem amandabat interiorem volitionem. In casu nostro necessitatem, & existentiam, internæ intentionis ultro admittimus; volumus enim contrahentem interiùs, exteriusque, legitimum exhibere consensum nubendi; hunc porro dicimus formalem fore volitionem contractus, & virtualem Sacramenti, & Ecclesiæ. Si autem intentio ritus exterioris esset interior virtualis volitio Baptismi, irrevocabilis ab illa peculiari restrictiva, & exclusiva ministrantis, aliter res se haberet; quoniam verò propositio omnem interiorem volitionem abiegat, & jure & meritò, fuit execrata.

Explicatur sensus proscriptæ Propos. 28 ab Alex. VIII.

80 OBJIC. IV. Ad Conjugium, ut contractus est, concurrit dispositio Sæcularis Magistratus, ut suo apte loco dicetur, absque eo quod circa naturam Sacramenti versetur; ergo civilis contractus, & ratio Sacramenti, necessariam non dicunt connexionem.

RESP. Ad materiale peccati concurrit Deus absque eo quod ad formale concurrat; & tamen nequit Creatura velle materiale, & non formale peccati. Itidem stat, intellectum ut vitalem concurrere ad vitalitatem in actu Fidei, non verò ad supernaturalitatem, juxta eorum placitum, qui volunt auxilium, & gratiam, haud esse totam proximam agendi rationem; & tamen ponitur actus Fidei in esse vitalis, & non attingitur supernaturalitas. Poterit igitur admitti (quidquid sit de veritate rei, de quo infra) dispositio potestatis Secularis circa necessarias conditiones ad legitimum contractum, quin disponat de ratione Sacramenti; non tamen admitti poterit, quod Fidelis velit legitime nubere, & Sacramenti rationem sejungere. Deus illum contractum ut civiliter legitimum sine ulla immutatione elevavit; unde in Ecclesia contractus civiliter legitimus volitus, est insimul Sacramentum volitum virtualiter.

Dispositio Secularis Potestatis nil efficit rationi Sacramenti.

81 OBJIC. V. Ratio contractus rationem Sacramenti præcedit, atque ab ea separabilis est, ut compertum est in non baptizatis: sicut in Baptismo physica ablutio est prior ipsâ ut Sacramentum; ergo dari valet nuptialis contractus absque Sacramento.

RESP. Illâ admissâ prioritate, haud dari potest practice in Ecclesia, quin ratio Sacramenti intendatur. Deus siquidem legitimum contractum elevavit in mysterium; unde statim ac a baptizatis intenditur, mysticam habet significationem ab Apostolo declaratam, nec hujusmodi significatiu a contrahentium voluntate dependet. Servata rerum proportione, ad legitimum baptizatorum contractum mystica sequitur significatio, sicut ad Baptismi susceptionem consequitur obligatio divinam legem servandi; & sicut nemo potest seriò Baptismum eligere, quin saltem virtualiter obligationem eligat servandi legem, & quantumvis, iteratis actibus, illam eludere conetur, nihil operatur, ita & in nostro casu.

Mystica significatio in baptizatis inseparabilis a ratione contractus.

Apud Infideles utique sejungi potest ratio Sacramenti a legitimo contractu, defectu conditionis, & connotati a Christo requisiti; Christus namque non quemcunque nuptialem contractum elevavit, sed tantummodo Baptizatorum, non tantùm ob generale principium, quod Baptismus sit Sacramentorum janua, sed ob specialem hujusce Sacramenti rationem, utpote significans Christi unionem cum Ecclesia, ad quod prærequiritur, quod contrahentes Christum induerint in Baptismate, & Sacri lavacri susceptione Ecclesiam exteriùs profiteantur. Necesse tamen haud est, quod contrahentes sint viva Ecclesiæ membra, vel actu formaliter in ipsa sint; sed sat est, medio Baptismate, charactere sint insigniti. Ita porro apud Ethnicos est separabilis ratio Sacramenti a Matrimonio, ut accedente Baptismate, nuptialis contractus in infidelitate celebratus non transeat in Sacramentum. Siquidem ad Sacramentum necessariò requiritur materia, & forma, & non sufficit appositio connotati, & conditionis: quando verò Conjugati Infideles baptizantur, materia, & forma, non sunt præsentes: consistunt namque in mutua traditione, & acceptatione, quæ præcessit, quando legitime contraxerunt Conjugium. Et licèt denuo se traderent, non fieret Sacramentum; hæc quippe nova traditio non est constitutiva novi contractus, sed simplex ratificatio præteritæ traditionis.

Conjugium apud Infideles separabile a ratione Sacramenti.

82 DICES. Sacramentum Conjugii consistit, ut ajunt, *in facto esse*, scilicet in vinculo indissolubili, quod ex contractu resultat, sicut Eucharistia in speciebus consecratis: illud enim vinculum aptiùs Christi unionem cum Ecclesia refert, quàm actualis nuptiarum celebratio; cumque vinculum hoc præsens sit, quando Conjugati Infideles baptizantur, transire in Sacramentum meritò dicetur.

RESP. Communis Doctorum Sententia ea est, quæ propugnat, Conjugium fore Sacramentum *in fieri*, quamvis Bellarminus, Layman, & Sanchez, in oppositum inclinent. Res in aperto est. Sacramentum siquidem est signum sensibile practicum Gratiæ; vinculum verò non est signum sensibile: non enim exteriùs apparet; nec est Gratiæ effectivum, quod suo usu *ex opere operato* sanctificet, alioquin quoties Nupti maritaliter cohabitarent, Gratiam reciperent Sacramentalem. In Eucharistia species ipsæ consecratæ sensibiles sunt, & in suo usu, atque applicatione Gratiam nutritivam producunt. Vinculum, quod remanet, res est significata; per se autem nec Gratiam, nec Christi cum Ecclesia unionem refert. Dixi *per se*; nam ut externo subest contractui, prædictam Christi cum Ecclesia unionem significat. Ipse enim actualis contractus Gratiam immediate denotat, sicut & unionem Christi cum anima per charitatem, insimul Christi unionem cum Ecclesia; quæ significatio, licèt in se transierit, remanet tamen in vinculo; eo plane modo, quo significatio, & professio Baptismi virtualiter remanet in charactere. Cum verò in actualibus nuptiis Infidelium actualis defuerit significatio, vinculum quod remanet, non est sufficiens, ut accedente regenerationis lavacro, elevetur in Sacramentum.

Conjugium est Sacramentum in fieri.

83 INSTABIS. Conjugale vinculum apud Infideles contractum post Baptismum fit æque indissolubile, sicut in reliquis Fidelibus: sed hoc non subsisteret, nisi Nuptiæ conversorum ad Fidem in Sacramentum transirent; ut videre est ex Can. *Quanto de divortiis*; ergo.

RESP. Firmitas illa, quæ ad Baptismum subsequitur, est velut quædam extensio privilegii baptismalis; & sicut qui Sacro regenerantur lavacro, quodammodo sacrantur, ita a Fide beneficium indissolubilitatis participant. Fidelium autem Conjugia ab intrinseco ratione Sacramenti illam omnimodam dicunt firmitatem; & de his loquitur laudatus Canon, de illis nempe, qui post susceptum lavacrum nuptialiter contrahunt.

Conjugale vinculum ratione Sacramenti indissolubile.

84 REPLICABIS. S. Thomas *in Supplem. quæst. 59. art. 2. ad* 1. affirmat, Conjugium Infidelium esse Sacramentum habitualiter — Matrimonium tale (*idest Infidelium*)
„ est aliquo modo Sacramentum habituali-
„ ter; quamvis non actualiter, eo quod actu
„ non contrahunt in fide Ecclesiæ —. ergo

mens

mens S. Doctoris ea est, ut, accedente regenerationis lavacro, transeat ad esse actualiter Sacramentum.

RESP. S. Thomas Conjugium Infidelium nuncupat Sacramentum habitualiter, ratione legitimi contractus, qui secundùm se capax est Sacramenti; sed ex delectu connotati non est actualiter Sacramentum. Quando autem Fidem adoptant Catholicam, ponitur quidem connotatum, sed cetera requisita, scilicet mutua actualis traditio, deficiunt. Porro Baptisma fore connotatum ad Sacramenti rationem requisitum innuit *ibidem* S. Doctor, quatenus docet, non esse actualiter Sacramentum, quia non contrahunt in fide Ecclesiæ. Ea propter non aliud requiritur, ut Conjugium sit Sacramentum, nisi quod contrahentes sint baptizati; hi autem, ex quo velint nuptialiter contrahere, saltem virtualiter volunt Sacramentum. Hoc intendebat Angelicus, qui *ibid. quæst.* 45. *art.* 4. habet -- Dicendum, quod sicut se habet „ ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum, ut dictum est; unde sicut si aliquis „ ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus: ita expressio verborum sine interiori „ consensu Matrimonium non facit -- Consensus itaque legitimus in Conjugium Fidelium illud est, quod facit Sacramentum, & solus consensus, qui contractum constituit, constituit insimul & Sacramentum.

Baptismus requiritur ad rationem Sacramenti Matrimonii.

85 Quoniam verò de Matrimonio Infidelium sermo incidit, dubium occurrit; num, si ex permissione, & Ecclesiæ dispensatione, Baptizatus contrahat cum Infideli, num, inquam, Conjugium illud saltem ex parte Fidelis rationem Sacramenti sortiatur?

Negative reponit Gonet. Quia sicut non subsistit in esse contractus, nisi uterque consentiat: ita neque in esse Sacramenti, quin uterque baptismalem habeat characterem; cum uterque sit Minister. N. Andreas *Tract. IX. de Matrimonio dub.* 3. *num.* 83. affirmativam Sententiam propugnat. Baptizatus siquidem Sacramenti capax est; ideoque ex parte ipsius Sacramentum est; concurrunt enim materia, forma, Minister, & subjecti capacitas. Huic Sententiæ vim addunt, qui contendunt, Matrimonium duplex fore partiale Sacramentum; nam partiale erit Sacramentum in Baptizato, quin tale sit ex parte Infidelis; sicut contingeret fieri partiale Eucharistiæ Sacrificium, si una tantummodo fieret consecratio.

Conjugium Fidelem inter, & Infidelem est Sacramentum.

Et sane nequaquam censendum est, Ecclesiam largiendo pro tali Conjugio dispensationem, velle filium suum carere gratiâ ad Conjugii onera sustinenda. Quapropter cum dispensat Ecclesia, supponit, baptizatum verum perficere Sacramentum, deficere tamen ex parte Infidelis defectu connotati; sicut si unus ex contrahentibus baptizatis obicem apponat Gratiæ, hic Sacramenti effectum non recipit, bene verò qui dispositus contrahit.

86 Nec momenti est, quod perpendit Gonet. Baptismus namque, & Conjugium, sicut non requirunt Ministrum consecratum, ita nec baptizatum. Quare sicut Infidelis legitime baptizat, si juxta Ecclesiæ leges abluat; ita legitime administrat in Conjugio. Ratio in aperto est. Etenim non aliter contrahentes sunt Ministri, nisi quia mutuò se tradunt, & acceptant; unde, si aliàs cetera adsint requisita, Sacramentum perficitur; porro cum ex parte Baptizati nil desideretur, jure optimo dicetur ex parte ipsius fieri Sacramentum, modo licèt imperfecto, quatenus perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia non intercedit.

Conjugium non requirit Ministrum baptizatum.

87 Haud tamen censendum est duplex partiale Sacramentum intervenire. Conjugium siquidem unicum est signum ex unica materia, & forma, consurgens; unice significat Christi unionem cum Ecclesia; unus itidem est contractus ex mutuo consensu coalescens. Non adinvenitur duplex contractus, ex quo unius verba terminent ad invicem verba alterius; cum hæc mutua traditio, & terminatio, ad unum constituendum contractum sit necessaria; & in hac mutua traditione, & terminatione, completur significatio, & gratia causatur.

Conjugium non est duplex partiale Sacramentū.

Nec est simile in Eucharistia. Quælibet namque species per se suam habet formam, suam efficientiam, completamque significationem ab alia discretam, & utraque tantummodo concurrit ad unum integrandum convivium.

88 DICES. Unum Sacramentum nequit in duobus subjectis reperiri, nec duplicem causare gratiam: Sacramentum porro Conjugii duos afficit, duosque sanctificat; ergo non est unum.

RESP. Prædicta non urgent. Nam esse Sacramenti in ratione contractus fundatur; hujus autem natura indubie postulat inter duos absolvi, duosque afficere; & contractus hujusmodi elevatur in Sacramentum, & sic elevatus gratiam in utroque contrahente producit, si apta occurrat dispositio. Si verò alter ponat obicem, unum tantummodo sanctificat; non quidem ex intrinseco defectu, sed ratione impedimenti ex parte suscipientis.

Esse Sacramenti Matrimonii fundatur in ratione contractus.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

CONTROVERSIA UNICA.

AN SACERDOS SIT MINISTER SACRAMENTI MATRIMONII.

1 KEmnitius, ut Matrimonium in Ecclesia initum ex Sacramentorum albo expungat, ex discrimine opinantium Theologorum circa materiam, formam, atque Connubii Ministrum, validissime urgere credit Catholicos. Audet affirmare *2. p. Exam. Trident. pag.* 1220. nondum Catholicos fingere potuisse quidquam, quod apte dici posset hujusce Sacramenti materia, & forma; hinc Tridentinum impie carpit, quod in re tam ancipiti nil certi decreverit. Refert *sequenti pagina* Gropperum docentem, formam esse Christi verba Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Attamen Gropperum ab hac calumnia vindicat Bellarminus *Contróv. 2. de Matrim. lib. 1. cap. 6.*

Catherinus *Opusc. de Matrimonio* peculiarem protulit Sententiam, dicens, Ministrum Sacramenti Conjugii Deum fore; formam verò esse verba illa: *Relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ*; quatenus a Deo priùs dicta, fuere postmodum a Christo confirmata; ea tamen non esse ab aliquo Ministro repetenda, dum Connubia celebrantur, sed eadem primò prolata nuptias illicò sanctificare, siquidem per modum legis semper loquuntur. Ast hujusce modi opinio nullum habuit auditorem; & meritò. Equidem Deus omnium Sacramentorum Auctor est principalis; secus ministerialis. Verba debent materiæ per actualem moralem conjunctionem aptari; hoc autem impræsentiarum nequaquam verificari in aperto est. Nec sat est scriptis fore commendata verba. Etenim & aliorum Sacramentorum formæ scriptæ sunt: & tamen ad unum omnes fatentur esse repetendas, dum Sacramenta conficiuntur.

Melchior Canus *lib. 8. de Locis Theologicis cap. 5.* propugnat, Ministrum Sacramenti Matrimonii esse Sacerdotem ea verba proferentem: *Ego vos conjungo*. Canum imprudenter egisse judicat Bellarminus *loco cit* quatenus, dum pro sua opinione pugnat, his utitur argumentis, quibus Novatores Ecclesiam vexare possent. Sed ipsum Sorbonius Ordinis Minorum vindicat, Bellarminum refellendo. Sotus, qui Tridentino interfuit, hanc Sententiam novitatis, ac temeritatis insimulat. Verùm Estius ab hac nota illam defendit; cum a Patribus nequaquam alienam, immo probabilem suadeat; quamvis absolute eam propugnare non audeat.

Ævo nostro Cani opinio Patronos habet Franciscum Sylvium *in Comment. quæst. 42. supplementi D. Th. art. 1.*: Jueninum *in Comment. Hist. Dogmat. Tom. 2. Diss. 12. quæst. 3.*,

A & in Dissertatione Gallico Idiomate conscripta ad propugnandam hanc Thesim, ubi Bacchalanreos Parisienses, aliosque Doctores laudat: Natalem Alexandrum *Tom. 2. Moralis Dogmatica lib. 2. art. 5.*: Contensonium *Tom. 2. Theologia mentis, & Cordis lib. 11. p. 4. Dissert. 4. cap. 1. prop. 3., & 4.* In hac Sententia non omne Matrimonium ratum inter Fideles est Sacramentum, sed illud tantummodo quod a Sacerdote ministratur.

DICENDUM tamen, Sacerdotem nullimode esse Ministrum Sacramenti Matrimonii.

B 2 PROB. I. Sacramentorum naturam ex Scripturis venari debemus: cum eorundem institutionem a libera Dei voluntate dependere nemo est, qui non videat; atqui ex iisdem compertum est, Ministrum Connubii alium non esse a Contrahentibus; ergo non est Sacerdos. Minor evincitur. Scriptura Sacramentorum naturam explicans, in aliis a Matrimonio Sacramentis Ministrum describit discretum a Suscipiente; hinc de Baptismo habetur Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris* &c., De Confirmatione Act. 8. *Imponebant manus*, De Eucharistia Luc. 22. *Hoc* *Scriptura non alium a contrahentib. Ministrū designat.*

C *facite in meam commemorationem*, De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, De Extrema Unctione Jacob. 5. *Inducat Presbyteros* &c., De Ordine Act. 6. *Et orantes imposuerunt manus*. De Conjugio autem nullam aliam a Contrahentibus ministerialem designat causam; ea propter Matth. 19. explicata conjunctione viri cum fœmina per consensum, absolute dictum est a Christo: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Hic quilibet alius a Conjugibus excluditur; ergo.

3 PROB. II. Christus Matrimonium illud ad Sacramenti dignitatem elevavit, *Matrimonium a Christo elevatum ad esse Sacramenti.*

D quod *Gen. 2. v. 23., & seq.* describitur, ut clare comprobatur ex cap. 19. Matthæi, ex cap. 5. ad Ephesios, & ex Tridentino *Sess. 24.* in Cap. *Doctrinali*, ubi pro Matrimonio in lege gratiæ verba Geneseos usurpantur; atqui eo loci Minister non alius fuit a Contrahentibus: id enim designatur per illa Adæ verba: *Nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; ergo.

E 4 PROB. III. In reliquis Sacramentis Ministro activus convenit concursus, puta baptizare, imponere manus, consecrare, peccata remittere, ungere: sed hujusmodi concursus relate ad Matrimonium ex Scripturis convenit ipsis Contrahentibus; ergo. Minor evincitur ex locis supra cit. Gen., Matth., & ad Ephes. *Relinquet homo . . . & adhærebit uxori suæ*, idest, ipse unionem faciet, non autem ab altero unietur. 1. ad Corinth. 7. vers. 9. *Quod si non se continent, nubant*: vers. 28. *Et si nupserit Virgo, non peccavit*: *Minister Sacramentorum active concurrit.*

vers.

vers. 39. *Cui vult, nubat; tantùm in Domino*. Nubat active; quia in hoc Sacramento Contrahens Susceptor infimul est, & Minister; secus in reliquis Sacramentis. Dicitur: *Baptizetur unusquisque vestrum*, non verò dicitur se baptizet; *Remitetur ei*, non, sibi remitet &c.

Matrimonium elevatũ ad esse Sacramenti secundũ naturam legitimi contractus.

5 PROB. IV. Christus Conjugium in Sacramentum assumpsit secundùm naturam legitimi contractus, ut omnibus compertum est: atqui legitimus contractus per ipsos Contrahentes essentialiter perficitur: ipsi enim sunt Ministri, ipsi apponunt materiam, ipsi formam; ergo Christus alium a Contrahentibus Ministrum nequaquam in Conjugio constituit.

Doctrina Eugenii IV.

6 PROB. V. Ex doctrina Eugenii IV. *in instructione Armenorum*, Minister est causa conferens Sacramentum, idest, est causa efficiens ministerialis: sed ex laudato Pontifice Contrahentes sunt efficiens causa Sacramenti Matrimonii -- Septimum est Sa„ cramentum Matrimonii, quod est signum „ conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, secun„ dùm Apostolum . . . . Causa efficiens Ma„ trimonii regulariter est mutuus consensus „ per verba de præsenti expressus -- His explicat Pontifex Ministrum, materiam, totamque Sacramenti naturam. Mutuus consensus est formalis materia, seu forma Matrimonii constitutiva, unde oritur perpetua, atque indissolubilis obligatio: Contrahentes autem sunt causa consensus, seu exhibent consensum; porro qui in Sacramentis exhibet materiam, si Pœnitentiam excipias, agit Ministri partes. Itaque Contrahentes mutuum axhibent consensum, prout est formale constitutivum Matrimonii, eoque mediante inducunt perpetuam obligationem, ea propter dicitur consensus causa efficiens Matrimonii, idest vinculi ex formali constitutione resultantis, quam ipsemet consensus efficit.

Eugenius IV. loquitur de Matrimonio ut Sacramento.

7 Momentum hoc enervare contendit Jueninus volens *Matrimonii* vocem ab Eugenio eo loci usurpatam esse æquivocam -- Po„ test nimirum sumi pro Matrimonio, vel „ prout est contractus naturalis, & civilis, „ vel prout est novæ legis Sacramentum. Ni„ hil est in Eugenii Decreto, quo probetur, „ eam sumi hoc ultimo sensu. Nec mirum; „ de industria nempe cavit Summus Pontifex, „ ne definiret Scholasticam quæstionem, de „ qua agitur, unde post hæc verba *Septimum* „ *est Sacramentum Matrimonii* illis usus non „ est: *Cujus Sacramenti* &c. licèt de ceteris „ Sacramentis agens ea adhibuerit --

Verùm arbitraria prorsus est Juenini expositio. Pontifex siquidem assumit explicandam naturam Matrimonii, ut Sacramentum est: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum* &c.; & hujusmodi causam efficientem astruit consensum. Et sane non minus Armenos edocebat existentiam, essentiam, & effectus Matrimonii, quàm aliorum Sacramentorum; si ergo de his agit, vere ut Sacramenta sunt, cur non aget de Matrimonio determinate ut est Sacramentum? Hoc clariùs evincitur ex quo subdat: *Tria sunt bona Matrimonii; primum Proles suscipienda, & educanda, ad cultum Dei* &c.

Porro Conjugium ut est civilis contractus non respicit prolem ad Dei obsequium instituendam, sed ad lumen rationis, atque politicum bonum; igitur perperàm dicitur, ibi non agi de Matrimonio, ut Sacramentum est. Nec quidquam refert, Eugenium in reliquis Sacramentis referendis repetere nomen Sacramenti, ut de Baptismo: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus. Materia hujus Sacramenti* &c.; secus ubi de Matrimonio. Non refert, inquam; etenim Sacramenti rationem satis innuerat, Apostoli sensa adducendo, nempe *Sacramentum hoc magnum est* &c.

Expenditur mens Tridentini.

Tridentinum *Sess. 24. in cap. Doctrinali* inter Matrimonium a Patribus veteris legis contractum, illudque post Christum celebratum a Fidelibus, nullum apponit discrimen, nisi in eo quod horum Connubium præstat gratiâ, quam causat, proindeque est proprie Sacramentum: sed Matrimonium in veteri lege non contrahebatur, medio Sacerdote ut Ministro; ergo inter Christianos celebratum absque Sacerdotali Ministro in esse Sacramenti subsistit.

Idem Concilium *eadem Sessione cap. 1. de reformatione Matrimonii* docet, Conjugia clandestina fuisse rata, ac vera Matrimonia -- „ Tametsi dubitandum non est, Clandestina „ Matrimonia, libero Contrahentium con„ sensu facta, rata, & vera esse Matrimo„ nia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit: „ & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos „ Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea „ vera, ac rata, esse negant -- sed talia Clandestina Conjugia erant vera Sacramenta; ergo.

Major Propositio explicatur, ut Juenini responsiones eludantur. Concilium *ibidem* loquitur de clandestinis Connubiis per defectum Parochi; & non per defectum tantummodo Testium, ut loquitur cit. Auctor. Nam de iis agit Conjugiis, qui libero Contrahentium consensu inita sunt; atqui sine Parochi præsentia potest dari liber Contrahentium consensus; ergo. II. Agit Concilium de iis Conjugiis, quæ nunc utpote clandestina irrita sunt: sed impræsentiarum irrita sunt, quia sine Parochi, & Testium præsentiâ contracta; ergo tunc rata erant ut clandestina ex defectu Sacerdotis, & Testium. III. Loquitur Synodus de illis Matrimoniis, quæ nunc clandestina censentur, ubi Tridentinum non est adoptatum: in iis autem regionibus clandestina sunt ex defectu præsentiæ Parochi; ergo. IV. Sermonem instituit Concilium de illis, ex quibus quandoque sequebatur, ut relicta uxore, cum qua quis clam contraxerat, ad alias nuptias transibat: sed si Parochus adfuisset ut Minister, jam Ecclesia secundum Matrimonium impedire valuisset; ergo.

Nunc minor Propositio enucleatur I. Patres dicta Conjugia eodem modo vera, & rata, nuncupant, quo sunt illa, quæ coram Parocho, & Testibus celebrantur: sed hæc sunt Sacramenta; ergo & illa. II. Vera, & rata, eodem modo dicuntur, quo rata, & vera, esse affirmant filiorum Matrimonia absque Parentum approbatione contracta: sed ista sunt vera Sacramenta; ergo. III. Non datur

datur inter Fideles Pœnitentia rata in esse judicii, secus in esse Sacramenti, nec Baptismus ratus in esse lavacri, secus in esse Sacramenti; ergo non dabitur itidem Conjugium ratum in esse contractus, secus in esse Sacramenti; non enim divisus est Christus.

Aliud momentum expenditur ex Tridentino evertendo Adversariorum fundamentum. Ideo Sacerdos ad Conjugium requiritur, quia Tridentinum Cap. 1. *de Reformat.* habet -- Parochus viro, & muliere, interro- „ gatis, & eorum mutuo consensu intelle- „ cto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium „ conjungo. In nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis juxta „ receptum uniuscujusque Provinciæ ritum -- Sed dubio-procul talia verba non exigit ut essentialia; ergo. Prob. I. Teste Juenino, talia verba non sunt essentialia Matrimonio in ratione contractus. Porro illa verba priùs spectant ad Matrimonium, ut est contractus; siquidem nisi mutuus adsit consensus, unde habetur contractus, nequaquam elevatur ad esse Matrimonii. *Vos in matrimonium conjungo*; non igitur conjunctos in Matrimonio; adeoque Parochus conjungit tum in esse contractus, tum in esse Sacramenti. Itaque si ad primum non requiritur, neque requiretur ad secundum. II. Concilium, quia Parochi, & Testium præsentiam declaravit essentialem ad Matrimonium, illud irritum decrevit absque hujusmodi præsentia celebratum; ergo si essentialia censuisset præcitata verba, aliqualiter innuisset, ne mancam tradidisse doctrinam videretur. III. Concilium ad tollenda Matrimonia clandestina unice Parochi, & Testium præsentiam exquirit; si autem recitata verba forent essentialia diminute processisset, non explicando necessitatem prolationis formæ.

Pontificum declarationes.

8 PROB. VI. Innocentius III. Can. *Quanto, De divortiis*, habet -- Nam etsi Ma- „ trimonium verum inter Infideles existat; „ non tamen est ratum. Inter Fideles autem „ verum, & ratum, existit; quia Sacramen- „ tum Fidei, quod semel est admissum, „ nunquam amittitur, immo ratum efficit „ Conjugii Sacramentum, ut ipsum in Co- „ njugibus, illo perdurante, perduret --

Quoniam verò Juenínus nomine Sacramenti fidei intelligit, & quidem ad rem, Baptisma; sic instatur. Per Innocentium sola superaddita, seu connotata, Baptismatis conditio efficit Conjugium ratum, & Sacramentum; ergo nullimode requiritur Sacerdotis præsentia ad ipsum constituendum in ratione Sacramenti.

Accedit I. Can. *Tuas, de Sponsa duorum*, ubi legitur -- Ne verò turpis sit pars, quæ „ suo non congruit universo, & Ecclesia „ Mutinensis tenere debeat humiliter, & „ servare, quod Beati Petri Sedem, & suam „ Metropolim sequi viderit, & docere: in „ Matrimoniis de cetero contrahendis illud „ te volumus observare, ut postquam inter „ legitimas personas consensus legitimus in- „ tervenerit de præsenti, qui sufficit in tali- „ bus juxta Canonicas Sanctiones &c. -- Hic in aperto est, sermonem institui de Matrimonio, ut Sacramentum est; sed juxta Canonicas Sanctiones, & doctrinam Apostolicæ Sedis, hujus Sacramenti essentialia non sunt, nisi mutuus Contrahentium consensus; ergo.

II. Can. *Tuæ Fraternitati, De sponsalibus*, habetur -- Respondemus quod Matrimonium „ in veritate contrahitur per legitimum viri, „ & mulieris, consensum; sed necessaria sunt „ quantùm ad Ecclesiam, verba consensum „ exprimentia de præsenti -- Profecto hic enumerantur essentialia, ut Matrimonium vere sit tale in Ecclesia, adeoque ut Sacramentum; illud porro Conjugium dicitur in laudato Canone vere tale in Ecclesia, quod habet expressum Contrahentium consensum, nulla planè habita mentione de Sacerdote.

9 PROB. VII. Matrimonium in Ecclesia subsistit ut Sacramentum, quoties celebratur libere coram Parocho, & Testibus juxta Tridentini præscriptum: sed ad hoc non sunt necessaria verba Sacerdotis, ut habent Cardinales Sacri Concilii Interpretes. *In una Salmantina* ubi -- Non pertinet ad „ substantiam Matrimonii, ut Parochus ali- „ qua verba proferat: ideo valet Matrimo- „ nium, quamvis verba exprimentia con- „ sensum, prolata sint tantùm a Contrahen- „ tibus, dummodo Parochus sit præsens, & „ intelligat id, quod agitur, licèt dissen- „ tiat, & contradicat -- ergo.

Cardinalium Concilii Interpretis declarationes.

10 DICES cum Juenino. Constitutio Urbani VIII. anno 1631. edita mandat, declarationibus hujusmodi nullam fidem fore præstandam -- Declarationibus ejusdem San- „ ctæ Congregationis tam impressis, & impri- „ mendis, quàm manuscriptis, nullam fidem „ esse in judicio, vel extra adhibendam --

Quanti sint ponderis etiā stante Constit. Urbani VIII.

RESP. Mens Pontificis non est, ut doctrina Declarationum infirmetur, sed præcavere periculum subrogandi falsas pro veris; eaque propter exigit, ut exhibeantur cum appenso sigillo. Ceterum quotidianâ experientiâ compertum est, doctrinaliter pluris æstimari; & Theologi, sicut & Canonistæ, illas in demandatis consultationibus tanquàm valida momenta exscribunt; & ipsimet Cardinales a simili præcedentium declarationum posteriores casus resolvunt.

11 PROB. VIII. S. Thomas perpetuus est in astruenda Sacramenti Matrimonii existentia absque Sacerdotis præsentia. Legitur enim *ad Annibaldum lib. 4. dist. 26. art. 1. ad 1.* -- Dicendum quod verba exprimentia „ consensum de præsenti sunt forma hujus „ Sacramenti, non autem Sacerdotalis bene- „ dictio, quæ non est de necessitate Sacra- „ menti, sed de solemnitate. Pro materia „ verò habet actus Contrahentium Matrimo- „ nium, sicut de Pœnitentia dictum est -- Ibid. *dist. 28. art. 4. in corpore* -- De essentia „ Matrimonii sunt personæ legitimæ ad con- „ trahendum quasi materia, & consensus per „ verba de præsenti expressus quasi forma; „ alia verò sunt de solemnitate Sacramenti -- Et *ad* 1. -- In aliis Sacramentis id quod est „ ex parte Ministrorum, est de essentia Sa- „ cramenti; non autem in Matrimonio, „ sed solùm de solemnitate, quia Matrimo- „ nium ordinatur ad carnalem multiplicatio- „ nem, & naturalem. Unde absque Mini- „ stris Ecclesiæ potest fieri Matrimonium; „ non

Sententia S. Thomæ refertur.

„ non autem alia Sacramenta -- Et *in Suppl. quæst.* 42. *art.* 1. *ad* 1. -- Verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale -- Ibidem *quæst.* 46. *art.* 5. *in Corpore* -- Sicut in aliis Sacramentis „ quædam sunt de essentia Sacramenti, quibus omissis, non est Sacramentum, quædam autem ad solemnitatem pertinent . . . ita etiam consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum Matrimonium facit; quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti. Alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti; quia ad hoc adhibentur, ut Matrimonium convenientius fiat -- Ad 2. solvens Adversariorum Achillem -- Dicendum, quod actus „ noster in pœnitentia, quamvis sit de essentia Sacramenti, non est sufficiens ad inducendum proprium effectum, scilicet absolutionem a peccatis; & ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in Matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio; quia quicunque est sui juris, potest se alteri obligare; & ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio, quasi de essentia Sacramenti -- Et *quæst.* 63. *art.* 2. *in Corpore*, ubi de secundis Nuptiis, in quibus nulla Sacerdotalis intervenit benedictio -- Ubicunque inveniuntur illa, quæ „ sunt de esse Sacramenti, ibi est verum Sacramentum: unde cum in secundis Nuptiis inveniantur omnia, quæ sunt de esse Sacramenti, quia debita materia, quam facit persona legitima, & debita forma, scilicet expressio consensus interioris per verba de præsenti, constat, quod etiam secundum Matrimonium est Sacramentum, sicut & primum -- Et ad 2. solvens argumentum de benedictione, quod in omni Sacramento intervenire debet, habet -- Secun- „ dum Matrimonium, quamvis in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum habet aliquid de defectu Sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in Matrimonio Christi, & Ecclesiæ, & ratione hujus defectus benedictio a secundis Nuptiis subtrahitur -- S. Thomam plerique ex Theologis sequuntur.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR MOMENTA.

32 OBJIC. I. Nequit ex Scriptura, & Traditione, evinci, Matrimonium sine Sacro Ministro initum esse Sacramentum; ergo ut inter Sacramenta accenseatur jure optimo Ministrum exigit Ecclesiasticum.

II. Ex Ecclesiæ definitione omne Sacramentum constat verbis: atqui in Conjugio sæpenumero ex parte Contrahentium nulla sunt verba, & quandoque impossibilia sunt, ut in Matrimonio mutorum; ergo ab Ecclesiastico Ministro proferri debent . . . .

III. Sacramentum est res Sacra; sed Conjugium sine Sacro Ministro nihil Sacri habet; ergo.

IV. Fideles Sacrilegii crimine reos se esse nequaquam judicant, si semel lethalis conscii criminis absque Sacerdote contrahant; ergo ipsis compertum est, non fore Sacramentum.

V. Ecclesia definit, in Sacramentis certum requiri Ministrum: sed in Connubio absque Sacerdote celebrato certus non intervenit Minister; ergo.

VI. Ex regula Augustini *Epist.* 23. *ad Bonifacium* res ipsæ corporeæ in Sacramentis similitudinem referunt significationis, & sanctificationis, quam efficiunt. sed in Matrimonio profane celebrato nihil est invenire, quod sacræ significationis gerat similitudinem; ergo ratio Sacramenti ei non competit. Hæc ex Cano compendiose relata.

RESP. In nullo Ecclesiastico monumento aliquod datur vestigium duplicis Matrimonii inter Fideles, ita ut unum Sacramenti rationem sortiatur, eâ careat alterum; immo, nullo apposito discrimine, ubique legitur, Conjugium inter Fideles celebratum vere esse novæ legis Sacramentum. Hinc ad Adversarios spectaret sive Scripturam, sive Concilium, sive aliquem ex Patribus referre, a quibus propugnetur, verbum Sacerdotale fore de essentia Connubii. Nos rite ex Scripturis probavimus Conjugium in esse contractus elevatum in lege nova ad esse Sacramenti; adeoque discretum a Contrahentibus non dari Ministrum.

Verba alia formaliter, alia æquivalenter.

Ad II. Ostendant, fas est, Adversarii in omni Sacramento materiam esse rem proprie. Hoc sane non evenit: etenim in Pœnitentia res proprie talis, potissimùm in mutis, non intervenit; & tamen æque definitur, Sacramenta, sicut verbis, ita & rebus constare. Itaque sicut Sacramentum subsistit, appositis rebus æquivalenter, non quidem formaliter talibus; ita stabit Sacramentum verbis æquivalenter, licet non formaliter; potissimùm cum Eugenius IV. de Matrimonio loquens non dixerit, necessariò verba requiri, sed *regulariter*: ad innuendum, nonnunquam nutibus compleri posse.

Quomodo Conjugi rem habeat sacrā.

Ad III. Juvat ab adversario inquirere, quid Sacri est in Infideli verba Baptismi pronunciante, cum implicita intentione faciendi, quod facit Ecclesia, sicque conficiente sacrum regenerationis lavacrum? Nil aliud plane, nisi quia ex divina institutione in sacrum signum verba illa elevata sunt, quoties ex Ecclesiæ intentione proferuntur. Ita igitur Christus inter Catholicos contractum civilem nuptialem in sacrum signum Gratiæ effectivum elevavit.

Ad IV. Ultro asseritur, Fideles mortali irretitos laqueo nequaquam judicare se esse sacrilegos, ubi Sacerdos nulla promit verba; oppositum namque evincitur ex universali Catechesi, qua Fideles edocentur, Matrimonium inter Baptizatos esse Sacramentum.

Ad V. Quoties certi sunt Contrahentes, toties certus est etiam Minister. Sancitum utique est, in Sacramentis requiri Ministrum; sed unicuique proportionatum. In

quolibet Sacramento Susceptor unus est; secus in Conjugio.

Ad VI. Superest Arguenti probare, contractum civilem inter Fideles non gerere similitudinem sanctificationis. Cur ablutio exterior interioris ablutionis similitudinem refert, externa verò maris, & fœminæ societas non referet Imaginem interioris conjunctionis cum Christo per charitatem?

13 OBJIC. II. Formæ constitutivæ Sacramentorum esse debent verba sacra: atqui in Matrimonio profane contracto nulla intersunt verba sacra; non igitur tale Matrimonium Sacramentum valet appellari. Assumptum pluribus contendit probare Canus. Verba nuptialia solent esse: *Ego te accipio in meam* &c.: porro hujusmodi non esse Sacramentalia constat.

I. Verba suscipientis Sacramentum possunt quidem materiæ conditionem sortiri, secus formæ, cum forma ab agente mediis causis administris in passum introducatur.

II. Forma dans esse Sacramentis debet esse supernaturalis; illa verò sunt prorsus naturalia: cum ab omnibus indiscriminatim assumatur.

III. Forma significat spiritualem effectum, cujus Sacramentum est causa; laudata verba nullius spiritualis effectus signa sunt.

IV. Formæ Sacramentorum nequeunt pro placito Ministrantium variari: cum divinitùs sint determinatæ; hoc impræsentiarum nullimode verificatur.

V. Sacramenti nomen accipitur quidem a materia, secus a forma: unde Baptismus ablutio dicitur; illa autem verba: *Ego te accipio in meam* &c. dicuntur Matrimonium, quod est contractus consurgens ex verbis duorum mutuò sese tradentium; igitur rationem materiæ sortiuntur.

Verba Contrahentiū ex Fide Christi prolata.

RESP. Verba, quæ ex Fide Christi proferuntur, sacra sunt: verbum enim, quod accedens ad elementum facit Sacramentum, creditur, ut habet Augustinus *Tract.* 80. *in Joan.* Porro verba, quibus Fideles nuptialem ineunt contractum, ex Christi Fide proferuntur; qui enim in Ecclesia nubunt, in Domino nubunt, ut testatur Apostolus.

Quæ verò objiciuntur, non urgent. Etenim primum destruit contractum Conjugii in esse civili; siquidem si verba nequeunt esse forma, naturalis contractus perfici per ea non poterit; quod utique falsum est. Cum igitur contractum in Sacramentum elevaverit Christus, nil mirum, si verba Contrahentium habeant rationem formæ. Nec inconveniens est, idem secundùm diversos respectus agens fore, & patiens; ut in Sacerdote videre est, qui dum consecrat agens est, dum Eucharistiam suscipit est patiens.

Quod secundò dicitur, corruit, ex quo non ex sola forma Sacramentum consurgit, sed etiam ex materia; non enim illa solummodo significat, & efficit, sed & ista. Cur ergo res naturalis potest esse materia, & naturale verbum non potest esse forma? Utrumque revera secundùm se naturale est; divina tamen institutione ad altiorem ordinem elevatum est in Ecclesia, secus extra illam.

Ad III. Verba spiritualem Christi unionem cum Ecclesia, ac cum anima significant; qui effectus dubio-procul spiritualis est.

Ad IV. Forma Conjugii quoad verba materialia indeterminata sunt, secus quoad significationem; ut videre est in aliis Sacramentis, in quibus formalis verborum sensus est determinate a Deo definitus, secus materialis syllabarum numerus.

Ad V. Falsum est ab illis verbis dici Matrimonii Sacramentum: nulla enim Canonistarum definitio verba illa Matrimonium esse affirmat. Falsum itidem, ea verba solummodo ad formam spectare; sunt enim & materia. Ea propter, esto ab illis Matrimonium denominetur, denominatio erit ab illis tanquam materia spectatis.

14 OBJIC. III. Quod Sacris Sanctionibus Pontifices necessarium esse pro Sacramento Matrimonii sanxerunt, illud tenendum est; atqui Pontifices declararunt, Matrimonium Sacramentis accensendum, si Sacerdotis ministerium interveniat; ergo. Calixtus *Epist.* 1. *ad Episcopos Galliæ* Contrahentes absque Sacerdotis benedictione Infames proclamat; ita ut testificari adversùs Sacerdotes nequeant. Siricius *Epist.* 1. *ad Himerium cap.* 4. sacrilegium declarat violationem Conjugii, cui Sacerdotis benedictio accessit. Nicolaus *apud Gratianum* 31. *quæst.* 2. Can. *Lotharius* illegitimas dicit nuptias absque Sacerdotis benedictione celebratas. Evaristus, ut refertur 30. *quæst* 5. Can. *Aliter*, Conjugia vocat adulteria, stupra, quæ non fuerunt Sacerdotali more benedicta. Hormisdas 30. *quæst.* 2. Can. *Nullus* vetat nuptias non benedictas. Demum Alexander III. Can. *Cum in Ecclesia*, *De Simonia* benedictionem nubentium reliquis adnumerat Sacramentis, atque horribile dicit pro ea pecuniam accipere. Plura ex his adoptat Juenimus ex Cano.

Canones perperàm assumuntur ab Adversariis.

RESP. In laudatis Sanctionibus nullibi invenire est Cani, aliorumque distinctio Matrimonii in esse contractus, & in esse Sacramenti; ea propter si necessaria creditur Sacerdotalis benedictio, utique talis dicenda erit, spectato Conjugio sub utraque consideratione, quod etiam Adversarii renuunt. Itaque præcitati Canones versantur circa formam publicæ Solemnitatis ab Ecclesiasticis, atque civilibus legibus præscriptam.

Hinc Calixtus eodem modo loquitur de Conjugio absque benedictione inito, ac de eodem absque dotali titulo, qui dubio-procul necessarius non est. Repellit ergo laudatus Pontifex sic Contrahentes, velut infames, a testificando, in odium clandestini contractus; quin inferri valeat, prædictam solemnitatem essentialem esse.

Siricius sermonem habet de nuptiis puellæ cum secundo viro, quæ aliàs de præsenti alteri se tradiderat; & harum benedictionem, si violetur, vocat sacrilegium, quia illa benedictio cadens supra nuptias legitime contractas, innuit eas esse Sacramentum; & Glossa ibi advertit, eas ceremonias non esse necessarias, vel si necessariæ, tales essent similiter pro Matrimonio in esse contractus. Ceterum in dicto casu nuptiæ illæ nedum sacrilegæ, sed nullæ forent omnino.

Nicolaus in casu relato jungit benedictio-

ctio-

ctionem insimul, & dotem, quæ utique non est de necessitate Matrimonii. Instruit ergo Radoaldum Portuensem, & Joannem Ficoiensem, Episcopos Delegatos Judices in causa Lotharii, qui primam uxorem rejecerat, secundæ accedens, qualiter se gerere deberent; & quia solemnis celebratio cum dote, Testibus, atque Sacerdotali benedictione, argumentum est legitimi contractus, ideo admonet, ut diligenter inquirant, num prædicta intervenerint in primis nuptiis, his namque positis ipsi incumbet probare, cur illæ nuptiæ legitimæ non fuerint.

Evaristus eodem modo nuncupat adulteria Conjugia sine dote, sine consensu Parentum, sine paranymphis celebrata, ac sine benedictione; & tamen priora non sunt necessaria. Deinde, si ea vocat adulteria, & stupra, fas est, quod neque in esse contractus subsistant, si desit benedictio. Pontifex itaque ea carentiâ solemnitatis præsumit, propter defectum consensus, Conjugium non fuisse legitimum; verùm si consensus adfuit etiam sine solemnitate, declarat æque legitimum, ac si cum prædictâ celebratum fuisset.

Hormisdas vetat tantummodo occultas nuptias, & præscribit publice esse nubendum. Demum Alexander nuptialem benedictionem nuncupat Sacramentum sicut sepulturas, exequias: sed in lata quadam significatione, sufficienti quidem ut Simoniæ reus sit, qui pro iis pecunias exhibet; non verò ut proprie Sacramentis accenseantur.

15 OBJIC. IV. Concilia declarant, Sacerdotem benedicentem nuptias esse earundem Ministrum; quod probatur.

I. Concilium Carthaginense IV. *Cap.* 13. præcipit, Sponsos esse a Sacerdote benedicendos, hortaturque, ut pro reverentia, quam par est illi benedictioni exhibere, eadem nocte in virginitate permaneant; quod utique non innuerent Patres, nisi illa benedictio foret Sacramentum; plura enim Sacramentalia passim usurpantur, ob quæ similia non suadentur.

II. Concilium Constantiense præscribit per Martinum V., interrogari suspectum de hæresi — An credat, quod Christianus con„temnens susceptionem Sacramentorum „Confirmationis, vel Extremæ-unctionis, „vel solemnizationis Matrimonii, peccet „mortaliter — ubi solemnitatem Matrimonii appellat Sacramentum, sicut Confirmationem. Porro Minister solemnitatis non alius est a Sacerdote Ministro.

III. Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformatione Matrimonii* præscribit, ut Parochus, viro, & muliere, interrogatis, eorumque intellecto consensu, dicat *Ego vos in Matrimonium conjungo* &c. Per hæc verba plane declaratur, Parochum esse Sacramenti Ministrum.

IV. Concilium Coloniense sub anno 1536. docet, in Matrimonio — Accedente „Sacerdotali precatione, dari donum Spi„ritus Sancti, quo vir diligat uxorem amo„re casto —

V. Cameracense *Cap.* 1. *de Matrimonio* — „Cum constet, in Matrimonio habendam „esse rationem, non solùm divinæ institu„tionis, sed etiam Sacramenti, & Gratiæ, „quam in illo consequuntur Fideles, ad„monendos esse diximus Parochos hujus „Ministros &c. —

VI. Acta Mediolanensis Ecclesiæ *p.* 4. §. 1. ex S. Carolo — Cum verò Sacramenta „quinque tantùm, nempe Baptismum, Eu„charistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, „& Extremam-unctionem, Parochus ea offi„cio ministrare possit &c.

VII. Manuale Atrebatense sub anno 1650. docet, dato mutuo consensu — Spon„sus, & Sponsa, debent fieri Conjuges di„cendo; *& ego vos conjungo* — Manuale Yprense anno 1576. promulgatum jubet Sacerdoti, ut explorato Contrahentium consensu, dicat — Et ego tanquam Ecclesiæ „Minister vos in Matrimonium conjungo in „nomine Patris &c. — Mechliniense anno 1589. præscribit — Stante viro ad dexteram, „muliere verò ad sinistram, Sacerdos hujus „Sacramenti Minister Sponsum, & Spon„sam, aspergat aquâ benedictâ . . . . Rursus „Sacramenti Minister interroget . . . Data „sic utrimque fide, dicat Sacerdos: Et ego „tanquam Dei Minister vos in Matrimo„nium conjungo &c. — hoc porro Manuale collectum fuit auctoritate plurium Lovaniensis Facultatis Theologorum, & ex selectioribus aliarum Ecclesiarum manualibus. Manuale Romanum sub Paulo V. *in Præf.* habet — Ceterum illorum tantùm Sacramentorum, „quorum administratio ad Parochos perti„net, ritus in hoc opere præscribuntur, „cujusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, „Eucharistia, Extrema-unctio, Matrimo„nium — Demum Sacerdotale Romanum collectum anno 1494. ab Alberto Dominicano — Sacerdos pronunciet verba, quæ sunt „forma hujus Sacramenti cum consensu „utriusque . . Sacerdos . . . dicat: Et ego „auctoritate, qua fungor, conjungo vos in „Matrimonium in nomine Patris &c. —

RESP. Palmare hoc argumentum majori ex parte ex Juenino excerptum vel nimis probat, vel nobis favet. Unde ad primum deveniendo, Carthaginense diserte loqui de benedictione omnino accessoriâ textus ipse comprobat — Sponsus, & Sponsa cum bene„dicendi sunt a Sacerdote, a Parentibus „suis, vel paranymphis offerantur; qui cum „benedictionem acceperint, eadem nocte „pro reverentia ipsius benedictionis in vir„ginitate permaneant — Hic sermonem institui de solemni benedictione in aperto est. Nam in jure benedictio nuptiarum alia non est, quàm solemnis, nec aliam usquam poterunt Adversarii in Canonibus adinvenire. Tum quia sermo recurrit de benedictione facienda, præsentibus paranymphis; quæ utique solemnis est. Tum quia de ea benedictione fit mentio, quæ non est quovis tempore adhibenda; ait enim *Sponsus, & Sponsa cum benedicendi sunt*. Particula namque *cum* innuit, aliquos quidem benedici, sed non omnes; & juxta Ecclesiæ disciplinam, quandoque nuptiæ celebrantur, quin benedicantur; ut tempore Adventus, & Quadragesimæ. Illa verò admonitio permanendi ea nocte in virginitate refertur ad

Carthaginensis concilii intelligentia.

Benedictio in Nuptiis accessoria.

illius ævi sanctitatem, quo non solùm Contrahentes die celebrati Conjugii a carnali commercio abstinebant, sed etiam Fideles alii cum Martyrum Cryptas ingrediebantur, & cum Eucharistiam sumere debebant, eòque ritus ille tendebat, ut instruerentur Sponsi de recto Connubii fine, hoc est, haud ordinatum esse ad explendam concupiscentiam.

Constantiense Concilium.

16 Ad II. Perperàm dicitur, Constantiense solemnitatem Matrimonii Sacramentum nuncupasse. Loquitur siquidem de solemni ceremonia benedicendi nuptias in Ecclesia. Hanc nihili faciebant Hussitæ; eapropter decrevit Martinus, ipsos interrogandos esse de illis articulis. Teste Ænea Sylvio *Epist. ad Cardinalem Carvajal*, Matrimonium adoptabant Hussitæ tanquam Sacramentum -- » Ex Sacramentis Ecclesiæ Baptismum, Eucharistiam, Matrimonium, Ordinemque » recipiunt; de Pœnitentia parum sentiunt; » de Confirmatione, & Extrema-unctione, » nihil -- solemnes tamen Conjugii ceremonias spernebant; quæ inter Sacramenta recenseri possunt, non quia Sacramentum faciant, sed quia Matrimonium, supra quod versantur, Sacramentum est.

Tridentini sensus.

17 Ad III. Sententiæ nostræ Propugnatores respondent, prædicta Tridentini verba hunc sensum reddere: *Ego vos declaro conjunctos*.

Verùm responsionem hanc reprobat Jueninus. I. Quia in reliquis Sacramentis Ecclesia metaphoricis phrasibus non utitur. II. Ex nullo Scripturæ, vel Traditionis momento verbum *conjungo* usurpatur pro *declaro conjunctos*. III. Hujusmodi interpretatio viam sternit Hæreticis metaphorice explicandi verba: *Ego te absolvo*, ut sensum reddant: *Ego te declaro absolutum*. IV. Testes, qui Conjugio adfuere, declarare valent, Conjuges esse legitime conjunctos; & tamen ea verba nequeunt pronunciare; ergo.

Sponsi ante prolationem verborũ Parochi conjuncti sunt.

Ceterum eam explicationem cogitur adoptare Jueninus; cum illa verba in sensu proprio falsa sint; siquidem ante eorundem verborum prolationem, Sponsi per mutuum consensum conjuncti sunt. In sensu proprio verbum *conjungo* vinculum, quod non erat, facit. Nunc placet exquirere; qualenam vinculum facit? Nuptiale, vel non nuptiale? Si nuptiale; jam mutuus consensus non fecit conjugale vinculum. Si non nuptiale; ad rem non est; nam Ecclesia non aliud a Matrimonio intendit.

DICES. Laudata verba conjunctos in officium naturæ conjungit in esse Sacramenti.

Ast inquirimus: conjunctio in esse Sacramenti addit ne diversum vinculum a priori, vel non? Si non addit; habemus intentum, videlicet verbum *conjungo* non efficere vinculum. Si addit; petimus, quale sit; matrimoniale, vel non? Si primum; ergo duplici matrimoniali vinculo Christiani Conjuges obstringuntur; quod inauditum plane est. Si non est matrimoniale; ad rem non est. Matth. 19., ubi Christus elevando Matrimonium ad esse Sacramenti declaravit totam indissolubilitatis vim; dixit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Verùm quid Deus conjunxerit, audiamus. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? Et dixit: propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Itaque tum vinculum in officium naturæ, tum nuptiale, conjunxit Deus: hocque in Sacramentum elevavit; non ergo verbum *conjungo vos* novum facit vinculum a priori discretum.

Utque res clariùs elucescat. Sint duo Fideles eo loci contrahentes, ubi Tridentinum non est promulgatum, & alii duo, puta in Italia, ubi susceptum est; inquirimus: hos pluribus ne vinculis obstrictos noscit Ecclesia, vel non? Nemo utique illud primum affirmabit; itaque verbum *conjungo* vinculum non facit. Quod si dicas firmius efficere vinculum; jam verbum *conjungo* metaphorice usurpatur, nempe pro firmare, roborare, & hujusmodi; proindeque nobis itidem datum erit verbum *conjungo* usurpare pro *declaro conjunctos*. Falsum tamen est, in secundis contrahentibus firmius præ aliis adesse vinculum; utrobique enim æque indissolubile agnoscit, & recipit, Ecclesia. Addas velim, propositionem illam: *Ego vos conjungo*, esse secundùm se absolutam, nihilominus eam debent Adversarii limitare, atque ad esse Sacramentale coarctare; ita supposita conjunctione ex mutuo consensu habita, nobis ob idem momentum fas erit verbum *conjungo* intelligere pro *declaro conjunctos*. Sæpe enim in Scripturis evenit, quod verbum aliquod, propter contextum, aliter explicare debeamus, quàm fert grammaticalis intelligentia, & significatio. Ex his tria priora, quæ profert Jueninus, evanescunt.

Quartum quod addit Jueninus abs re est, siquidem in casu Sacramentalis absolutionis haud constat Ecclesiæ, peccatorem aliunde absolutum fore, sicut ei innotescit, per mutuum consensum Sponsos esse conjunctos. Et quamvis Testes de prævia conjunctione certò certiùs valeant affirmare, hoc tamen munus Ecclesia Parocho commendavit, quia hic est præcipuus inter Testes, ipsique demandatæ sunt dispositiones ad Sacramentum illud perficiendum, demum quia verba illa rationem cujusdam Sacramentalis sortiuntur.

Verba Ego vos conjungo ad solemnitatem spectant.

Itaque verba illa non præscribit Tridentinum, ut necessaria Sacramento, sed ut ceremonialia publicæ solemnitatis; ut ex contextu palam fit, ubi explicatur, atque traditur, regula Matrimonii publice ineundi; adeoque Parochus laudata verba proferens fungitur velut Notarii munere firmans contractum privatim valide factum. Et sane Concilium irritans clandestina Matrimonia solam Parochi, Testiumque, præsentiam decernit, nulla verborum facta mentione, quæ recensere plane debuisset, si essentialia voluisset. Etenim cum inibi jus novum circa Conjugia clanculo celebrata constituat, operæ pretium fuisset, si ea verba ad essentiam spectare censuisset, declarare. Parochus igitur, illis verbis, Conjugum conjunctionem approbat, publicam ei dando auctoritatem.

18 Ad IV., & seqq. Provincialia Concilia,

cilia, & Manualia praefato sensu loquuntur; qua propter non vacat ea referre. Placet tantummodo Synodum Coloniensem breviter recolere, cum ejus doctrina nobis apprime deserviat. Itaque *Capite* 40. legitur — Sacramen- „ tum *Matrimonii* si quis, sicut decet, accepe- „ rit, accedente Sacerdotali precatione, con- „ fert donum Spiritus Sancti — En Sacerdotalis precatio accedens, non, constituens Sacramentum. Meditate Synodus adoptavit terminum *accedente*, non, constituente, non, pronunciante formam; quia non est essentialis. Ejusdem tamen omissio, si absque rationabili momento fiat, actualem gratiae productionem impedit, utpote contra Ecclesiae mandatum. Clarescit Concilii mens ex Enchiridio ejus nomine evulgato. Explicando namque Matrimonii formam habet — Ver- „ bum itaque hujus Sacramenti, quo acce- „ dente, fit Sacramentum, id nimirum est, „ quo ambo mas, & foemina (cum pietatis „ respectu, qui in Deum est, sibi mutuò „ fidem conjugalem dant, accipiuntque) „ non quovis modo, sed in Dei nomine co- „ njunguntur, & copulantur — His in aperto est, Contrahentes esse Ministros; & quamvis mox asserat, Sacerdotem esse Sacramenti Matrimonii Ministrum, explicat, quo sensu talis dicendus sit, modo nempe, quo Raguel Minister fuit Matrimonii Tobiae, & Sarae, scilicet quoad exteriora, ut statim enucleabimus.

Concilia Provincialia, & Manualia quo sensu loquantur.

Sacerdos quomodo dicatur Matrimonii Minister.

Minister ergo Sacramenti dicitur Sacerdos Matrimonio assistens, quantùm ad exteriora, secus quantùm ad intrinseca constitutiva, ut in aliis Sacramentis; quia e re sua est circa necessaria hujus Sacramenti Sponsos instruere, de impedimentis exquirere debet, publicas praemittere proclamationes, explorare consensum, eosdem benedicere, atque Conjugum nomina post contractum Matrimonium in Ecclesiae tabulis describere. Et hic plane est omnium Ritualium sensus, cum Parochum Ministrum nuncupant. Non enim nomen Ministri Sacramenti strictè, idest prout ille est, qui Sacramenta conficit, sed in lata quadam significatione intelligitur, prout innuit eum esse Administratorem ejusdem ceremoniarum. Hinc ut videre est in Rituali Romano, instruitur Parochus circa Baptismatis solemnitatem, & insimul circa privatam ejusdem collationem, circa Eucharistiam publice exponendam, decumbentibus deferendam, eo tempore, quo non conficitur, & hujusmodi; ea propter rerum qualitas apte declarat, quando Minister sit Sacramentum conficiens, quando autem solummodo testis, aut distributor,

19 OBJIC. V. Nemo melius Christi, Ecclesiaeque, sensa novere, quàm Sancti Patres: sed hi benedictionem essentialem volunt, atque propter eam dicunt Matrimonium fore Sacramentum; ergo non alius a Sacerdote Minister Matrimonii censendus est. Minor evincitur. Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem cap. 9.* habet — Unde sufficiamus ad „ enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, „ quod Ecclesia conciliat, & confirmat obla- „ tio, & obsignat benedictio: Angeli re- „ nunciant — idest Sacerdotes. Et *lib. de Pudicitia* de Nuptiis sine Sacerdotali benedictione celebratis scribit — Penes nos occulte quo- „ que conjunctiones, idest, non priùs apud „ Ecclesiam professae, juxta Moechiam, & „ fornicationem judicari periclitantur — Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromatum* — San- „ ctificatur, quod per verbum (supple Ec- „ clesiae) perficitur, Matrimonium — Ambrosius *Epist.* 20. — Conjugium velamine „ Sacerdotali, & benedictione sanctificari „ oportet — Augustinus *in Psal.* 149. — Com- „ pedes nuptiarum per Episcoporum manus „ consolidari — Demum una est omnium fere Patrum Sententia, Christum Summum Sacerdotem Nuptias elevando in Sacramentum in Cana Galilaeae eas benedixisse; ea propter liquidò fit, Sacerdotale ministerium essentiale esse.

RESP. Dubio-procul Patres de benedictione prorsus extrinseca sermonem instituunt, de ea scilicet, quae in Ecclesia peragitur, cum oblationibus sacrificiorum, cum velatione Sponsae, cum proclamationibus, & adprecationibus Sacerdotum; ut notant Interpretes ad Can. 13. Carthaginensis IV., ubi alia inter id probant laudatâ Tertulliani auctoritate. Mirum itaque est, quomodo Adversarii inferre valeant necessaria esse illa verba: *Ego vos conjungo* &c. Ex secunda auctoritate non aliud sane colligitur, nisi etiam Tertulliani aevo prohibitas, aut suspectas fuisse nuptias clanculùm celebratas, propter fraudes, quae passim occurrunt. Clemens non exprimit, quale sit verbum, per quod conficitur Connubium, & ultrò addunt Adversarii *Ecclesiae*; quapropter nihil inde probatur. Ambrosius, ut textus palam facit, eodem modo loquitur de velamine, ac de Sacerdotali benedictione; unde cum illud non sit essentiale, ita nec ista. Quoniam verò quoddam Sacramentale est, vim sortitur cujusdam sanctificationis. Aliàs ceremonialis illa benedictio sat erat Ambrosio, ut quosdam Fideles cum Infidelibus Contrahentes redargueret. Augustinus apte dicit, per Episcoporum manus nuptias consolidari; quia firmitatem habent, sacramque adprecationem, si Sacerdotalis intersit praesentia. Denique ex Christi facto nil aliud inde colligitur, nisi nuptias elevatas fuisse ad esse Sacramenti, & benedictionem dandam esse a Sacerdotibus; ceterum, ut fert Doctorum Sententia, nec tunc temporis Sacramentum Matrimonii instituit, sed Matth. 19.

Patrum sensa explicantur.

20 OBJIC. VI. Apostolus 1. ad Corinth. 14. praecipit, ut *Mulier in Ecclesia non loquatur*; adeoque multò minùs poterit esse Sacramenti Minister; cum ex eodem Sacerdotes sint Administratores Mysteriorum Dei; quare e re Catholica non est ministerium Sacramenti constitutivum Sacerdotibus solummodo conveniens, laicis tribuere. Potissimùm quia Minister habere debet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; sed hanc intentionem non habent Contrahentes, cum ignorent se esse Ministros; ergo.

RESP. Si mulier in Ecclesia non loquitur, Matrimonium, quoties eo loci celebratum, non erit validum in esse contractus. Itaque mulieri munus publicae concionis in-

Non omne sacrum munus mulieribus interdictum.

terdi-

terdicitur; secus munus nuptias contrahendi. Sacerdotes sunt utique Administratores Mysteriorum Dei ex officio; sed sicut cum hoc cohæret, laicum in privata domo baptizare, & Sacerdotem baptizato administrare solemnia, ita haud repugnat, laicum conficere Matrimonii Sacramentum, & Sacerdotem illud quoad solemnitatem complere. Aliàs Fideles satis norunt Intentionem in celebratione hujus Sacramenti necessariam; adeoque intendendo facere quod facit Ecclesia, Sacramentum complent absque alterius Ministri necessitate.

21 OBJIC. VII. S. Thomas necessarium Sacerdotem ut Ministrum pluribus nos docet, *in Suppl. quæst. 8. art. 1.* — Solus ille „ Minister est Sacramentorum, in quibus „ gratia datur, qui habet ministerium super „ Christi corpus verum; quod solius est Sa„ cerdotis -- Sed Matrimonium Sacramentis, quæ gratiam largiuntur, meritò accensetur; ergo. Ibid. *quæst. 22. art. 2.* — Sa„ cramenta, in quibus gratia confertur, ad solos Sacerdotes pertinet — Itidem *quæst. 31. art. 1.* — Nullius Sacramenti dispensatio laico „ ex officio competit -- In eodem Suppl. *quæst. 59. art. 2. ad 1.* -- Quamvis Infideli„ bus non competat Matrimonium secundùm „ quod est Sacramentum in dispensatione Sa„ cramentorum Ecclesiæ consistens, competit „ tamen eis, in quantum est in officium na„ turæ — *Lib. 4. contra Gentes cap. 73.* — Ea „ in quibus gratia illuminans confertur, „ exhibere solùm pertinet ad Sacerdotes — *Cap. 78.* — Matrimonium in quantùm ordi„ natur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod „ subjaceat Regimini Ecclesiastico; ea au„ tem, quæ Populo per Ministros Ecclesiæ „ dispensantur, Sacramenta dicuntur. Ma„ trimonium igitur . . . est Ecclesiæ Sacra„ mentum: unde & quædam benedictio nu„ bentibus per Ministros Ecclesiæ adhibetur— *3. part. quæst. 83. art. 3. ad 8.* — Dispensatio „ Sacramentorum pertinet ad Ministros Ec„ clesiæ — *2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 6.* — „ Dare pecuniam pro Matrimonio, in quan„ tum est Ecclesiæ Sacramentum, est illici„ tum; & ideo secundùm jura prohibetur, „ ne pro benedictione nubentium aliquod „ exigatur — Ex his inferunt Adversarii, D. Thomam juniorem nihil certi hac super re adoptasse, atque Sacerdotem Matrimonii Ministrum agniturum, si Tertiam Summæ Partem absolvisset. Bannesius *in 1. Part. quæst. 1. art. 8.* incertæ mentis fuisse Magistrum Sententiarum, & Scotum, scribit. Guillelmus Parisiensis *Tract. de Matrimonio quæst. 1. art. 9.* negat, Matrimonium esse veri nominis Sacramentum, si Sacerdotis ministerio non perficiatur.

S. Thomæ doctrina vindicatur.

RESP. Frustra suffragium petitur a S. Thoma, cujus mentem enucleavimus supra *num. 11.* Hac super re potiora vidit Adversariorum momenta, nihilominus minus palam affirmavit, Sacerdotem esse tantummodo solemnitatis Ministrum, discrimen referens Matrimonium inter, & alia Sacramenta. Ea propter eo loci, ubi universaliter Sacerdotibus Sacramentorum administrationem tribuit, dubio-procul apte intelligendus est, videlicet, Sacerdotes esse Ministros, vel Sacramentum intrinsece constituentes, vel Ministros solemnitatis; aliàs invalidum foret Baptisma a Laico ministratum. Discrimen porro assignat *ad Annibaldum dist. 28. art. 4. ad 1.* superiùs relatum, quatenus reliqua Sacramenta directe instituta sunt ad Gratiæ productionem, Matrimonium verò ad prolem generandam, pro cujus generatione, & educatione, Gratia superadditur; quare in aliis directum constitutivum non est quid humanum, in Matrimonio autem actus naturales, qui Gratiâ elevantur, sunt ejusdem constitutivi. Eandem fuisse mentem S. Thomæ senioris advertit Ferrariensis *cit. loco contra Gentes*, adnotando, Sacerdotale ministerium Conjugio haud esse essentiale. *Opusc. 5.* ubi de Ecclesiæ Sacramentis, ea plane verba habet de Matrimonio, quæ pro instructione Armenorum Eugenius IV. tradidit — Septimum Sacramentum est Matri„ monium, quod est signum conjunctionis „ Christi, & Ecclesiæ. Causa autem efficiens „ Matrimonii est mutuus consensus per ver„ ba de præsenti expressus -- Itaque si S. Doctor Tertiam Partem Summæ absolvisset, doctrinam nostram magis, magisque illustrasset.

Magister Sententiarū non est anceps in hac controversia.

Magister Sententiarum perperàm dicitur anceps in hac controversia, cum *4. dist. 28. §. Præmissa* habeat — In hujus autem Sacra„ menti celebratione, sicut in aliis, quædam „ sunt pertinentia ad substantiam Sacramenti, „ ut consensus de præsenti, qui solus sufficit „ ad contrahendum Matrimonium; quædam „ sunt pertinentia ad solemnitatem Sacra„ menti, ut Parentum traditio, Sacerdotum „ benedictio &c. — Scotus itidem clare loquitur *4. dist. 26. quæst. unica §. Sed hic est dubium.*

Guillelmus benedictionē non contendit essentialem.

Guillelmus nullimode vult, benedictionem essentialem esse; sed eo loci docet, Matrimonium Christianorum esse signum Sacrum, sacrans, & sanctificans — Dummodo „ nuptialis benedictio non contemnatur -- ut quando prætermittitur ex justâ causâ, sicut quando Sacerdos haberi nequit juxta ea, quæ *cap. 6.* tradiderat. Dein subdit — Sed virtu„ tem Sacramentalem omnino non habet, „ nec veri nominis Sacramentum, nisi sicut „ diximus &c. — Scilicet *in 2.*, quia contemnens benedictionem, Gratiæ obicem ponit.

Kemnitius refellitur.

22 Ex his in aperto est, evanidum esse Kemnitii argumentum contendentis ex discrimine opinionum circa materiam, & formam, Matrimonium non esse Sacramentum. Omnes siquidem Theologi in Conjugio admittunt corporum traditionem, consensum, & exteriorem expressionem per verba, vel signa. In his Matrimonii essentia sita est; quod verò quidam corpora, alii consensum, verba alii materiam nuncupent, Sacramenti substantiam non tangunt.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

DE SACRAMENTI MATRIMONII UNITATE.

Polygamia duplex.

DIsputationem instituimus de unitate Conjugii, quæ dupliciter tolli potest. Primò quidem Conjugii unitas tollitur uxorum pluralitate cum eodem viro: itaut idem homo pluribus fœminis insimul nubat; & vocatur Polygamía simultanea. Secundò, si unâ dumtaxat uxore ductâ, eâque fato functâ, alteri copuletur; & Polygamía successiva nuncupatur. De utraque impræsentiarum agimus.

CONTROVERSIA I.

AN SIMULTANEA POLYGAMIA ADVERSETUR JURI NATURALI PRIMARIO.

Lamech primus, & solus ante Diluvium duas accepit uxores simul.

1 LAmech ex linea Cain primus fuit, qui duas simul uxores habuit, teste Scriptura Gen. 4. v. 19. *Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella*. Hoc Lamechi exemplum ex antediluvianis Patriarchis nemo unus secutus est; & meritò sane, cum probabilissimum sit, ipsum non ex divina dispensatione, quæ post Diluvium adfuisse creditur, sed ex libidine, pluribus nupsisse; idcirco a Patribus criminatur. Audiatur hos inter Hieronymus *Epist. 9. ad Salvinam* — Etiam de Paradiso „ expulsus Adam unam uxorem habuit. Pri„ mus Lamech maledictus, & sanguinarius, „ & de Cain stirpe descendens, unam costam „ divisit in duas, & plantarium Digamiæ „ protinus Diluvii pœna subvertit —

Abraham, & alii Patriarchæ, innoxie plures simul habuerunt uxores.

Post Diluvium Abraham, instante Sara uxore sua, duxit Agar in uxorem Gen. 16. vers. 1., & seqq. *Igitur Sarai uxor Abram non genuerat liberos . . . tulit Agar Ægyptiam Ancillam suam, post annos decem, quam habitare cœperant in terra Chanaan, & dedit eam viro suo uxorem. Qui ingressus est ad eam.* Factum laudavit Augustinus *lib. 16. de Civit. Dei cap. 25.* — Nullo modo est inurendum „ de hac concubina crimen Abrahæ. Usus „ est eâ quippe ad generandam prolem, non „ ad explendam libidinem — Abrahamum imitatus est Jacob, qui primùm Liam, dein Rachelem, habuit uxores, atque hinc Balam, & Zelpham. Mos quippe tunc temporis invaluerat pluribus nubendi; ut asserit Augustinus loco mox citando, ut evincitur ex facto Laban Jacobo duas filias nuptui tradente Gen. 29. vers. 26., & seq. *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi &c.* Quare de Polygamía scribens inquit laudatus Augustinus *lib. 22. contra Faustum cap. 47.* — Quan„ do mos erat, crimen non erat; & nunc „ propterea crimen est, quia mos non est — Hunc morem invaluisse apud Hebræos satis colligimus ex Moyse Deut. 21. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam* &c. Josephus *lib. 17. Antiquitatis Judaicæ cap. 1.* ait — Mos nobis est patrius, „ plures simul uxores habere — Etiam Scriptura nos docet, David, Salomonem, aliosque de hebræa Gente fuisse Polygamos.

Valentinianus Imp.

Seculo IV. reparatæ salutis fertur ex Socrate *lib. 4. cap. 26.*, Valentinianum Imperatorem duxisse Justinam in conjugem, Severa uxore superstite; utque absque nota id peragere posset, ait Historicus laudato loco — „ Legem tulit, ut cuique volenti liceret „ duas uxores habere legitimas; eamque in „ singulis Civitatibus divulgavit. Lege itaque „ divulgata, ipse Justinam duxit uxorem — Num verò Socrati fidendum sit, infra dicetur *num. 43. Contr. III.*

Mahometes.

Mahometes Seculo VII. *in Alcorano Azoara* 8. — Duas, tres, aut quatuor quem„ libet uxores ducere permittit, & unam pro „ altera commutare —

Witiza Hispaniæ Rex.

Joannes Vasæus *in Chronico Hispaniæ ad annum 702.* refert, Witizam Hispaniæ Regem uxores multas domui habuisse — Et Pro„ ceres Regni exemplum suum, ut sequere„ tur hortatus est, nec non & plebi idem „ impune licere voluit —

Lutherus.

Seculo XVI. simultanea Polygamía non paucos ex Novatoribus habuit Patronos. Martinus Lutherus alios inter errores hunc quoque tutatus est. Nonnulli ex ejus sequela conati sunt, hanc labem a Pseudomagistro abstergere; sed casso, irritoque conatu; etenim clara supersunt monumenta, quæ ipsum criminantur, nulloque fuco obvelari possunt. Itaque *in explicatione Geneseos edita anno 1525. ad cap. 16.* quærit; utrum Christiano liceat, exemplo Abrahæ, plures simul uxores habere; & respondet — Id neque præceptum, „ neque prohibitum, sed liberum. Se qui„ dem nolle novam consuetudinem introdu„ cere, sed nec improbare posse, cum exem„ pla Patrum adhuc sint libera — *In Propositionibus de Bigamia editis anno 1528. Prop. 62.* — Apud Ethnicos fortasse scandalum fore, „ si Christianus plures uxores habeat: tamen „ inter Judæos non esse scandalum; & ideo „ non posse ostendi id esse illicitum — Idem *Prop. 65.*, immo apud Lindanum *in Dubitantio* habetur — Joannes Oldendorpius, „ permittente Luthero, priore conjuge ad„ huc superstite, alteram duxit uxorem — Quid plura? Celebris est consultatio Lutheri Serenissimo Principi Philippo Landgravio Hassiæ Comiti super ejusdem Polygamía, quam publici juris fecit Carolus Ludovicus Palatinus Comes, & cum instructione Bucero hac super re ab ipso Landgravio data legitur apud Bossuetum *lib. 6. Historia de Variationibus Tom. 2.* In ea siquidem post varia perpensa momenta, post monitiones aliquas, conceditur Polygamía in casu necessitatis, in

quo

quo Landgravius verſabatur, qui alius ſane non erat, niſi effrænis ejuſdem intemperantia.

Alii plures inique Polygami.

Lutheri ſenſa adoptarunt Melancthon, Bucerus, Corvinus, Adam, Leniugus, Juſtus Winſerte, & Dionyſius Melanther.

Eodem Seculo circa medium — Hetzerus Anabapriſta uno tempore tredecim ſimul uxores duxit — ut teſtatur Caniſius *lib. 2. cap. 12. Marialis*. Libertinos eâdem coinquinatos pice vult Calvinus *cap. 20. de Libertinis*. Bernardinus Ochinus *lib. 2. Dialog. 21.* ex quo — Paulus Epiſcopis, & Diaconis plures uxores interdicit, ceteris tacite concedit — immo ſubdit nec plures Epiſcopis fore illicitas, ſed ſolummodo immoderatam multitudinem, ne plus juſto a Divinis diſtrahantur, quo modo antiquitùs Regibus prohibitum erat plures equos habere, hoc eſt multitudinem nimiam, ne equis confiſi, non in Deo, ſed in multitudine equorum ſpem ponerent.

Cajetanus qui ſenſerit.

Sunt, qui de Cajetano ſuſpicentur, cum *ad cap. 10. Marci* dicat, ex Theologorum Sententia vetitam eſſe Polygamîam, nec in Canonicis libris prohibitionem adinveniri; quare quidam colligunt, ipſum velle ſola humana lege reprobatam. Verùm id non evincitur, eademque affingenda eſſet Sententia D. Thomæ, cujus verbis nititur Cajetanus loco infra citando. Dantur enim aliquæ leges, quæ in Canonicis libris ſcriptæ non ſunt, quin humanæ dicantur, ſed divinæ, utpote cordibus noſtris inditæ, & Traditione manifeſtatæ. Duriora ſunt, quæ a Jodoco Coccio *Tom. 2. Controverſiarum Fidei lib. 9. de Matrimonio art. 2.* recitantur ex Commentariis ejuſdem Cajetani in novum Teſtamentum fol. 196. — Neque jure divino prohibita fuit uxorum pluralitas, multi in primitiva Eccleſia habebant duas uxores, imitantes Patres veteris Teſtamenti: etiam jure naturæ uxorum pluralitas nihil habebat indecentiæ — Hæc, prout jacent, ſuadere videntur, hanc Cajetanum propugnaſſe Sententiam. Prima tamen propoſitio apte explicari poteſt de divina prohibitione per legem ſcriptam, ideſt Moſaycam. Tertia intelligi valet per ordinem ad jus naturæ primarium. Media abs re affertur; cum nullibi in Eccleſiaſticis monumentis talia exempla inveniantur, niſi forte ad legem Valentiniani referatur, de qua infra.

Calvinus.

Cenſuit Calvinus ex adverſo, ſimultaneam Polygamîam juri tum divino, tum naturali repugnare, voluitque veteres Patriarchas adulterii reos; illis tamen crimen hoc non fuiſſe imputatum, quia erant de numero Prædeſtinatorum. Kemnitius affirmat, recte Tridentinos Patres Polygamîam hanc execraſſe; propterea fateri debet, juſte Magiſtrum ſuum damnatum. His poſitis

Principia agendi quæ?

2 NOTANDUM eſt I. In rebus naturalibus dari principia, quibus & proprias operationes efficiant, & quibus eaſdem ſuo fini proportionatas reddant, ſive ſint actiones ſequentes naturam generis, ſive ſequentes naturam ſpeciei. Hoc itidem evenit in rationalibus Creaturis, in quibus cognitio, & appetitus ſunt principia agendi; in vi cognoſcitiva datur perceptio, in appetitiva naturalis inclinatio, quibus operatio evadat fini conveniens, ſive operatio ſit generis, ſive ſpeciei. Hujuſmodi conceptio in cognoſcentibus indita per proportionem mediorum ad finem, lex naturalis, ſeu jus naturale, nuncupatur; & in Brutis naturalis dicitur æſtimatio. Hinc illud, quod fini ex operatione aliqua a natura intento actionem reddit improportionatam, contra legem naturalem aſſeritur, ſive finis ſit principalis, & primarius, ſive minus principalis, & ſecundarius. Dupliciter autem actio fieri poteſt fini improportionata; aut eam impediendo, aut difficilem efficiendo, ſeu minus convenientem reddendo. Res clareſcat exemplo in immoderata comeſtione. Si comeſtio hujuſmodi ſaluti adverſetur, fini principali ipſa contraria evadit; ſi facilem, aptamque in rebus peragendis impediat actionem, ſecundario opponitur fini; demum ſi ſuperflua comeſtio ſit inordinata quantùm ad indebitum tempus, minùs decentem reddit conſecutionem finis.

Principia agendi alia primaria, alia ſecundaria.

3 NOTANDUM II. Quod ſicut in ſpeculativis quædam dantur prima principia per ſe nota, & alia ex illis deducta, velut immediatæ concluſiones, & ſecunda principia dicuntur; ſic in practicis invenire eſt aliqua prima præcepta naturæ immutabilia, & alia ex primis illis deducta, quæ aliquam ſubeunt variationem. Porro actio quælibet, quæ hiſce præceptis opponitur, contra naturæ legem affirmatur; ſed quæ primis adverſatur, dicitur contra legem naturæ ſecundùm finem primarium; quæ verò ſecundis opponitur, eſt contra eandem legem ſecundùm finem minùs principalem, ſeu ſecundarium.

Fines Matrimonii.

4 NOTANDUM III. Matrimonium triplicem in homine finem ſortitur. Primus finis Matrimonii homini competit ſecundùm genus; & eſt prolis procreatio, ejuſque educatio. Alter competit ei ſecundùm ſpeciem; & eſt operum communicatio, quæ in humana converſatione neceſſaria ſunt; & ad hoc mutuam ſibi fidem Conjuges præſtolantur. Tertius demùm eſt finis conveniens homini prout in lege gratiæ; & eſt ſignificatio unionis Chriſti cum Eccleſia. His prænotatis

Polygamîa ſimultanea non repugnat fini primario naturæ.

DICENDUM, Polygamîam ſimultaneam non adverſari juri naturali primario.

5 PROB. I. Primarium jus naturale in Conjugio inſpectum convenit homini ſecundùm eſſe genericum: atqui natura non docuit, omnia animantia eſſe unum uni, ut in aperto eſt; ergo natura non docuit hominem ſecundùm eſſe genericum, ut ſit unum uni; ergo ſimultanea Polygamîa juri naturali primario nequaquam adverſatur.

Secundò. Jus naturale primarium penes finem principalem attenditur: ſed quod unus mas plures habeat uxores, non impedit, immo potius ad finem principalem, nempe ad procreationem, proliſque educationem, conducit; ergo.

Tertiò. Jus naturale primarium non patitur mutabilitatem: prima enim præcepta, quæ a naturali jure dictantur, invariabilia ſunt; ſed circa Conjugii unitatem intervenit mutatio; cum laudabiliter veteres Patriarchæ pietate celebres plures duxerint uxores; unde

unde Augustinus *lib. 22. contra Faustum cap. 47.*, instituta comparatione Apostolos inter, & Patriarchas, habet -- Sancti Apostoli, „ auditoribus admirantibus, doctrinam suam „ condelectabantur, non aviditate conse„ quendæ laudis, sed charitate seminandæ „ veritatis. Ita Sancti Patriarchæ Conjugi„ bus excipiendis semen suum miscebantur, „ non concupiscentiâ percipiendæ volupta„ tis, sed providentiâ propagandæ succes„ sionis --

Veteres Patriarchæ a patrib. laudantur in suaPolygamia.

6 PROB. II. Si simultanea Polygamia juri naturali primario adversaretur, Veteres Patriarchæ non laudarentur a Patribus: sed hi in sua Polygamia satis commendantur a Patribus; ergo. Audiatur Augustinus *lib 16. de Civit. Dei cap. 25.* ubi de Abraham -- O „ virum viriliter utentem fœminis, Conjuge „ temperanter, Ancillâ obtemperanter, nullâ „ intemperanter! -- *Lib. de Bono Conjugali* „ *cap. 15.* -- Misceri fœminis jure nuptia„ rum officiosum fuit tunc Sanctis viris, non „ libidinosum -- & *Cap. 18.* -- Sicut ergo „ Sacramentum pluralium nuptiarum illius „ temporis significavit futuram multitudinem „ Deo subjectam in terrenis omnibus genti„ bus: sic Sacramentum nuptiarum singula„ rum nostri temporis significat unitatem „ omnium nostrûm subjectam Deo futuram „ in unitate cœlesti Civitate --

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

7 OBJIC. I. Maritus, & Uxor, correlativa sunt: sed est contra jus naturæ primarium, quod una Mulier plures habeat viros: ut ad unum omnes testantur adversùs Platonem in sua, quam finxit, Republicâ; ergo.

Virorũ pluralitas fini primario Conjugii repugnat.

RESP. Virorum pluralitas primario fini Conjugii, nempe prolificationi, & educationi, directe repugnat; experientia siquidem nos docet, mulieres, quæ pluribus viris sui corporis copiam faciunt, steriles esse; & aliàs Patris incertitudo maxime noceet filiorum educationi. Hujusmodi autem inconvenientia in nostro casu non verificantur. Legatur Augustinus *lib. de Bono Conjugali cap. 17.* -- „ Non sicut uni viro etiam plures habere „ licebat uxores, ita uni fœminæ plures vi„ ros, nec prolis ipsius causâ, si fortè illa „ parere posset, ille generare non posset... „ Neque enim sic habet unus Servus plures „ Dominos, quomodo plures servi unum „ Dominum. Ita duobus, seu pluribus ma„ ritis vivis nullam legimus servisse Sancta„ rum; plures autem fœminas uni viro le„ gimus, cum gentis illius societas sinebat, „ & temporis ratio suadebat, neque enim „ contra naturam nuptiarum est. Plures „ enim fœminæ ab uno viro fœtari possunt, „ una verò a pluribus non potest. (Hæc „ enim est principiorum vis) sicut multæ „ animæ uni Deo recte subduntur. Ideoque „ non est verus Deus animarum nisi unus, „ una verò anima per multos falsos Deos „ fornicari potest, non fœcundari --

8 OBJIC. II. Prima Conjugii institutio facta fuit, spectato jure naturæ primario: sed illa constituit, ut unum uni copularetur; ergo.

PrimaeConjugii institutio perfectissima.

RESP. Prima institutio Conjugii, utpote perfectissima, non tantùm secundùm jus naturæ primarium, sed etiam secundùm jus secundarium ordinata fuit. Porro licèt uxorum pluralitas primario fini Matrimonii non adversetur, cum repugnet secundario, ut *in seq. Contr. II.* dicetur, ideo in primæva institutione pluralitas non adfuit.

9 OBJIC. III. Juxta prima naturæ documenta, quod uni traditum est, haud alteri insimul tradi valet: atqui in Connubio homo seipsum uni tradit mulieri, teste Apostolo *1. ad Corinth. 7.*; ergo nullimode alteri seipsum tradere jure potest.

Primarius finis naturæ est prolis generatio.

RESP. Spectatis primis naturæ documentis, sat est traditio viri ad mulierem juxta exigentiam primarii finis Matrimonii, qui alius sane non est, nisi prolis generatio; cumque unus pluribus generandis filiis sufficiat, hinc fit, Polygamiam non repugnare primariis naturæ regulis. Nec Apostolus nobis restagatur; eo loci siquidem alludit ad statum Evangelicæ legis, in quo absoluta corporum traditio præscribitur; de quo infra *Contr. III.* Abraham Polygamum idem Apostolus laudavit *ad Galatas 4. vers. 24.*

10 OBJIC. IV. Ad primas naturæ regulas spectat, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: sed vir & jure & meritò non vult uxorem suam alterum virum habere; ergo.

Mulieri cur plures viri repugnant?

Argumento respondet S. Thomas *4. Dist. 33. art. 1. ad 7.* -- Illud præceptum legis „ naturæ: quod tibi non vis fieri, alteri ne „ feceris, debet intelligi eadem proportione „ servata; non enim, si Prælatus non vult „ sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere „ non debet. Et ideo non oportet, quod ex „ vi illius præcepti, quod si vir non vult, „ quod uxor sua non habeat alium virum, „ quod ipse non habeat aliam uxorem; quia „ unum virum habere plures uxores non est „ contra prima præcepta legis naturæ, ut „ dictum est; sed unam uxorem habere plu„ res viros est contra prima præcepta legis „ naturæ --

11 OBJIC. V. Contra primarium dictamen naturæ est remedium apponere ad morbum augendum; siquidem natura primariò in sui conservationem inclinat. Matrimonium porro ordinatum est in remedium concupiscentiæ, quæ dubio-procul ex pluralitate uxorum augetur; etenim carnale commercium ex frequentia accendit, non extinguit libidinem.

Concupiscentiæ remedium finis secundarius Conjugii.

RESP. Remedium concupiscentiæ est secundarius finis Conjugii; quare tantummodo instantia evincit, uxorum pluralitatem eidem fini secundario adversari. Audiendus est Augustinus *lib. 22. contra Faustum cap. 47.* -- Quia homines, aliter se ha„ bentibus jam moribus, & legibus, non „ possunt delectari uxorum multitudine, nisi „ libidinis magnitudine, ideo errant, & pu„ tant omnino haberi non potuisse uxores „ multas, nisi flagrantiâ concupiscentiæ car„ nalis, & sordidæ voluptatis. Comparantes „ enim nos alios, quorum animi virtutem „ pror-

K

„ prorsus nosse non possunt, sed sicut ait „ Apostolus, semetipsos sibimetipsis non in„ telligunt. Et quia ipsi etiam si unum ha„ buerint; ad eandem non solùm generandi „ officio ducti viriliter accedunt, sed sæpe „ coeundi stimulo victi enerviter pertrahun„ tur, quasi veraciter sibi videntur conjicere, „ quam majori hujusmodi morbo per multas „ alii captiventur &c. -- Si igitur amore prolis habeatur conjugale commercium non augetur concupiscentia, cum rationis dictamine dirigatur; secus si concupiscentiæ flagrantiâ.

12 OBJIC. VI. Primarius finis Connubii est penes procreationem prolis: sed simultanea Polygamia directè huic fini adversatur; ergo. Minor Propositio probatur. Etenim Polygamia simultanea parit sterilitatem, ut notat Plutarcus *in vita Licurgi*; & hoc in aperto est, Salomonis exemplo, qui ex innumeris pene mulieribus non nisi unum suscepit filium Roboam, duasque filias; ratione itidem comprobatur; siquidem ex multiplici usu nequit virtus ad perfectum perduci.

Exorbitans multitudo uxorum sterilitatem parit.

RESP. Exorbitans uxorum multitudo sub inordinatu usu utique sterilitatem infert; & hoc sensu redarguitus fuit Salomon. Ceterum moderata pluralitas sub ordinata cohabitatione juxta dictamen rationis illum non causat effectum; & in primo sensu intelligendus est Plutarcus.

13 OBJIC. VII. In animalibus, in quibus Patri, seu Matri, incumbit sollicitudo de prole, est contra primariam naturæ intentionem fœminarum pluralitas, ut videre est in avibus, quæ cum simul pullos nutriant, pluribus non adhærent: sed si homini convenire potest uxorum pluralitas id potissimum, quia est animal, cui non est a natura inditum, quod unum uni adhæreat; ergo.

Cur in quibusdam animalibus pluralitas fœminarum sit contra finem primarium naturæ.

Argumentum concludit ad mentem D. Thomæ, ex quo desumptum est 3. *contra Gentes cap.* 124. pugnare scilicet Polygamiam non cum primario naturæ fine. In illis siquidem animantibus, inter quæ mari de prole sollicitudo est, fœminarum pluralitas est contra primariam intentionem naturæ, quia unus mas præstare non potest pluribus fœminis opem in prolis educatione. Secus dicendum est in homine, qui pluribus fœminis in prolis educatione auxiliari potens est, ut ex se constat.

14 Hic placet subnectere, quæ ex hoc principio, nempe quod simultanea Polygamia non sit primario naturæ jure prohibita, perperàm collegit Missionarius quidam, ut mox accepimus, Probabilismi propugnator insignis. Is itaque apud Indos evangelizans obvium habuit virum idololatram optimæ indolis, cui expositâ Catholicæ Fidei veritate, Christo nomen dare non renuebat, si ipsi datum foret cum duabus conversare uxoribus. Hæsit primò Missionarius; hinc Ethnicum illum sciscitatus est: num certò crederet, cohabitare posse cum utraque muliere absque periculo perversionis? affirmanti rem plane indubiam esse, utramque indulsit sic paralogizans. Probabile est, Polygamiam simultaneam nullatenus esse contra

An Infideli ad Fidem converso sit licita Polygamia.

A jus naturæ: ut plures Doctores propugnant, quos inter Abulensis 1. *Reg.* 8. *quæst.* 25., Gerson. *in Regulis Moralibus* 2. *part. Alphabeto* 25. *l.* 1., aliique; propterea apud Infideles legitimus insistit contractus cum pluribus mulieribus. Longe probabilius est, Ecclesiam haud posse legitimum consummatum Matrimonium dissolvere. Aliàs beneficium Fidei prodest tantummodo, quando cohabitatio vergit in contumeliam Creatoris, ut apud Theologos solemne est. Inferre itaque non dubitavit, in casu rem esse per accidens; proindeque permitti posse. Iterumque viro, mulieribusque interrogatis: num promitterent, facta viri conversione ad Fidem, pacifice vitam ducere, & omnibus annuentibus,

B virum Catholicorum albo adscripsit, putans casum fore per accidens extra positivam legem. Ostendens tamen Proselyto prohibitam a Christo Polygamiam, ipsum docere nitebatur, prohibitionem ob occurrentes circumstantias impræsentiarum nequaquam urgere.

Haud inficias imus, velle quosdam, Polygamiam simultaneam juri naturæ non adversari; verùm oppositum indubie communiùs, certiùsque est. Hoc Sancti Patres docuere, id unum intendentes veteres Patriarchas Polygamos excusare; quod casso, irritoque labore actum esset, si Polygamia licita

C fuisset secundùm naturæ leges. Ceterum cum sub primordiis conditi Orbis Monogamia in nuptiis fuerit instituta, atque a Christo in lege gratiæ reparata, ita est impræsentiarum illicita Polygamia, ut nullatenus nec per se, nec per accidens admitti possit; legitimæ siquidem nuptiæ cum una in Evangelica lege essentialiter inhabilitabant ad insimul contrahendum cum alia, taliter ut nemo unus Catholicam Religionem cum uxorum pluralitate componere queat, sive Catholicus sit, sive jam nuptus ad Fidem convertatur.

Nec per se; nec per accidens licita est impræsentiarum Polygamia.

D Lex Evangelica, cum pro omnibus lata sit, sitque ea sola, in qua salus habetur, radicaliter saltem omnes adstringit; & sufficienter promulgata actu eos, ad quos enunciata est, obligat. Hinc fit, secundas nuptias, legitima uxore superstite, etiam apud Ethnicos invalidas fore, quamvis ob ignorantiam invincibilem excusari possint; ea pari ratione, qua si Infidelis Sororem duceret, contractus nullus esset ob consanguinitatis impedimentum primi gradus lineæ transversalis, non tamen criminandus, si invincibilis adesset ignorantia; licèt Cain, & Abel, aliique, sub Mundi exordio Sororibus nuberent. Qua-

E propter Ethnicus Polygamus, cognitâ Evangelii veritate, unâ tantummodo exceptâ, alias teneretur dimittere uxores; quemadmodum a Sorore recedere deberet, si cum ea nupsisset.

Hæc in aperto sunt. Difficultas tamen occurrit; quænam ex pluribus uxoribus dimittenda, quæve retinenda sit? Prima generalis regula ea est, quod ex duabus prior electa, est retinenda, quando legitimus fuit contractus; sive quia priùs tempore, & titulo, est in possessione; sive quia cum secunda nullum est vinculum, nisi reputatum. Cum prima nullus erit contractus, si juris naturæ

Quænam ex pluribus uxoribus retinenda.

naturæ impedimentum intersuerit; secus si Illud solummodo fuerit humani juris, præcepta namque Ecclesiastica Ethnicos non ligant. Hinc nequit Missionarius pro libito consulere, ut conversus, priori legitima dimissa, aliam superinducat; nec hac super re ullum est invenire privilegium; & si quod dubium occurrat, vel juxta principia juris communis dissolvendum est, vel ad Apostolicam Sedem recurrendum. Cum igitur nuptialis contractus inter Infideles (seclusis impedimentis juris naturalis, vel si quæ Princeps statuit) sit verum Conjugium, licèt Sacramenti perfectione careat, ut habetur Cap. *Quanto*, Cap. *Gaudemus*, *de divortiis*, primæ uxori fit injuria, si dimittatur.

Est & alia regula, nempe, si Polygamus cum suis illegitimis uxoribus ad Fidem convertatur, cum nullâ habitare potest, sed omnes dimittere debet; si tamen optio detur, vel unam ex illis novo contractu ducere potest, vel aliam. Etenim ante conversionem nulli erat adstrictus; & per conversionem plene sui juris efficitur, ita ut possit etiam innuptus manere. Hæc dicta volumus, spectatâ rerum naturâ; fieri namque potest, ut unam ex illis ducere teneatur, sive ad sedanda in Populis dissidia, sive ob Catholicæ Religionis bonum. E prudentia itaque Missionarii erit momenta promere, ut Proselytum inducat ad ea peragenda, quæ magis expedire videbitur.

CONTROVERSIA II.

AN POLYGAMIA SIMULTANEA SECUNDARIO JURI NATURÆ ADVERSETUR.

15 MOmenta, quæ contra superiorem Controversiam urgere videntur, & quibus fecimus satis, abunde evincunt, Polygamiam simultaneam adversari secundario juri naturæ. His tamen operæ pretium erit nonnulla superaddere. Igitur

DICENDUM, Polygamiam simultaneam adversari juri naturæ secundario.

Poligamia virum imparē reddit ad justitiæ debitum persolvendum.

16 PROB. I. Juri naturali adversatur se Imparem reddere ad satisfaciendum obligationibus ex justitia: sed Polygamia imparem reddit virum ad satisfaciendum obligationibus justitiæ erga uxorem: siquidem contingere potest, ut posterior conjux insimul cum priore conjugale commercium petat, & quidem urgentibus utrinque concupiscentiæ stimulis, & tunc temporis una ex ipsis jure suo frustraretur, immo & consecutive, nisi rationalis intercederet mora ad sufficientem reparandam dispositionem; ergo.

Rixæ, & dissensiones in Polygamis.

17 PROB. II. Repugnat juri naturæ, quidquid per se parit rixas, fovetque discordias: sed rixæ, & discordiæ, ex uxorum multiplicitate oriuntur; ergo. Minor in aperto est ex Sara cum Agar rixante, & ex Rachele cum Lia, licèt essent Sorores. Unde de Agar scripsit Theodoretus *quæst. 67. in Gen.* — Cum enim Agar gravida esset, superbien„ di occasionem inde accepit, & in domi„ nam suam magna procacitate utebatur: „ quod ægre ferens Sara, apud Patriarcham „ non recte conquesta est. Ille verò valde „ patienter ferens petulantiam, neque expe„ ctans donec ancilla peperisset puerum, „ quem in utero gestabat, tradidit illam „ uxori puniendam: Ecce, inquit, ancilla tua „ in manibus tuis: utere eâ, prout tibi pla„ cuerit —

Inter Conjuges excellens amor.

18 PROB. III. Dictante natura, inter Conjuges debet dari amor excellens, ut ait Philosophus 8. *Ethicor. cap. 7.*, & traditur *Gen. 2.*, ubi amor viri ad uxorem Parentum amori præcellere innuitur: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ*: atqui ad plures uxores non est naturaliter possibilis hujusmodi amor: pluribus enim intentus minor est ad singula sensus; ergo.

Finis secundarius naturæ non compatitur cum Polygamia.

19 PROB. IV. Secundarius finis Conjugii est communicatio operum, scilicet consocialis cohabitatio ad regendam Familiam, & domestica officia mutuis partitionibus exercenda: atqui Uxorum pluralitas domesticam hujusmodi ordinationem susdeque vertit: unaquæque enim ex illis præferri vellet, amorem, & mariti usum, exoptaret, sui, suorumque filiorum curam unice intenderet; ergo.

ADVERSA ARGUMENTA REFELLUNTUR.

20 OBJIC. I. Ante legem scriptam, & ante Evangelii promulgationem floruit Lex naturæ: sed antecedenter ad prælaudatas leges licita erat simultanea Polygamia; ergo naturali juri nequaquam repugnare dicendum est. Minorem nos docet S.Ambrosius *lib. 1. de Abraham cap. 4.*, ubi congressum Agar cum Abraham referens ait — Non „ ergo in legem commisit Abraham, sed le„ gem prævenit — Et S. Hieronymus *Epist. 3. ad Oceanum* — Sciebat Apostolus lege conces„ sum, & exemplo Patriarcharum, ac Moysis, „ familiare fuisse Populo Hebræo noverat „ multis Uxoribus liberos spargere —

Lex Mosayca Polygamiā non vetabat.

RESP Laudati Patres non attendunt ad naturæ legem, sed ad legem scriptam. Hanc legem scriptam prævenit Abraham, qui neque in legem naturalem commisit, propter divinam dispensationem, ut mox dicetur. S.Hieronymus loquitur de concessione per Mosaycam legem. Ceterum naturali jure haud concessam fuisse simultaneam Polygamiam palam fatetur Innocentius III. Cap. *Gaudemus. De Divortiis* — Nec ulli unquam „ licuit simul plures Uxores habere, nisi cui „ fuit divinâ revelatione concessum —

21 OBJIC. II. Contra jus naturæ nulla consuetudo prævalere potest, ut habetur Cap. *Finali. De consuetudine*: sed Polygamia licita effecta est ex consuetudine, ut docet Augustinus *lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 12.* — Sufficiendæ prolis causâ erat uxo„ rum plurium simul uni Viro habendarum „ inculpabilis consuetudo — ergo.

RESPONDET Argumento Angelicus in *4.Dist.33.art.1. ad 1.* — Consuetudo non præju-

K 2 „ dicat

Consuetudo qualis sit valida.

„ dicat legi naturæ quantùm ad prima præ„ cepta ipsius, quæ sunt quasi communes „ animi conceptiones in speculativis, sed ea „ quæ ex istis trahuntur ut conclusiones, „ consuetudo auget, ut Tullius dicit *in* 2. „ *Rethoric.*, & similiter minuit; & hujus„ modi est præceptum legis naturæ de uni„ tate uxoris --

22 OBJIC. III. Quod nulla lege est prohibitum, juri naturali non repugnat: sed Polygamía sub primis Mundi ætatibus nulla lege erat prohibita, dicente Augustino *lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 38. -- Eo tempore multi„ plicandæ posteritatis causâ multas uxores „ habere lex nulla prohibebat -- & *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 47. postquam declaravit peccatum esse vel contra naturam, vel contra bonos mores, vel contra præceptum, agens de Polygamía veterum Patrum, & præcipue Jacob, ait -- Si naturam consulas, non lasci„ viendi, sed generandi causâ, illis mulie„ ribus utebatur; si morem, illo tempore, „ & in illis locis, hoc factitabatur; si præce„ ptum, nulla lege prohibebatur --

RESPONDET Angelicus, *ubi supra ad* 2. Ea, quæ lex naturalis dictat tanquam ex primis principiis derivata vim coactivam non sortiri per modum præcepti absolute, nisi divina, vel humana firmentur lege. Quoniam verò tunc temporis nullum sive divinum, sive humanum præceptum extabat; ideo sic locutus est Augustinus. Hæc porro doctrina adoptanda est, præsupposita divina dispensatione, de qua superiùs Innocentiùs III.

Jus naturæ secundarium quandoque non obligat.

23 OBJIC. IV. Quamvis contra jus naturæ sit, plura in eodem corpore dari capita, pluresque Dominos in eadem familia, haud tamen ipsi adversatur dari plura v. g. brachia in eodem corpore, plures subditos in eadem familia: atqui in corpore œconomico familiæ Vir est caput, Mulier subdita est, & auxiliaris; ergo contra jus naturæ erit unam mulierem plures habere viros, secus unum virum plures uxores. Argumentum habes ex Augustino *lib.* 1. *de Nuptiis cap.* 9.

RESP. Augustini argumentum eò tendit, ut probet, Polygamíam non ita stricte adversari juri naturali in viro ad uxorem, sicut in uxore ad virum; quia illa pugnat tantummodo cum secundis præceptis, hæc verò cum primis. Non tamen evincit, nullimode Polygamíam esse contra jus naturale. Equidem mulier est Viro subjecta; verùm in operibus familiæ suam habet dominationem, quæ singularitatem exposcit.

Mulier in familia suam habet dominationem.

24 OBJIC. V. Quoties finis secundarius primario officit, non est contra jus naturale negligere secundarium, ut primarius finis obtineatur: sed secundarius finis non rarò officit primario: ut cum uxor est infœcunda; ergo.

RESP. Major propositio universaliter intellecta falsa est; in omnibus scilicet casibus, ubi tam primarius, quàm secundarius finis cadit sub lege. Commune autem proloquium est, fine adæquato cessante, cessare legem. Porro finis adæquatus Conjugii non tam est prolis procreatio, quàm domestica societas, operumque communicatio, quæ ad vitam necessaria sunt; ea propter etsi quandoque procreatio cesset, propter alia bona, quæ subsistunt, unitas Conjugii servari debet, nisi divina accedat dispensativa auctoritas.

Unitas Conjugii servanda, etsi cesset procreatio.

25 OBJIC. VI. Qui juri suo potest cedere adæquate, potest multò magis cedere ex parte: atqui Uxor absque juris naturalis violatione juri suo cedere valet, dando facultatem Viro vovendi castitatem; ergo itidem poterit cedere inadæquate dando licentiam, ut secundam ducat uxorem.

RESP. Effatum illud tenet, quoties cessio juris alteri non officit, idest, quando relaxatur id, quod est in sui favorem; secus ubi cessio alienum jus violat, & rerum constitutioni adversatur. Dum conjux viro largitur facultatem vovendi castitatem, seipsam eo privat jure, quod in sui favorem cedit, nec alteri traditur potestas supra virum, nec ordo rebus constitutus perturbatur; secus in casu Polygamíæ.

Quando quis suo juri valet cedere.

26 OBJIC. VII. Juri naturæ haud repugnat nubere cum muliere rixosa; quia pacis perturbatio, non ex Conjugio, sed ex uxoris malitia oritur; ergo quamvis ex uxorum multiplicatione rixæ timeantur, habeanturque, non erit effectus per se ex fœminarum pluralitate, proveniens, sed velut obveniens ex mala earundem conditione; ergo.

RESP. In statu naturæ lapsæ per se infert dissidia uxorum pluralitas, & pax rarò admodum, & velut fortuitò componitur. Etenim Zelotypia a natura indita est; propterea ubi plures sunt Zelotypi, ut in casu simultaneæ Polygamíæ, rixæ per se oriuntur. Pax verò a virtute animi habetur, quam pauci tantummodo severo plurium annorum exercitio acquirunt; ideoque per accidens in Polygamis adinveniri potest.

Polygamía per se infert rixas.

27 OBJIC. VIII. Si Polygamía cum naturæ lumine secundario pugnaret, antiqui Patriarchæ pluribus nubendo peccassent: atqui hoc asserere nimis durum est, cum Scriptura, & Patres, ipsos laudibus commendent; ergo dicendum videtur, neque de secundario naturæ jure prohibitam esse.

Manichæi apud Augustinum *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 47., sicut & Calvinus, ut supra *num.* 1. notatum est, facili negotio ab hoc argumento sesé expediunt, ultrò admittentes, antiquos Patres mortaliter peccasse; quod comprobant.

Primò. Quia Agar *Gen.* 21. vocatur Ancilla, & *cap.* 25. concubina nominatur, sicut & aliæ Patriarcharum mulieres, præter primam, concubinæ dicebantur.

Secundò. S. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 4. expresse Conjugium Agar cum Abrahamo adulterium nuncupat.

Tertiò. Leo Magnus *Epist.* 92. *ad Rusticum cap.* 4. declarat, exemplo Agar, concubinam haud veræ uxoris nomen habere.

28 Itaque priusquam argumento fiat satis, Sectariorum solutio confutanda est. Patriarchæ non nisi impie dicuntur adulteri; cum nusquam illos Scriptura redarguat, immo clare testatur, Justos regnaturos *cum Abraham, Isaac, & Jacob*. Matth. 8., & aliàs de iisdem nullam innuat pœnitudinem. Nec Hæreticorum urgent momenta.

Ad primum resp. Secundæ Uxores Ancillæ

Uxores Patriarcharum cur Ancillæ, & Concubinæ dictæ.

cillæ dicebantur, & Concubinæ, quantùm ad societatem bonorum, & hæreditaria jura, plenamque domus gubernationem; munia namque hujusmodi, & privilegia, ad solam principalem Uxorem spectabant. Hujus filii in absoluta hæreditatis jura succedebant; secus secundarum Uxorum geniti, quibus aliquid solummodo de bonis concedebatur, ut legere est *Gen.* 25., ubi Abraham filiis Concubinarum aliqua tantùm munera dedit. Ceterum quoad jura nuptialia legitimæ Uxores erant; ut clare innuitur *Judic.* 19., ubi de quodam Levita dicitur: *Accepit sibi uxorem Concubinam de Bethleem Juda*. Utique impræsentiarum Concubinæ nomen in deteriorem partem usurpatur; hoc tamen non officit antiquæ locutioni, & intelligentiæ.

Conjugium Abrahæ cum Agar fuit mysterium.

Ad secundum. Eo loco S. Doctor pluribus excusare contendit congressum Abrahæ cum Agar. Ait quidem adulterasse, sed excusandum fore; quia id egit non ardore libidinis, sed amore posteritatis. Verùm in postrema responsione aperte fatetur, Conjugium Abrahæ cum Agar non fuisse peccatum, sed mysterium; Deus enim ita fieri voluit ad aliquid futurum significandum, ut Apostolus exponit *ad Galat.* 4. Ex quo intelligimus, Ambrosium existimasse, Conjugium cum pluribus Uxoribus alioqui illicitum, Dei dispensatione factum esse licitum; quæ est solutio, quam postea Innocentius III., & Scholastici secuti sunt. Sic Bellarminus *De Matrim. cap.* 11. *lib.* 1.

Connubium Agar cù Abraham substantialiter verum Matrimonium.

Ad tertium. S. Leo asserit, Matrimonium, quod in lege Gratiæ contrahitur cum Serva, propter Ecclesiasticum impedimentum non esse verum Matrimonium, nec in Conjugio, ubi serva assumitur, perfectam adesse significationem unionis Christi cum Ecclesia. Ad hunc itaque perfectæ significationis defectum explicandum proponit S. Pontifex exemplum Connubii Agar Ancillæ cum Abraham, quod utique perfectum non erat quoad significationem, quamvis substantialiter verum esset Matrimonium, cum, supposita divina dispensatione, de qua mox dicetur, nullum impedimentum adesset.

Patriarchæ absque noxa Polygami.

29 Confutatis Hæreticorum cavillis, argumento respondemus, neutiquam antiquos Patriarchas peccasse, & licite usque ad Christi adventum pluribus nupsisse propter specialem a Deo concessam dispensationem, ut Dei Populus, qui non nisi per carnalem propagationem crescere poterat, multiplicaretur. Hoc nos docet Innocentius III. *De Divortiis* Cap. *Gaudemus* — Nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui „ fuit divina revelatione concessum . . . per „ quam sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a „ furto, Samson ab homicidio: sic & Pa„ triarchæ, & alii viri justi, qui plures le„ guntur simul habuisse uxores, ab adulterio „ excusantur —

30 DICES. Jus naturale dispensationem non patitur, ut in mendacio, & perjurio videre est: sed Polygamia pugnat cum jure naturali; ergo dispensari nequit.

RESP. Jus naturale in præceptis primæ lineæ dispensationem nusquam admittit; secus in præceptis lineæ secundæ. Super mendacium, perjurium, & hujusmodi, cum dicant essentialem repugnantiam ad divinam veracitatem, dispensatio non cadit; hoc porro impræsentiarum non urget, cum Polygamia simultanea secundario naturæ juri opponatur. Habes quidem ex Innocentio mox laudato Jacob a mendacio excusatum, non tamen eo sensu, quod Deus dispensaverit, ut mentiendo Jacob non peccaret; sed taliter locutionem disponendo, ut mendax non foret, ut fuse explicat Augustinus *De mendacio*.

Dispensatio quando repugnat.

31 INSTABIS. Dispensatio super præcepta legis naturæ debet certò per Scripturas innotescere: sed dispensatio simultaneæ Polygamiæ nullatenus ex Scripturis manifestatur; ergo.

RESP. S. Thomas *Suppl. quæst.* 65. *art.* 2. *ad* 3. docet, hujuscemodi dispensationem innotuisse per internam revelationem — Qualis „ est lex, talis debet esse dispensatio legis; „ & quia lex naturæ est cordibus impressa, „ non oportuit dispensationem eorum, quæ „ ad legem naturæ pertinent, lege scripta „ dari, sed per internam dispensationem „ fieri — Hæc autem interna dispensatio postmodum traditione, & exemplo, aliis palam facta est.

32 QUÆRES, num talis dispensatio Populo Dei concessa, ad Gentiles extenderetur?

Dispensatio divina circa Polygamiam ad Gentiles extensa.

RESP. Satis probabile est, extensam fuisse ad Gentes, quod dubio-procul ab Augustino colligitur, qui *lib.* 22. *contra Faustum Cap.* 47. de Polygamia scribit — Quando mos „ erat, crimen non erat; & nunc propterea „ crimen est, quia mos non est. Alia enim „ sunt peccata contra naturam, alia contra „ mores, alia contra præcepta. Quæ cum „ ita sint, quid tandem criminis est, quod „ de pluribus simul habitis uxoribus objicitur „ Sancto Viro Jacob? Si naturam consulas, „ non lasciviendi, sed gignendi causâ illis „ mulieribus utebatur; si morem, illo tem„ pore, atque in illis terris, hoc factitaba„ tur; si præceptum, nulla lege prohibeba„ tur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc „ faciat, nisi quia moribus, & legibus non „ licet? — Laban porro aliter a Populo Dei sentiebat; & apud Gentes morabatur.

33 Adversùs opinionem hanc urgere videtur, quod Gentes impræsentiarum absque noxa pluribus nubant; non enim iisdem innotuit dispensationis revocatio. Aliàs mysterium inductivum dispensationis quoad Populum Dei, videlicet illius Generis propagatio, ex qua Christus nasciturus erat, quoad Gentes non subsistit; ea propter ad easdem non videtur extensa dispensatio.

Verùm ab ultimo incipiendo. Satis compertum est, non deesse in hac extensione mysterium. Christus siquidem nasciturus erat secundùm carnem ex Populo Hebræorum; spiritaliter tamen erat nasciturus in Gentibus, qui ipsum in Evangelica prædicatione susceperunt. Propterea dispensatio fuit universalis usque ad tempus, & debet absolute dici abrogata; etenim, completis mysteriis, amplius vigere non debebat; & de facto nunc non viget, eò quod Christus ad pristinam unitatem reduxit Conjugium. Hoc

Gen-

Gentibus innotuit; siquidem in omnem terram exivit sonus Evangelicæ prædicationis.

CONTROVERSIA III.

AN POLYGAMIA SIMULTANEA EVANGELICA LEGE SIT VETITA.

SUb Disputationis exordio *num.* 1. Novatores dedimus, qui simultaneam Polygamiam post Christi adventum ut licitam adoptarunt. Contra eosdem nunc

DICENDUM, simultaneam Polygamiam Evangelica Lege prohibitam esse.

34 PROB. I. Christus in Lege Evangelica Conjugium secundùm primævam institutionem reformavit: atqui prima Conjugii institutio simultaneam non admittit Polygamiam; ergo hæc Evangelica Lege vetita est. Argumentum legitur *Matth.* 19. *verſ.* 4., & *seqq.*, ubi Pharisæis interrogantibus, num liceret uxorem dimittere, reposuit Christus: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* En ad pristinam unitatem revocatum Conjugium, declarans Christus, ipsum ex Viro, & una tantummodo Uxore, constare debere. *Ita-ne jam non sunt duo, sed una caro.* S. Anselmus super laudatum Matthæi textum habet -- Masculum, & fœminam fecit eos: „ Non dixit fœminas, sed fœminam, multiplicationem Conjugii excludens, & ad „ idem confirmandum dicit: propter hoc „ quidem, idest, propter hanc unam conjunctionem, dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, non uxoribus --

Conjugium in lege Gratiæ juxta primam institutionem.

35 PROB. II. Sub Statu legis Gratiæ adulterii reus est, qui, priore vivente uxore, aliam ducit: sed nisi concessio simultaneæ Polygamiæ cessasset, immo opposita lex non urgeret, nullatenus de adulterio criminandus esset, qui, vivente priore uxore, aliam duceret; ergo. Argumentum habes Marci 10. verſ. 11., & seq. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

Adulter est qui, vivente uxore, alteri commiscetur.

36 PROB. III. Æqualis juris est in Statu reparatæ salutis Monogamia ex parte Viri, atque ex parte Fœminæ: ast, nemine discrepante, Mulier plures nequit habere Viros; ergo Vir itidem plures Uxores habere non potest. Hoc ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. verſ. 2. habemus: *Propter fornicationem, unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat.* Vides apertam æqualitatem Virum inter, & Mulierem. Et sane Connubium in lege Gratiæ elevatum est ad perfecte significandam unionem Christi cum Ecclesia, imperfectâ, quam in veteri lege habebat, evacuata significatione: Ad Ephes. 5. verſ. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Porro perfecta significatio haud componitur cum uxorum multiplicitate; uni enim Ecclesiæ desponsatus est Christus. Quare egregie dicebat S. Isidorus Hispalensis *lib.* 2. *de Officiis Cap.* 19. -- Sicut unus Christus, „ & una Ecclesia; ita & unus vir, & una „ uxor, tam secundùm generis documentum, quàm secundùm Christi Sacramentum --

Monogamia viri, & fœminæ.

A

37 PROB. IV. ex Patribus. Chrysostomus *hom.* 56. *in Genesim* habet -- Audiens „ quod Jacob accepit & majorem natu, & „ postea minorem, ne turberis: neque juxta „ statum qui tunc est, opera, quæ tunc facta, judices. Tunc enim quia principia „ erant, permissum fuit cum duabus, vel „ tribus, vel pluribus uxoribus uiisceri, ut „ humanum genus propagaretur. Nunc verò „ quia per Dei gratiam humanum genus „ valde multiplicatum est, & pietas incrementum accepit, adinveniens utique Christus, & virtutem in hominibus plantans, „ Angelosque, ut ita dicam, ex hominibus „ faciens, omnem illam veterem consuetudinem abolevit. Vides, quomodo non „ oportet consuetudinem prætexere, sed quod „ justum est, inquirere? --

SS Patres Polygamiam simultaneam reprobant.

B

Theophilactus *in cap.* 19. *Matth.* -- Quid „ igitur Christus? Ostendit opus, & legislationem ejus, qui nos a principio formavit, esse monogamiam. Ab initio enim „ unum conjunxit Deus uni; atque ita non „ oportet unum virum conjungi multis mulieribus, neque mulierem unam viris multis: sed eos, sicut ab initio conjuncti fuerunt, manere, neque absque causa cohabitationem divellere --

C

Victor Antiochenus *ad cap.* 10. *Marci* -- „ Nunc verò ex ipsa legis forma, primæque „ generis nostri institutionis, unum virum uni „ tantùm mulieri perpetuò citra ullum prorsus dissidium cohabitare debere ostendit --

Olympiodorus *ad cap.* 7. *Ecclesiastis* -- „ Licebat antiquis Patribus uxores multas „ accipere..... quæ tamen nobis Evangelica lex coercuit --

D

S. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. -- Non licet tibi uxore vivente uxorem ducere; nam & aliam quærere, cum habeas „ tuam, crimen est adulterii --

S. Augustinus *de Doctrina Christiana lib.* 3. *cap.* 12. loquens de Patriarchrum Polygamia habet -- In hujusecmodi moribus, quidquid „ illorum temporum Sancti non libidinose „ faciebant, quamvis ea facerent, quæ hoc „ tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura --

E

Iisdem concinunt ceteri Patres. Hinc meritò Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 2. oppositum sentientes execratur -- Si quis dixerit, „ licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege Divina esse prohibitum, anathema sit --

SOL-

SOLVUNTUR HÆRETICORUM MOMENTA.

38 OBJIC. I. Nullibi clariùs Evangelicam legem circa Conjugium explicatam habemus, quàm apud Apostolum 1. *ad Corinth.* 7. atqui ibi sola excluditur Virorum Polygamia; ergo Polygamia Uxorum Evangelio non repugnat. Minor probatur. Apostolus asserit, solam fœminam esse viro alligatam usque ad mortem, ita ut alium virum habere nequeat vers. 39. *Mulier alligata est lege, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat.* Et ad Rom. 7. vers. 3. *Vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* En vinculum ex parte uxoris, secus ex parte viri.

Virum inter, & fœminam jura æqualia.

RESP. Apostolus eo loci Monogamiam tum ex parte viri, quàm ex parte fœminæ aperte declaravit dicens: *Unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*; atque utriusque jura æqualia fore declarat. Expressiùs quidem de fœminis sermonem instituit; quia quoad ipsas Polygamia majorem explicat turpitudinem.

39 OBJIC. II. Lex Evangelica majorem exquirit temperantiam in Ministris Altaris, quàm in Laicis: sed illis unam concedit uxorem 1. ad Thimoth. 3. vers. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*; ergo Laicis plures concedit. Etenim Episcoporum mentionem faciens, illis unam tantummodo indulgens uxorem, supponit aliis ab Episcopo plures esse licitas; exceptio namque firmat regulam in contrarium. Sic Ochinus.

Discrimen inter Laicos, & Altaris Ministros.

RESP. Perperàm ab Ochino intelligitur Apostolus. Etenim juxta nonnullorum placitum *ibidem* Paulus loquitur non de unitate uxoris terrenæ, sed spiritualis, videlicet Ecclesiæ, cujus Episcopus est Sponsus. Alii verò contendunt, & quidem juxta litteram, Apostolum sermonem habere de Episcopo uxorato, antequam Sacris initiaretur, declarando, bigamos, eos nempe, qui successive plures duxerunt uxores, haud assumi posse ad Altaris ministeria; adeoque directè evincitur, Laicis fas esse Polygamiam successivam secundùm effatum in argumento usurpatum, scilicet quod exceptio firmet regulam in contrarium.

40 OBJIC. III. In lege Evangelica eadem est nuptiarum, & ciborum libertas: hinc Apostolus 1. ad Thimoth. 4. vers. 3. reprobat doctrinam *prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit*; atqui absque noxa fas est pluribus simul cibis uti; ergo similiter pluribus nuptiis. Et sane ratio, quam refert Paulus, æqualiter evincit, nempe: *Quia omnis Creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.*

Discrimen nuptias inter, & cibos.

RESP. Abutuntur Hæretici Pauli textu. Non enim par ratio est pluralitatis ciborum, ac Nuptiarum. Illa nulli naturali principio contrariatur; hæc verò secundario naturæ juri adversatur. Pluralitas ciborum nullæ significationi opponitur; secus illa nuptiarum. Itaque Hæretici, de quibus Apostolus, illicitas esse contendebant nuptias quascunque, & quosdam cibos, utpote a Deo malo; ex adverso Paulus absolute affirmat, nuptias licitas fore, nullumque cibum esse naturâ suâ malum. Verùm de simultanea Polygamia nihil.

41 OBJIC. IV. Lex Evangelica non est eversiva Oraculorum prophetantium multitudinem Gentium, velut arenæ maris, credituram in Christum: atqui lex Monogamiæ hujus multitudinis propagationi adversatur; ergo hujusmodi lex, arbitraria meritò censenda est, perseverante potius permissione ob eam rationem antiquis Patribus concessa.

Lex gratiæ prædicatione diffusa.

RESP. Oracula prophetaverunt, ab extremis Mundi plagis vocandas Gentes ad Christum; adeoque in omnem Terram exivit sonus Prædicantium, & ex omni Natione, quæ sub cœlo est, fuere qui crediderunt. Verùm hujusce propagationis medium haud fuit corporale, sed spiritale, prædicatio, videlicet, verbi Dei; cumque lex Christi sit plenitudinis Gratiæ non debuit propagari carnaliter, ut in veteri lege contingit.

42 OBJIC. V. Lex Gratiæ in Conjugio conservare intendit significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia: sed per Monogamiam hæc significatio non servatur: etenim Christus ita unitus est Sponsæ, idest Universali Ecclesiæ, ut insimul pluribus Ecclesiis sit conjunctus, & quidem separabiliter, ita ut viduus non efficiatur per mortem, idest per Apostasiam, unius particularis Ecclesiæ; ergo ad complendam perfectam significationem licita censenda est carnalis Polygamia.

Universalis Ecclesia non alia a particularibus.

RESP. Sponsa Christi una est simpliciter; universalis quippe Ecclesia haud alia est a particularibus, sed ex pluribus velut ex partibus consurgit. Plures autem Uxores simul sumptæ non unam efficiunt, sed pluralitatem retinent; propterea non stat perfecta significatio, si plures habeantur.

43 OBJIC. VI. Valentinianus Senior, teste Socrate *lib.* 4. *Hist. cap.* 26. vivente Severa prima Uxore, nupsit cum Justina, & legem condidit ut quisque posset legitime duas habere Uxores. Loquens ille de Valeriano Juniore hæc habet — Hunc Valentinianum intelligamus oportet ex Justina natum fuisse, quam Pater ejus, priore Conjuge Severa adhuc vivente, duxerat . . . . Quare legem tulit, ut cuicumque volenti liceret duas Uxores habere legitimas: eamque in singulis Civitatibus divulgavit. Lege itaque divulgata, ipse Justinam duxit Uxorem, ex qua Valentinianum Juniorem, & & tres filias Justam, Gratam, & Gallam procreavit — Lotharius itidem Imp. duas Uxores habuit Teutbergam, & Vualdradam; ergo.

Valentinianus a calumnia vendicatur.

RESP. Socrates in hac narratione turpiter erravit, cum Hieronymus, Sozomenus, Theodoretus, aliique Scriptores ætate suppares, hac super re altum habeant silentium. Quod argumentum utpote negativum licèt non magni faciendum esse videatur, attamen vim habere nemo inficias ibit, si attendat Ammianum Marcellinum, virum cæteroqui

Et-

Ethnicum, qui Valentiniani gesta exacte refert, Imperatorem laudasse tanquam præcipuum pudicitiæ cultorem, atque ipsum de nimia in adulteros severitate reprehendisse. Porro si duas simul habuisset uxores, nec de pudicitia laudabilis foret, nec in Mœchos animadvetere debuisset & ipse adulter. Duxit quidem Justinam, sed post Severæ obitum; qua de re nequaquam criminandus est.

Lotharii factum Adversantibus obest. Siquidem Nicolaus I. Lotharium excommunicandum duxit Can. *An non* 24. *q.* 3. -- An „ non districta ultione feriendus est, qui in „ duabus Uxoribus adulterium Lamech, & „ flagitium imitatus esse dignosceris? -- Aliàs argumentum non est ad rem. Nam Episcopi, qui Regi favebant, in Concilio Aquisgranensi III. perperàm declararunt Matrimonium cum Teutberga nullum -- Credi„ mus, non illam fuisse idoneam, & legiti„ mam Conjugem, neque a Deo præparatam „ Uxorem, quæ publica, ut dictum est, „ confessione, incestuoso fornicationis cri„ mine denotata probatur --

Lotharii repudium reprobatum.

44 OBJIC. VII. Canones adversùs legem Christi disponere non valent: ast hi Uxorum pluralitatem concedunt, ut legere est Can. *Si qua mulier* 32. *quæst.* 1. ubi viro indulgetur uxorem dimittere, quam probavit sibi mortem molitam fuisse -- Et si vo„ luerit aliam ducere, ipsa autem insidiatrix „ pœnitentiæ subjecta absque spe Conjugii „ permaneat -- Itidem Can. *Uxor a viro*, ubi præscribitur, quod si mulier propter crimen discedat a viro, maneat inupta, secus vir -- „ Quia viro licet aliam ducere -- Pariter Can. *Quod proposuisti* eadem quæst. 7. 32. Gregorius II. Viro non potenti se continere concedit, ut aliam ducat, quando prior propter infirmam valetudinem debitum nequit reddere. Ad rem faciunt Canones, ubi Polygamía humano jure prohibetur.

RESP. Canones perpetui sunt in propugnanda Monogamia, nihilque adversùs eam sanciunt. In Can. *Si qua mulier*, illa verba: *Etsi voluerit aliam ducere* nequaquam reperiuntur apud Ivonem; in aliis Codicibus vel legitur *post mortem uxoris*, vel sic explicari debet, ut in pœnam delicti, mulieri, etiam defuncto viro, prohibeatur nubere. Eundem sensum patitur Can. *Uxor a viro*, qui tribuitur S. Ambrosio, sed falsatum fuisse meritò asserendum est; cum ex sincera mente S. Doctoris nobis exhibita tum *lib.* 1. *de Abraham cap.* 4., & 7., tum *in Comment. ad cap.* 16. *Luca cap.* 1. *lib* 8. Polygamíam reprobatam habeamus. Can. *Quod proposuisti* agit de muliere morbo correpta cum impotentia perpetua, quæ Conjugium dirimit. Ea propter Gregorius haud concedit duas simul uxores; sed priorem contractum irritum fuisse declarat. Præscribit, ut alimenta mulieri subministrentur; quia ob paupertatem, & infirmitatem, sibi victum comparare nequibat. Canones alii Polygamíam prohibent; sed non inde evincitur, eam sola humana lege proscriptam; siquidem tum furtum, tum homicidium a Jure Civili, & Canonico execrantur, utvis a divina, & naturali lege prohibita. Leges itaque illæ legis naturalis & divinæ confirmatoriæ dicuntur.

Canones Polygamíæ non favent.

45 OBJIC. VIII. Paulus, ubi recenset, qui digni non sunt Cœlorum Regno, non enumerat, qui duas habent uxores. Ubi Apostoli Gentes instruunt, a quibus abstinere debent, de Polygamía nihil referunt; & dum Gentiles, Judeosque, apud quos Polygamía invaluerat, ad fidem receperunt, a pluribus uxoribus eosdem non sejunxere. Nemo unus ex Prophetis, aut Apostolis, in Polygamos animadvertit; immo Paulus propter fornicationem præcipit, ut unusquisque uxorem suam habeat. Ubi ergo vir nequit se continere, aut ab uxore distat, alia utique ei permittenda est.

RESP. Momenta hujusmodi a Philippo Langravio Hassiæ excogitata satis innuunt mentis obcæcationem Hæreticorum. An non Virginalis, & Conjugalis Castimonia potissimùm in Evangelica Lege relucet? Ceterum, ut argumento fiat satis, Apostoli Christi doctrinam promulgantes, Polygamíam eidem contrariam prædicaverunt. Paulus in suis Canonicis Scriptis eandem expunxit, atque abunde reprobos inter enumeravit Polygamos, dum a Cœlorum Regno Adulteros proscripsit. Evangelici Præcones a Polygamía abstinere docuerunt Gentes, ubi fugere fornicationem præceperunt, nullumque ad Sacrum regenerationis lavacrum admittebant, nisi prævia rei Christianæ instructione, cum præceperit Christus docere omnes gentes baptizantes &c. Puniebantque Apostoli, & Prophetæ Polygamos, eisdem enunciantes venturam iram. Paulus autem propter fornicationem concessit uxorem, non uxores, immo de uxore semper singulariter loquitur. Quod additur, Augustinus solvit, affirmans, quod, ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia; & quod corruptæ naturæ est impossibile, gratiâ completur.

Lex gratiæ adversùs Polygamos.

46 OBJIC. IX. Non est dicenda revocata indulgentia Patribus elargita, si nunc quoque valor dispensationis subsistit. Hæc porro dispensatiu subsistit. Nam Ecclesia valet in solemni continentiæ voto dispensare, ne Regnum aliquod successione careat; adeoque potiori jure dispensare poterit, ut duabus quis nubat, ubi prior infœcunda dignoscatur. Hoc perpendens Langravius *in sua Postulatione* commendat Lutheri consilium Regi Angliæ datum; nempe ut priorem non dimitteret Conjugem, sed ut aliam simul superinduceret; ac subdit -- Utique plus „ situm est in bona conscientia, salute ani„ mæ, Christianâ vitâ, abstractione ab igno„ minia, & inordinata luxuria, quàm in „ eo, ut quis hæredes vel nullos habeat --

RESP. Consultores *in historica notione* relati Langravio respondentes *num.* 9. habent -- Certis tamen casibus locus est di„ spensationi: si quis apud exteras Nationes „ captivus ad curam corporis, & sanitatem, „ inibi alteram uxorem superinduceret: vel „ si quis haberet leprosam; his casibus alte„ ram ducere, cum consilio sui Pastoris, „ non intentione novam legem inducendi, „ sed suæ necessitati consulendi, hunc nesci„ mus, qua ratione damnare liceret -- Id sensere illi Sathanæ discipuli; secus Ecclesia,

quæ

Ecclesia nequit dispensare in jure divino.

quæ apprime novit, se in legem divinam nullam habere potestatem. Non ignobilis A
Theologorum portio negat, Papam in solemni voto dispensare posse; quia solemnitas voti creditur divini juris. Qui autem ex Scholasticis hoc non renuunt, solemnitatem volunt esse juris Ecclesiastici; circa quod supremam obtinet Ecclesia auctoritatem.

CONTROVERSIA IV.

AN POLYGAMIA SUCCESSIVA SIT PROHIBITA.

47 MOntanistæ secundas nuptias, demortua priore Uxore, illicitas jure divino damnaverunt. His subscripsit Tertullianus factus & ipse Montanista; & contra catholice sentientes librum exaravit de Monogamia, ubi Marcionitas blasphemare dicit, cum omnes inbitrahant nuptias, Catholicos verò, quos Psychicos nuncupat, luxuriare, cum secundas indulgent. Inter Catalogistas sunt, qui Græcis Montanistarum errorem affingunt; verùm quoad secundas nuptias nequaquam erraverunt, ut mox videbitur. Illud compertum est, dogma de successiva Polygamía Novatianis haud arrisisse; ut legere est apud Theodoretum *lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 5.* -- Eos enim, qui secundas nuptias inierint, a Sacris Mysteriis „ repellunt --

Controversia inter Orientales circa tertias, & quartas Nuptias.

48 De Trigamía, nempe de tertiis Nuptiis, sicut & de quartis, quas Græci Tetragamíam dicunt, gravis olim apud Orientales viguit contentio. S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 37.* In illud Evangelii: *Cum consummasset Jesus* &c. hæc de Matrimonio habet -- Primum lex est, secundum „ venia, & indulgentia, tertium iniquitas; „ Qui autem hunc numerum excedit porci„ nus plane est -- & S. Basilius *Can. 4. Epistola Canonica ad Amphilochium* Trigamíam juxta Patrum vocabulum castigatam vocat fornicationem, & *Can. 50.* eam appellat Ecclesiæ inquinamentum, *Canone* autem 79. habet -- Patres Polygamíam silentio prætermisere ut belvinam, & omnino ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur, eam majus esse fornicatione peccatum; & ideo consentaneum est, ut ii Canonibus subjiciantur --

Omnis contractus, qui Trigamía limites excedit, nominatur Polygamía, ut commentatur Balsamon.

Tantorum Virorum sensa quosdam allucinata sunt Antistites, ut quartas Nuptias divino jure vetitas crederent. His adhærens Basilius Macedo Imperator *Novellâ*, cui titulus: *Non licere ad quartas nuptias transire*, refert legem a Priscis scriptam, atque a Justiniano roboratam, in qua tum tertiæ, tum quartæ Nuptiæ concedebantur, subdens, se, ne priscis legibus acquiescat, divina lege impediri; hinc tertio Conjugio juxta Orientales Canones reprobato, quartum irritum prorsus declaravit, filiosque ex eo susceptos illegitimos. Similem Constitutionem, quæ est nonagesima, edidit Imp. Leo Sapiens, Basilii Filius, qui cum ex tertia Conjuge Eudocia prolem nequaquam suscepisset, illa mortua, Zoem Carbonopsinæ filiam sibi Matrimonio copulavit, ut filium ex ea illegitime susceptum, jure Principis legitimatum, Imperii Successorem relinqueret. Hoc porrò gravissimas excitavit contentiones; & Nicolaus Patriarcha CP. *Mysticus* nuncupatus adversùs Imperatorem stetit; verùm depositione, & exilio, a Leone mulctatus, substituitur Euthymius Syncellus probatæ virtutis Vir.

Elapso ab his quinquennio, moritur Leo, qui Successorem habuit Alexandrum Fratrem suum. Hic Imperii sui initio Nicolaum quartas nuptias exécrantem, ipsique juxta Imperii proclamantem, Sedi restituit; B contumeliose Euthymium deposuit, atque exulem amandavit, qui brevi vitâ functus est. Verùm & Alexander non multò post idem fatum subiit, delegato Imperio Constantino puero septenni Leonis Filio, cujus præcipuum Tutorem dixit Nicolaum. Hic querulam dedit Romano Pontifici Epistolam, qua contendebat quartas nuptias jure divino prohibitas, sed inter hæc ab aula pellitur; postmodum, urgente Imperatore, cogitavit de pace Ecclesiæ reddenda, atque in eam Sententiam venit, ut humano jure quartas nuptias vetitas dixerit, eoque consilio cum Euthymianis rem composuit; atque, instante C Cæsare, honorifice ad Urbem reportavit corpus Euthymii. Facta dein lex est, ut in posterum tertiæ Nuptiæ quandoque concederentur, ea tamen lege ut si quis trigesimum ætatis annum attigerit, atque ex prioribus uxoribus filios non susceperit, impositâ pœnâ, tertia indulgeretur Conjux, immo etsi filiis non caruerit, sed pœnâ injunctâ graviori; si verò quadraginta sit annorum, & prolem non habeat sub diuturniore, & austeriore pœna tertium permitteretur Conjugium, secus si nati superessent; quartæ autem Nuptiæ nusquam concederentur, tanquam Canonico impedimento irritæ. Lex hujusmo- D di inserta legitur *in Tom. Unionis lib. 2. juris Orientalis fol. 104.*

Lex apud Orientales circa tertia, & quarta Connubia.

His, communi fere calculo, firmatis, reddita est Ecclesiæ tranquillitas, refragantibus nihilominus quibusdam Monachis, qui Decreto Nicolai circa quartas Nuptias restiterunt; donec florentibus Constantino, & Basilio Fratribus Impp. res plane composita fuit, ut constat ex additione ad prædictum Tomum Unionis. Hac de re plura Baronius *ad annum* 901., 911. 912. 921., & 995. His historice relatis

DICENDUM Polygamíam successivam nullimode esse prohibitam.

E 49 PROB. I. Polygamía successiva nec est contra naturalem, nec contra Mosaycam, aut Evangelicam legem; ergo. Non est contra legem naturalem; siquidem non impedit filiorum procreationem, nec bonam prolis educationem, neque rixas, aut contentiones gignit; ut in aperto est. Non est contra Mosaycam; quin potius iis potissime locis approbatur, ubi Judæis præcipitur, ut mulierem ducant, quam frater absque filiis reliquit; & Tobiæ 7. commendatam habemus successivam Polygamíam, dum Angelus Tobiæ Juniori suasor fuit, ut Saram in uxo-

Polygamia successiva nullo jure adversatur.

L rem

rem acciperet, quæ alias septem viris fuerat nupta; nuptiis cœlestis Socius adfuit, benedixitque. Nec demum cum Evangelica lege pugnat; Christus siquidem nullibi eas prohibuit, immò interrogantibus Saducæis *Luc*. 20. cujusnam in resurrectione erit mulier illa, quæ successive septem fratribus nupserat, Christus nec casum repulit tanquam confictum, aut relatam damnat Polygamiam, sed respondendo *Neque nubent, neque ducent uxorer*, præcedentes nuptias ut licitas declarat, innuens post resurrectionem a carnalibus abstinendum: *Æquales enim Angelis sunt*.

Idem enucleatur ex Apostolo, qui rem plane absolvit, præcipue 1. ad Corinth. 7. vers. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant*. Et ad Rom. 7. v. 2., & seq. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*.

50 DICIT Tertullianus *lib. de Monogamia*, Apostolum loqui de muliere, quæ virum Ethnicum amisit, dum adhuc viveret in Gentilitate, non autem de Viduis Catholicam Fidem profitentibus; eadem enim quæ ad Romanos scripserat, repetens ad Corinthios subdit; *Cui vult nubat, tantùm in Domino*,

Ait ille secundò, Apostolum secundas nuptias permittere ut minus malum; ea propter absolute illicitæ censendæ sunt.

Quomodo nubendū tantum in Domino.

RESP. Verba illa *tantùm in Domino* non habent sensum a Tertulliano excogitatum, sed generali quadam ratione significant non esse nubendum, nisi servatis Ecclesiæ legibus, seu, ut ait Chrysostomus *hom. 19. in Epist. S. Pauli ad Ephesios*, cum temperantia, & honestate -- Et secundum concedit Matrimo-„ nium *tantùm* dicens, *in Domino*. Quid est „ autem *in Domino*? Cum temperantia, & „ honestate -- Ipsemet Tertullianus nondum Montanista *lib. 2. ad Uxorem cap. 1.* aliter Apostolum intellexit, dum Viduas ad castitatem promovet; in Apostolo hac super re solummodo agnoscit consilium, quod opponit præcepto de Matrimonio non ineundo cum Infidelibus -- Apostolus de Viduis qui-„ dem, & innuptis, ut ita permaneant, sua-„ det, cum dicit: cupio autem omnes meo „ exemplo perseverare; de nubendo verò in „ Domino cum dicit: *Tantùm in Domino*, „ jam non suadet, sed exerte jubet --

Viduitas laudabilis.

Ad secundum resp. Paulus non permittit secundas nuptias ut minus malum, sed ut aliquid boni. Nam vers. 40. subdit: *Beatior tamen erit, si sic permanserit secundùm meum consilium*; per quod denotatur, quod permanere in viduitate opus consilii est, non præcepti, adeoque licite oppositum amplecti potest; quod utique bonum erit, si debito non careat fine. Audiatur Theodoretus *lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 26.* -- Notandum „ est autem, quod non beatam, sed beatio-„ rem eam dicat, quæ se continet, ita do-„ cens, quod non omnino beatitudine sit „ destituta, quæ secundum etiam Matrimo-„ nium complectitur, si juxta positam hic „ legem jugum subeat --

SS. Patres licitam agnoscunt Polygamiam successivam.

51 PROB. II. communi Patrum testimonio. S. Epiphanius *Hær*. 48. -- Quod si „ quis post Uxoris obitum secundas nuptias „ pro sua imbecillitate desiderat, minime id „ quidem veritatis regula prohibet, in eo „ dumtaxat, qui Sacerdos non fuerit -- S. Hieronymus *Epist. 11. ad Ageruchiam* -- „ Quid igitur? Damnamus secunda Matri-„ monia? Minime; sed prima laudamus, „ Abiicimus de Ecclesia Digamos? Absit; „ sed Monogamos ad continentiam provoca-„ mus -- Et *Epist. 50. ad Pammachium* -- „ Aperiant quæso aures obtrectatores mei, „ & videant me secundas, & tertias Nuptias „ concessisse in Domino. Qui secundas, & „ tertias Nuptias non damnavi, primum po-„ tui damnare matrimonium? -- Et *cap. 7. ejusdem Epistolæ* -- Non damno Digamos, „ immo nec Trigamos, & si dici potest, „ Octogamos. Habeat cui libet, octavum „ Maritum, & esse desinat prostituta -- S. Ambrosius *lib. de Viduis* post medium -- „ Non prohibemus secundas Nuptias, sed „ non probamus sæpe repetitas; neque enim „ quidquid licet, & decet -- S. Augustinus *lib. de bono Viduitatis cap. 12.* -- De tertiis, „ & quartis, & pluribus nuptiis, solent ho-„ mines movere quæstionem. Unde ut bre-„ viter respondeam; nec ullas nuptias audeo „ damnare, nec iis verecundiam numerosita-„ tis auferre --

Viduis intra annū nubentibus non infamia.

52 PROB. III. Cum leges Civiles Viduis nubentibus intra annum luctus infamiæ notam irrogarent l. 1. c *de Secundis Nuptiis*. Novellâ 22. c. 40., Ecclesia restitit; unde ex Urbano III. Cap. *Super illa* de secundis Nuptiis habetur -- Cum Apostolus dicat, mu-„ lier, Viro suo mortuo, soluta est a lege „ Viri sui, in Domino, nubat, cui voluerit, „ per licentiam, & auctoritatem Apostoli „ infamia aboletur -- Ibidem ex Innocentio III. Cap. *Cum secundùm* dicitur -- Non debet „ legalis infamiæ sustinere jacturam, quia „ licèt post Viri obitum intra tempus luctus, „ scilicet unius anni spatium, nubat, concessa „ sibi tamen ab Apostolo utitur potestate, „ cum in his præsertim Seculares leges non „ dedignentur Sacros Canones imitari -- Nicænum I. Novatianis ad Ecclesiam redire volentibus præscribit, ut fateantur -- Se cum „ omni consensu Ecclesiæ Catholicæ, & Apo-„ stolicæ statuta observaturos, idest, com-„ municaturos se & his, qui fortè secundas „ nuptias experti sunt -- Itaque successiva Polygamia nullo jure prohibetur.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

53 OBJIC. I. Omnium Doctorum calculo, ex quo Christus *Matth*. 19. de Conjugio dixit: *Ab initio non fuit sic*, sustulit quod lex Mosayca permittebat de simultanea Polygamia, & libello repudii: sed nec ab initio fuit sic quoad successivam Polygamiam; ergo etiam ex quo dixit ab initio

non

non sic fuisse, reduxit Conjugium ad pristinam unitatem. Sic Tertullianus *De Monogamia cap.* 4.

Christus ad unitatem reduxit Conjugium.

RESP. Christus Conjugium reduxit ad primævam actualem unitatem in Scripturis manifestatam, scilicet, ut unus sit unius, non unus plurium: in secundis porro Nuptiis actualis unitas servatur. Aliàs successiva Uxorum pluralitas consonat doctrinæ Christi, qui *Matth.* 19. enunciat mœchari, qui, dimissa priore uxore, aliam superinducit; quia non est solutus a vinculo. Verùm, priore demortua, vinculum non amplius perseverat; qui ergo, priore demortua, aliam ducit, non mœchatur. Pluralitatem igitur successivam non abstulit Christus.

54 OBJIC. II. Contra Domini voluntatem facit, qui ab ipso conjunctos segregat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo contra ejusdem Domini voluntatem operatur, qui a Domino per mortem separatos, Matrimonio copulat; etenim eodem modo separationi adversatur conjunctio, ac conjunctioni separatio. Adde I. Adulterium committere, qui, propria repudiata uxore, alteram ducit: quia duobus sejunctis aliena caro miscetur; ergo a Mœchiæ crimine immunis non erit, qui priore demortua, alteri jungitur; siquidem & hic duobus disjunctis caro miscetur aliena. Si ergo non licent Nuptiæ vivente Conjuge, nec licebunt ipsâ demortuâ. II. Potior est separatio per repudium ex contentionibus ortum, quàm ex morte: ibi enim animi, corporisque intervenit separatio, hic verò solo corpore; sed stante illa separatione, haud fas est alteri nubere; ergo neque stante alia. Sic Tertullianus, ubi supra *cap.* 9.

Alia est separatio per mortem, alia per repudium.

RESP. Toto cœlo distat separatio per mortem, ac per repudium; illa legem viri, & mulieris dissolvit, secus ista. Itaque licèt viventes a Domino conjunctos homo separare non valeat; uno tamen e vivis sublato, cum superstes liber evadat, alterum vinculum potest subire. Posito repudio, qui nubit, vere adulter est; quia secundæ Nuptiæ irritæ plane sunt, prioribus adhuc quoad vinculum existentibus. Accedente autem unius obitu, sicut primæ vere dissolvuntur, ita secundæ vere constituuntur; unde aliena caro non disjunctis, sed unitis accedit. Nec quælibet animi unio nuptias facit, nec quælibet disjunctio frangit; sed illa fit per mutuum consensum, ex quo nuptiale vinculum constituitur; & hoc per rixas non tollitur, secus per mortem.

55 OBJIC. III. Quod Episcopis præscribit Apostolus, omnibus præscribit: sed Monogamiam Episcopis præscribit; ergo etiam omnibus. Assumptum evincitur I. Quod omnibus præcipit Apostolus, Episcopis præcipit; ergo quod Episcopis præcipit, omnibus præcipit. II. Ideo omnibus, quia & Episcopis, & ideo Episcopis, quia & omnibus; nam Episcopi de omnibus eliguntur, & non aliunde. III. Non est seorsim ordo aliquis Monogamorum institutus, unde Clerus assumatur, sed ex omnibus fit electio; ergo ordo, a quo Clerus inauguratur, debet esse Monogamus. IV. Agebat Apostolus de his, qui ad Sacros Ordines promovendi erant; adeoque oportebat, omnem communis disciplinæ formam palam facere, ut plebs apprime sciret, quid sibi observandum foret. V. Quibus Monogamia præscribitur, cetera itidem injunguntur, nempe esse irreprehensibilem, sobrium &c.: sed hæc Laicis competunt; ergo & Monogamia. Sic Tertullianus *cap.* 12.

Distinctæ munera discretas exigunt dotes.

RESP. Perperàm argumentatur Tertullianus, particularem a communi disciplina non distinguens. Indubie in Ecclesia, graduum, & statuum discretio datur, quibus jure merito specialia præcepta, sicut & munia, correspondere debent. Profectò non omnia, quæ capiti competunt, auribus, aut pedibus accomodari valent. Ecclesia porro humano corpori assimilatur *ad Rom.* 12. Itaque sicut ex hac propositione: omnibus præcipitur adultis conferre Baptismum in casu necessitatis, adeoque & Episcopis: quis vellet hanc aliam propositionem inferre: ergo omnibus præcipitur conferre solemniter, quod præcipitur Episcopis: utique abs re inferret; ita falsa est argumentatio: quod omnibus circa disciplinam mandatur, etiam mandatur Episcopis; ergo Monogamia, quæ istis injungitur, injungitur omnibus. Variatur enim rerum status, & suppositio. Communis Ecclesiæ disciplina omnia mystici corporis membra, prout in universali membrorum ratione conveniunt, respicit; quoniam verò quædam sunt specialia, dignioraque, necesse est, peculiarem quandam institui disciplinam. Et sane nemo unus dicere audebit, omnibus Reipublicæ Civibus disciplinam militum aptari; quamvis, prout milites conveniunt in ratione Civium, horum legibus adstringantur. Falsa itaque est etiam secunda probatio: ideo omnibus, quia & Episcopis, & ex adverso; sicut falsò diceretur: ideo omnibus, quia & militibus, & ideo militibus, quia & omnibus; licèt & milites ex omnibus, itidemque Episcopi ex omnibus assumantur.

Eodem momento tertia corruit probatio. In Republica constitutus non est unus ordo fortium, unde assumantur milites, sed ex Civibus, qui apti sunt, deliguntur; ita etiam in casu nostro.

Quarta probatio nihil evincit. Plebs scire debet necessarias conditiones eorum, qui eligendi sunt: proindeque communi dirigi debet disciplina; ergo cum Episcopus scientiâ præcellere debeat, etiam quilibet de plebe tali prærogativa donandus esset. Igitur haud necesse est, Electores in seipsis proprias eligendorum dotes habere, sed sat est nosse, quæ in eligendis requirantur.

Quinta probatio evanescit, si attendamus Apostolum perfectiori quodam modo virtutes illas in Episcopis exquirere, quæ quidem in Laico homine laudabiles forent, sed haud sub illo perfectionis gradu necessariæ.

56 OBJIC. IV. Idem Tertullianus *Cap.* 5. — dicit & Apostolus scribens ad Ephesios, „ Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum ad caput, idest ad initium reciprocare universa „ in Christo quæ sunt super cœlos, & super

„ terras in ipso . . . & adeo in Christo om-
„ nia revocantur ad initium, ut & fides re-
„ versa fit a circumcisione ad integritatem
„ carnis illius , ficut ab initio fuit: & liber-
„ tas ciborum , & sanguinis solius abstinen-
„ tia . . . & matrimonii individuitas , ficut
„ ab initio fuit , & repudii cohibitio . . . &
„ postremò totus homo in Paradisum revo-
„ catur , ubi ab initio fuit . Cur ergo vel
„ Monogamum illò debeat Adam referre ,
„ qui non potest tam integrum præstare ,
„ quàm inde dimissus est ? -- Et *Cap.* 6. ex eodem Paulo ad Galat. 3. asserit , nos esse filios Abrahæ non ex circumcisione , ideoque non circumcidimur , sed ex fide , qua credidit , & reputatum est ei ad justitiam : sed tunc Abraham erat Monogamus ; ergo Patrem habemus Abraham Monogamum ; ideoque sicut tenemus fidem , & promissionem , ita Monogamiam. Itaque si Patrem carnali generatione Adam Monogamum sortiti sumus, spirituali regeneratione Christum Monogamum , fide promissionis Abraham Patrem Monogamum , meritò filios Monogamos esse oportet .

RESP. Apostolus eo loci sermonem habet de restauratione eorum , quæ in cœlis , & quæ in terris spiritualiter sunt , idest , de reparatione damnorum , quæ Adæ peccatum protulit : hoc porro est ad caput revocare . Nec alia sane est Pauli Sententia . Quoniam verò Christus adventu suo abstulit legalia , superinduxitque consilia perfectionis , ideo abrogata est circumcisio , ciborum delectus , Polygamia , libellus repudii , & hujusmodi ; Monogamiam autem , cum ad legalia non pertineret , non quidem lege præscripsit , sed sub consiliu reliquit ,

Monogamia sub consilio.

Ad alium Pauli textum dicimus : nos ita sumus Abrahæ filii per fidem , ut in Christo nec circumcisio aliquid valeat , neque præputium: quia non sumus filii secundùm carnem , sed secundùm spiritum ; adeoque status Digami , aut Monogami non officit . Quod verò Adam , Christus , Abraham quando credidit , sint Patres Nostri , hique Monogami , Adversario non patrocinatur . Hujusmodi enim sunt coactæ argumentationes de conjecturis , non Sententiæ ; ut ipsemet Tertullianus *ibidem* in simili dicit . Ceterum quoad Abraham placet hic subnectere, quæ habet S. Augustinus *lib*, 16, *cap.* 34. Explicans itaque cur Abraham post mortem Saræ uxoris , plusquam centenarius , aliam acceperit uxorem , nempe Cethuram , inquit
-- Quid si hoc provisum est contra Hæreti-
„ cos futuros secundarum adversarios nuptia-
„ rum , ut in ipso Patre multarum Gentium
„ post mortem Conjugis , iterum conjugari
„ demonstraretur non esse peccatum ? --

57 OBJIC. V. Necesse est, quod Prophetarum oracula adimpleantur : sed nos in Monogamis Sacerdotibus legis prænunciati sumus , cum a Christo Summo Sacerdote Sacerdotes facti simus , ut innuitur *Apoc.* 1,; ergo ex primæva Dei lege Monogami esse debemus .

Nec exempla veteris legis quidquam probant . Etenim ubi cessat ratio legis , lex quoque cessat : cessat porro ratio legis *Deut.* 25. præscribentis fratri ducere uxorem fratris demortui , & opposita urget . Ratio siquidem triplex erat ; prima multiplicationis ; secunda , quia cum delicta Parentum in filiis mulctarentur, hi excitari debebant ex semine fratris ; tertia demum , quia probrosa erat sterilitas , unde , ne maledicti reputarentur demortui , præceptum erat ejus nomen suscitari . Impræsentiarum ratio multiplicationis non urget ; qui enim habent uxores , tanquam non habentes sint. Alterum est abrogatum ; quoniam unusquisque portat delictum suum . Ultimum honorabile est ; merentur enim gratiam innupti . Ergo lege sepulta , viget Monogamia . Idem *ibidem cap.* 7.

RESP. Nequaquam Christiani prænunciati sunt Monogami ; & tripliciter errat argumentum . Errat primò quia lex agit de Sacerdotibus proprie dictis , idest , prout specialem gradum constituunt ; secundò quia dispositiones illæ pro Sacerdotibus sunt legales , quæ cessaverunt ; tertio quia Christiani Sacris non insigniti , non sunt nisi mystica quadam significatione Sacerdotes , & in mystico sensu Patres laudatas a Tertulliano auctoritates explicant .

Christiani prænunciati non sunt Monogami.

Lex autem Deuteronomii prout fratrem afficit , utpote legalis cessavit ; ceterum Digamia permittitur non tantùm ob prolis motivum , sed in remedium concupiscentiæ . Nec inficias imus vidualem , sicut & virginalem continentiam honorabilem esse ; verùm sub consilio ; qui enim potest capere , capiat .

Cur permissa Digamia .

58 OBJIC. VI. Oportet illicitum prorsus esse , quod significationem Matrimonio intrinsecam destruit : atqui secundæ Nuptiæ illam destruunt , conjunctionem , videlicet , cum Ecclesia, quæ est unius cum una ; ergo.

RESP. Aliud est unum esse cum una , aliud cum alia non fuisse. Primum est essentiale Conjugio secundùm significationem · aliud est illi accidentale . Sicut aliud est virginem virgini (juxta communem hominum æstimationem , & in facie Ecclesiæ) desponsari : aliud verò desponsatos in virginitate permanere . Illud essentialiter competit Matrimonio ad perfectam significationem complendam ; hoc nullatenus . In secundis Nuptiis datur illud primum , ut sit unus cum una ; ideoque essentialis intervenit significatio , licèt aliqua careat accidentali perfectione . Quare veri Sacramenti rationem sortiuntur secundæ Nuptiæ ; ut palam facit Angelicus Doctor *in Suppl. quæst.* 63. *art.* 2. In iis namque omnia intercedunt requisita ad Sacramenti rationem ; videlicet , debita persona , & legitima , quæ materiam constituit : & debita forma , scilicet , expressio interioris consensus per verba de præsenti .

Secundæ Nuptiæ essentialem habent significationē.

59 OBJIC. VII. Quod nec ab Ecclesia suscipitur , nec a civili lege approbatur , licitum esse non potest : sed Digamia est hujusmodi ; ergo non est admittenda . Major evincitur I. Quia Ecclesia a Sacris Ordinibus rejicit transeuntes ad secundas Nuptias, Cap. *de Bigamis* . II. Eadem Ecclesia mandat non benedici secunda Conjugia , Cap. *Vir . De secundis Nuptiis* . III. Ex Ecclesiæ lege subjiciuntur pœnitentiæ secundò nubentes , eorumque con-

convivio Sacerdotibus interesse vetat, Cap. *De his* 31. q. 1. Demum Lex Civilis multiplici pœnæ subjicit Digamos l. 1. c. *De secundis Nuptiis*.

Cur Bigamia sit impedimentum ad Ordines.

RESP. ad primum. Ecclesia propter defectum perfectæ significationis unionis Christi cum Ecclesia, non propter crimen aliquod, statuit Digamiam tanquam impedimentum ad susceptionem Ordinum; sicut criminales Judices, quamvis juste reos morti adjudicent, ab altari repellit propter defectum lenitatis.

Cur non benedicantur secundæ Nuptiæ.

Ad II. in Can. *Vir* prohibetur harum Nuptiarum benedictio, non quia illicitæ sint, sed quia adprecata fuit fœcunditas Conjugibus in primis Nuptiis.

Ad III. Glossa Canonem explicat de eo, qui pluribus simul copulatur, idest de eo, qui hodie unam, cras alteram ducit uxorem. Alii interpretantur de nubentibus secundò, & tertiò, causâ explendæ concupiscentiæ.

Ad IV. Jus civile non loquitur absolute, sed quibusdam in casibus. Aliàs eadem Lex civilis per Jus Canonicum fuit emendata locis superiùs *num.* 52. laudatis; & licèt Canones de sola infamia loquantur, virtualiter tamen rationem pro aliis pœnis involvunt; eaque propter ad eas a Theologis extenduntur.

60 OBJIC. VIII. Patres adversùs Digamiam aperte insurrexerunt. Nazianzenus, ut supra *num.* 48. secundum Connubium veniam dicit, & indulgentiam: Chrysostomus *Hom.* 32. *Operis imperfecti in Matthæum* secundas Nuptias honestam nuncupat fornicationem: S. Basilius itidem supra laudatus Trigamiæ legem non extare affirmat, & castigatam vocat fornicationem: Ambrosius *in* 1. *ad Corinth.* 7. asserit, secundò nubere, non bonum: S. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum cap.* 8 Bigamos rejicit a sacra Synaxi.

Explicantur Patres.

RESP. Patres absolute secundas Nuptias non reprobant; sed quandoque contra causam ad nubendum impellentem, effrænem videlicet libidinem, insurgunt. Evincitur ex eodem Nazianzeno Orat. 39. *in Sancta lumina*, ubi alteras nuptias licitas probat adversùs Novatianum. Chrysostomus Bigamiam, lata quadam significatione, fornicationem appellat, & ut ait S. Thomas *in Suppl.* 3. *Part. quæst.* 63 *art.* 1. — Quantùm ad causam, quæ „ aliquando solet ad secundas Nuptias exci- „ tare, scilicet concupiscentiam, quæ etiam „ ad fornicationem incitat — Ceterum apud Eruditos in aperto est, tale opus non esse
A Chrysostomi. Basilius alias Nuptias a secundis damnat, quia libidinis sunt argumenta — „ sed publicis condemnationibus non subjici- „ mus — ut scribit S. Doctor *Epist.* 2. *ad Amphilochium Can.* 50.; si ergo publice non reprobantur, jam palam fit, absolute non fore illicitas. S. Ambrosius asserit, non bonum secundò nubere, comparative; nempe ob majorem perfectionem eorum, qui abstinent. Bigami a S. Hieronymo ab Eucharistia rejici videntur, non ratione sui, sed ratione con-
B cupiscentiæ, quæ illis dominari videtur. Nec aliter intelligendus est, cum *in Apologia ad Pammachium* suos propugnans libros adversùs Jovinianum inscriptos, mentem suam explicaverit dicens — Non damno Digamos, im- „ mo nec Trigamos, & si dici potest, Octo- „ gamos —

61 OBJIC. IX. Quod arcet a Regno Dei, illicitum prorsus est: sed secundæ, & ulteriores Nuptiæ sunt hujusmodi, ut testatur Origenes *hom.* 17. *in Lucam* — Nunc
C „ verò & secundæ, & tertiæ, & quartæ nu- „ ptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, „ & non ignoramus, quod tale Conjugium „ ejiciet nos de Regno Dei — ergo.

RESP. Origenes in ea non versatur sententia, ut Bigami, Trigami &c. a cœlesti gloria excludantur; sed solummodo declarare intendit, hos sublimiorem gloriæ gradum non consecuturos; subdit namque — Eum verò; „ qui sit Digamus, licèt bonam habeat con-
D „ versationem, & ceteris virtutibus polleat, „ tamen non esse de Ecclesia (nempe secun- „ dùm gradum perfectionis) & de eo nu- „ mero, qui non habet rugam, aut macu- „ lam, sed esse de secundo gradu, & de his, „ qui invocant nomen Domini, & qui sal- „ vantur quidem in nomine Domini —

62 DICES. Ideo aliæ a primis Nuptiis licitæ essent, quia per mortem solvitur nuptiale vinculum: atqui, Apostolo teste *ad Hebr.* 11. *vers.* 35. per mortem, hujusmodi
E vinculum non solvitur: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*; ergo.

RESP. Eo loci Apostolus sermonem non habet de Viris uxoratis, sed de filiis, & alludit ad mulieres, quæ filios a Propheta Elia 3. *Reg.* 17., & a Propheta Eliseo 4. *Reg.* 4. e mortuis evocatos receperunt. Propterea si defunctus e mortuis excitaretur, sicut Lazarus, nequiret cum superstite cohabitare maritaliter, nisi iterum nuberet.

Defunctus a mortuis excitatus a Conjugio prima ratione liber.

DISPU-

DISPUTATIO QUARTA.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Divisio Matrimonii.

1 NOn possumus implexam de indissolubilitate Matrimonii disputationem elucidare, nisi quorundam terminorum explicationem præmittamus. Matrimonium itaque dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum dicitur, quod celebratur secundùm leges civilem contractum firmantes; & quemlibet conjugalem Statum complectitur. Ratum vocatur, quod per Baptismum in re susceptum solidatum est, Cap. *Quantò. De Divortio*. Consummatum nuncupatur, quod per thori cohabitationem completur, per quam ex utraque parte fit sanguinis commixtio, & ex duobus una caro, & hinc consurgit affinitas, ut habet S. Thomas 4. *Sent. dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 1.; & in hoc perfecta habetur significatio unionis Christi cum Ecclesia, quæ realis fuit, & physica mediâ humanitate veraciter assumpta. Matrimonium itidem spectari potest in Statu Infidelium, sive Ethnicorum, sive Judæorum, & in Statu Baptizatorum. Similiter Matrimonii indissolubilitas considerari valet, vel quoad thorum, insimul & vinculum, vel solummodo quoad thorum. Porro secundùm prædicta, variæ difficultates, variique errores insurrexerunt.

Indissolubilitas Matrimonii duplex.

Hæreses adversus Conjugale vinculum.

2 Prima Hæresis adversùs conjugale vinculum ea est, quæ docet, pro Conjugum arbitrio Matrimonium posse dissolvi. Eusebius *lib.* 5. *Hist. cap.* 17. ex Apollonio Ecclesiastico Scriptore hunc errorem Montano adscribit -- iste est (supple Montanus) qui „ nuptiarum divortia perdocet -- Augustinus tamen nil tale illi impingit. Quæ verò de Priscilliano recitat Sanctus idem Doctor *lib. de Hæresibus*, huic errori adstipulari videtur; ea propter in suspicionem conjugalis separationis traducuntur Priscillianistæ. Nicolaus Eimericus de Pseudoapostolis scribens tradit, ipsos docuisse solubilia esse Conjugia, ut ad suam Sectam accederent. Prateolus verbo *Libertini* refert, eos propugnasse, solvi posse Conjugium, ubi Uxor Mariti sui tædium cœperit.

Erasmus profusa disputatione *in cap.* 7. *Epist.* 1. *ad Corinth.* tria firmare contendit; primò videlicet, Evangelicâ lege concedi Viro innocenti adulteram dimittere uxorem, aliamque superinducere; secundò lege tantummodo humana vetitum esse innocenti nubere alteri; demum legem hujuscemodi, utpote nimis duram, atque iniquam, fore abrogandam. Eruditorum sensus est, ex hoc cœnoso fonte Novatores bibisse. Hi ad unum omnes in eam confluunt Sententiam, Connubium quandoque dissolvi posse; quamvis in particularibus casibus discriminentur.

Lutherus *in Commentariis ad cap.* 7. *prioris ad Corinth.* docet, consummatum Matrimonium pluribus ex causis posse tum quoad thorum, tum quoad vinculum dissolvi. I. Cùm Gentilis, aut malus Christianus, Christianam Conjugem deserit. II. Cùm Conjux ad furtum, aliudque crimen Conjugem inducit. III. Quando ob frequentes rixas cohabitatio molesta nimis evadit. IV. Si alter Conjugum diu absit. V. Si adulterium superveniat.

Bucerus *in Cap.* 19. *Matth.* ob quamcunque causam, propter quam Uxorati sibi invicem displiceant, Connubii dissolutionem approbat.

Hanc dissolutionem non nisi in duobus casibus admittit Melancthon; cùm scilicet alter Conjugum injuste Conjugem deserit, aut thorum maculavit adulterio.

Calvinus solummodo adulterii causâ Matrimonium solvi posse declarat, vocatque tyrannicam legem Tridentini declarantis neque per adulterium solvi posse Matrimonium quoad conjugale vinculum.

Græci ad hæc usque tempora propugnant, Conjugia ob adulterium penitus dissolvi; de quo plura infra *Controv. V.* In hunc errorem inclinare videntur Cajetanus *in cap.* 19. *Matth.*, & Catharinus *lib.* 5. *annot. in Comment. Cajetani*; sed excusandi sunt, cum res nondum fuerit plene eliquata. His positis sit

CONTROVERSIA I.

AN LEGITIMUM MATRIMONIUM SIT NATURALI JURE INDISSOLUBILE.

DICENDUM legitimum Matrimonium fore naturali jure indissolubile.

Matrimonium in primæva institutione indissolubile.

3 PROB. I. Connubium in sua primæva institutione constitutum fuit indissolubile: siquidem Christus in ea quæstione de libello repudii cum Pharisæis habitâ declaravit, ab initio non fuisse institutum cum potestate dissolutionis; sed hujusmodi institutio nequaquam ex jure positivo emanavit: etenim ad unum omnes in eam consistunt Sententiam, nullum positivum præceptum, præter illud de esu Arboris, Prothoparentibus datum fuisse; ergo ex naturali jure indissolubilitatem Conjugii derivatam esse meritò censendum est. Et quidem Argumentum evincit, de Matrimonio legitimo; nam ante peccatum jam constitutum fuerat; adeoque ante carnalem cohabitationem.

4 PROB. II. Juxta naturæ principia, quò major, eò firmior, & diuturnior est amicitia. Porro amicitia conjugalis vinculi ex se singularis est, & maxima. De muliere dictum legimus Gen. 2. vers. 23.: *Nunc os ex ossibus meis*. De Viro vers. 24. *Adhærebit uxori suæ*, seu ut vertunt LXX. Interpretes, *agglutinabitur uxori suæ*: item de ambobus: *Erunt duo in carne una*: videlicet unus velut homo.

Inter Conjuges maxima amicitia.

homo. Ex his arctissimum amicitiæ vinculum inter Conjuges innuitur. Unde Apostolus apte dicebat ad Ephes. 5. v. 28. *Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Num intensior amicitia adinveniri potest? Itaque conjugale vinculum debet esse perpetuum, perpetuam fundans dilectionem, sicut perpetuum, & naturale est vinculum proprii corporis, suique ipsius dilectivum: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit* ex laudato Apostolo vers. 29.

Prolis educatio exigit perpetuum Conjugii vinculum.

5 PROB. III. Ex D. Th. *in Suppl. quæst. 67. art. 1.* „ Dicendum quod Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad „ educationem prolis, non solùm ad aliquod „ tempus, sed per totam vitam prolis. Unde „ de lege naturæ est, quod Parentes filiis „ thesaurizent, & filii Parentum hæredes „ sint. Et ideo cum proles sit commune bo„ num viri, & uxoris, oportet eorum socie„ tatem perpetuò permanere indivisam se„ cundùm legis naturæ dictamen. Et sic in„ separabilitas Matrimonii est de lege na„ turæ.

Solubilitas magis quàm Polygamia simultanea adversatur Conjugio.

6 PROB. IV. Magis adversatur Conjugio solubilitas, quàm simultanea Polygamia: illa siquidem totum destruit, hæc non, sed solummodo illud facit alteri commune; sed Polygamia simultanea pugnat cum naturali jure; ergo etiam solubilitas.

7 Indissolubilitati ex jure naturali major addita est firmitas ex posi ivo divino jure, ut infra palam fiet, & ex jure positivo humano, ut, pluribus omissis, habetur ex Tridentino *Sess. 24. can. 5., & 7.* Errant itaque, qui contendunt, Matrimonii indissolubilitatem a Pontificio jure derivare; & conciliantur illi, qui asserunt, partim oriri ex naturali jure, partim verò ex positivo, quatenus vis indissolubilitatis ex naturali, major autem firmitas ex positivo jure habetur.

OPPOSITA REFELLUNTUR ARGUMENTA.

8 OBJIC. I. Ex regula juris, & ex communi proloquio res, per quas caussas nascitur, per easdem dissolvitur: sed juxta naturæ leges Conjugium mutuo consensu perficitur; ergo mutuo similiter consensu dissolvi potest; ut in aliis contractibus compertum est.

Non omne, per id, quod fit, destruitur.

RESP. Regula illa, sicut & effatum usurpantur; spectatâ tamen rerum naturâ, earumque fine. Sunt porro res quædam, quæ licèt dependenter a causis contingentibus esse sortitæ sint, nihilotamenminus perpetuitatem expostulant. Religiosa Professio v. g. ex libero, atque vertibili principio oritur; & tamen, quia Statum constituit, consecratque, immobilitatem exigit. Pari itaque ratione nuptialis contractus, ob intrinsecos fines, petit perpetuitatem; unde definitur individua vitæ societas.

9 OBJIC. II. Conjugium jure naturæ principaliùs ad bonum prolis ordinatur: sed indissolubilitas bono prolis adversatur: nam quis ab una prolem non suscipit, quam ab altera susciperet; ergo.

A

RESP. Conjugium ordinatur ad commune bonum ratione finis principalis, qui est bonum prolis. Porro commune bonum non penes particulares casus regulatur, sed ea perpendit, quæ plerunque contingunt. Deinde aliud est prolem quærere, aliud quærere bonum prolis simpliciter. Illud fortassis haberetur ex solutione Connubii; secus secundum, Bonum namque simpliciter prolis ex perpetuo nuptiali vinculo derivatur.

Bonum commune universalia respicit.

10 OBJIC. III. Discipuli audientes a Christo, Matrimonium esse indissolubile scandalizati sunt: sed si hoc vinculum ex naturali jure eidem conveniret, haud scandalum passi essent: non enim lex naturæ Apostolos latebat; ergo.

B

RESP. Apostoli nequaquam scandalizati fuere percipiendo absolute Matrimonium esse indissolubile, hoc unique dictante naturali jure; sed assueti doctrinæ Pharisæorum de libello repudii male audiebant Christum contra eandem declamantem. Durum quippe ipsis videbatur, nusquam Matrimonii dissolutionem licere.

Cur Apostoli scandalizati de indissolubilitate Matrimonii.

11 OBJIC. IV. In iis, quæ ad jus naturale spectant, nequit Deus dispensare: atqui in perpetuitate Conjugii dispensavit Deus Gen. 21. vers. 12. *Non tibi videatur asperum super puero, & super Ancilla tua; omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Porro Sara ejectam volebat Agar a consortio Abrahæ; ergo.

C

RESP. Agar inter, & Abraham non est solutum conjugale vinculum, sed separatio solius domesticæ societatis intercessit. Ceterum S. Thomas *in Suppl. quæst. 67. art. 2.* concedit dispensationem ex duplici capite. Primum, quia præcepta juris naturæ secundaria sunt dispensabilia. Perpetuitas autem Matrimonii ad secundaria præcepta juris naturæ spectare videtur; etenim ordinatur ad bonum prolis, quatenus a Parentibus provideri ei debet pro congrua vitæ sustentatione, quæ obligatio ex primis naturæ præceptis oriri non satis apparet. Secundum caput est, quia sicut divinitùs perpetrari valent miracula in naturalibus circa primarias eorundem inclinationes, ut quod Sol stet, aut regrediatur; ita eadem virtute in præceptis primæ lineæ extraordinario quodam divinæ potentiæ usu dispensari potest.

Præcepta juris naturæ quando dispensabilia.

D

12 OBJIC. V. Filii, ut educandi a Parentibus, se habent sicut animalia, quæ sibi post aliquod temporis possunt providere; sed in his haud necessaria videtur perpetua maris, & fœminæ societas; ergo socialis perpetuitas Conjugii ob bonum prolis non est necessaria.

E

RESP. Educatio prolis ad certum usque tempus ad prima naturæ præcepta spectat; ut autem ad totam vitam, pertinet ad secunda; siquidem debetur Filiis bonorum hæreditas, cujus jus non amittunt per emancipationem, qua se ab actuali Parentum obedientia subtrahunt. Itaque Filii nequaquam illis æquiparantur animantibus, in quibus non est hæreditaria successio in bonis.

Educatio prolis d. p.ro natura.

13 OBJIC. VI. Ex Innocentio III. Cap. *Quantò. De Divortiis* Conjugio indissolubilitas accedit ratione Sacramenti: sed Sacra-

cramentum, non est ex naturali lege; ergo neque conjugalis perpetuitas.

Duplex in Conjugio indissolubilitas.

RESP. Summa indissolubilitas exorta ex significatione Christi cum Ecclesia habetur utique a Sacramento; secus indissolubilitas connaturalis. Compertum quippe est, in contractibus dari latitudinem firmitatis, prout diversæ apponuntur illius causæ; quo pacto in rebus major, aut minor adinvenitur bonitas. Dubio-procul firmius est Conjugium ratum Christianorum, quàm Infidelium; & adhuc inter Christianos consummatum fortius habet vinculum, quàm simpliciter ratum.

CONTROVERSIA II.

AN LIBELLUS PERFECTI REPUDII JUDÆIS FUERIT LICITUS.

Repudium duplex.

14 REpudium dupliciter intelligi valet; videlicet pro separatione a domestica cohabitatione, & societate; & pro conjugalis vinculi solutione. Controversia circa secundum potissime versatur.

Usus repudii apud Gentes.

15 Apud Gentiles Repudii usus invaluisse satis colligunt Auctores ex cap. 14. Judicum, ubi legitur, Samsonis uxorem, eo relicto, alterum ex amicis ejus duxisse; reputaverat namque se ab illo dimissam; item ex cap. 1. Esth., ubi Assuerus Vasthi dimisit. Hunc morem apud Romanos cœpisse anno ab Urbe condita circiter 520. testis est Valerius Maximus *lib. 2. cap. 3.* referens, quendam Corvinum, seu Carbilium repudium primum dedisse. Hoc tamen male audierunt Romani eo quod fidei conjugali prolis cupiditatem prætulisset.

Judæi dabant libellum repudii.

Apud Judæos quoque invaluerat repudium, ut habetur Deut. 24. vers. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Quatuor hic notantur, nempe promissio repudii, causa, libellus, qui dari debebat dimittendæ uxori, & quod non amplius, si alium virum duxerit, a primo assumeretur.

Mulieres ex Judæis nequibant dare repudium viris.

Porro permissio hujusmodi apud Judæos solummodo Viro in ordine ad Mulierem concedebatur. Cum enim repudium naturali legi refragetur, permissio coarctanda erat; adeoque ad mulieres nequaquam fuit extensa. Hujus permissionis potissima ratio timor erat Uxoricidii. Cumque mulieres utpote infirmioris naturæ viros suos etsi invisos plerunque haud quærant ad mortem; ideo eisdem facultas dandi repudium concessa non fuit. Hac super re aliud quoque occurrit momentum. Cum enim mulieres ad rixas procliviores sint, maximeque vertibiles, continua fuissent repudia. Apud Gentiles mulieribus licebat dare viro repudium.

Causa repudii.

Causa proxima dandi repudium, erat odium, ex quo timor, & periculum, uxoricidii. Hoc innuitur Deut. cap. 24. *Si non invenerit gratiam ante oculos ejus*, & Malach. 2. vers. 15. *Uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cum odio habueris, dimitte.* Causa verò, ex qua odium excitatur, ex laudato textu est aliqua fœditas: *propter aliquam fœditatem.* Terminus porro hujusmodi, utpote indefinitus, in diversas traxit Sententias Hebræos; idcirco Pharisæi Christum interrogarunt; num fas esset quacunque ex causa uxorem dimittere? Rabbi Abbenezra fœditatis nomine solummodo fornicationem intelligit; ejusque Sententiæ subscribunt Talmudistæ. Docuerunt alii, præter fornicationem, alias subesse causas repudii, puta sterilitatem Judæis probrosam, Lepram, vel alium morbum exitialem, vel depravatam vivendi rationem in filiorum scandalum. Alii demum ad ea omnia fœditatem extendunt, quæ odium excitare valent; quia eo loci terminus ille indefinitus cuicunque fœditati, quæ tamen gravis foret, æquivalere censendus est.

Libellus cur præscriptus.

Libellus mulieri ante discessum a domo tradendus erat. Dabatur autem sive ut de repudio constaret: ne adulteræ notam subiret, si ad alium virum accederet; sive ut virum alterum inveniret: nemo enim eam duceret, nisi sciret dimissam; sive ut repudiorum frequentia impediretur: erat enim necesse a Sacerdotibus libellum emere, ab iisdem subscriptum, & Sacerdotes consiliis, aliisque mediis, impedimento erant repudiis, ut habet Augustinus *lib. 19. contra Faustum cap. 26.*

Forma Libelli.

Forma libelli continebat subscriptionem nominis Viri dimittentis, ejusque Patris, & Avi, loci, indictionis, seu Seculi, mensis, & diei, unà cum nomine Mulieris dimissæ, ejusque Patris, atque Avunculi, sicut & facultatem abeundi quocunque ipsa vellet. Juxta communiorem Sententiam causæ repudii in libellis Judæorum non describebantur; secus in libellis Gentilium.

16 In laudato Deuteronomii Canone, duo adinveniuntur permissa, duo itidem præcepta. Permittebatur repudium, & transitus ad alias nuptias; præcipiebatur dare libellum repudiatæ, & eam amplius ad se non reducere. Circa hoc tamen discriminantur Doctores. Quidam contendunt, nusquam virum potuisse uxorem reducere, alii verò in eam confluunt Sententiam, potuisse virum repudiatam iterum ducere, si dimissa post transitum ad alias nuptias fuisset iterum repudiata, vel secundus vir mortuus. Hæc secunda Sententia Textui videtur consona; adeoque potuisse virum iterum uxorem alteri non ligatam reducere, mutuo tamen accedente consensu.

Si autem Vir Conjugem falsò accusasset de crimine pessimo, aut Sponsam nondum ductam in uxorem in agro violasset, non poterat post initum Matrimonium, quod contrahere debebat, eam dimittere. Ceterum si Uxor in utroque casu alteri copiam sui corporis fecisset, accusari poterat a Viro, ut lapidaretur juxta legem Levit. 20. Si verò

gravis

gravis tantummodo fuisset suspicio de crimine, cogi poterat ad probationem per aquas maledictas *Numer.* 5. descriptas.

Permissio multiplex.

17 His prælibatis, ut ad rem nostram deveniamus, notandum est, multiplicem esse permissionem, quæ in legibus divina, humana, & naturali, intervenire potest. Primò igitur quid permissum dicitur, quia non adest præceptum. Quando enim majus bonum non præcipitur, minus permissum affirmatur; quo pacto 1. *ad Corinth.* 7. Nuptiæ permissæ dicuntur, quia Virginitas præcepta non est. Hæc autem permissio etiam indulgentia nuncupatur. Altera est permissio per privationem cohibitionis; quomodo Deus mala permittere dicitur, cum non impediat, valens ea impedire. Hæc etiam appellatur sustinentia. Permissio itidem habetur, cum perpetrata crimina non puniuntur, vel etiam cum tolerantur, ut quando minus malum permittitur ad majus evitandum. Demum permissio quandoque dispensationem involvit, ut cum permittitur ei, cui non licet, carnis comestio, vel hujusmodi. Permissio, sive quæ primo, sive quæ postremo loco descripta est, a crimine excusat; secus reliquæ. Post hanc rerum notitiam

DICENDUM, Libellum perfecti repudii nequaquam Judæis fuisse licitum.

Repudium ut minus malum Judæis permissum.

18 PROB. I. Illud haud licitum e tt sendum est, quod ad majus malum evitandum tanquam minus permittitur: atqui Lex Deuteronomii *loco cit.* Hebræis repudium permittebat ut minus malum pro majori evitando: siquidem Uxoribus dabatur repudium ex odio, unde uroricidii timor meritò exoriebatur; ergo ut Moyses periclitantibus mulieribus consuleret, separationem indulsit, quæ utique Conjugio repugnat. Hoc plane innuunt Scripturæ verba, & finis illius legis exigit; ideoque illam causalem præmisit: *Et non invenerit gratiam ante oculos ejus*.

Repudiata nubendo peccabat.

19 PROB: II. Si datum fuisset perfectum repudium, licite Mulier alteri nupsisset: atqui absque crimine nequibat Mulier se alteri tradere; ergo. Dicitur eo loci: *Quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Coram Domino*, inquit; quia alteri se tradens, coram Deo peccabat; non enim legalem tantummodo immunditiam contrahebat, cum hæc non efficeret hominem in conspectu Dei abominabilem.

20 PROB. III. Sicut Hebræis, propter pravam eorundem inclinationem ad pecuniam, & ad vindictam, dictum legimus Deut. 23. vers. 19. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*: & Matth. 5. *Dictum est Antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; ita propter malum eorum animum ipsis enunciatum est:

Repudium unice permissum.

Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Atqui permissio illa usuræ cum alieno, & vindictæ de inimico, non excusabat eos a crimine. unice enim intendebatur effugium majoris mali, nempe usuræ, & vindictæ inter fratres; ergo neque licebat repudium: finis enim hujusce permissionis erat evitatio majoris mali, videlicet, uxoricidii; adeoque conjugale vinculum non dissolvebatur.

Ob duritiem cordis concessum repudiū.

21 PROB. IV. Christus palam dixit, libellum repudii Hebræis permissum ob duritiem cordis, *Matth.* 19. vers. 8. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*: sed permissio ob duritiem cordis indubie a peccato non excusat: non enim obdurata hominum malitia liberat a noxa; ergo. Et sane omnium suffragiis, repudium quoad vinculum secundùm se erat malum, nec licitum esse poterat, nisi auctoritate Legislatoris dispensantis. Porro justus Legislator nusquam plenissime in lege dispensat, nisi ex positivo aliquo bono fine (quidquid sit de dispensatione in particulari casu) Adversarii autem ultro concedunt, libellum tantummodo permissum fuisse ad evitandum malum, secus ob finem directe bonum, sicut dispensatio in Monogamia bonum respiciebat finem, scilicet, propagationem ad Dei cultum; ergo dicere oportet, libellum repudii simplicem solummodo involvere permissionem, non dispensationem.

22 Nostræ Sententiæ clare adstipulatur S. Thomas, qui licèt *in Suppl. quæst.* 67. problematice utramque propugnet Sententiam, nostramque solùm communiorem affirmet, alibi tamen eam omnino certam astruit. *Lib.* 3. *contra Gentes cap.* 123. habet -- Ea „ eluditur consuetudo dimittentium uxores, „ quod tamen in veteri lege permissum fuit „ Judæis propter eorum duritiam; quia sci„ licet proni erant ad occisionem uxorum. „ Permissum ergo fuit minus malum ad ex„ eludendum majus -- 1. 2. *quæst.* 105. *art.* 4. *ad* 8. -- Lex permisit repudium uxoris, non „ quia simpliciter justum esset, sed propter „ duritiam Judæorum -- *Ibidem quæst.* 108. *art.* 3. *ad* 2. -- Circa judicialia præcepta du„ pliciter Scribæ, & Pharisæi, errabant. Pri„ mò quidem quia quædam, quæ in lege „ Moysi erant tradita tanquam permissiones, „ æstimabant esse per se justa, scilicet repu„ dium uxoris, & usuras accipere &c. -- Et *in Cap.* 5. *Matth.* -- Tertiò tolerantiæ, ut „ quando permittitur inter duo mala, minus „ malum, ne fiat majus; & talis fuit permis„ sio Moysis. Dicitur enim permisisse, quia „ toleravit, ne majus malum facerent, sci„ licet homicidium, ut supra dictum est; „ & ideo dicit Dominus quod hoc præcepit „ Moyses ob duritiam cordis eorum --

23 Christus *Matth.* 19. interrogantibus Judæis, cur mandaverit Moyses libellum repudii, ad enervandam prorsus illegitimam explicationem capitis 24. Deut., reposuit: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*. Non utitur Christus verbo mandati, sed permissionis, ut rem plane eliquatam redderet, atque ut omnia, quæ de libello in Scripturis leguntur, ad sensum puræ permissionis intelligerentur. Itaque permissio hujusmodi a pœna excusabat, secus a culpa. Unde apte dixit S. Hieronymus *in cap.* 19. *Matth.* -- Nun„ quid potest Deus sibi esse contrarius, ut „ aliud ante jusserit, & sententiam suam

„ novo frangat imperio ? Non ita sentiendum est. Sed Moyses, cum videret propter desiderium secundarum Conjugum „ (quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores erant) primas uxores interfici, „ aut malam vitam ducere, maluit indulgere „ discordiam, quàm odia, & homicidia perseverare —

REFELLUNTUR ARGUMENTA PARTIS ADVERSÆ.

24 OBJIC. I. Quod est a Deo præceptum, licitum est: atqui repudium est hujusmodi: dicitur enim Malachiæ 2. v. 16. *Cum odio habueris* (uxorem) *dimitte, dicit Dominus Deus*; ergo.

RESP. Plerique Interpretes volunt, ironicam esse hujuscemodi locutionem. Ceterum, etsi laudatus textus litteraliter intelligendus sit, neutiquam nostræ adversatur Sententiæ. Etenim *ibidem* sola permissio, atque immunitas a pœna innuitur; ideo statim subditur: *Operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus Exercituum*, idest coinquinabit corpus suum, quod est animæ indumentum; unde vertunt LXX. Interpretes: *Operiet iniquitas cogitationes tuas*. Dein urgendo, ut non detur repudium, habet: *Custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.* Quem Spiritum ? illum utique, de quo præcedenter vers. 15. dixerat: *Custodite spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere*. Custodite spiritum vestrum, ne amore alienigenarum subvertatur, & uxores, quas ab adolescentia duxistis, servate. Videatur S. Hieronymus *ibi*.

25 OBJIC. II. Quod speciatim, propter dignitatem Status, Sacerdotibus interdicitur, Laicis concessum meritò censetur: atqui Levit. 21. vers. 7. Sacerdotibus interdicitur repudiatam ducere: *Nec eam, quæ repudiata est a marito; quia consecrati sunt a Deo suo*; ergo.

Sacerdotes repudiatam ducere nequibant.

RESP. Data est Sacerdotibus prohibitio in detestationem repudii, atque ad ejus malitiam declarandam; quo pacto in anteriori parte versiculi vetatur ducere scortum, & vile prostibulum. Itidem vetitum erat Sacerdotibus repudiatam ducere etiam post Mariti obitum: quod tamen Laicis permittebatur; non enim datum erat Sacerdotibus Viduas ducere, nisi Vidua esset a Sacerdote, *Ezech.* 44. vers. 22.

26 OBJIC. III. Servus, cui uxorem dederat Dominus, post septennium liber egrediebatur, remanentibus uxore, & filiis ejus, sub Domini potestate: Exod. 21. vers. 4. *Mulier, & liberi ejus erunt Domini sui, ipse verò exibit cum vestitu suo*: sed tunc conjugale vinculum solvebatur, ne mulier cogeretur perpetuum servare cœlibatum; ergo etiam in aliis casibus vinculum non perseverabat.

RESP. Ex contextu non evincitur, in dicto casu maritale vinculum dissolvi, sed tantummodo servum eximi a servitutis jugo, secus uxorem, & filios. Nec probatur, prohibitum fuisse Servo accessum ad uxorem, quamvis libera conversatio vetita videretur. Aliàs datum erat servo in servitute permanere, ut cum uxore, & filiis vitam duceret. Nec in lege absurdum erat quod ex fortuito eventu cogeretur Mulier ad cœlibatum; sicut si Vir perpetuo laborasset morbo; itaque mulier illa, quæ in servitute permanebat, se habebat, sicut quæ absentem habet Virum.

Mulier quandoque ad cœlibatum coacta.

27 OBJIC. IV. Lex Moysis *Levit.* 20. enunciata Adulteram lapidari mandabat: sed si per repudium vinculum maritale non fuisset dissolutum, Adulteræ impune peccassent, hæ nempe, quæ post repudium alteri viro copulabantur; ergo.

RESP. Cum Lex permitteret repudium in repudiatas Adulteras non animadvertebat; quamvis sub prætextu novi Connubii peccarent. Eas itaque puniebat mulieres, quæ legitime nuptæ adulterio polluebantur, atque a viris accusatæ erant; propterea diximus permissionem repudii fuisse per privationem punitionis.

Adulteræ lapidibus obruebantur in lege.

28 OBJIC. V. Illud licitum meritò censetur, quod Lex justa non prohibet cum possit: hujusmodi enim Lex malum omne vetat; atqui lex Moysis justa erat, a Deo ordinata, & sancta, *ad Rom.* 7. vers. 12.; ergo cum non prohiberet, sed perfectum permitteret repudium, dicendum est, illicitum haud fuisse.

RESP. Qui potest malum prohibere, & non prohibet, quando majora inde mala pertimescit, nequaquam peccat. Moysaicus Legislator hoc apprime noverat; adeoque repudium palam non interdixit; innuit tamen perperàm agere repudiatam, alteri nubendo, ut vidimus. Addas velim, Legem Moysis, cum non perduceret ad perfectum, non omne malum prohibuisse, ut de usura, & odio superiùs dictum est *num.* 20.

Quandoque Lex malum non vetat.

29 OBJIC. VI. Ex Doctrina Christi *Matth.* 19. enunciata, quod Moyses permisit, erat contra primævam Conjugii institutionem: *ab initio non fuit sic* vers. 8.: sed repudium solummodo quoad thorum, non quoad vinculum, non est contra primævam ejusdem institutionem: cum aliquando liceat; ergo Moyses perfectum voluit repudium.

RESP. Frequens sejunctio a thoro, & ex qualibet causa utique erat contra primævam Connubii institutionem, & potissimùm cum transitu ad alias nuptias; & hoc Christus declaravit. Nisi enim illicite alteri nuberet repudiata, maculâ non esset coinquinata Mulier; quæ macula, ut supra dictum est, non erat pure legalis. Mulier a primo repulsa viro, poterat, permittente lege, alteri nubere, ab hoc dimissa tertio se copulare, & sic successive; si porro macula fuisset legalis, non nisi ab uno potuisset recipi repudiata.

Repudiata illicite alteri copulabatur.

30 OBJIC. VII. Chrysostomus, seu Auctor Operis imperfecti *hom.* 32. *in Matth.* habet — Sicut Apostoli permiserunt secundas „ nuptias in lege Evangelica, sic in scriptura „ Moyses repudium permisit — sed secundæ nuptiæ licitæ sunt; ergo.

RESP. In aperto sane est, Mosaycum repudium non fuisse permissum, sicut permissæ sunt in lege Gratiæ secundæ Nuptiæ;

illæ

Discrimen repudium inter, & secundas nuptias.

istæ namque secundùm se bonæ sunt, secus illud, utpote secundùm se contra legem naturæ. Paritas igitur intelligenda est, spectata materiæ qualitate; & debita proportione, quæ in eo sita est, quod sicut secundæ Nuptiæ conceduntur ut minus bonum in concupiscentiæ remedium: *Si non se continent, nubant*, 1. ad Corinth. 7. vers. 9., ita repudium permittebatur ut minus malum in remedium odii erga uxores. Hoc sensit prælaudatus Auctor, dicens — Permisit ergo vobis „ facere male, ne faceretis pejora: ergo hoc „ vobis permittendo, non vobis Dei justi- „ tiam demonstravit, sed a peccato abstulit „ culpam peccandi, ut quasi secundùm le- „ gem agentibus vobis, peccatum vestrum „ non videatur esse peccatum —

31 OBJIC. VIII. Si in Scripturis unum esset mendacium, licèt jocosum, tota ejus nutaret auctoritas: quia cuicunque auctoritati ad repellendam hæresim assumptæ fieret satis respondendo, illud mendaciter, jocose, dictum fore; ergo pari ratione si quæ concessio de aliquo illicito fit in Scriptura, sicut ista foret de repudio, nulla concessio esset invenire, quæ licitam rem redderet.

Lex Moysaica permittebat nō concedebat repudium.

RESP. Perperàm dicitur, Mosaicam Legem repudium concedere, cum solummodo illud permissum dicatur ad majus evitandum malum. Ex legis contextu innuimus perfectum repudium illicitum, proindeque nequaquam concessum. Argumentum insuper haud analogiam servet. Leges eam vim habent, quam exprimunt; aliquæ namque sunt simpliciter directivæ, & nullam injungunt pœnam, aliæ mixtæ, aliæ demum pure pœnales; unde ex una lege non valet illatio ad aliam. Veritas autem una est in omnibus Scripturis; quia tota ejusdem auctoritas ab uno Summo Vero, qui in nullo mentiri potest, dependet. Igitur si circa unum objectum est veritas, circa omnia pariter esse oportet; nec liberum est Deo dicere verum, sicut liberum est ei legem condere, sive pure pœnalem, sive præcise directivam, vel obligantem sub levi, vel sub gravi.

Leges inter se diversæ.

32 OBJIC. IX. Lex justa non debet occasionem directe præbere mortaliter delinquendi. Ista concessio videbatur directa occasio Judæis dimittendi uxores; si enim hoc scriptum non fuisset, non dimisissent ipsi uxores post Moysem, sicut antea non dimittebant; ergo vel hujuscemodi dimissio innoxia, vel Lex injusta meritò censenda est.

RESP. Jam supra dictum est, Legem nequaquam concedere repudium; in ea siquidem duo erant, & permissio repudii ob duritiam cordis, & præceptum dandi libellum, supposito quod Vir daret repudium. Neutrum tamen ad peccatum impellebat; sed Hebræi ex duritia occasionem peccandi aucupabantur. A simili de lege, dicit Apostolus, ex ea esse peccatum; verùm lex non est mala; nam occasione legis acceptâ, homines peccant.

Hebræi a crimine excusari poterant.

33 Notandum occurrit, quod antiqui Hebræi potuerunt absque crimine dare repudium, ut notat Abulensis *in Cap. 19. Matth.*, ducti opinionum probabilitate. In iis, quæ sunt contra jus naturæ in linea secundaria, excusatio intervenire potest propter opinionum varietatem: quod & Angelicus advertit; ideoque Hebræorum Doctores legem repudii intelligere, atque explicare potuerunt in sensu approbativo, licet revera non nisi permissionem involveret.

CONTROVERSIA III.

AN CONJUGIUM INFIDELIS AD FIDEM CONVERSI SOLVATUR PER CONJUGIUM IN FIDE SUSCEPTUM.

34 Contingere potest, quod duo legitimi Conjuges ambo ad Fidem convertantur; & tunc temporis nullius dissolutionis momentum occurrit. Controversia versatur, cum unus tantummodo ad Fidem convertitur, altero in infidelitate perseverante. Hic porro potest nolle habitare cum Fideli ea præcisa ratione, quod Fidelis est; & tunc indubie solvi potest Conjugium quoad cohabitationem. Potest itidem Infidelis velle pacifice, & absque injuria Creatoris, communem ducere vitam; vel cum ejusdem injuria, hoc est, Christum blasphemando, atque Catholicam Fidem sive verbis, sive factis, contemnendo, & infidelitatis opera profitendo, quibus fidelis Conjux perturbetur, atque ad prævaricationem inducatur in Fide, vel in alio cujuscunque generis crimine. His positis.

DICENDUM est, Conjugem conversum ad Fidem aliud posse inire Matrimonium, si Uxor ducta in Gentilitate non consentiat sine injuria Creatoris habitare cum illo.

35 PROB. I. Ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. vers. 15. habetur: *Quod si Infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror, in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.* Hisce verbis declarat Apostolus, discessum, & separationem Matrimonii quoad vinculum. Etenim non esse subjectum conjugali servituti nil aliud est, quàm conjugale vinculum esse solutum: sicut solutum est, quando soluta est lex viri per mortem. Porro Paulus dicit, Fratrem, aut Sororem haud subjici conjugali servituti. Clarius evincitur, ex quo Apostolus id Fidelibus Conjugibus denegat, quod Infideli converso concedit: atqui illis vetat vinculi solutionem; ergo isti concedit. Sic ibidem habetur vers. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hæc nec repetit, nec asserit in casu conversi ad Fidem, sed absolute enunciat. *Si discedit, discedat*: hoc tamen intelligi vult, cum mutua pacifica societas haberi nequit; dicit enim: *In pace autem vocavit nos Deus.*

Fidelibus negatur, quod infideli converso conceditur.

36 PROB. II. Non minùs secundùm naturæ jura est perpetua obligatio Filii ad Patrem, quàm Conjugis ad Conjugem: sed ubi cohabitatio Filii cum Patre in conversione ad Fidem est impedimentum æternæ salutis, potest in perpetuum Filius dissolvere

Obligatio filii ad Patrē, sicut Conjugis ad Conjugem.

obligationem cohabitandi cum Patre ; ergo Conjux Fidelis non potens cum Infideli habitare absque salutis dispendio , & non nisi cum contumelia Creatoris , alterum Conjugem dimittere in perpetuum potest , solvendo obligationem cohabitationis , quod est vinculum disrumpere .

37 PROB. III. Non est consonum legi Christi , quod amplectens Catholicam Fidem teneatur ex præcepto ea , quæ solummodo consilii sunt , observare : sed perpetuus cœlibatus est sub consilio , & ad hoc servandum teneretur conversus ad Fidem , si conjugale vinculum permaneret ; non enim cum uxore cohabitare posset propter subversionis periculum , nec alteri nubere , perseverante primo Connubio ; ergo . Argumentum habes ex S. Th. *in Suppl. quæst.* 59. *art.* 5. -- Si non „ non liceret ei (supple viro) aliam ducere , „ cogeretur continentiam servare ; quod vi„ detur inconveniens , quia sic ex conversio„ ne sua incommodum reportaret --

Ex conversione ad fidē non oritur incommodum.

38 PROB. IV. ex Innocentio III. Cap. *Quantò . De Divortiis* , ubi assumens laudatam superiùs Apostoli auctoritatem , habet -- Si al„ ter Infidelium Conjugum ad Fidem Ca„ tholicam convertatur , altero , vel nullo „ modo , vel non sine blasphemia divini nu„ minis , vel ut eum pertrahat ad mortale „ peccatum , ei cohabitare volente , qui re„ linquitur , ad secunda , si voluerit , vota „ transibit ; & in hoc casu intelligimus , quod „ ait Apostolus : Si Infidelis discedit , disce„ dat , Frater enim , vel Soror , non est ser„ vituti subjectus in hujusmodi --

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA .

39 OBJIC. I. Quod divina lege indissolubile constitutum est , per Baptismum non dissolvitur : sed Conjugium legitime contractum , est divina lege indissolubile : Matth. 19. *Quod Deus conjunxit , homo non separet* ; ergo per Baptismum non solvitur . Hinc *ibidem* habemus , mœchari , qui , dimissa uxore , aliam ducit .

RESP. Vinculum conjugale in dicto casu non ab homine , sed ab ipso Deo , qui illud constituit , dissolvitur . Et quidem in favorem Fidei tale privilegium concessit ; ut habetur Cap. *Gaudemus . De Divortiis* , & explicavit Paulus 1. ad Corinth. 7.

Deus conjugale vinculū Infidelis conversi dissolvit .

Cum verò Christus tanquam mœchum redarguit aliam ducentem , loquitur de Conjugibus Fidelibus , quorum vinculum prorsus indissolubile est . Ceterum eodem Canone *Gaudemus* dicitur , per Baptismum non dissolvi simpliciter Conjugium in Gentilitate initum ; quia Sacrum regenerationis lavacrum non Conjugia , aut alios contractus , sed crimina solvit ; alias nonnulli a Fidei susceptione retraherentur , timentes ab Uxoribus deseri ; unde si Infidelis pacificæ consentiat cohabitationi , potest Fidelis cum ipso permanere juxta Pauli consilium 1. ad Corinth. 7. v. 12. *Si quis Frater uxorem habeat infidelem , & hæc consentit habitare cum illo , non dimittat illam* . Quod consilium nullo revocatum est præcepto , sed sola praxi , & consuetudine obliteratum . Primis rei Catholicæ temporibus , nempe usque ad IV. Seculum laudabile erat cum Infideli permanere ; etenim fortior spes conversionis alterius Conjugis occurrebat tum ex fervore charitatis conversorum , tum ex gratia miraculorum , quæ frequentiora erant . Sequenti verò tempestate cum spes ista Fidelium culpâ friguerint , non amplius fas est cohabitare , nisi grave aliquod damnum inde consurgeret , ut omnium bonorum jactura , aut mortis periculum , & hujusmodi .

40 OBJIC. II. Crimen superveniens Matrimonio , ipsum non dissolvit : sed crimen nolentis habitare absque contumelia Creatoris Matrimonio in Gentilitate contracto supervenit ; ergo illud non dissolvit .

RESP. Per Baptismum ab altero Conjugum susceptum non statim solvitur Connubium . Quare , si blasphemans in Creatorem , antequam conversus ad secunda vota transierit , resipisceret , Matrimonium subsisteret ; quod dixit Innocentius III. Capite *Gaudemus* -- Quod si conversum ad Fidem & illa con„ versa sequatur antequam propter causas „ prædictas legitimam ille ducat uxorem , „ eam recipere compelletur -- Ceterum tria sunt in Conjugio in Infidelitate celebrato ; nempe defectus significationis ex carentia Baptismi ; cultus disparitas , videlicet Idololatria ; Creatoris contumelia , & novum Matrimonium initum . Primum efficit solubile Conjugium ; secundum ad solutionem disponit ; tertium dissolvit , quando conversus ad Fidem ad alias Nuptias transit .

Baptismi susceptio non statim solvit matrimonii .

41 OBJIC. III. Fortius est conjugale vinculum , quàm vinculum servitutis : sed per conversionem ad Fidem non liberatur homo a vinculo servitutis Domini Infidelis , immo Apostolus 1. *ad Timoth.* 6. præcipit eidem subesse , atque obtemperare ; ergo neque Vir ad Fidem conversus liberatur a conjugali vinculo . Aliàs utrobique adesse potest contumelia Creatoris , atque perversionis periculum . Insuper ex laudato Apostolo 1. *ad Corinth.* 7. v. 22. servitus non dissolvitur , quia servus corpore libertus est Domini , unde licèt corpore subditus sit , secus spiritu . His addas , servitutem non solvi , quia unusquisque in ea permanere debet vocatione , qua vocatus est ; ergo similiter Conjugatus cum Infideli eodem ligatus vinculo esse debet .

RESP. Argumentum probat , per conversionem ad Fidem immediate Conjugium non dissolvi ; non tamen evincit , solubile non esse per transitum ad alias Nuptias , sicut servitutis vinculum per liberam dimissionem solvitur , sicut & per redemptionem , quam omnimode procurare debet Servus , ubi periculum immineat prævaricationis .

Probatio altera solummodo evincit , nequaquam saluti repugnare servitutem ; sicut nec Conjugium cum Infideli , etsi alter Conjugum convertatur .

Aliud quod subditur , dubium excitat , an , quando Infidelis vult in Gentilitate permanere , pacifice tamen , & absque injuria Creatoris , possit conversus Conjugem dimittere , atque ad alias Nuptias transire . Plausibilior Sententia , quæ Apostoli doctrinæ con-

consonat, propugnat, non posse; quia conjugalis vinculi dissolutio inducta est in privilegium Fidei tribus in casibus, videlicet ubi Infidelis discedit, ubi Infidelis absque Creatoris injuria, atque pacificæ cohabitationi non consentit, demum quando cohabitatio in alia crimina inducit. Nil horum in casu proposito occurrit. Sententia altera negat, teneri conversum Conjugem ad cohabitandum; quia impræsentiarum cum Infideli habitare nequaquam fas est. Verum Sententia hujusmodi non attendit ad rem secundum se spectatam, sed ad positivas leges ab Ecclesia superinductas. Prima verò opinio non loquitur, stantibus legibus ab Ecclesia superinductis; quia standum est Ecclesiæ Sacramentorum conditiones explicanti; porro Ecclesia impossibilem saltem moraliter judicat cohabitationem absque Creatoris contumelia. Illud tamen indubium est, quod ubi absque peccato cohabitari nequit, Conjugem Infidelem admonendam esse, si converti velit, quia novum Conjugium contrahi non valet, nisi alter velit in Infidelitate permanere; ea propter voluntas Infidelis exploranda est, atque induciæ concedendæ ad deliberandum. Ab hac tamen obligatione absolvitur conversus, quando ab Infideli longe distat, ut eveniret in Turcis apud nos captivis; & insimul quando gravibus momentis constat de notoria pertinacia in Infidelitate.

Conversus nequit cum Infideli cohabitare.

42 OBJIC. IV. Gratia, sicut & Fides, naturam non destruunt, ideoque reliqui legitimi contractus, puta venditionis, locationis, & hujusmodi, per conversionem ad Fidem non dissolvuntur; ergo nec Conjugium; Conjux namque super alterum potestatem acquirit, sicut emptor super agrum.

RESP. Argumentum probat, Conjugium non dissolvi per conversionem, nisi ex divina dispositione, & in casibus in præcedenti argumento relatis; quo pacto, si Deus dispensaret, etiam alii naturales contractus dissolvi possent. Deinde potestas Conjugis supra Conjugem non est per modum possessionis, sicut in venditionibus, sed per modum societatis, quæ haud congruit Fidelem inter, & Infidelem; alias malo suo privatur jure, qui non vult converti.

43 OBJIC. V. Fides non absolvit Parentes ab onere filios educandi, eosque in via salutis instituendi, immo potiore jure Fideles ad id tenentur: sed si conjugale vinculum solveretur, conversus filiorum institutionem desereret, eosque in maximo salutis periculo relinqueret, potissimum si parvuli essent, atque ab Infideli abstrahi nequirent; ergo maritale vinculum perseverare meritò censendum est.

RESP. Filii, si sint adulti, & sui juris circa Status electionem, Parentem conversum sequi libere possunt, vel cum Infideli permanere; non enim ad Fidem suscipiendam datur coactio. Si verò Filii in tenella adhuc vivunt ætate, quamvis eorundem institutio ad Matrem spectet, Patri Fideli, privilegio Fidei, dari debent. Quod si aliunde nequeunt ab Infideli separari, Principe v. g. vetante, casus est per accidens; proindeque non valens conversum cogere ad remanendum cum Infideli. Immo pro Filiorum educatione permanentia Fidelis cum Infideli posset esse damnosa, quatenus Infidelis sollicitiùs supra Filios evigilabit, ut firmiùs erroribus suis adhæreant; cumque homines ad malum proniores sint, perversa Infidelis monita prævalebunt.

Filii conversionem ad Patri spectant.

44 OBJIC. VI. Magis pugnat adulterium cum Matrimonio, eique adversatur, quàm Infidelitas: atqui adulterium conjugale vinculum non frangit, sed solummodo separationem permittit; ergo neque Infidelitas.

RESP. Adulterium magis opponitur Conjugio spectato in esse officii naturæ; secus secundùm esse Sacramenti Ecclesiæ, a quo perfectam habet firmitatem, quatenus significat indivisibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia. Itaque Conjugium, quod ratum non est per Baptismum, ut est illud in Infidelitate initum, solubilius est per Infidelitatem, quàm per adulterium; ob bonum namque Fidei in primo casu dispensavit Deus, secus in secundo.

Matrimonii a Sacramento habet firmitatem perfectam.

45 OBJIC. VII. Conjuges jure Matrimonii pares sunt tum naturali, tum Evangelica lege 1. *ad Corinth. 7.* Sed vinculum Infidelis, si a Fideli Conjuge recedat, non solvitur: non ab Ecclesia, cui se subjicere renuit: non a Deo, contra quem agit: non ab altero Conjuge, quem invitum deserit: non a se ipsa, cum sit tantummodo Pars; & ideo si postmodum ad Fidem convertatur, ad Conjugem debet redire; ergo.

RESP. Ecclesia quidem de his, qui foris sunt, non judicat puniendo, judicat tamen discretive; adeoque e re nostra est scire, quid Infideli competat. Igitur si Conversus transivit ad secundas Nuptias, tunc Infidelis alteri nubere potest; quia, soluto vinculo ex parte unius, solutum remanet ex parte alterius; sicque Deus ex Privilegio Fidei vinculum ex parte Infidelis dissolvit. Pro Infidelibus tamen Christianis Principibus subditis, in pœnam pertinaciæ, latæ sunt leges vetantes in dicto casu eis nubere. Si autem conversus, ad alias Nuptias, vel ad Statum religiosum non transierit, Infidelis nubere nequit; quia vinculum integrum perseverat; hinc si convertatur, & ille Infidelis, ad mutuam societatem utraque Pars redire debet. Si Infidelis discedens alteri nupserit, & postmodum convertatur, superinductum Conjugem deserere debet, atque ad priorem redire, si tamen nondum novis Nuptiis sit illigatus, aut Deo per Religiosam professionem sacratus; nullæ quippe fuerunt Nuptiæ illæ. Si autem conversus alteri nubat, & secunda uxor moriatur, & prima ad Fidem convertatur, cum hac conversus non potest copulari sine novo matrimoniali contractu; cum primum vinculum fuerit solutum.

Quid de Infideli, si alter convertatur.

46 OBJIC. VIII. Pejor est lapsus Fidelis in Infidelitatem, quàm perseverantia in pristino errore: sed per lapsum in Infidelitatem conjugale vinculum non dissolvitur, etsi prævaricator absque Creatoris contumelia cohabitare nolit; ergo neque per conversionem unius vinculum cum Infideli dissolvitur.

RESP. Matrimonium inter Fideles celebratum summam sortitur indissolubilitatem,

quam

Baptismus indissolubile prorsus reddit Conjugium.

quam ei tribuit Baptismus, cujus character est perpetuus, & habet rationem significativi unionis Christi cum Ecclesia; unde superveniens Infidelitas vinculum non dissolvit.

47 OBJIC. IX. Praescribitur 1. *Petri* 3., ut mulieres Fideles subditae sint Viris Infidelibus: porro si Conjugium dissolveretur per conversionem unius, hujusmodi praeceptum frustraneum esset; ergo.

RESP. Petri Sententia doctrinam superiùs traditam confirmat. Diximus enim non licere Fideli se sejungere ab Infideli volenti pacifice cohabitare; tunc namque subest spes conversionis alterius, quam *ibidem* innuit S. Petrus; proindeque hortatur, ut modestae incedant. Ejusdem labii sunt S. Hieronymus *lib. 1. adversùs Jovinianum cap. 5., & 6.*, & Tertullianus *ad Uxorem lib. 2.*, aliique.

CONTROVERSIA IV.

AN CONJUGIUM SIMPLICITER RATUM PER RELIGIOSAM PROFESSIONEM DISSOLVATUR.

48 LUtherani pariter Calvinistae, aliique hujus furfuris homines, Catholicam Ecclesiam criminati sunt, quia Conjugium simpliciter ratum per Solemnem Professionem in approbata Religione dissolvi affirmabat; perperàm tamen

DICENDUM itaque est, Matrimonium simpliciter ratum dissolvi per Solemnem Professionem in approbata Religione.

Inconsulto Conjuge licitus est transitus ad Religionem.

49 PROB. I. Cap. *Desponsatam 27. quaest. 2.* Eusebius Papa habet — Desponsatam puellam non licet Parentibus alii viro „ tradere, licet tamen illi Monasterium „ sibi eligere — Cap. *Ex parte tua. De conversione Conjugatorum* Innocentius fassus se Decessorum suorum vestigiis velle inhaerere, consultus respondet Lugdunensi Archiepiscopo, ante Matrimonii consummationem — Licere alteri Conjugum, reliquo inconsulto, „ ad Religionem transire, ita quod reliquus „ ex tunc legitime poterit alteri copulari — Cap. *Verum* sub eodem titulo Alexander III. Salernitano Episcopo rescribit — Post consensum legitimum de praesenti, licitum est „ alteri, altero etiam repugnante, eligere „ Monastetium (sicut quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, & alteri remanenti (si commonitus continentiam „ servare noluerit) licitum est ad secunda „ vota transire — His addes Tridentinum *Sess. 24. Can. 6.* — Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius, „ Conjugium non dirimi; anathema sit —

Laudabile est ad perfectius ascendere.

50 PROB. II. Unicuique fas est a Statu minus perfecto ad perfectiorem transire, quoties id absque alterius damno potest fieri: sed per transitum a Nuptiis non consummatis ad Religiosam Professionem Status eligitur perfectior, ut in aperto est, & absque alterius damno, si Nuptiae dissolvantur; ergo id licet. Quod nulli fiat injuria, evidens est. Non fit injuria proli; nulla siquidem praecessit copula unde habeatur proles. Nulla fit injuria Conjugi; quia remanens secundùm statum pristinum, nil decoris amittit, & aequaliter valet alias Nuptias contrahere.

51 DICES. Illi fit injuria Conjugi; qui remanet in Seculo; cum invite re sua spolietur.

In dissolutione Conjugii per vota nulli fit injuria.

RESP. Remanenti in Seculo non est injurius, qui ad Religionem transit; cum ille nullum patiatur incommodum, & aliàs aequalia sint utriusque jura, ita quod quilibet pro libito solemnia vota emittere potest.

Religiosa Professio aequiparatur morti.

52 PROB. III. Ita se habet vinculum simpliciter spirituale ad perfectam spiritualem mortem, sicut carnale vinculum ad mortem corporalem: sed per hanc carnale dissolvitur vinculum, quod per consummatum Connubium habetur; ergo per Religiosam Professionem, quae est perfecta spiritualis mors Seculi, spirituale vinculum dissolvetur. Porro Conjugium non consummatum, utpote vinculum animorum, est tantummodo spirituale.

Vinculū Religionis fortius vinculo Conjugii.

53 PROB. IV. Universalius, fortiusque vinculum solvit vinculum minus universale, & debilius: atqui vinculum Religiosae Professionis universalius est, & fortius, vinculo conjugali; ergo. Vinculum Religiosae Professionis est vinculum, quod non solùm privat hominem dominio corporis per votum castitatis, sed dominio libertatis per votum obedientiae, atque externorum bonorum dominio per paupertatis votum; Matrimonium verò privat praecise dominio corporis relate ad honestam prolis generationem. Insuper Religiosa Professio est vinculum tum in linea Religionis, tum in linea justitiae: cum per eam obstrictus sit homo ad inserviendum Religioni ad mensuram a lege praescriptam; conjugale vero ligamen est de linea justitiae. Est itidem fortius vinculum Professionis; quia hominem inter & Deum immediate intercedit, secus conjugale.

Discrimen inter Conjugium ratum, & consummatum.

54 PROB. V. Conjugium ratum, ut Sacramentum, significat conjunctionem Christi cum anima, media charitate, ut habet Innocentius III. Can. *Debitum. De Bigamo non ordinando*; consummatum verò unionem Christi cum Ecclesia, media unione Hypostatica — Cum duo sint in Conjugio, videlicet, consensus animorum, & commixtio „ corporum, quorum alterum significat charitatem, quae consistit in spiritu inter „ Deum, & animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus: *Qui adhaeret* „ *Deo unus spiritus est cum eo*, reliquum verò „ designat conformitatem, quae consistit in „ carne inter Christum, & Ecclesiam, ad „ quod pertinet illud: *Verbum caro factum* „ *est, & habitavit in nobis*, profectò Conjugium, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud „ Conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam, per Incarnationis Mysterium est contractum, juxta quod Paulus „ exponens hoc: *Nunc os &c.* subjungit: *Sacramentum hoc dico magnum in Christo, &* „ *Ecclesia* — Porro unio per charitatem per pecca-

peccatum dissolvitur; ergo conjugale vinculum per aliud contrarium vinculum, quale est illud Religiosæ Professionis, erit solubile. Dixi per vinculum contrarium, ne dicatur solubile per violationem thori; peccatum namque non est vinculum, nec directè conjugali vinculo contrarium, sed usui.

CONTRARIA ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

55 OBJIC. I. Conjugium in Evangelica lege initum, & est Sacramentum, & summam habet firmitatem, quamvis solummodo ratum; *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. 19., quibus verbis etiam ad Matrimonium non consummatum Christus allusit. Revocavit enim Conjugium ad primævam institutionem, & ex hac indissolubilitatem probavit: primæva autem institutio fuit in statu Innocentiæ, quo tempore Matrimonium non fuit consummatum. Aliàs Christus suâ sententiâ pondus addidit firmitati, quam Adam in Conjugio sive consummato, sive non consummato agnovit; immo quod in futuro enunciavit Adam: *Et erunt duo in carne una*, reassumpsit Christus in præsenti: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*; quo ostendere voluit, suam de indissolubilitate Sententiam postmodum prolatam respicere ad Conjugium secundùm se, nequaquam futura commixtione expectata. Et sane pro tunc verificatur, quod Conjuges sint una caro, propter intimum consensum, quo sibi mutuo potestative corpora tradunt, eademque corporum traditione in actu primo unum integrum propagationis principium constituunt.

Adde. Tridentinum Sess. 24. *In Cap. Doctrinali* palam fatetur, Matrimonii perpetuum, atque indissolubilem nexum divino instinctu Adamum pronunciasse, cum dixit: *Nunc os ex ossibus meis*; Christum verò eo nexu duos tantummodo conjungere apertiùs declarasse. Subdit itidem naturalem amorem, & indissolubilem unionem perfici per Gratiam, quam sua passione Salvator meruit, & quæ Conjugium ut Sacramentum in lege Gratiæ Nuptiis veterum Patrum præstat. Indubium porro est, Adamum ea protulisse, quando ejus Conjugium solummodo ratum erat; cum in aperto sit Conjugium ratum non conjungere nisi duos, & esse Sacramentum, proindeque divino jure esse indissolubile. Sed Religiosa Professio est humani juris; ergo nequaquam vim habere potest dissolvendi ratum Matrimonium.

Matrimonium ratum a Deo solvitur, dum quis in Religione profitetur.

RESP. Equidem Conjugium tantummodo ratum est vere indissolubile, atque etiam de eo suam Christus protulit Sententiam, estque itidem verum novæ legis Sacramentum productivum Gratiæ, qua indissolubilis unitas confirmatur, ut docet Tridentinum; non habet tamen omnimodam firmitatem, atque perfectam Sacramenti significationem, quam post consummationem sortitur, prout Canones superiùs enunciati declarant. Argumentum itaque evincit, non fore Matrimonium ratum ab homine solubile; sed non evincit esse indissolubile a Deo. Supponunt illud Canones a Deo dissolubile, cum affirmant id per Professionem evenire. Unde Cau. *Ex parte. De conversione Conjugatorum* quosdam sanctitate celebres, Dei nutu, a Conjugio ad Monasterium convolasse refertur, & Can. *Ex publico* ibidem ex Scripturis privilegium hoc Religiosæ Professioni convenire. Deus legem statuit, ut per mortem vinculum hoc dissolvatur; & Religiosa Professio, præsupposita ejusdem institutione, est perfecta mors civilis. Dicitur etiam, Professionem jure divino naturali dirumpere conjugale ligamen; quia consilia Perfectionis sunt divinæ institutionis; & ex istis Religiosa Professio constituitur.

56 OBJIC. II. Per simplex castitatis votum, sicut & per susceptionem Ordinis Sacri, & potissimùm Episcopatus, fit transitus ad perfectiorem Statum: sed per hæc Conjugium ratum nequaquam dissolvitur; ergo neque per Religiosam solemnem Professionem.

Per Sacros Ordines non habetur mors spiritualis perfecta.

RESP. Prædicta utique perfectiorem Statum constituunt, sed non important perfectam spiritualem mortem, sicut Religiosa Professio. Qui enim simplex votum castitatis emiserunt, quique Sacris Ordinibus sunt inaugurati, manent in Seculo, propriæ voluntatis, bonorumque dominium habent; quod de Religiosis non verificatur. Hinc apud Græcos Presbyteri, Sacrisque Ordinibus initiati Nuptias contrahunt, vel saltem nupti ad Altaris ministerium assumuntur.

57 DICES. Per vota simplicia post biennium in Religione Societatis Jesu emissa habetur perfecta mors spiritualis: Patres enim Societatis vere, & proprie, Religiosi sunt; sed per illa ratum Conjugium non dissolvitur, ut plerique Doctores ex eadem Societate propugnant, quamvis subsequens dirimant Matrimonium, prout declaravit Gregorius XIII. in sua Constit. *Ascendente Domino*; ergo.

Tacita professio non solvit Conjugium.

RESP. Tridentinum Can. 6. sæpe laudato declaravit per solemnem Professionem ratum dissolvi Conjugium. Porro per recitata vota non habetur solemnis Professio, nec ex illis perfecte quis Mundo moritur; cum non intercedat perfecta traditio sive ex parte dantis, sive ex parte acceptantis; siquidem fit reservatio potestatis certis quibusdam casibus ipsum ejiciendi. Hoc in Solemni Religiosa Professione nequaquam contingit. Diximus in solemni Professione; quia tacita Professio æquivalet simplici, quæ conjugale vinculum non solvit.

58 OBJIC. III. Solemnis Professio Religiosa non est incompossibilis cum Conjugio: remanet siquidem vinculum integrum, ubi Conjuges mutuo consensu Religionem ingrediuntur, ibique profitentur; ad hoc itaque, ut Matrimonii rati vinculum dissolveret, deberet esse incompossibilis.

Professio adversatur Conjugio rato.

RESP. Laudati Canones, sicut & Canon *Ad Apostolicam. De conversione Conjugatorum* affirmant cum Matrimonio rato incompossibilem fore solemnem Professionem; adeoque dissolvi, quia illud importat vinculum

lum tantummodo animorum, estque spirituale, cui perfecta mors spiritualis directe opponitur. Consummatum verò Conjugium dicit insuper actuale vinculum corporum, cui sola mors corporalis perfecte adversatur. Addas velim, consummatum Catholicorum Matrimonium duplicem signare perfectissimam unionem Christi cum Ecclesia: charitatis nempe cum tota Ecclesia, quæ est adæquata ejusdem Sponsa: & hypostaticam cum humanitate; quarum quælibet est plane indissolubilis. Has porro significationes non includit Conjugium ratum.

59 OBJIC. IV. Religiosa Professio non solvit contractus minùs solemnes in Seculo initos: hinc Professus Religiosus non liberatur a debito pecuniario; ergo neque solvit ab arctissimo Conjugii vinculo.

RESP. Equidem Religiosa Professio reliquos contractus in suo robore relinquit; cum iisdem non opponatur, sicut Conjugio. Sive in Conjugio, sive in Religiosa Professione, personalis traditio habetur; secus in reliquis. Igitur opponitur Religiosa Professio cum Conjugio, non autem cum reliquis contractibus. A debito tamen pecuniario liberatur Professus; cum sive hæres, sive Communitas, in qua vovet, ad illud solvendum teneatur.

Discrimen Conjugii inter, aliosque contractus.

60 OBJIC. V. Adversùs divinam prohibitionem haud valet humana dispositio: atqui humani juris est causâ Religionis dissolvi Conjugia, & juris divini est prohibitio solutionis; ergo. Totum argumentum habes ex D. Gregorio relato Can. *Sunt qui dicunt* 27. quæst. 2. -- Sunt qui dicunt Religionis causâ „ Conjugia debere dissolvi. Verùm sciendum est, quia etsi hæc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit. Per se „ enim veritas dicit, *Quod Deus conjunxit* „ *homo non separet* --

RESP. Illa Sententia Matrimonium consummatum respicit; adeoque ad ratum non extenditur. Etiam de consummato loquitur S. Augustinus *lib. 1. de Nuptiis, & Concupisc. cap.* 11. cum dicit conjugale vinculum non rumpi, sed firmari, ubi Conjuges ex mutuo consensu abstinent in perpetuum. Hæc firmitas, quam Sanctus Doctor dicit accedere, est nova animorum conjunctio in amore castitatis propter Deum. Deinde non videtur loqui de abstinentia ab eo, qui per solemnem Professionem Deo sacratur.

Patres explicantur.

61 OBJIC. VI. Votum, quod inane est, præcedens vinculum dissolvere non valet; sed solemnis Professio post Conjugium ratum non obligat; ergo illud nequit dissolvere. Argumentum planum est in Augustino *Enarrat. in* Psal. 149. -- Sed dicit, continere „ jam volo; nolo jam uxorem. Non potes; „ quid si tu vis, & illa non vult? Nunquid „ per continentiam tuam debes illam facere „ fornicariam?... Non vult tali lucro Deus „ compensare tale damnum -- Et *Epist.* 262. aliàs 199. *ad Ecdiciam* -- Omitto quod ipsam continentiam, illo nondum volente, „ non secundùm sanam doctrinam te suscepisse cognovi. Neque enim corporis tui „ debito fraudandus fuit, priusquam ad illud „ bonum, quod superat pudicitiam conjugalem, tuæ voluntati voluntas quoque ejus „ accederet -- *Epist.* 127. aliàs 45. *ad Armentarium, & Paulinam* -- Una sola esse causa „ posset, qua te id quod vovisti, non solùm „ non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere. Si fortè tua Conjux hoc tecum suscipere animi, seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vovenda talia non „ sunt Conjugatis, nisi ex consensu, & voluntate communi; etsi præpropere factum „ fuerit, magis est corrigenda temeritas, „ quàm persolvenda promissio. Neque enim „ Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum -- S. Paulinus *in Epist. ad Celantiam* -- Tu verò „ quasi oblita fœderis nuptialis, pactique „ hujus, ac juris immemor, inconsulto viro „ vovisti Domino castitatem, sed periculose „ promittitur, quod adhuc in alterius potestate est, & nescio quàm sit grata donatio, „ si unus offerat rem duorum -- Sed Patres loqui de Conjugio rato in aperto est. Nam de Matrimonio consummato altum habent silentium, & momenta afferunt Conjugio rato intrinseca, videlicet rem uni traditam non posse alteri donari, & Conjugem alterius Conjugis potestatem habere, teneri reddere debitum, ne incontinentiæ periculo propter infirmitatem spiritus Pars altera exponatur.

RESP. Laudati Patres de consummato Matrimonio sermonem habent, a quo non nisi ex mutuo consensu dari potest separatio thori. Hoc sensu etiam Canones similia usurpant; ut 27. quæst. 2. ad declarandum Conjugato haud licere, Monasticam vitam profiteri absque alterius Conjugis consensu; cum aliàs *ibidem* satis expliceut id licere, si Conjugium sit tantummodo ratum. Equidem expressam non faciunt mentionem de Matrimonio consummato; verùm id satis innuunt, quatenus de eo Conjugio loquuntur, per quod duo facti sunt una caro, & alter Conjugum actualem habet possessionem alteriùs Conjugis, sicut & in casu quo unus habet jus, ut alter debitum reddat. Hæc utique solummodo consummato Connubio aptari possunt. Nam in Conjugio rato nec perfecta intercedit traditio, nec absoluta, sed conditionalis, ut dictum est, nec alter Conjugum super corpus alterius actuale dominium habet, nec actualem contraxit obligationem reddendi debitum. Aliàs nemo gravatur; est enim æquale jus ingrediendi Religionem, & ex parte utriusque consensus est conditionalis, videlicet nisi quis ad meliorem frugem velit transire; ideoque per se nullum incontinentiæ periculum subest.

Matrimonium consummatum indissolubile.

Si quis, Conjugio consummato, perpetuam voverit ex alterius consensu continentiam, hoc fato functo, ad secundas Nuptias transire nequit; & si solemniter votum emiserit, tentatæ Nuptiæ nullæ sunt, Cap. *Consuluit. De conversione Conjugatorum*, & Cap. *Dudum* sub eodem titulo Gregorius IX. declarat, quod alter alterum in eo casu nequit repetere. II. Si Maritus absque adulteræ Conjugis consensu Monasterium adiret, atque solemniter se Deo sacraverit, ab ipsa nequit repeti; ex Innocentio III. Cap. *Constitutus* sub

eodem

eodem titulo. III. Mulier, quæ dolo, aut minis, Marito indulsit ingressum in Religionem, si alienos amatores admisit, omni jure ipsum revocandi privatur; ex eodem Innocentio *ibidem*. IV. Si alter Conjugatorum prolabatur in Hæresim, Judaismum, & hujusmodi, latâ sententiâ divortii, innocens ingredi valet Monasterium, altero etiam reluctante, etsi ab Infidelitate convertatur; Cap. *Mulier* sub eodem titulo, ex eodem Pontifice. V. Mulier Maritum mortuum existimans, Monasticum professa institutum, revertente Viro, si educatur, debitum reddere, sed non petere potest, secura dein Mariti morte compelli nequit ad Claustrum, ad quod tamen hortanda est; Cap. *Placet* ex Cœlestino III., Cap. *Quidam* ex Alexandro III. sub eodem titulo. VI. Alter Conjugum non est ad Religionem admittendus etiam ex consensu Partis, nisi remanens in Seculo perpetuam voverit continentiam, vel longævæ sit ætatis; ut nullum incontinentiæ subsit periculùm; Cap. *Præterea* ex Alexandro III., Cap. *Significavit* ex Innocentio III. sub eodem titulo.

62 OBJIC. VII. Opus injustum dissolvere nequit justum vinculum: atqui transitus ad Religionem, stante Conjugio rato, opus injustum est; nam Conjugium perpetuam dicit traditionem; tum quia cogitur alter innuptus manere usque ad Religiosam Professionem, quæ fortè ad lungum tempus valet protrahi; & si non profiteretur, teneretur vivere cum eo, qui discessit a Religione, quod utique indecorum videtur; ergo.

RESP. Ad tollenda inconvenientia statuit Ecclesia bimestre Conjugibus ad deliberandum de ingressu Religionis, quod a tempore initi Conjugii computandum est. Elapso bimestri, stante adhuc Matrimonio rato, nequit unus absque alterius consensu licite Religionem ingredi; cum jus habeat alter ad petendum debitum. Si tamen ingrediatur, profiteaturque, Professio valida est, & vinculum dissolvitur conjugale; quoniam Ecclesia declaravit, Matrimonium, quandiu ratum, per solemnem Professionem dissolvi. Quamvis Conjux non intendat per vota se Deo dicare, in bimestri liber est ad reddendum debitum; potest namque animum mutare, potissimùm cum ob alios fines indulgeant Canones bimestre. Itaque falsa est minor propositio. Producta momenta evincunt, peccare, qui absque rationabili causa conjugalem iniret contractum animo postmodum ingrediendi Religionem; secus si rationabile subesset motivum. Si prætextu Religionis Sponsus Professionem differat, ex una in aliam vagando Religionem, ab Ecclesiastico Judice compellendus est pro una determinata Religione.

CONTROVERSIA V.

AN CONSUMMATUM CATHOLICORUM CONJUGIUM, ADULTERII CAUSA, SIT SOLUBILE.

63 CONtroversia hujusmodi fundamentalem continet de indissolubilitate Matrimonii difficultatem. Nervis omnibus conantur Novatores propugnare, consummatum Connubium, adulterii causâ, solubile esse. His concinont, præter recensitos sub Disputationis exordio *num.* 2., Cophti, & Abyssini apud Ven. N. P. Thomam a Jesu *lib.* 7. *De Conversione Gentium cap.* 5., *& cap.* 8. Armachanus *lib.* 10. *cap.* 26. Armenos ejusdem Sententiæ affirmat; ceterum Clemens Galanus *Tom.* 2. *Reconciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romana* in Armenorum libris se id nusquam legisse, immo sanioris doctrinæ Præsules oppositum docere, fatetur; addit tamen, in praxi ipsos levi etiam de causa Uxores dimittere, aliasque superinducere.

DICENDUM tamen, consummatum Catholicorum Conjugium, adulterii causâ, non esse solubile.

PROBATUR EX SACRIS SCRIPTURIS.

64 PROB. I. Matth. 5. vers. 31., & seq. dicebat Christus: *Dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* In prima propositionis parte declarat Christus dimittentem a thoro Uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, quæ divortium licitum reddit, peccare; quia ipsam periculo exponit mœchandi. In parte altera manifestum facit, vinculum non dissolvi; aliàs Mulier non esset adulterii rea, si cum alio coiret. Porro si vinculum ex parte dimissæ perseverat, subsistet itidem ex parte Viri: etenim æquitatis jura exposcunt, ut mutuus contractus duos connectens, si ex parte solvatur, omnino dissolutum censeatur. *Æqualitas vinculi inConjugatis.*

65 Vim argumenti prævidens Erasmus propugnat, vinculum ex utraque parte solutum; verùm in pœnam criminis vetitum fore dimissæ, alteri nubere.

Attamen ex tuto corruit Argumentum. Si enim ex utraque parte solutum est vinculum, Mulier illa nullius est Viri; igitur si Vir solutus eam in Uxorem assumat, nequaquam mœchabitur. Adulterium est nuptialis thori violatio: sed Divina Veritate testante, illa mœchatur; ergo Mulier adhuc maritali vinculo adstricta est, & sane non alterius ab eo, qui eam dimisit. *Vinculum duorum non solvitur solùm ex parte unius.*

66 PROB. II. Matth. 19. vers. 6. Postquam Christus exactam tradidit Conjugii, sive rati, sive consummati, notionem, subdit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Atqui si adulterii causâ solveretur, vel foret *Homo solvere nequit vinculum divinum.*

 solu-

solubile, homo sejungeret quod Deus conjunxit; ergo. Argumentum habes ex S. Ambrosio *lib. 8. in Luc. cap. 16.* -- Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui „ obsequuntur etiam, qui legem ferunt: quæ „ Deus conjunxit, homo non separet. Sed „ non solùm hic cœleste præceptum, sed „ quoddam etiam opus Dei solvitur --

67 PROB. III. Marci 10. vers. 10., & seqq. *Et in domo iterum Discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*. Et Luc. 16. vers. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*. Ex his sic instituitur Argumentum. Propositio universalis distributiva omnes, & singulos casus, complectitur: atqui propositiones laudatæ sunt universales distributivæ, ut in aperto est; ergo omnes complectuntur casus, sive quando licite dimittitur Conjux, causâ criminis contra fidem conjugalem, sive quando illicite, ex aliis nempe arbitrariis momentis. Argumentum valide urget Augustinus *lib. 1. de Adulterinis Conjugiis cap. 9.* -- Sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter, „ & propter causam fornicationis dimittit „ uxorem. Hoc est enim quicunque dimiserit; hoc est, omnis qui dimittit -- Casum fornicationis includi planum fit in textu Marci, ubi refertur, Discipulos in domo interrogasse Christum de eodem, idest, de responsione data, & doctrina prolata in disputatione cum Pharisæis super causam Matrimonii, in qua Christus Matth. 19. de fornicatione sermonem habuit.

Propositio universalis distributiva ad omnes casus extenditur.

68 PROB. IV. Ad Rom. 7. vers. 1., & seqq. *An ignoratis Fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*. His palam fit, Mulierem, quando Vir ejus vivit, eidem alligatam esse: atqui dum mœchatur, Vir ejus vivit; ergo est ei alligata; adeoque vinculum perseverat, ut egregie adnotavit Augustinus *lib. 2. de Adulterinis Conjugiis cap. 4.* -- Verba „ Apostoli toties repetita, toties inculcata, „ vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana „ sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor „ esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse „ autem desinet uxor prioris, si moriatur vir „ ejus, non si fornicetur. Licite itaque di„ mittitur Conjux ob causam fornicationis, „ sed manet vinculum prioris, propter quod „ fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, „ etiam ob causam fornicationis -- Perpendant velim Novatores Pauli verba non solùm vera esse, sed plana; adeoque æquivocationi non subsunt, nec interpretationi.

69 PROB. V. 1. ad Corinth. 7. v. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem suam non dimittat* &c. Ex quibus sic. Præcepto Domini per Apostolum enunciato Mulier dimittens, causâ fornicationis, Virum, debet vel ad ipsum redire, vel innupta manere; sed si propter adulterii crimen solveretur conjugale vinculum, nequaquam cogeretur abstinere a nuptiis; ergo.

70 Sunt tamen, qui Apostoli auctoritatem detorqueant, ita ut sit sensus: Præcipio, Uxorem a Viro non discedere, nisi ex fornicationis crimine; quod si alia de causa discedat, innupta permaneat.

Ceterum inquirimus; cum Mulier fornicationis causâ discedit, quia adultera fuit a Viro dimissa, tenetur ne innupta permanere, vel non? Si tenetur innupta permanere; habemus intentum. Si non tenetur, sed potest alteri nubere; ergo potior est conditio fornicariæ, quàm castæ: casta namque Mulier injuste dimissa nubere nequit, & mœcha juste ejecta novum inire poterit Connubium. Hoc sane absurdum est. Nunquid divina Lex, ob crimen sanctitati Conjugii intrinsece, & directe contrarium, ream, si alteri nupserit, ab adulterii notâ absolvet, & innocentem sancte Matrimonii jura servantem damnabit ut adulteram, si alio Viro per Matrimonium copuletur?

Falsa reprobatur intelligentia textus Apostoli.

Quærimus itidem; an fas sit, Virum probum adulteræ, & probam Mulierem improbo Viro reconciliari, vel non? Si primum necesse est per adulterium conjugale vinculum non frangi, proindeque Mulier manere debet innupta. Secundum catholicæ aures abhorrent, cum ^ ipse Dominus totius castitatis, & puritatis fons, & origo, animæ, quæ cum amatoribus suis adulterata est, ad eum redeunti reconciliari non dedignetur.

71 RESPONDET Erasmus: in causa divortii aliam esse conditionem Viri ab illa Mulieris. Si enim Vir propter thori violationem Uxorem dimiserit, annuente Christo, potest nubere; secus Mulier, urgente Pauli præcepto Dei legem interpretante. Profert hac super re subsidiariam Ambrosii auctoritatem *in commentariis* ad illum locum: *Et vir uxorem suam non dimittat*, ubi notat non subdidisse: & si dimiserit, maneat innuptus -- Quia viro licet ducere uxorem, „ si dimiserit uxorem peccantem, quia non „ ita lege constringitur, sicut mulier: caput „ enim mulieris est vir --

Quis hæc Sententia male auditur a Catholicis, Gratianus 32. *quæst.* 7., & Magister Sententiarum 4. *Sent. dist.* 35., cui subscribit S. Thomas *in cap. 7. prioris ad Corinth.*, volunt a Falsariis assutam Commentariis Ambrosii prædictam Sententiam. Responsio tamen hujusmodi Erasmo non arridet; ideoque reponit -- Sed ajunt quidam ab Hæreticis „ hoc assutum fuisse in libris Ambrosii. Qui„ nam Hæretici? An fortè quæstio hæc ven„ tilata est inter Hæreticos unquam? Equi„ dem ego non legi. Denique sicut hoc fa„ cilè dicitur, & non probatur, ita facilè, „ ac vere contemni potest --

Verùm perperàm talia reponit Erasmus. Non enim Gratianus crimen illud Hæreticis, sed Falsariis tribuit. Aliàs sub Augustini temporibus hac super re fuerunt disceptationes;

Erasmus refellitur.

nes; & Pollentius, ad quem Sanctus Doctor libros de Adulterinis Conjugiis dedit, pleraque objecit, quæ Novatores impræsentiarum referunt. Nec abs re erit adnotare, Auctorem illius Commentarii errorem plane Ambrosio injurium *ibidem* subnectere, videlicet, posse Virum alteri nubere, si ipse fœdifragus sit, quia est caput, secus fœminam, quia est inferior; quem egregie refellit Augustinus *laudato loco lib. 2. cap.* 8. Demum Erasmo nullimode favet Ambrosius; cum Commentaria in omnes Pauli Epistolas ab Eruditis Ambrosio non adscribantur.

Nec momenti est, Virum supereminere Mulieri. Etenim ut ait Primasius *in Comment.* ad eum Pauli textum — Agnoscant „ viri non sibi licere aliam præter uxorem „ cognoscere; quia æquali sorte sibi invicem „ sunt subditi, & debitores — S. Anselmus *ibid.* — Subintelligendum est idem de viro, „ quod de uxore præmissum est, ut si vir „ uxorem dimiserit ob fornicationem ejus „ maneat inconjunctus, aut si se non potest „ continere, reconcilietur uxori suæ — Demum Augustinus *lib.* 2. sæpe laudato *de Adulterinis Conjugiis cap.* 8. evertit momentum in præcellentia Viri super Mulierem fundatum — Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias frænare viriliter, quia „ viri sunt; quasi non propterea magis de- „ beant mulieribus suis ad virtutis hujus „ exemplum se præbere, quia viri sunt; „ quasi non propterea minus debeant a libi- „ dine superari, quia viri sunt; quasi non „ propterea minus debeant lascivienti carni „ servire, quia viri sunt? Et tamen indi- „ gnantur, si audiant, adulteros viros pen- „ dere similes adulteris fœminis pœnas, „ cum tanto gravius eos puniri oportuerit, „ quantò magis ad eos pertinet, & virtute „ vincere, & exemplo regere fœminas. „ Christianis equidem loquor, qui fideliter „ audiunt, Caput mulieris vir: ubi se agno- „ scunt duces, illas autem comites esse de- „ bere. Et ideo cavendum est viro, illac „ ire vivendo, quà timet, ne uxor sequatur „ imitando. Sed isti, quibus displicet, ut „ inter virum & uxorem par pudicitiæ for- „ ma servetur, & potius eligunt, maxime- „ que in hac causa, Mundi legibus subditi „ esse, quàm Christi —

PROBATUR EX NATURA IPSIUS SACRAMENTI MATRIMONII.

Naturæ Sacramenti Matrimonii exposcit indissolubilitatē.

72 PROB. secundò ex natura ipsius Sacramenti Matrimonii. Conjugium Catholicorum consummatum, ex Can. *Debitum. De bigamis*, ex Can. *Cum Societas* 27. quæst. 2., & alibi sæpe, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia ut Sponsa, mediæ charitate super unionem hypostaticam radicatæ: atqui Christi conjunctio cum Ecclesia Sponsa, est perpetua, atque plene indissolubilis: ut indubium est; ergo Conjugium consummatum est inter Catholicos prorsus indissolubile. Hanc consequentiam statuunt Canones, Eugenius IV. *In instructione Armenorum*, aliaque Ecclesiastica monumenta; & meritò quidem. Etenim primaria significatio primario respondere debet significato; & hoc si indissolubilitatem dicit, eandem importare debet & illa. Hinc S. Isidorus *lib* 2. *de Ecclesiasticis Officiis cap.* 19. — Sacramentum idem inter Conjugatos „ dictum est; quia sicut non potest Ecclesia „ dividi a Christo, ita nec Uxor a Viro — Rem egregie versat Chrysostomus *Hom.* 12. *in cap. ultimum ad Colossenses*, & Augustinus *De Bono conjugali cap.* 7. 15. 18., & 24.; ex quibus Catechismus Romanus *De Sacramento Matrimonii* Conjugii excellentiam exponens alia inter habet — Cum enim Chri- „ stus Dominus vellet arctissimæ illius neces- „ situdinis, quæ ei cum Ecclesia intercedit, „ suæque erga nos immensæ charitatis cer- „ tum aliquod signum dare tanti mysterii, „ dignitatem hac potissimùm maris, & fœ- „ minæ sancta conjunctione declaravit ... „ Atque idcirco fit, ut frequenter Sacræ „ Litteræ nuptiarum similitudine divinam „ hanc Christi, & Ecclesiæ copulationem „ nobis ante oculos proponant —

Notandum tamen. Id, quod in Conjugio illam significat unionem, non est contrahentium actus; cito enim transeunt actus isti, & sunt tantummodo Sacramentum. Neque etiam illud est Gratia sanctificans, quæ res est Sacramenti significata, & contenta; quia sæpenumero absque Gratia Conjugii Sacramentum celebratur. Id igitur significans unionem Christi cum Ecclesia ut Sponsa, est vinculum, quod res & Sacramentum est. Res est, quia ex mutuo consensu constitutivo Sacramenti resultat. Sacramentum est; quia immediate ad productionem Gratiæ disponit; sicut facit character in Baptismo, ut explicat S. Thomas *in suppl. quæst.* 42. *art.* 3. *ad* 1. Gratia autem confertur in remedium concupiscentiæ, ad rectam prolis educationem, & ad reliqua domesticæ societatis opera; quapropter si primarium significatum fuerit prorsus indispensabile, oportet & vinculum illud esse simpliciter indissolubile.

73 Ambrosius Catharinus *lib.* 5. *Annotat. in Commentaria Cajetani*. propugnans indissolubilitatem Matrimonii esse de jure Ecclesiastico, quamquam se Romanæ Ecclesiæ judicio, sicut Erasmus, Sententiam suam subdiderit, pluribus argutiis præjactum fundamentum convellere conatur.

OBJICIT ergo I. Conjugium morte vel unius, vel utriusque Conjugis, dissolvitur: sed Christi unio cum Ecclesia nusquam disrumpitur; ergo ea laudata significatione non satis evincitur omnimoda indissolubilitas. Quod si dicatur, hoc fore per accidens, pariter dici valet per accidens solvi Conjugium fornicationis causâ.

Cur dissolvatur Conjugium causâ mortis.

RESP. Per mortem dissolvitur Conjugium, quia deficiunt extrema, quæ vinculo colligantur; & quidem per se dissolvitur, cum detur lex *ad Rom.* 7., & aliàs per se exigitur coexistentia extremorum, ut detur conjunctio; nec aliud intendunt Canones, nisi definire, esse insolubile Conjugium usque ad mortem. Unio Christi cum Ecclesia militante ad consummationem usque Seculi perseverat,

severat; qua adventante, desponsatio Christi cum militante Ecclesia definet: cedet enim Principatum Deo Patri 1. *ad Corinth.* 15.; & cessabit vinculum: quia extremorum coexistentia deficiet. Ubi verò conjugalis fides violatur, extrema coexistunt; adeoque vinculum permanere fas est.

74 OBJICIT II. Significatio laudata violatur, quoties superstes ob alterius mortem transit ad secundas Nuptias: sed eo non obstante unio Christi cum Ecclesiâ integra perseverat; ergo stante Christi cum Ecclesia indissolubili unione, solvi poterit Conjugium.

RESP. Significatio perpetuitatis per mortem non dissolvitur: quia significatio solummodo perpetuitatem complectitur coexistentiam extremorum; sed completur: quatenus verificatur, tandiu perdurare Conjugii vinculum, quandiu Christi unio cum Ecclesia perdurabit, hoc est, toto tempore, quo Christus, militansque Ecclesia coexistunt. In secundis nuptiis adhuc subsistit perpetuitatis significatio; quia & in illis vinculum perseverat usque ad mortem. Deficit quidem aliqua significationis perfectio; Conjugium quippe non est ita unius ad unum, ut utrumque extremum esse debeat præcise ad unum; hic porro defectus Ecclesiastica Sanctione Bigamiam constituit.

In secundis nuptiis significatio perpetuitatis.

75 OBJICIT III. Christi cum Ecclesia conjunctio nusquam disiungitur: sed inter Conjuges contingit quandoque separatio domesticæ societatis, subsistente significatione ab Apostolo enunciata; ergo dari itidem poterit vinculi dissolutio absque sacramentalis significationis injuria, vel si non est possibilis solutio vinculi, ne violetur significatio, ob idem motivum non erit approbanda separatio per divortium.

RESP. Significatio sub divortio integra perseverat, sicut & analogia recte intellecta. Quamvis Christus nusquam ex toto ab Ecclesia separetur; sejungitur tamen aliqualiter, & in aliquo genere actualis unionis, ut docent Patres, puta, cum permittit, Ecclesiam persecutionibus vexari, dividi a Schismaticis, hæreticalibus concuti insidiis; ideo navi existenti in mari, ventis undique furentibus, valide agitatæ comparatur. Quandoque donorum affluentiâ eam refertam habes, vel in conversione alicujus Regni, vel in Sanctorum multitudine; quæ dona quandoque subtrahit quasi ab actu fœcundante alienus; immo non rarò permittit, quosdam per apostasiam separari. Sic non opus est, Conjuges nusquam a thoro, nec a sociali domestica cohabitatione sejungi; sed sat est quod in divortio unus odio aliam non habeat; quæ obligatio quovis tempore urget, cum in præcepto negativo fundetur. itaque sufficit, unum aliam diligere, & ab hac obligatione nequaquam absolvit divortium, ut significatio non solùm habitualis unionis, seu vinculi, quod potissimùm intenditur, sed etiam actualis saltem quoad substantiam, licèt non quantum ad omnimodam perfectionem, quæ in nulla analogia exigitur, servetur.

Christus quo pacto semper Ecclesiæ conjunctus.

76 OBJICIT IV. Contingere potest, quod tempore biennalis, inconsummato Matrimonio, alter e Conjugibus conjugalem fidem violet: atqui tunc non adest significatio unionis Christi cum Ecclesia; ergo eo in casu adulterium solvet Conjugium.

RESP. Neque in hoc casu dissolvitur Matrimonium. Siquidem in hoc Conjugio rato duplex alia firmitas adinvenitur, ex lege nempe naturæ, & ex significatione a ratione Sacramenti exorta, quæ significatio licèt minorem dicat firmitatem ab ea, quæ per consummationem habetur, nihilotamen minus talis est, ut nequeat per adulterium dissolvi Matrimonium ratum. Quare aliud est, significationem in Conjugio consummato insolubile vinculum prorsus efficere; aliud, sine ea non subesse momentum firmans vinculum adversùs adulterium; primum verum est, secus secundùm.

Firmitas in Matrimonio rato.

77 OBJICIT V. Conjugium ex natura sua, ex verbo Dei, & ex ipso usu, firmitatem dicit: adeoque non ideo indissolubile est, quia significat, sed potius significat, quia indissolubile; sed Conjux fœdifraga violat Verbum Dei, Conjugiique naturam; ergo haud mirum, si destruatur significatio, & quod integrum permaneat significatum.

RESP. Triplici ex fonte Conjugii firmitas habetur: primò a natura: secundò ex Dei verbo: tertiò a Sacramento; hæcque aliis præest, atque plane vinculum efficit indissolubile, si per consummationem perficiatur. Hanc itaque ipsum Sacramentum facit significando, atque faciendo significat; propterea non ideo significat, quia insolubile est. Conjux infidelis in suo usu naturam Conjugii violat, secus in suo esse constitutivo, seu vinculo; eodemque modo Dei verbum violat, quo pacto, qui rem surripit alienam, verbum Dei præceptivum violat, non quidem legis obligationem auferendo, sed in suo actu, non faciendo quod præcipit. Vellet quidem peccans verbum Dei, & Matrimonium solvere, sed casso, irritoque conatu; Lex namque divina perpetuò urget. Hinc fit, significationem nequaquam destrui posse, quia significatum non perit.

Firmitas Conjugii ex triplici capite.

78 OBJICIT VI. Sicut significatur per Conjugium indissolubilis unio Christi ad Ecclesiam, ita per Sacrum regenerationis lavacrum signatur Christi sepultura, & resurrectio Redemptoris, cui, devicta morte, mors ultra non dominabitur: sed hujusmodi obliteratur significatio in eo, qui post susceptum Baptismum peccat: etenim in Baptismo homo moriens peccato Christo consepelitur, atque cum eodem non amplius moriturus resurgit, & tamen iste, peccando, iterum moritur; ergo similiter per adulterium, Conjugii significatio destruitur.

RESP. Nusquam obliteratur in Baptizato significatio primariò inspecta. Quocunque vadat Peccator, semper characterem Domini portat, in quo velut in jure, atque obligatione perseverat debitum resurrectionis hominis non amplius morituri. Unde peccando, violat significationem, idest non adimplet quod promisit, atque in Baptismo professus est; sed non solvitur obligatio adimplendi, quod promisit, in quo præcipua significatio habetur. Ita in Conjugio sol-

Fracta conjugali fide restat vinculū.

solvitur per crimen actualis fides vinculo debita, non verò vinculum.

79 OBJICIT VII. Homo per peccatum adhærens Diabolo Dominum a debito, & vinculo spiritualis Conjugii absolvit, ita ut eum possit Christus in perpetuum dimittere, & alium sibi in Sponsum assumere, quamvis peccatrix anima alium nequeat quærere amatorem; ergo stante adulterii crimine ea parte unius, innocens alium poterit in perpetuum dimittere, & alteri se tradere; non enim ipse violat, sed læsam invenit significationem.

RESP. Conjugii consummati significatio non respicit Christi conjunctionem cum hac particulari anima: illa enim solubilis est, sed unionem dicit cum Ecclesia tota; proindeque indissolubilis meritò censetur; quoniam tota Ecclesia nec peccat, nec peccare potest. Unde nil mirum, si conjugale vinculum etiam quoad partem non abrumpatur. Nec incongruum est addere, in eo casu non tolli ex parte Dei omne vinculum, saltem conditionale, quatenus vi suæ promissionis animam nequit respuere, quoties ad ipsum per sinceram cordis conversionem redire velit.

Conjunctio Christi est cu tota Ecclesia.

80 OBJICIT VIII. Non minus Christus sibi desponsatam habuit Synagogam, quàm Ecclesiam: sed Christus Synagogam, quia Diabolo adhæsit, dereliquit, seque Gentibus tradidit; ergo per violationem Conjugii abunde tollitur significatio, ut possit innocens alteri nubere.

RESP. Falsa est prima propositio. Siquidem Ecclesiæ, prævia hypostatica unione, unitus est Christus; secus Synagogæ. Ecclesia substantialiter una est ab initio Mundi usque ad finem Seculi; huic Christus indissolubiliter conjunctus est. Synagoga determinatum Ecclesiæ statum importat, & sub hac consideratione a Domino derelicta fuit; verùm sic spectata non significabatur a Conjugio: cum enim sit Sacramentum nisi a constituta Ecclesia sub statu legis gratiæ, non habet unionem Christi cum Ecclesia referre, nisi sub eodem statu gratiæ.

Christus insolubiliter conjunctus Ecclesiæ.

PROBATUR CONCILIORUM AUCTORITATE, ET PATRUM TRADITIONE.

81 PROB. tertiò Conciliorum auctoritate. Concilium Milevitanum sub anno 416. celebratum Can. 17. habet -- Placuit ut secundùm Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, ut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur -- Immo hac super re Imperialem legem subdit, ut Refractarii pœnarum metu coercerentur.

Conciliorum auctoritas.

Anglicana Synodus Can. 10. sub Theodoro Episcopo congregata -- Si quisquam propriam expulerit Conjugem legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur Conjugi --

Nannetense Concilium *Can.* 12. -- Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem ... Vir verò ejus illa vivente nullatenus accipiat aliam uxorem -- Eugenius *in Decreto Armenorum* sic hoc instruit -- Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit --

Demum Tridentinum *Sess.* 24. *Can.* 7. habet -- Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius Conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero Conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit -- Ex laudato Canone in aperto est, Tridentinos Patres sensisse juxta Evangelium, & Apostolum, non posse dissolvi Matrimonium adulterii causâ, & quod Ecclesia quòvis tempore hanc adoptavit Sententiam. Ceterum taliter hoc Decretum concinnatum est, ut anathema immediate impeteret docentes, Ecclesiam errare, dum adstruit, e re Evangelica, & Apostolica esse indissolubilitatem Matrimonii, supposito etiam adulterii crimine, non tamen docentes, Conjugium hujusmodi esse ob adulterium solubile. Et hoc, instantibus Venetis Oratoribus, ne offensionis causa foret Reipublicæ Insulis, ubi Græci eidem subditi commorantur, qui aliàs in eo casu Conjugia dissolvunt, eum tamen, etsi Græcano ritu vivant, Præsulibus Romanis obtemperent.

82 PROB. quartò ex perpetua Patrum traditione. Et omisso primo rei Christianæ Seculo, ubi Christi, & Apostoli doctrinam retulimus, Seculo II. Athenagoras *In Apologia pro Christianis* -- Qui uxorem suam dimiserit, & duxerit alteram, adulteratur, inquit Dominus Noster -- Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Strom. cap.* 12. affirmat, quod -- Scriptura legem aperte constituit: Non dimittes uxorem præter fornicationem. Adulterium enim existimat conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis --

Patrum sensa.

Seculo III. Origenes *Tract.* 7. *in Matth.* docet, contra Scripturam agere nonnullos Præsules, qui alteri nubere concedebant, priori vivente uxore, subdens -- Qua enim ratione adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur, viro vivente, eadem ratione & vir, quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime secundùm sententiam Christi, sed magis mœchatur, quasi alienam accipiens -- Tertullianus eidem fert suppetias *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 34., & de Monogamia *cap.* 9., & 11.

Seculo IV. Chrysostomus rem plane describit *Hom.* 17. *in Matth.* -- Ille enim etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit

„ tuit criminis reum, quod adulteram facit „ ex conjuge; hic verò accipiendo alienam, „ adulter effectus est. Nequaquam enim „ mihi referas, quia illam alter ejecit. Nam „ expulsa quoque uxor ejus, qui eam expu- „ lit, perseverat -- S. Hieronymus *Epist.* 30. *in Epitaphio Fabiolæ* ex Scripturis evincit, adulterum fore Conjugem, qui, criminoso dimisso, alteri nubit, docens alias esse leges Cæsarum, & alias Christi, alias Pauli, & alias Papiniani, & excusatâ Fabiolâ ob ignorantiam legis Christi, publicam refert tantæ Matronæ pœnitentiam, quam, spectante Roma, egit propter patratum crimen, nubendo scilicet secundo Viro, dimisso priori conjugalis fidei fractore. Et *Epist.* 147. ad Amandum sciscitantem, utrum fas sit Mulieri, quæ Virum dimisit adulterum, & alteri nupsit, vivente priori, Ecclesiæ communicare: exsufflatis excusationibus, quibus homines propriis vitiis favent, habet -- „ Responde itaque Sorori, quæ a nobis sub „ suo statu quærit non nostram, sed Apostoli „ Sententiam: *An ignoratis, fratres* &c. Om- „ nes igitur causationes Apostolus amputans, „ apertissime definivit, vivente Viro, adul- „ teram esse Mulierem, si alteri nupserit -- Et prosequitur id ipsum pluribus declarare, & subintellectas excusationes refellere. S. Augustinus totus est hac super re, sive *de bono conjugali cap.* 7., *cap.* 15., *&* 18., sive *de Adulterinis Conjugiis lib.* 1. *cap.* 9. 11., & *lib.* 2. *cap.* 5., & alibi, ita ut Catherinus haud valens Patrum momenta refellere, dicebat, doctrinam hanc vires ab Augustino, & in Augustino vires sumpsisse. Verùm etsi in solo Augustino radices egisset, non propterea veritas foret obnubilata. Ceterum perperàm hoc affirmavit citatus Auctor; cum in Evangelio, Apostolicisque litteris fundamentum habere in aperto sit, quas Patres, qui Augustino præluserunt, egregie expenderunt. Vires utique addidit Augustinus, utpote qui solide arbitrarias Scripturarum interpretationes confutavit.

Seculo V. occurrit Innocentius I. *Epist.* 3. *ad Exuperium cap.* 6. -- De his etiam requi- „ sivit dilectio tua, qui, interveniente re- „ pudio, alii se Matrimonio copulaverunt, „ quos in utraque parte adulteros esse mani- „ festum est -- Primasius rem clariùs elucidat *In cap.* 7. *prioris ad Corinth.* -- Si quis „ dimiserit uxorem, exceptâ causâ fornica- „ tionis, facit eam mœchari, quod si discces- „ serit, manere innuptam. Non ita disce- „ dere, ut alii nubat, si ob aliquam causam „ discesserit, alii non nubat --

Seculo VI. dedimus superiùs *num.* 81. Patres in Anglicana Synodo congregata. His concinit S. Isidorus Hispalensis *De Ecclesiasticis Officiis cap.* 17.

Seculo VII. Beda *In cap.* 10. *Marci* loquens de dimissione uxoris ob fornicationem, habet -- Una ergo solummodo causa carna- „ lis, fornicatio, una spiritualis, timor Dei, „ ut Uxor dimittatur, sicut multi religionis „ causâ fecisse leguntur. Nulla autem causa „ est Dei lege præscripta, ut vivente ea, „ quæ relicta est, alia ducatur -- Verùm ne longiùs quàm par est, protrahatur Controversia, dicimus, reliquos Patres ejusdem labii esse.

ADVERSANTIUM MOMENTA EVERTUNTUR.

83 OBJIC. I. Ubi verba Domini plana sunt, haud possunt arbitraria interpretatione explicari; porro Christus dilucidis verbis docuit, fornicationis causâ, conjugale vinculum dissolvi Matth. 19., ubi quæstioni a Pharisæis excitatæ respondit: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ergo ex adverso, qui, fornicationis causâ, uxorem dimiserit, & aliam duxerit, nequaquam mœchus censendus erit. Christi responsio vim duplicis propositionis involvit; nempe, qui Uxorem suam dimiserit absque causa fornicationis, aliamque duxerit, mœchatur; qui verò ipsam dimiserit fornicariam, & aliam duxerit, adulterii reus non est. Huic argumento potissimùm se credunt Græci unà cum Novatoribus.

RESP. Diversæ Doctorum interpretationes textum obscuriorem reddiderunt; Patres tamen Scripturas sincere meditantes nullimode Sectariorum illationem adoptarunt. Itaque declarat Christus, committi adulterium per dimissionem a thoro, nisi in casu violatæ fidei, & quando alia ducitur, vivente priore; igitur exceptiva particula *nisi* solummodo ad primam partem, secus ad secundam refertur. Christi locutio complexa est, brevibus plura continens, ideoque digna Deo: complectitur doctrinam tum simplicis divortii, tum indissolubilitatis vinculi conjugalis; quod profunde insimul, & clarissime explicat S. Augustinus *libro contra Adimantum cap.* 3. Duplicem igitur Christi responsio propositionem continet, utramque tamen sub uno principali verbo. Unde verbum *mœchatur* supra primam partem textus cadit sub exceptiva particula *nisi*: iterumque supra secundam partem absolute; & in utroque casu affirmat, adesse peccatum; atque in idem redit, ac si diceret: mœchatur, idest, ut explicat Augustinus *ibidem*, facit eam mœchari, quia illam exponit periculo adulterandi, cum injuste se dimissam agnoscat, nisi sit casus fornicationis, mœchatur itidem qui aliam ducit. Res clarescat exemplo. Si diceretur: quicunque non jejunat absque dispensatione, & inebriatur, peccat. In hujuscemodi propositione verbum *peccat*, utramque afficit propositionis partem, & particula *&* non facit sensum copulativum, sed distributivum, atque sensum reddit: peccat tum quia jejunium violat, nisi sit dispensatus, tum quia se inebriat. Unde sicut ex hac propositione: quicunque non jejunat absque dispensatione, & inebriatur, peccat, perperàm contraria efformaretur, nempe: ergo non peccat, qui violat jejunium cum dispensatione, & qui se inebriat, subintelligendo cum dispensatione; ita etiam falsò inferunt Sectarii: ergo non mœchatur, qui dimittit Uxorem, causâ fornicationis, & qui aliam ducit, subintelligendo causâ fornicationis.

Matthei textus delucidatur.

Teste Augustino *quæst.* 69 ex 83. -- So- „ let circumstantia Scripturæ illuminare sen- „ ten-

Unde Scri-ptura veritas dignoscenda.

„ tentiam, cum ea, quæ circa Scripturam „ sunt, præsentem quæstionem contingentia „ diligenti discussione tractantur — Ex præcedentibus itaque, & consequentibus placet veritatem enucleare. Ex præcedentibus. Matth. 5., ubi præmissa doctrina æternæ salutis: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum*, totus est Christus in reformandis erroribus, quibus legis Doctores viziati Judaicam Gentem corrumpebant. Alios inter errores, nonnulli ad Conjugium spectabant, quos laudatâ superiùs doctrinâ evertit. Ex hoc porro occasionem captarunt Pharisæi Christum tentandi Matth. 19. duplicem proponendo quæstionem de libello Repudii juxta duplicem erroneam Pharisæorum consuetudinem, dimittendi scilicet Uxores quacunque ex causa, solvendique conjugale vinculum aliis nubendo. Christus utrumque primævæ institutionis repugnare ostendit, potissimùm vinculi insolubilitatem urgendo, tum illis verbis: *Erunt duo in carne una*, idest, velut unus homo ex anima, & corpore, conflatus, qui non nisi per mortem dissolvitur, tum aliis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Reponentibus Pharisæis Mosaycam permissionem, utrique quæstioni dilucide respondet: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*: hoc est, nequaquam fas est dimittere ex quacunque causa, sed solummodo ob violatum Conjugium, *& aliam duxerit, mœchatur*: hoc est, maritale vinculum perseverat; & sic brevibus iniquorum ora obturavit.

Ex consequentibus res palam fit. Subdit namque ibidem Christus: *Et qui dimissam duxerit, mœchatur*. Adversarii his subintelligunt *nisi ob fornicationem*; sed perperàm. Plus enim deferretur impudicitiæ, quàm castitati. Quoniam verò Discipuli tem totam plane intellexere, dixerunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*: idest, durum nimis est, quod nusquam dissolvi possit maritale vinculum, ita ut vir cogatur vel cum muliere fœdifraga cohabitare, vel eâ dimisâ, innuptus permanere. Non inde tamen Christus mutavit Sententiam, aut aliquam indulsit dispensationem; sed Eunuchorum exemplum proposuit, qui etiam inviti coguntur se continere; ut intelligerent nullimode permissum transitum ad alias nuptias, priore vivente uxore.

Ex aliis itidem Scripturæ locis evincitur Matrimonii indissolubilitas. Marci 10. v. 11., & seq. Discipuli, quibus doctrina de Conjugii indissolubilitate non arridebat, iterum domi hac super re sermonem cum Christo instituerunt; at Christus vinculi indissolubilitatem iterum confirmavit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*. Christus impræsentiarum, ut omnem pravæ intelligentiæ sensum everteret, speciatim, clariusque, Discipulos instruit, juxta illud Marc. 4. v. 11. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt*. Christus
igitur hic nullam de fornicatione mentio-
A nem facit quantùm ad separationem a thoro,
ne exinde ad dissolutionem vinculi, excogita-
tis cavillis, extenderetur propositio. Sub ea-
dem universalitate loquitur Salvator Luc. 16.
*Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram
ducit, mœchatur*. Itaque subobscurus Matthæi
textus ita ab aliis Evangelistis dilucidatus est,
ut nulla supersit pro re Catholica dubitatio.
Restat igitur dicendum, illum, qui dimissam
ob fornicationem Uxorem ducit, mœchari;
quia conjugale vinculum quovis tempore per-
severat; aliàs quomodo mœchus censendus
erit, si solutus est. Audiatur Augustinus *lib.
1. de Adulterinis Conjugiis cap. 7.* — Quomo-
B „ do mœchatur? nisi quia illa, quam duxit,
„ eo vivente, a quo dimissa est, adhuc uxor
„ aliena est —

84 DICES I. Multæ sunt causæ præ-
ter fornicationem, ob quas Uxorem a thoro
dimittere licet: vel ergo Christus, unam tan-
tummodo assignando, diminute processit, vel
causam fornicationis referens intendit expli-
care per hanc dissolvi Matrimonium non so-
lùm quoad cohabitationem, verùm etiam
quoad vinculum.

Nisi per fornicationē perpetuò Uxor dimittitur.

RESP. neg. conseq. Etenim quamvis
multæ sint causæ, ob quas Uxorem dimittere
fas est a thoro, nulla tamen præter fornica-
C tionem assignari valet, ob quam perpetua
liceat sejunctio. Addas velim alias causas di-
mittendi Uxorem, puta rixas, sævitiem, &
hujusmodi, non fore ita proprias Matrimo-
nii, quin etiam dari possint respectu alio-
rum, qui absque mutuo Matrimonii vinculo
vivunt; Adulterium autem violat conjuga-
lem fidem, quæ est velut fundamentum Co-
njugii.

85 DICES II. Christus laudatâ aucto-
ritate *Quicunque dimiserit* &c. ad Pharisæo-
rum inquisitionem respondit: sed hi interro-
gaverunt de libello repudii prout conjugalis
vinculi dissolutionem importat: sic enim ipsi
D Moysem intelligebant: sic consuetudine fir-
matum erat; ergo si Christus de illa dimis-
sione loquitur, de qua fuerat interrogatus,
atque asserit dimitti posse ob fornicationem,
jam plane fit, quod ad dimissionem hujus-
modi maritalis vinculi solutio consequatur.

RESP. Christus in prima parte propo-
sitionis dilucide reponit, repudium quoad
thorum non licere, nisi fornicationis causâ;
in secunda ejusdem parte declarat, repudium
quoad vinculum nusquam fas esse. Etenim
cum Hebræi perperàm interpretantes Moy-
sem crederent, vinculum esse solutum, &
hoc ipso quod dimissa erat Uxor, sive alteri

Judæi perperàm Moysem interpretabantur.

E nuberet, sive non, Vir sui juris erat sive ad
nubendum, sive non, frustra omnino Chri-
stus addidisset, *Et aliam duxerit mœchatur,
& qui dimissam duxerit, mœchatur*. Intelle-
cta siquidem dimissione in causa criminis,
intelligebatur solutum vinculum. Si igitur
talia addidit, in aperto est, aliud docere
mysterium; non aliud sane, nisi conjugalis
vinculi indissolubilitatem.

Aliam habes solutionem ex D. Augusti-
no *lib. 1. de Adulterinis Conjugiis cap. 9.*, quam
optime versat Bellarminus *De Matrim. lib. 1.
cap. 27.*

86 OB-

86 OBJIC. II. Qui neminem cogit cœlibem esse, aliàs fornicationis causâ divortium permittit, utique concedit posse alteri nubere: sed Christus, ut compertum est, neminem cogit esse cœlibem, atque in casu fornicarii criminis divortium non reprobat; ergo facto divortio, altera superinduci potest.

Christus non cogit absolute ad cœlibatũ, sed ex quadam suppositione.

RESP. Christus revera non cogit absolute ad cœlibatum, benè verò facta suppositione, qua quis stare debet promissis. Unde qui castitatem vovit, eam observare tenetur. Eccles. 5. vers. 3. *Quodcunque voveris, redde.* Similiter, qui nubendo, conjugalem promisit continentiam, si consortem dimittit, cogitur ad cœlibatum.

87 OBJIC. III. Quandiu durat causa legis concedentis in repudio transire ad secunda vota, tandiu durat ipsa lex: sed ubi alter Conjugum non vult pacifice cohabitare, durat ipsa causa legis, nempe duritia cordis; ergo durat ipsa lex. Christus namque de his nihil immutavit, quæ Pater fecit; ipse autem, stante cordis duritia, permisit libellum repudii; & aliàs Nuptiæ sunt necessariæ, cum dixerit Deus Gen. 2. *Non est bonum, hominem esse solum*, & 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque suam uxorem habeat*. Argumentum est Buceri *In cap. 19. Matth.*

RESP. Errat Bucerus a communiori recedens Sententia, quæ propugnat, illicitum esse libellum repudii, neque ex eo haberi conjugalis vinculi dissolutionem; qua de re plura *in praecd. Controv. II.*

Non eadem est ratio in lege Gratiæ, ac in veteri.

Ceterum, adoptata contraria opinione, nil evincit. Etenim in aperto est, Christum in lege Gratiæ quid majus exposcere, quàm in veteri; & ideo dicebat Matth. 5. vers. 21., & seq. *Dictum est antiquis . . . . ego autem dico vobis*. Igitur ad perfectionem primævæ institutionis revocavit Conjugium, ut legitur Matth. 19., & alibi. Satis amplum intercedit discrimen novam inter, legemque veterem. In nova major Gratia abundat, atque cor lapideum evadit carneum *Hierem.* 31., & *Ezech.* 36., Conjugium ad Sacramenti dignitatem elevatum est, dona quamplurima collata sunt ad Matrimonii onera toleranda, perpetua continentia quammaxime commendatur; quæ omnia in veteri Testamento desiderabantur. Christus, qui non venit solvere legem, sed adimplere, nihil horum, quæ Pater fecit, reprobavit; nihilotamen minus propria constituens perfectæ legis, ea immutavit, quæ ad statum pædagogiæ spectabant.

Textus Genesis universam hominum communitatem respicit; pro hac porro Nuptiæ necessariæ sunt, non verò pro singulis, quibus dicebat Paulus: *Beatior tamen erit, si sic permanserit*. Equidem Conjugatis præcipit, ut unusquisque suam habeat uxorem; quia alienum thorum invadere non eis licet.

88 OBJIC. IV. Alienum est, immo suavi Christi jugo adversum, ut quis innocens ad servandam continentiam cogatur, ubi potissimùm concupiscentia exstimulat: sed hoc contingit, quoties v. g. fœdifraga Conjux dimittitur, perseverante Connubii ligamine; ergo. Catharinus insimul & Erasmus verbose argumentum prosequuntur, & Kemnitius addit, divortium a Christo permissum in casu criminis, prout a nobis explicatur, esse in laqueum conscientiæ, in ustiones, in iram, in judicium Dei.

RESP. Pollentius eadem Augustino objecit, paucorum inquiens fore continenter vivere; unde eum, qui dimittit adulteram adeo periclitari, ut non humanam, sed feralem dicat Christi legem. Verùm inanis querela, futilis argumentatio. Homines conjugalium onerum conscii nonne ultro nuptias eligunt? Si innocens dono caret continentiæ, cur ream dimittit? non est qui cogat. Dimissam cur ad reconciliationem non invitat? *Nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* dicebat Christus loquens in parabolis Matth. 18. vers. 33. Si ipse parcit Conjugibus, cur alter alteri non parcit? Referens Augustinus *lib. 2. de Adulterinis Conjugiis cap.* 7. absolutionem Adulteræ *Joan.* 8. relatæ, subdit — In adulteras „ adulteri sæviunt, quibus si diceretur, non „ quod illi audierunt, qui sine peccato est: „ quis enim sine peccato? sed qui sine isto „ peccato est, prior in illam lapidem mittat, tunc forsitan cogitarent, qui indi„ gnantur, quod adulteram non occiderit, „ quantâ illis misericordiâ parceretur, ut „ adulteri viverent —

Inanes incontinentium querelæ rejiciuntur.

Quod si æquum non est reconciliari adulteræ, adhuc inaniter inclamatur — O „ Frater, *inquit Augustinus ubi supra cap.* 10. „ quantùm ad incontinentes pertinet, mul„ tas querelas habere possunt, quibus, ut „ dicis, legem Christi feralem pronuncient, „ non humanam. Et tamen non propter il„ los Evangelium Christi pervertere, vel „ mutare debemus. Te quippe sola eorum „ querela promovet, qui Conjuges, causa „ fornicationis intercedente, dimittunt, si „ alias ducere non sinantur, quoniam con„ tinere paucorum est . . . Itaque si, dimissâ „ adulterâ, non ducitur altera, justam que„ relam, sicut putas, habebit hominum in„ continentia. Sed attende, quàm plura „ sunt, ubi si querelas incontinentium veli„ mus admittere, necesse nobis erit adulteria „ fienda permittere. Quid si enim aliquo „ diuturno, & insanabili morbo corporis „ teneatur Conjux, quo concubitus impe„ diatur? Quid si captivitas, vel vis aliqua „ separet, ita ut sciat vivere maritus uxo„ rem, cujus sibi copia denegatur? Censes„ ne admittenda incontinentium murmura, „ & permittenda adulteria? -- Quid ad hæc Novatores?

89 OBJIC. V. Christus Conjugii indissolubilitatem probat ex textu Gen. 2. *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: sed permittendo divortium descriptam adhæsionem tollit, dividitque carnem; ergo & vinculum. Et sane ad alium non tenentur Conjuges, nisi ad mutuum debitum, cohabitationem, & obsequium, a quibus Pars innocens per divortium absoluta meritò censenda est; ideoque huic saltem licitæ erunt secundæ Nuptiæ.

RESP. Exorbitat Argumentum supponens Conjugium consistere in actuali cohabitatione, obsequio, & hujusmodi; quod falsum

Conjugium in quo consistat.

falsum esse suo spte loco diximus; quapropter nihil evincit. Etenim, teste Scriptura *ad Rom. 7.*, & *1. ad Corinth. 7.* Connubium non solùm obligat Conjuges ad prædicta officia, sed itidem ad ea nulli alii præstanda. Porro divortium impedit actualem in illis officiositatem, sed secundum non destruit obligationem. Neque hoc onerosum innocenti esse debet; quia scienti, & volenti, nulla fit injuria; sciens autem, & volens, nupsit, atque ultro tale onus subire non recusavit.

90 OBJIC. VI. Magis directe corporale adulterium adversatur Conjugio, quàm spirituale, nempe Infidelitas: sed hæc solvit vinculum, ut cum alter ad fidem convertitur; ergo & illud.

RESP. Superiùs *Controv. III. num.* 44. solutum est argumentum ea ratione, qua probatur, Conjugium Infidelium non esse ratum, ut docet Innocentius III. Cap. *Gaudemus. De Divortiis*.

91 OBJIC. VII. Ideo Conjuges alteri nequeunt nubere, quia Vir potestatem non habet sui corporis, sed Mulier, & e contra: atqui per adulterium, qua Pars rea alteri se tradit, & dividit, redit ad partem innocentem sui corporis potestas; ergo alteri nubere poterit.

RESP. Incongrua est Catherini ratio, cur secunda vota non liceant Conjugato; hoc namque habetur a vinculo, quod ex mutuo contrahentium consensu resultat, ex quo, velut effectus, dimanat mutua corporis potestas inter Uxoratos. Porro per adulterium hujusmodi potestas non perit, sed innocens in actu suo fraudatur; quo pacto si alteri rem furtivam tradas, a vero Domino non transfertur dominium, sed actuali privatur usu. Quare ad Partem innocentem libera sui corporis potestas non redit, sed usus suspenditur, eoque frustratur.

Unde oriatur indissolubilitas Matrimonii.

92 OBJIC. VIII. In Conjugio potior est causa Viri, quàm Mulieris: Christus solam Mulierem fœdifragam prohibet nubere; adeoque ex parte Viri dissolvitur. Assumptum ostenditur.

I. In veteri lege Vir dare poterat libellum repudii Uxori, secus ex adverso; repudio legis veteris in nova successit divortium.

II. Quandoque fas fuit Viro duas habere Uxores; nusquam verò Mulieri.

III. Vir cum soluta rem habens non punitur ut adulter, sed tantummodo si peccet cum Uxorata; Mulier verò semper ut adultera pœnam subire debet.

IV. Maximam facit injuriam Conjugio Mulier, cum alienos filios thoro supponit; quod de Viro non verificatur.

V. Gravius dubio-procul est Mulieris delictum; quia exponit incertitudini filios.

VI. Leges civiles, quæ ad regulam naturalis æquitatis efformantur, concedunt Viris, ut adulteras accusare valeant; quod Mulieribus haud datum est.

VII. Consuetudo, quæ ex legitima auctoritate vim sortitur, ea est, ut divortium Mulieribus adversùs Viros non concedatur: bene verò Viris adversùs Mulieres; in aperto igitur est, Mulierem magis fore Viro obnoxiam, quàm Virum Mulieri. Et sane congruum videtur, quædam concedere privilegia

A Viro, utpote caput est Mulieris. Quare contra Evangelicam legem nihil adstruitur, cum affirmatur, posse Virum, dimissa fœdifraga Uxore, alteri nubere.

RESP. Ambrosius Catharinus totus est in hoc argumento propugnando; asserit tamen se loqui, spectata tantummodo Evangelica lege, seclusis Pontificum Sanctionibus, quas sibi contrarias ultro fatetur. Ut autem Sententiam suam attemperet, dicit, Virum posse nubere, peccare tamen ob Sacramenti Sanctitatem; vultque, durare vinculum ex parte Mulieris, secus ex parte Viri; infert hinc, Episcopum dispensare posse, ut Vir absque noxa Matrimonium contrahat.

B Ceterum quoquoversus navem inflectas, scopulos, syrtesque paratas habet. Dedimus tum Scripturas, tum Patres, qui utriusque Conjugis jura volunt esse æqualia; quod egregie probat Nazianzenus *Orat. 31.* ad illa verba: *Cum consummasset Jesus hos sermones*— „ Si caro una est, æqualem honorem habeat— Et ipse evincit tum relatis Scripturis ex æqualitate debiti in Filiis ad utrumque Parentem honore prosequendum, tum ex necessaria utriusque ope ad procreandam prolem, tum ex doctrina Pauli mutuam præcipientis dilectionem, qua mutua unio Christi cum Ecclesia per charitatem signatur. Itaque cum

Virum inter, & Mulierem æquale jus.

C Christi Lege æquior sit nulla, haud fas est Viro jus fortius tribuere. Audiatur Augustinus *lib. 2. cit. cap.* 8. — Sed cum hæc eis dicimus, non solùm nihil volunt detrahere „ se veritati, sed irascuntur insuper veritati, „ & loquuntur, atque respondent: sed nos „ Viri sumus. An verò sexus nostri dignitas „ hanc sustinebit injuriam, ut cum aliis fœminis præter Uxores nostras, si quid admittimus, in luendis pœnis Mulieribus „ comparemur? Quasi non propterea magis „ debeant illicitas concupiscentias viriliter „ frænare, quia Viri sunt: quasi non propterea magis debeant Mulieribus suis ad

D „ virtutis hujus exemplum se præbere, quia „ Viri sunt: quasi non propterea minùs debeant a libidine superari, quia Viri sunt; „ quasi non propterea minùs debeant lascivienti carni servire, quia Viri sunt? —

Ut autem ad rem veniamus. Falsum est, quod Uxor non exprimatur in exceptione; vidimus enim, Christum *apud Marcum* utriusque meminisse. Resp. igitur

Ad I. Utique in lege veteri non erat mutua potestas repudii; sed Lex Gratiæ, quæ abundantiorem vult justitiam nostram illâ Scribarum, & Pharisæorum, æquitatis jura extendit, ideoque pleræque causæ repudii, quæ tunc

E vigebant, prorsus obliteratæ sunt. Ceterum exemplum Adversarium ferit. Siquidem sub lege Moysis, dato libello repudii, poterat Vir (licèt ex consuetudine male interpretantium legem inductâ) alteri nubere, & dimissa Mulier aliud Matrimonium contrahere.

Ad II. Ex dispensatione licitum quidem fuit Viro plures habere Uxores; verùm Lex Evangelica illam abrogavit, & jura utrique communis fecit; proindeque nullum intercedere debet discrimen quoad vinculi indissolubilitatem.

Ad III. Theologi ad unum omnes in

eam confluunt Sententiam, quæ asserit, adulterum fore Virum, etsi cum soluta peccet, sicut a malitia adulterii non excusatur accessus Mulieris ad solutum; unde par ratio subsistit.

Ad IV., & V. Sicut Mulier injuriam facit alienos Filius Viro suo supponens, sic Vir æque damnificat alienum thorum extraneos Filios supponendo; & ex eodem principio incertitudini Vir in aliena domo prolem exponit, ac Mulier in propria.

Ad VI., & VII. respondet Augustinus *cit. lib. 2. cap.* 8. — Sed isti, quibus displicet, „ ut inter virum, & uxorem par pudicitiæ „ forma servetur, & potius eligunt, maxi„ meque in hac causa, Mundi legibus sub„ diti esse, quàm Christi, quoniam jura fo„ rensia non eisdem, quibus fœminas, pudi„ citiæ neaibus viros videntur obstringere: „ legant quid Imperator Antoninus, non „ utique Christianus, de hac re constituerit, „ ubi maritus uxorem de adulterii crimine „ accusare non sinitur, cui moribus suis non „ præbuit castitatis exemplum, ita ut ambo „ damnentur, si ambos pariter impudicos „ conflictus ipse convincerit — Duo impræsentiarum dicit Augustinus. Primum: divinam legem, ad quam Catholici spectare debent, pares facere Virum, & Mulierem, quidquid Civiles Leges decreverint. Aliud: æqualiter puniendos, si æqualiter Rei inveniantur. Unde con'suetudo in oppositum prorsus humana est, quæ nullam coram Deo discretionem valet afferre -- Periniquum enim „ mihi videtur esse (dicebat laudatus Impe„ rator apud Augustinum ibidem) ut pudi„ citiam Vir ab Uxore exigat, quam ipse „ non exhibet —

ALIA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

93 OBJIC. IX. Quod vetustissimo Ecclesiæ sensui refragatur, ablegandum prorsus est: cum indubie primitiva Ecclesia non erraverit; sed Conjugium non dissolvi causâ fractæ fidei jugalis repugnat sensui primitivæ Ecclesiæ; ergo. Ostenditur assumptum.

I. Ex Apostolicæ Sedis Rescriptis. Gregorius III. *Epist. 4. ad Bonifacium Episcopum* scribens Virum quendam hortatur, ut permaneat innuptus in casu infirmitatis Uxoris non valentis cohabitare, subdit tamen — Sed „ quia hoc magnum est, ille qui se non po„ terit continere, nubat magis — & refertur Cap. *Quod proposuisti* 32. q. 7. Zacharias Papa præscribit, quod -- peccante Viro cum „ Sorore Uxoris, nulla ipsis spes subsit Co„ njugii; ejus verò Uxor, si non fuerit sce„ leris conscia, si se continere non vult, „ nubat in Domino, cui velit — Sic Can. *Concubuisti* ibid. Hi porro Pontifices Seculo VIII. floruere.

Leo Primus *Epist.* 87. *ad Episcopos Africæ cap.* 1. Sacerdotem, qui, priori dimissa, alteram duxerat, tantummodo ab Ordine removet; Conjugium autem nequaquam dirimit. Innocentius I., ut patet *ex Epistola ad Exuperium*, sciscitatus fuit -- De his, „ qui, interveniente repudio, alii se Matri„ monio copularunt — Non ergo tunc temporis (Seculo nempe IV., & V.) de præsenti doctrina constabat.

II. Probatur ex Conciliis. Illiberitanum relatum 31. q. 1. Can. *Si qua mulier* statuit, Virum Uxorem abalienare posse, si ream probaverit intentatæ mortis — Et si voluerit „ aliam ducere, ipsa autem insidiatria pœ„ nitentiæ subjecta absque spe Conjugii ma„ neat —

Arelatense an. 314. celebratum *Can.* 10. — De his, qui Conjuges suas in adulterio „ deprehendunt, & ii sunt adolescentes, & „ prohibentur nubere, placuit, ut in quan„ tum potest, consilium eis detur, ne viven„ tibus Uxoribus, licèt adulteris, alias ac„ cipiant -- Si igitur Arelatenses Patres consulunt, & non præcipiunt a novis Nuptiis abstinere, plane fit, ipsus nec irritas, nec illicitas eas censuisse.

Concilium Venetiis habitum sub an. 465. *Can.* 11. — Eos quoque, qui relictis Uxori„ bus suis, sicut in Evangelio dicitur, exce„ ptâ causâ fornicationis, sine adulterii pro„ batione, alias duxerint, statuimus a com„ munione statim arcendos --

Tiburiense relatum Can. *Si quis* 32. q. 7. -- Si quis cum Noverca sua dormierit, nen„ rer ad Conjugium poterit pervenire; sed „ Vir ejus, si vult, potest aliam accipere, si „ se continere non potest -- Aliud Concilium quod legere est, Can. *Quadam* 32. q. 7. -- Quædam cum Fratre Viri sui dormivit, „ decretum est, ut adulteri nunquam Co„ njugio copulentur: illi verò cujus Uxor „ stuprata est, licita Conjugia non negen„ tur — Similia habes in Concilio Moguntino I.

Vatus Pœnitentiale Romanum Tit. 3. *De fornicatione, & incestu Cap.* 20. decrevit, quod Mulier, quæ probaverit juridice, jubente Marito, invitam crimen patrasse -- Si „ se continere non potest, nubat, cui vo„ luerit, tantùm in Domino; Maritus verò „ sine uxoria spe in perpetuum maneat —

III. Probatur ex Patribus. S. Justinus *Apolog. 1. pro Christianis* de quadam Muliere refert, diu male moratum Conjugem tolerasse, tandem — Misso illi, qui apud vos di„ citur repudii libello, ab eo sic sejuncta „ est -- Sanctus Martyr factum non reprehendit; ergo censet solutum vinculum.

Tertullianus *lib. adversùs Marcionem cap.* 34. — Ceterum præter causam adulterii, „ nec Creator disjungit, quod ipse scilicet „ conjunxit --

Origenes *Tract. 7. in Matthæum* fatetur, quosdam Episcopos nonnullis Mulieribus indulsisse ad secunda vota transire, viventibus prioribus Viris, addens — Non tamen sine „ causa permiserunt -- ergo ea ætate mos erat dissolvendi Conjugia.

S. Hieronymus *Epist. 30. ad Oceanum* narrat Fabiolam, dimisso priori Viro, cum altero nupsisse, nescientem hoc Evangelica lege proscriptum; ergo Seculo V. nostra doctrina nondum invaluerat.

Lanfrancus sciscitatus fuit Seculo XI. a Tho-

Thoma Eboraceensi Episcopo — De his, qui „ Uxores desponsatas, causâ fornicationis, „ relinquere, aliasque sibi conjungere vo„ lunt — ergo tunc temporis nihil certi.

Augustinus *lib. De fide, & operibus Cap.* 19. fatetur — In ipsis divinis Sententiis ita „ obscurum est, utrum & iste, cui quidem „ sine dubio adulteram licet dimittere, adul„ ter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut „ quantum existimo venialiter ibi quisque „ fallatur — Unde Pollentius hac super re aperte contradixit Augustino; non ergo doctrina hujusmodi inter Catholica dogmata recensebatur. Ex quo factum est, Concilium Neocæsariense *Can.* 7. contrahentibus secundas Nuptias post divortium, injunxisse pœnitentiam, sed Nuptias nequaquam diremisse.

94 RESP. Plenissimam, indubiamque superiùs *num.* 82. Traditionem innuimus; idcirco impræsentiarum negamus assumptum.

Ad I. Amandatâ eorum Sententiâ, qui relatum Canonem Magno Gregorio affingunt, putantes ad Augustinum Monachum directum in favorem Gentis Angliæ ad Fidem conversæ, cum unice cum ea Gente dispensatum legatur in quarto, & quinto Consanguinitatis gradu, dicimus, Pontificem loqui de infirmitate impotentiæ prævia ad Nuptias existente; quæ impedimentum dirimens constituit; proindeque nullum erat illud Conjugium. Nec momenti est, quod subdit — „ Non tamen subsidii opem ab illa subtra„ hat, quam infirmitas præpedit, non dete„ stabilis culpa excludit — quibus innui videtur, validum extitisse Matrimonium; si enim nullum ab initio fuisset, subsidii onus incongrue fuisset impositum. Hoc, inquam, nullius momenti est. Siquidem Pontifex ope subsidii dotem intelligit, quam restituendam præscribit, dum sine culpa dimittitur. Vel etiam subsidii ope intelligit charitativa alimenta; fortè enim his aliunde carebat.

Pontificum sensa.

Alter Canon concedit innocenti Uxori nubere, cui voluerit: sed post Viri mortem, juxta Pauli sententiam 1. ad Corinth. 5. vers. 39. *Cui vult nubat: tantùm in Domino*; quæ ab Apostolo sancita sunt: *si dormierit vir ejus*. Vir autem criminosus, sicut & Mulier sceleris socia, neque per mortem Uxoris, aut Viri, Matrimonium inire valent — Et „ quandiu vixeritis juxta præceptum Sacer„ dotis, pœnitentiam agite — Nec valet, Canonem dicere — Si fecisti, neutram habeas — Idest nec tuam Uxorem, nec ejusdem Sororem. Nam talia referuntur ad jus petendi debitum, quo, ob perpetratum crimen cum Affine, privatur; Pars innocens tamen petere potest.

S. Leo exquisitus fuerat de Viro, qui Uxorem ante Sacerdotium habuerat, quamque dimisit, & Sacris inauguratus est, quid in hoc casu agendum: an scilicet Sacra peragere deberet? & Pontifex respondit negative; de Matrimonio autem altum silentium est, cum de eo nulla inquisitio.

Innocentius doctrinam tradit *ibidem Cap.* 6. — De his requisivit dilectio vestra, qui, „ interveniente repudio, alii se Matrimonio „ copularunt. Quos in utraque parte adul„ teros esse manifestum est. Qui verò, vel „ Uxore vivente, quamvis dissociatum vi„ deatur esse Conjugium, ad aliam copulam „ festinarunt, neque possunt adulteri non vi„ deri, in tantum ut etiam hæ personæ, „ quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ „ adulterium commisisse videantur, secun„ dùm illud quod legimus in Evangelio, qui „ dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, „ mœchatur, similiter & qui dimissam du„ xerit mœchatur, & ideo omnes a commu„ nione abstinendos — Itaque, colligi nequaquam valet, tunc temporis ignotam fuisse Nostrorum Seculorum doctrinam, quam ipse Pontifex tunc tradidit expressis verbis.

95 Ad II. Antequam objectis fiat satis, observes velim causam 32. q. 7. in duas partes potissimùm dividi. Prima pars habet testimonia propugnantia, nequaquam in causa violatæ jugalis fidei dissolvi per divortium maritale vinculum; altera continet auctoritates, quibus pœnæ infliguntur in Conjuges fœdifragos, statuentes insimul impedimenta quædam futurum Conjugium dirimentia. Nunc respondemus.

Canones quomodo intelligendi.

Decretum illud Illiberitanum apud Ivonem non habet relata verba: *Si voluerit aliam ducere*, sed in Decretis legitur — Potest ipse „ per mortem uxoris, si voluerit, aliam du„ cere — Immo, ut notat Glossa quædam, in similibus Canonibus conditio mortis semper subintelligitur, ut novum contrahatur Matrimonium; nam eò tendunt Canones, ut pœnam perpetuam criminosis infligant.

Arelatense non adoptat consilii nomen adversative ad præceptum, sed pro admonitione; atque sensum reddit, quod Pastores admoneant Adolescentes illos, ut, fœdifragis viventibus, novum Conjugium non intentent, cum aliàs irritum sit, & nullum, ut ibidem aperte declaratur: *Et prohibentur nubere*. Itaque nihil inde adversùm nos.

Venetum decretum verba illa *sine adulterii probatione* refert ad Uxorum dimissionem, secus ad sequentia; ita ut sit sensus, eum illigari debere excommunicationis censurâ, qui sine adulterii probatione uxorem suam dimiserit; quod idem legitur in Concilio Agathensi *Can.* 25.

Tiburiense, sicut & duo sequentia Concilia loquuntur de Nuptiis contrahendis post mortem criminosæ Partis, cui tanquam pœna imponitur perpetua inhabilitas ad nubendum.

Pœnitentiale Romanum permittit innocenti, ut nubat post obitum Conjugis; ut enim instituatur discrimen innocentem inter, seu minus ream Uxorem, & Maritum criminis auctorem, dicitur, quod, Uxore fato functa, hic ad cœlibatum tenetur: Uxor verò, si Maritus præmoriatur, alias Nuptias valet contrahere. Olim hæc pœna in Ecclesia frequens erat, ut qui atrox crimen aliquod perpetrasset, a Nuptiis coerceretur. Parricidis hanc mulctam imposuit Concilium Moguntinum *Can.* 20. Eandem Incestuosis decrevit Concilium Vermeriense *Can.* 5. Addendum insuper non incongruum videtur id, quod Natalis Alexander scribit *In sua Dogmatica Theologia lib. 2. de Matrim. art. 7. prop.* 2. — Quot aliqui Episcopi, privatæque

O 2 „ Sy-

„ Synodi ſenſerint contra Evangelicam veritatem, Matrimonium diſſolvi poſſe ob fornicationem quoad vinculum, fuit obſcuritas quæſtionis nondum eliquatæ, & finitæ -- Per quod reſponderi poteſt Canoni 9. Vermerienſis Concilii, ubi ſtatuitur, quod, Viro abeunte in longinquam regionem, Uxor innupta permaneat, Ille verò, ſi ſe continere non poteſt, aliam Uxorem ducat.

Patres pro Catholica veritate.

96 Ad III. Quid Patres ſenſerint, ſatis indicatum eſt ſuperiùs. Cæterum Juſtinus perperàm aſſumitur pro adverſa Sententia; cum tantummodo referat, innocentem adulterum dimiſiſſe, de ſecundis Nuptiis nullo facto verbo. Porro illud licuiſſe nemo inficiatur.

Abs re ſimiliter affertur Tertullianus, qui aſſerit nec Creatorem disjungere Conjugatos quoad thorum, niſi causâ fornicationis; quod Catholicum prorſus eſt.

Origenes duo ibi clare refert. Primum: eos Præſules contra Scripturæ ſenſa egiſſe -- „ Scio quoſdam, qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam permiſiſſe, aliquam nubere „ Viro, priori vivente -- Secundum: eanſam permiſſionis fuiſſe ad majus malum evitandum -- Non tamen omnino ſine cauſa hoc „ permiſerunt. Forſitan enim propter hujuſmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala „ ſunt, permiſerunt, adverſùs ea, quæ ab „ Initio fuerunt ſcripta -- Et licèt illud Pauli aſſumat *Bonum eſt mulierem non tangere, propter fornicationem unusquiſque ſuam uxorem habeat*, non intendit, hanc permiſſionem eſſe minoris boni, ſicut ea eſt, de qua Paulus. Nam illam non vocat Paulus contra Scripturam, ſicut prior declaratur, ſed unice uſurpatur ſecundùm generale motivum infirmitatis, quæ in cauſa fuit illius permiſſionis minoris mali pro majori evitando.

Publica Fabiolæ pœnitentia.

Injurius eſt Hieronymo, qui, dum factum Fabiolæ deſcribit, pro adverſa parte eum aſſumit. Totus enim ibi eſt S. Doctor pro Catholicorum Sententia. Et ſane publica pœnitentia, quam pro eo lucndo crimine egit Fabiola palam facit, peccaſſe. Porro peccati labe non fuiſſet coinquinata, ſi ea tempeſtate non innotuiſſet veritas indiſſolubilitatis Conjugii. Inane verò eſt Kemnitii commentum, dum Fabiolæ culpam levem ſolummodo fuiſſe affirmet. Quando nam pro veniali noxâ publica injuncta pœnitentia, Mulieri potiſſimùm nobilioris Gentis? Quando nam Epiſcopi pro veniali culpa ab Eccleſia expulerunt Fideles, ſicut expulſam narrat Hieronymus Fabiolam? Corrupit quidem Sectarius Canonem *Si quis* 32. q. 1. ut propugnet, venialiter deliquiſſe, referens laudatum Canonem duorum, vel trium annorum pœnitentiam iis injungere, qui adulteram ſine divortio retinebat; quod ſane grave crimen non eſt, immo laudabile, potiſſimùm ſi emendationem pollicetur, cum aliàs Canon ille de his agat, qui non dimittendo adulteram in crimen conſentiunt, quod dubio-procul a gravi culpa non vacat. Imponit Hæreticus Hieronymo, quod dixerit, Fabiolam Papiniani legem ſecutam fuiſſe; cum Papinianus ſolis Viris, non fœminis novum inire Conjugium permiſerit, Aſſerit quidem, ipſam Evangelii vigorem ignoraſſe; ſed culpabiliter, & ex ardore concupiſcentiæ, quo ſe ipſa fallens ad ſe pertinere judicavit illud Pauli: *Melius eſt nubere, quàm uri. Volo juniores nubere.*

Inquiſitiones aliqua ſuper re non eam reddunt incertam. Voluſianus profectò de myſteriis oppidò claris interrogavit Auguſtinum, ut legere eſt apud eundem *Epiſt.* 3. pura de Chriſti incarnatione, de Beatæ Mariæ perpetua Virginitate, & hujuſmodi; nec ex his inquiſitionibus fas eſt colligere, talia pro ea ætate incerta fuiſſe. Hæc aptari debent ſciſcitationi Eboracenſis Epiſcopi. Præcipue cum certa evadant obſcura propter nonnullorum ſophiſticas obſervationes.

Hoc ſenſu obſcuram affirmat hanc quæſtionem laudatus Auguſtinus *de bonis Operibus*, accedente dubitatione ex parte grammaticalis ſyntaxis Evangelici textus apud Matthæum cap. 19. Verum *de Adulterinis Conjugiis* aperte fatetur, conſtare ex Evangelio mœchari Mulierem, quæ, dimiſſo adultero, alteri nubit. Pollentius verò non contradicendi, ſed percipiendi animo, de locis ſibi obſcuris Auguſtinum conſuluit. Sed inde jure colligi poteſt, Dogma de indiſſolubilitate tunc in Romana Eccleſia viguiſſe. Nam propter obortas difficultates circa Scripturarum ſenſa obnubilatus Pollentius, Auguſtinum adiit, ut inde claram intelligentiam haberet. Non enim inquiſitioni locus ſupereſſet, ſi Eccleſia ſolubile Conjugium docuiſſet. Ceterum non legimus, Auguſtinum appellaſſe Pollentium hæreticum, cum hæreticus non ſit, qui licèt in errore verſetur, contumax tamen non eſt; talem fuiſſe Pollentium ſatis apparet ſub exordio utriuſque Libri ad ipſum inſcripti. Concilium Neocæſarienſe de nuptiis poſt divortium altum habet ſilentium; ſed loquitur de ſecundis Nuptiis, defunctâ Uxore, quæ quamvis licitæ, cum non nihil incontinentiæ redoleant, aliquâ notabantur pœnitentiâ.

97 OBJIC. X. ex Græcorum Patrum auctoritate. I. Orientales Græci Baſilii auctoritati velut primo Canonico principio innituntur, hinc fit, ut in diſceptationibus, ad Baſilium provocant, Baſilium inclamant. Bloſtarius Nomocanonem * edidit; eoque recentiores Græci ut rectiſſima, atque in dirimendis Controverſiis exploratiſſima regula utuntur. In hoc igitur teſtimonium Baſilii refertur in favorem ſolutionis Conjugii causâ violatæ fidei conjugalis, idque deſumptum *ex Epiſt. 1. Canonica ad Amphilochium Can.* 9., ubi habet I. In more poſitum eſſe, ut Mulier fœdifragum Virum non dimittat. II. Licere Viro adulteras Uxores abalienare. III. Virum, ſi dimiſsâ criminosâ Uxore, alteram ducat, veniâ dignum fore, & ſecundam non eſſe damnandam. IV. Virum ab Uxore diſcedentem non poſſe aliam aſſumere. V. Mulierem, quacunque cauſa impellente, nuſquam a Conjuge diſcedere debere -- Quare, *en Canon* „ *S. Baſilii*, quæ reliquit, eſt adultera, ſi „ ad alium Virum acceſſit. Qui autem re„ liquit, eſt dignus veniâ; & quæ ei coha„ bitat, non ideo condemnatur. Sed ſi Vir,

** Ordinata Canonum collectio.*

„ qui

„ qui ab Uxore discessit, accessit ad aliam, „ & ipse adulter est: quoniam facit eam adulterari; & quæ ei cohabitat est adultera: eo quod alienum Virum ad se traduxit —

II. Chrysostomus aperte sentit, fornicationis causâ Matrimonium dissolvi, ut palam fit sequenti ratiocinio. Qui eam Sententiam, quæ docet, dimissam debere innuptam manere, asserit, spectare ad parvas causas, & asserit, posita cohabitatione cum adultera, universam Nuptiarum avolasse pudicitiam, Connubium fore dissolutum, deleta jura Nuptiarum, Virum amplius non esse Virum, demum dimissum noo posse amplius reconciliari, aperte sentit, nullimode conjugale vinculum subsistere; sed hæc aperte propugnat Chrysostomus *in cap. 7. prioris ad Corinth.*; ergo sentit, fornicationis causâ Matrimonium dissolvi.

III. Nazianzenus *Orat.* 31. habet — Lex „ quidem omnes ob causas libellum dat repudii, at Christus oon ob omnes, sed separari tantùm ab adultera permittit — Sed Lex in omnibus casibus repudii transitum dabat ad alias nuptias; ergo Christus hoc concedit in causa violatæ fidei conjugalis.

IV. S. Epiphanius *lib. 2. contra Hæreses hær.* 59. agens de secundis Nuptiis adversùs Catharos, qui eas execrabantur, postquam Monogamiam laudavit, habet — Qui verò „ non potuit, unâ mortuâ, contentus esse, „ ob aliquam scortationem, aut adulterium, „ aut separatione ob aliqnam malam causam „ facta, eum divina Scriptura noo accusat, „ si aut vir secundæ conjungatur, aut uxor „ cum secundo viro, neque ab Ecclesia, & „ via abdicat — Sentit ergo, aliquam malam subesse posse causam, ob quam liceat separatio cum transitu ad alias Nuptias, quæ utique mala causa adulterium esse posse quis neget?

Vendicantur Græci Patres.

98 RESP. Ad I. Omissis interpretationibus Zonaræ, aliorumque, quæ obscuriorem reddunt Basilii mentem, gravioresque emergere faciunt difficultates, brevi calamo referam quæ tum in eo Canone, aliisque ejusdem Epistolæ, veraciter docet S. Doctor. Dicit igitur I. Ex Domini Sententia jura utriusque Conjugis quoad thorum æqualia fore. II. Posse Virum fœdifragam dimittere, immo teneri, ne ex publica cohabitatione cum adultera conscius criminis traducatur. III. Consuetudinem oon permittere, quod Uxor adulterum dimittat. IV. Dimissam sive jure, sive injuriâ, alteri nubere nequaquam posse. V. Discrimen hoc non quidem ex justa causa, sed ex consuetudine derivatum. VI. Virum dimissum alteri nubentem esse veniâ dignum; quod nil aliud esse affirmat *Can.* 33., quàm admitti posse ad Sacramenta Ecclesiæ. VII. Nusquam aperte fatetur, vinculum solvi in eo caso, quo Vir dimissus alteram ducit. Ceterum in libro *De vera Virginitate* post medium, onera Matrimonii describens, ejusdem omnimodam indissolubilitatem probat eodem plane momento, quod superiùs expendimus in resp. ad 1. Objectionem, ubi notavimus, Discipulos ægre ferentes doctrinam de perpetuo Coojugii vinculo, Christo respondisse: *Si ita est . . . non expedit nubere* — At verò Dominus his, „ qoi Conjugii molestiam didiceraot, & „ quod solvi facilè non possit, Uxoris vincu„ lum ægre ferebant, dixeran que: non ex„ pedit nubere, non omnes, inquit, ca„ piunt verbum hoc &c. — Itaque S. Doctor non eam adoptavit Sententiam, quæ solubilitatem Matrimonii propugnat, sed tantummodo hujusmodi licentiam consuetudine inductam adstruit; verùm hujusce consuetudinis justam non adinvenit causam, & meritò quidem; quoniam consuetudo divinæ legi contraria a Patribus corruptela nuncupatur.

D. Chrisostomus propugnat nostrã sententiam.

99 Ad II. Infirmum satis patrocinium exquisierunt Græci a S. Doctore; cum luce clarius nostram propugnet Sententiam. Igitur *hom. 17. in cap. 5. Matth.* habet — Nequa„ quam enim mihi referas, quia illam ille „ ejecit; nam expulsa quoque Uxor ejus esse, „ qui eam expulit, perseverat... Qui autem „ dimissam duxerit, adulteratur, per quod „ certe uxorem facit etiam nolentem pudi„ cam, ad alium virum omnino ei aditum „ claudens . . . Cum enim didicerit uxor, „ quod omni modo necesse sit, aut eum ha„ bere, quem a principio sortita est, aut „ illius ejectam semel domo, nullam se jam „ aliud invenuram esse perfugium, etiam „ nolens Conjugem suum amare cogetur — *Hom.* 62. in illa verba Matth. 19. *Si sic est causa hominis cum uxore* &c. idem asserit. Sed *in libro de Virginitate cap.* 40. versans verba Pauli 1. ad Corinth. 7. *Præcipio, non ego, sed Dominus*, plurima suppeditat testimonia, & expensis oneribus, quæ ex Conjuge improbo, superbo &c. oriuntur, subdit — „ Perferat omnem istam servitutem: tantùm „ enim sui juris futura est, cum is e vita „ migraverit — En terminus, qno dissolvitur Matrimonium. Perpensis iterum injuriis etiam cum fractione conjugali fidei, ex qua dimissio sequatur — Maneat, inquit, innu„ pta, aut Viro reconcilietur. Sed qnid, „ inquit, si nunquam cum Viro in gratiam „ redire voluerit? Habes illud alterum, quo „ te inde expedire possis. Quid nam id est? „ Expecta, dum is tibi decedat — Ad mortem revocat dissolutionem. Idem expendit tum exemplo Virginis Deo dicatæ per votum, cujus vinculum nusquam frangitur, etsi fornicetur; tum ex inconvenieotibus, quæ ex adverso haberentur; etenim transitus fieri posset a nuptiis cum uno ad nuptias cum alio, & ab hoc ad alterum: unde Conjugii amor, honestas, & rectitudo prorsus evanescerent. Postremò demonstrat, Conjugii servitutem omnes inter servitutes majorem fore, hincque egregiâ institutâ comparatione, rem totam absolvit. Dicit namque, Conjuges esse velot duo fugitivi, quorum pedes uno communi vinculo obligati sunt, quo abeundi facultas tollitur, quoque unus alium trahit, atque alter alterum sequi cogitur, quocunque vadit.

Explicatur S. Chrisostomus.

Nec obstant relata in oppositum. Nam Conjugium triplicem habet quasi statum: inchoationis nempe per verba de futuro: existentiæ per desponsationem in verbis de præsenti: & consummationis per conjugale commercium. Dicit itaque loco laudato, per dimis-

dimissionem Nuptias quoad conjugale commercium dissolutas, munditiem conjugalem avolasse, Virum non esse Virum. Hanc porro fore S. Doctoris mentem apprime colligitur ex argumento, cui totam ibi fidit doctrinam, idest, *qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur cum ea*. Hic sane praecise actus Conjugii exprimitur. Et quamvis affirmet, Paulum ex aliis causis, in quibus vult, dimissam manere innuptam, divortium tolerasse, non inde bene colligitur, in causa fornicationis velle vinculi dissolutionem. Sed illud occurrit discrimen, quod in prioribus facilis, immo, cessante causa, debita est reconciliatio; secus in secundo casu: cum Pars innocens per se non teneatur reconciliari, immo non debeat, si semel pars criminosa vult in malo perseverare, aliàs innocens ei adhaerens unum fiet corpus cum meretrice.

100 Ad III. Frustra ad Nazianzenum fit recursus. Nam in secundo carmine laudes recenset Virginitatis, & incommoda Conjugii; & hoc dicit malum esse, quod aliquis sibi paret, sine ulla prorsus spe effugii. Porro laudato loco comparationem instituit tantummodo plures inter causas separationis, non autem in modo ejusdem. Nusquam sane Nazianzenus, neque etiam alter ex Graecis Patribus asseruit, quod quis possit dimissam ducere, sed eam separationem permittit, quam Christus indulsit, videlicet quoad thorum. Falsum deinde est, libellum repudii copiam fecisse transeundi ad alias Nuptias, ut supra latiori calamo probatum est.

101 Ad IV. Cum Epiphanii aevo, etsi secundae Nuptiae, altero ex Conjugibus defuncto, validae censerentur, & licitae, transeuntes ad secunda vota subjicerentur poenitentiae ob aliquod incontinentiae signum, nullimode credi potest permissas secundas Nuptias, priori vivente, quamvis dimissâ. Verùm sensa Epiphanii in aperto sunt, & grammaticalis syntaxis hujusmodi est, qui, mortua priori, a qua facta est segregatio, non est contentus, propter scortationem, quia nempe peccavit cum libera, vel propter adulterium ob copulam cum Conjugata, vel propter aliam aliquam causam, potest alteri nubere. In hoc, ut videre est nil momentosum, quod urgeat. Sed cur ad interpretationem confugimus? Suam ipsemet pandit mentem, subdit namque — Sed suffert
„ propter debilitatem: non ut duas uxo-
„ res simul habeat, altera adhuc super-
„ stite, sed ut ab una separatus, secundae,
„ si ita contingat, copuletur, divina Scri-
„ ptura, & Sancta Dei Ecclesia ejus mise-
„ retur — Igitur indubie propugnandum est, etiam ex Graecorum Patrum Sententia indissolubile prorsus esse Catholicorum consummatum Matrimonium.

§ §
§

CONTROVERSIA VI.

AN MATRIMONIUM SIT DISSOLUBILE QUOAD THORUM.

102 OMissis vocum differentiis apud Canonistas, & Theologos, in explicatione Divortii, & Repudii, utrumque pro eodem impraesentiarum usurpatur. Divortium itaque, seu Repudium, tria dicere potest; separationem nempe a solo thoro; separationem a thoro, & domestica societate; separationem denique a thoro, societate, & vinculo. Secundùm hanc tertiam intelligentiam dicitur divortium perfectum; secundùm alias acceptationes nuncupatur simplex divortium. De primo jam plura locuti sumus; remanet igitur pro praesenti loquendum de secundo.

Divortium aliud perfectum, simplex aliud.

Et quidem ambigendum non est, fieri posse ad tempus simplex divortium ex mutuo consensu. De eo enim Apostolus suasor est 1. *ad Corinth. 7. vers. 5.*, ut Conjuges invicem ad tempus abstineant, ut vacent Orationi; *nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi.*

Divortium simplex ex mutuo consensu licitũ.

Perpetuum quoque divortium ex mutuo consensu laudavit Christus, dum, explicata Conjugii indissolubilitate, subdit Matth. 19. vers. 29. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit.* Ibi Uxor proprie intelligitur, idest ea, quae Matrimonium contraxit, & non tantùm quam quis ducere potest, sicut proprie veniunt Pater, Mater, & hujusmodi: proinde de separatione a vera Uxore loquitur; adeoque verum approbat Christus divortium perpetuum ex mutuo consensu causâ majoris perfectionis.

103 His itaque praesuppositis, tota difficultas enucleanda adversùs Heterodoxos, qui male audiunt simplex divortium, versatur in causa fornicationis, vel in causa alterius criminis, aut etiam alterius momenti. Controversiam in plures propositiones sejungimus, majoris claritatis gratiâ, quas tamen breviter elucidabimus.

AN MATRIMONIUM SIT DISSOLUBILE QUOAD THORUM CAUSA' FORNICATIONIS.

104 FOrnicationis nomine omne crimen consummatum, completum, contra castitatem intelligimus ab altero Conjugum patratum cum alio quocumque vivente vitâ sensitivâ, aut simul rationali; cum tunc interveniat carnis commixtio cum aliena, eaque cum altera dividatur. Itaque

Fornicationis nomine quid veniat.

DICENDUM, Matrimonium fore solubile quoad thorum, causâ fornicationis. Hoc est: Divortium ex crimine fractae fidei conjugalis est licitum.

105 PROB. I. Utique licitum est, quod cum sanctitate componitur: atqui divortium ob crimen violati thori stat cum

san-

Divortium causâ fornicationis componitur cum sanctitate.

sanctitate ; ergo . Habemus argumentum Matth. 1. vers. 18. *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto . Joseph autem vir ejus , cum esset justus , & nollet eam traducere , voluit occulte dimittere eam .* In his innuitur suspicio contra conjugalem fidem ; quapropter cœlestis Nuncius ad eam evacuandam illa utitur causali : *quod enim in ea natum est , de Spiritu Sancto est .* Porro concepta dimissionis sententia cum sanctitate conjungitur : ideoque Sanctimonia vitæ ponitur pro causa occultæ dimissionis : *Cum esset justus* ; ergo . Sic nonnulli . Verùm hoc momentum parùm urget , ut ex dicendis constabit infra *num.* 150.

Lex gratiæ correctiva veteris legis.

106 PROB. II. Haud illicitum censeri potest , quod concessum est in correctionem antiquarum consuetudinum : sed divortium , fornicationis causâ , concessum est a Christo , ut veteris legis abusus , pravasque ejusdem intelligentias, repararet; ergo . Argumentum legere est apud Matth. cap. 5. vers. 31. *Dictum est autem : quicunque dimiserit uxorem suam , det ei libellum repudii . Ego autem dico vobis : quia omnis , qui dimiserit uxorem suam , exceptâ fornicationis causâ , facit eam mœchari , & qui dimissam duxerit , adulterat .* En facultas uxorem dimittendi ob crimen violatæ fidei, integro tamen perseverante Connubii vinculo , ideo dimissam ducens adulterat.

Divortium est pœna justa violati Conjugii.

107 PROB. III. Peccatum juri conjugali, Sacramentique sanctitati directe adversum meritâ mulctandum est pœnâ . Porro simplex divortium est æqua pœna violati Conjugii , ut innuitur Ezech. 22. v. 11., & seqq. *Unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem . . . Ego Dominus locutus sum , & faciam . Et disperdam te in nationes , & ventilabo te in terras , & deficere faciam immunditiam tuam a te .* Punit Deus adulteros, & quidem dispertionis pœnâ, cui Conjugum separatio connectitur ; ergo .

108 PROB. IV. Quod Christus docuit , dubio-procul æquitatem redolet . Christus porro proposuit divortium , dum Matth. 18. vers. 9. docuit : *Si oculus tuus scandalizat te , erue eum , & projice abs te .* Conjux namque promissam fidem , Sacramentoque firmatam violans , indubie parti alteræ est in scandalum ; ergo erui , & projici demeretur ; quod aliud sane non est nisi separari .

109 PROB. V. Naturalia justitiæ, atque juris Gentium principia æqua sunt , & licita : sed naturale justitiæ , jurisque Gentium principium est , quod frangenti fidem fides frangatur eidem , aliàs per separationem simplicis divortii fides frangitur fractori fidei, non quidem positive, aliud simile perpetrando crimen , sed promissum denegando debitum ; ergo . Veritatem hanc sanxit Trident. *Sess.* 24. *Can.* 8., & aperte eam statuunt Sacri Canones Cap. *Significasti* . Cap. *Ex litteris* . Cap. *Gaudemus* . *De Divortiis* .

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

110 OBJIC. I. Matth. 19. vers. 6. Christus consocialem Conjugum vitam describens , divinum mandatum protulit : *Quod Deus conjunxit , homo non separet* ; ergo dimittens, fornicationis causâ , Uxorem
A per divortium , illicite , & contra divinum mandatum agit .

Deo consentiente fit divortium.

RESP. Eo in casu non homo separat , sed Deus , qui in pœnam violati fœderis hoc privilegium innocenti concessit ; quapropter haud refractarius est mandato Dei .

111 OBJIC. II. Apostolus 1. ad Corinth. 7. vers. 10. mandat , ut Mulier a Viro non discedat : *præcipio non ego , sed Dominus , uxorem a viro non discedere* : sed Conjugum jura æqualia sunt ; ergo nec Vir Uxorem jure valet dimittere .

Arbitrarium divortii vetitum.

RESP. Paulus Divinum refert præceptum ; Dominus autem arbitrariam dimissio-
B nem vetat ; & in hoc nullum discrimen Virum inter , & Mulierem . Ceterum divortium impræsentiarum licitum proclamatur , accedente causâ violati thori .

112 OBJIC. III. Haud fas est , malum pro malo reddere : sed dimittens fœdifragam , malum reddit pro malo ; ergo non licet .

Divortium ad correptionem ordinatur.

RESP. Equidem illicitum est , malum reddere pro malo , amore vindictæ ; secus amore justitiæ . Divortium porro ordinatur tum ad propriam propellendam injuriam, tum ad justam delinquentis correptionem ; adeoque nullimode malum censendum est .

113 OBJIC. IV. Fini Conjugii magis
C adversatur sterilitas , quàm crimen in thorum : sed propter sterilitatem non approbatur divortium ; ergo neque propter crimen fornicationis .

RESP. Sterilitas malum physicum est ex naturalibus causis derivatum , atque nemini juste injurium ; secus crimen conjugalem fidem violans . Hoc voluntarium est ; ideoque meritò pœnâ dignum est .

114 OBJIC. V. Major intervenit Sacramenti abominatio , si Conjux uterque criminosus habeatur , quàm si alter tantummodo ; separatio iniqua foret in primo casu ; ergo & in secundo .

In casu criminis utriusque nullus reclamare potest.

D RESP. In casu criminis utriusque , nemo est qui juste alterum judicet ; in eo enim quo alter in alium sententiam dicit , seipsum condemnat . Uterque fractor fidei est , uterque Sacramento infert injuriam ; adeoque jura æqualia sunt ; unde unus alteri rationabiliter prævalere debet . Hoc indubium est , etiam quando unius crimen gravius habeatur ; cum jura tantummodo crimen , non ejusdem accidentalia consideret . Quod si alter ex Conjugibus emendatus sit , & postulet a comparte emendationem , cui refragatur contumax in crimine , emendatus jus habet faciendi divortium ; quia emendatio cum po-
E stulatione reconciliationis injuste rejecta æquivalet reconciliationi . Porro apud Doctores pro certo habetur , quod si post reconciliationem alter relabatur , Pars innocens jus habet dimittendi delinquentem .

115 OBJIC. VI. Æque maleficii reus censetur , & qui delinquit , & qui dat causam delinquendi , juxta commune effatum : quod est causa causæ , est causa causati . Sæpenumero Vir improbus , jure Conjugii ad alendam Uxorem adstrictus, denegat alimenta , vel quam ut sociam diligere debet , tanquam mancipium despectam habet : unde

cum

eum invisam se credat Uxor, alienum quærit amatorem. In hoc igitur casu Vir Uxorem dimittere nequit; non enim est, cur Vir crimen objiciat, si ad illud Uxorem impulit; ergo propter fornicationem nequit divortium intentari. A

RESP. Revera alter Conjugem nequit dimittere, si conscius sit criminis, vel ipsam prostituendo, vel non impediendo, cum valeat; consentienti enim non fit injuria. In casu argumenti si Vir ea intentione, ut per crimen sibi consulat Uxor, subtrahit alimenta, neque divortium intentare nequit, ex Cap. *Significasti*; ex Cap. *Litteris*. *De Divortiis*. Si verò quid tale non excogitavit, dimittere valet; nam, ut *ibidem* advertit Glossa, fractio fidei quovis tempore illicita est. B

Fractio fidei semper illicita.

116 Non est sufficiens causa divortii materiale crimen in thorum: ut si per vim fuerit violata Uxor: si fraudolenter ab alio, quem suum Virum bona fide putabat, cognoscatur: si mortuum credens Maritum transeat ad secunda vota; secus si, existente bona fide mortis Viri, ad alium fornicariè accedat. Post crimen, si fiat reconciliatio, cessat jus divortii; innocens namque per reconciliationem injuriam obliteravit; unde Matrimonii jura reparata fuere. Quare si post concordiam iterum labatur, vel etiam, ipsa stante, si Pars ulim innocens rea evadat, jus ad divortium reviviscit; non enim compensationi datur locus; prior siquidem injuria aboleta est, & per reconciliationem dimissa. C

Fornicatio materialis nō est causa sufficiens divortii.

Reconciliatio verbis sinceræ condonationes peragitur, insuper & factis, per signa nempe amicitiæ, puta amplexus, copulæ, & hujusmodi. Si autem ficte talia peragantur, quamvis in Foro externo rata habeatur concordia; secus in conscientia.

Reconciliatio.

AN MATRIMONIUM SIT SOLUBILE QUOAD THORUM OB ALIAS CAUSAS PRÆTER FORNICATIONEM. D

117 KEmnitius 2. *part. examinis Tridentini Concil.* ausu temerario criminatur Ecclesiam, ex quo ob alias causas præter fornicationem separationem inter Conjuges admittat. Sed veritas Domini manet in æternum, quam Tridentini Patres sub anathemate confirmant *Sess.* 24. *Can.* 8. Igitur

DICENDUM, licitum fore divortium, simplex etiam ob alias causas præter fornicationem.

118 PROB. I. Per hoc quod Conjuges ad socialem cohabitationem teneantur, ab obligatione Divini Iuris nequaquam absolvuntur; sed Jus Divinum separationem præcipit unius ab alio in casu hæresis, ad Titum 3. vers. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita*; ergo non ob fornicationem solùm, verùm etiam ob alia momenta licita est inter Conjuges separatio. E

Jus divinum divortiū præcipit.

119 PROB. II. Fortior utique non est obligatio cohabitionis inter Conjuges, quàm Patrem inter, & Filium: sed periculosa Patris societas fat est ad dissolvendam cohabitationem inter Patrem, & Filium, dicente Christo Matth. 10. vers. 35. *Veni enim separare hominem adversùs Patrem suum, & Filiam adversùs Matrem suam* &c. quod potissimùm locum habet, cum domestici ad malum provocant; ergo rationabili existente causa, fas erit inter Conjuges separatio.

Periculosa societas vitanda.

120 PROB. III. Obligatio conjugalis cohabitationis non aufert debitum consulendi saluti animæ, proindeque non minuit obligationem removendi impedimenta ab illius assecutione retrahentia: immo eo tendit Conjugium, ut habet Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. ut per ipsum satiùs salutis pericula amoveantur; sed contingere potest, ut cohabitatio Conjugum sit in ruinam, puta si Vir improbus crimina male suadeat, atque ab observantia retrahat mandatorum Dei; ergo.

Conjux quandoque in ruinam.

121 PROB. IV. Conjugale vinculum Juris naturæ privilegia a Conjugibus non tollit: sed Ius naturæ adversùs injustum aggressorem defensionem permittit; ergo, si alter Conjugum sit furiosus, maleficus, crudelis, poterit sane Pars innocens per separationem se defendere.

Ab injusto aggressore justa defensio.

122 PROB. V. Conjugalis conjunctio ordinem naturæ non immutat: videlicet bonum cujusque proprium alterius est bono præferendum. Porro evenire potest, quod unus Conjugum sit leprosus, peste infectus, gallico morbo laborans, ex quibus certum imminet ex cohabitatione periculum; ergo alter dubio-procul poterit recedere.

Ex natura lege sibi consulendum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

123 OBJIC. I. Christus Matth. 5., & 19. fornicationem tanquam unicam separationis causam attulit: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa facit eam mœchari*; ergo male, & contra Domini sententiam aliæ causæ decernuntur.

RESP. I. cum Augustino *Serm.* 1. *de verbis Domini in monte cap.* 16., *& seqq.*, fornicationis nomine venire peccatum quodlibet; cum in Scripturis omne peccatum fornicatio nuncupetur.

II. Christus *ibidem* divortii causam ex ipso Matrimonio emanantem designat, non autem alias, quæ ex aliis principiis derivant, excludit.

III. Ibidem sermo instituitur de fornicatione; quia agebatur de divortio perpetuo. Porro solummodo propter violationem conjugalis fœderis licitum est divortium perpetuum; cum aliæ causæ temporariam separationem afferant, quibus ablatis dimittens tenetur iterum cum Uxore cohabitare, secus si fornicatio det causam divortii.

Ex fornicatione divortium perpetuum.

124 OBJIC. II. Pontificii ex verbis Pauli 1. *ad Corinth.* 7., quibus præcipit, Mulierem, *si discesserit*, manere innuptam, licitum fore divortium, propugnant: sed Paulus ibi loquitur de illicito divortio; ergo.

RESP. Equidem Apostolus sermonem habet de illicito divortio; sed dum præscribit, Mulierem a Viro non discedere. Verùm, quæ subdit, de licito intelligenda sunt;

funt ; alioquin haud poffet optionem dare Mulieri vel manendi innuptam, vel fe Viro fuo reconciliandi, fed abfolute reconciliationem mandaret . Non enim , quod illicitum eft , fub optione relinqueret .

125 OBJIC. III. Chriftus vetat, exceptâ fornicationis causâ, feparationem inter Conjuges , ne dimiffa exponatur periculo mœchandi: fed hujufmodi periculum contemnunt, qui ob alias caufas divortium permittunt ; ergo .

RESP. Debemus utique alterius incontinentiæ periculum evitare, quandu abfque jure , & fine culpa tali periculo exponitur . Ceterum cum quis fuo utitur jure , ut in cafu , tunc potior eft innocentis conditio, & delinquenti folummodo imputandum eft , quod voluntarie, & culpabiliter tali periculo fe expofuerit. Aliàs ad majora mala evitanda tale periculum permittitur .

Potior conditio innocentis.

1x5 OBJIC. IV. Nequeunt Pontificil rerum immutare naturas : fed Conjugium definitur individua vitæ confuetudo , quæ divortio tollitur ; ergo abfque divina conceffione hoc admitti nequit .

RESP. Kenuitius fallitur , dum naturam Conjugii in ufu conftituit. Rerum definitiones actuum primum fignificant ; porro actus primus conftitutivus Conjugii eft mutua obligatio, quæ adhuc fub divortio perfeverat. Si Conjugium in ufu confifteret, diuturna abfentia diffolveret Conjugium ; cum eo tempore cohabitatio non habeatur .

Conjugium non confiftit in ufu .

127 OBJIC. V. Chriftus Matth. 5. verf. 31. priftinam coarctavit libertatem dimittendi Uxores: *Dictum eft autem : quicumque dimiferit Uxorem fuam , det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiferit uxorem fuam , exceptâ fornicationis causâ facit eam mœchari* ; fed ex aliis caufis præter fornicationem Veteres abalienabant Uxores; ergo impræfentiarum nullimode fas eft , nifi causâ fornicationis .

RESP. Veteres dabant libellum repudii quacumque ex caufa; pravam hanc confuetudinem abrogavit Chriftus , & folùm perpetuum permifit divortium ob fornicationem , non excludens tamen temporarium ob graves caufas, quæ ad tria capita revocantur, nempe ad Apoftafiam , fcandalum , & fævitiam . Vide fuperiùs *num.* 123. in refp, ad primam objectionem .

Ex quibus caufis temporariũ divortium licet .

128 OBJIC. VI. Reprobandum eft , quod Canonicis Sanctionibus vetatur : fed divortium ob alias caufas hujufmodi eft; ergo. Alexander III, Cap. *Quafivit . De Divortiis* habet -- Quod mulier pro furto , vel alio „ crimine viri fui ab eo feparari nequit -- Illa verba *vel alio crimine* univerfalia funt ; adeoque crimen quodcunque excludit .

RESP. Canones loquuntur de criminibus Virorum, quæ ipfis folummodo officiunt; & propter hæc fruftra intentatur divortium . Attamen aliqua funt crimina , quæ funt in alterius perniciem , atque in æternæ falutis difpendium cedunt, inter quæ meritò recenfentur tum hærefis , tum ad peccatum incitatio ; hæc divortium permittunt .

Non omne crimen ad divortium fuf ficit .

129 OBJIC. VII. Nemo in fpiritualibus fibi nocet, nifi volens: poteft in quocunque cafu criminofi Conjugis alter , adhibitâ diligentiâ, malum a fe avertere, fibique confulere ; ergo , exceptâ causâ fornicationis , nufquam mutua feparatio licita eft .

RESP. Ecclefiæ Jura permittunt divortium propter pericula per fe infpecta ; hæc autem , ftante quacunque diligentiâ , perfeverant . Intendunt itidem Jura criminofum Conjugem punire ; ideirco etfi malum , quod timetur, alio medio poffit evitari , adhuc licita eft feparatio . Addas velim , onerofam nimis fore cohabitionem , fi innocens ad rigidam , folicitamque diligentiam pro evitandis periculis tum fibi , tum Filiis imminentibus teneretur ; unde fub tanto gravamine non videtur obligari ad cohabitandum .

130 OBJIC. VIII. Si ob alia delicta præter fornicationem , liceret divortium , poffet in eo perfeverari, data etiam emendatione , ficut in divortio ob caufam adulterii contingit : fed hoc non licet : quia Cap. *De illa . De Divortiis* præfcribitur, compelli Mulierem reverti ad Virum Ecclefiæ reconciliatum ; ergo .

RESP. Talia crimina fupra recenfita fufficientem caufam præbent ad divortium , non verò ad perfeverandum in eo poft emendationem . Jus namque illud habetur tum propter contumaciam delinquentis, tum propter periculum fpiritualis ruinæ : hæc autem per refipifcentiam ceffant ; unde Pars innocens cedens juri fuo reconciliari poteft . Immo fi feparatio privata auctoritate peracta eft, & emendatus reconciliationem expofcat , Mulier tenetur ad illam . Hoc intendit laudatus Canon , vult enim compellendam effe , fi nolit ultro redire . Si verò Judicis auctoritate factum fuerit divortium , non nifi urgente Judicis Sententiâ , redire tenetur ; Judex fiquidem perpetuam fegregationem in pœnam inflixit; & aliàs innocenti valde onerofum effet , debere Virum publicâ fententiâ infamatum repetere .

Reconciliatio quando habenda .

Hinc habes in cafu divortii , quod privata auctoritate fit ob hærefis crimen , non poffe innocentem affumere ftatum Conjugio incompoffibilem ; quia prædicta fejunctio fecum involvit debitum cohabitationis , fi reus emendetur . Unde fi ftatum Religionis adoptaffet innocens , & alter emendaretur , & reconciliationem expofceret , revertere deberet , & conjugale debitum reddere ; non tamen petere poffet debitum , immo neque , altero defuncto , ad fecundas Nuptias tranfire poffet . Si verò publica auctoritate habeatur divortium, eligere poteft innocens ftatum incompoffibilem ; ut habetur Cap. *Finali . De Converfione Conjugatorum*, & Cap. *De illa . De Divortiis* -- Si judicio Ecclefiæ „ ab eo receffit , ad recipiendum eum nul„ latenus dicimus compellendam --

Difcrimen inter divortium ex privata, & aliud ex publica auctoritate .

Paritas autem adulterii non urget . Quia per emendationem non tollitur injuria innocenti irrogata ; in cafu verò hærefis per emendationem , tum contumacia , tum perverfionis periculum ceffat ; quare in his cafibus reconciliatio haberi poteft .

131 OBJIC. IX. Si prædicta crimina utpote in perniciem innocentis jus tribuerent ad feparationem , non effet tantùm per-

missivum, sed coactivum, obligationem importans divortii: etenius Scriptura absolute præcipit eruendum, abjiciendumque oculum scandalizantem; sed hoc publico bono quammaxime nocivum videtur, siquidem cum omnis caro corruperit viam suam, humanum genus verteret ad interitum; ergo dicendum videtur, recensita crimina nullum divortii jus præstare.

Quandoque ad divortium quis tenetur.

RESP. Utique ad separationem adstringitur Innocens, quoties in scandalum est cohabitatio. Si Conjux ad actus inhonestos inter Conjugatos provocetur, si exponatur prostitutioni, vel periculo violationis, improbos viros ad eam adducendo, & hujusmodi, privata auctoritate potest, immo tenetur recedere, usque dum corrigatur Reus. Porro Familiarum conservatio nullimode curanda est cum æternæ salutis dispendio.

132 OBJIC. X. Nequit sævitia jus dare ad separationem. I. Quia si hoc esset, quotidianis perturbationibus Respublica vexaretur; cum undequaque Conjuges inhumani, & rixosi habeantur. II. Quia rixæ ex dura indole, vel ob fractam fidem, persæpe oriuntur. III. Unusquisque dum Nuptias contrahit, cedere juri suo censendus est; noverunt siquidem homines solere inter Conjuges dissidia, sævitiemque dominari. Non videtur itaque divortium ob alias causas præter fornicationem approbandum esse.

Sævitiei quid importet.

RESP. Sævitiei nomine, non levis, sed gravis vexatio, intelligitur. Nec sat est quod semel contingat gravis comminatio; sed necesse est, quod vulnera v. g. sint gravia, seriæ comminationes mortis, conviciorum frequentia, verbera repetita, immoderata, injusta, & hujusmodi, quæ contra jura amicabilis, suavisque societatis a Deo institutæ, & ab Apostolo traditæ, nimis gravem, molestamque reddunt cohabitationem. Notandum tamen inurbanitas, quæ vel levis, vel mediocris videri potest, si spectetur Mulier infimæ notæ, respectu nobilis erit gravis, immo gravissima respectu Matronæ.

Ad divortium Sententia præmittenda.

Hinc ad I. dicimus cum communiori Doctorum placito: ne passim ex levibus causis intententur divortia, Judicis est præmittenda Sententia, ubi absque inconvenienti, ac periculo haberi potest, Cap. *Significasti. De Divortiis*. Si autem periculum sit in mora, aut Judex facilè adiri nequeat, vel ex inopia non possit agitari causa, aut sævities aliàs certa non sine magna difficultate, innotescere, tunc Pars innocens, privata auctoritate, secundùm jus defensionis discedat, Cap. *Litteras. De restitutione spoliatorum*. Quod si injustus vexator Uxorem repetat coram Judice, & hæc probationes offerat, non debet restitui, donec causa examinetur.

Nemo molestus vexandus.

Ad II. Quamvis Conjux sive frangendo fidem, sive crimen aliud perpetrando, divortii causam dederit, nihilotamen minus jus habet, ne privatis molestiis a Marito vexetur; unde Cap. *De benedicto* 32. q. 1. Pontifex mandat Episcopo, quod sub cautela concedat Viro adulteram recipere, præstita cautione de ea non lædenda.

Ad III. Falsum est Conjuges cedere juri suo; quia Connubium est amicabilis societatis contractus; unde ipsi amari exoptant, non male tractari.

Sævities non dat jus perpetui divortii.

Sævities non præstat jus divortii perpetui, sed ad tempus, quandiu provideri prudenter potest per opportuna remedia, puta per juratas promissiones, fidejussiones, & hujusmodi, ne malum inde sequatur; quæ Judex alte perpendet, Cap. *Litteras. De restitutione spoliatorum*. Idcirco nequit vexatus incompossibilem statum assumere, videlicet Sacros Ordines, aut in Religione profiteri. Quod si timor sit ineluctabilis, nec periculum averti possit, tunc divortium perpetuum evadit; ut ex laudato Cap. Tunc naturalis defensionis jura perseverant; adeoque innocens ad aliam frugem valet transire, sublato jure repetitionis in Reo, ipsi tamen previe haud datum est alium statum eligere, ne commodum ex iniquitate reportet.

AN TENEATUR VIR PER SE LOQUENDO FŒDIFRAGAM IMPŒNITENTEM DIMITTERE.

DIximus jam supra *num.* 131., quandoque teneri Innocentem ad separationem, quoties videlicet cohabitatio vergit in scandalum. Hanc tamen veritatem juvat impræsentiarum pleniùs enucleare, ut magis magisque Etherodoxorum errores dissolvantur. Quare

DICENDUM, per se loquendo Virum teneri fœdifragam positive impœnitentem dimittere.

133 PROB. I. Ex præcepto quilibet tenetur evitare impietatis crimen: sed Proverb. 18. v. 22. *Qui tenet adulteram stultus est, & impius*; adulteram scilicet positive impœnitentem, quæ in conjugalis fidei fractione persistit; ergo Vir, ne impius evadat, illam tenetur dimittere.

Qui criminosa consentit, fit reus.

134 PROB. II. Ex Apostolo quilibet tenetur male agenti non consentire, ad Rom. 1. v. 32. *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus*; sed Vir fœdifragæ impœnitenti adhærens, consentit criminibus: *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, ex eodem 1. ad Corinth. 6. vers. 16.; debet ergo illam dimittere.

Divortium erubescentiam, & privationem bonorum importat.

135 PROB. III. Quicunque est alterius caput, ad illius correptionem tenetur, quoties in peccato contumax persistit, ea adhibendo media, quæ apta censentur ad emendationem; sed Vir caput est Mulieris, & separatio apprime apta est ad emendationem: divortium namque erubescentiam, nec non bonorum meriti privationem secum trahit; ergo ad illud Vir tenetur.

Mulier insidiatrix repellenda.

136 PROB. IV. Quandiu Mulier in fractione fidei perseverat, est insidiatrix pudicitiæ Viri, & sanctitati Sacramenti Conjugii: sed insidiatores repellendi sunt, ut habet S. Clemens *lib. 6. cap.* 14. — Abscide eam „ a carnibus tuis: non enim adjutrix est, „ sed insidiatrix — & Illiberitanum *Can.* 65. — Si unius Clerici Uxor mœchata fuerit, & „ sciat eam Maritus suus eam mœchari, & „ eam

„ eam non statim projecerit, nea in fine accipiet communionem -- Et sane eadem ratio est de Laico, ac de Clerico; ergo.

Peccanti non datur venia nisi sit emendatus.

137 PROB. V. Secundùm regulam Juris quintam in 6., peccanti non datur venia, nisi adsit correctio: sed in casu Mulier non est emendata: ergo eidem non est danda venia, ut præscribunt Canones 32. q. 1. Cap. *Sicut crudelis*, Cap. *Dixit Dominus*, aliique. Si vero Mulier pœnitsat, aut Vir alio convenienti modo eam corrigere possit, nequaquam tenetur eam dimittere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

138 OBJIC. I. Simplex permissio non involvit præceptum: sed divortium simpliciter a Deo permittitur ex Glossa *in* 1. *ad Corinth.* 7; ergo non cadit sub præcepto.

Permissio non excludit præceptum.

RESPONDET instantiæ S. Thomas *in Suppl. quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 5. -- Dicendum, „ quod permissio illa est intelligenda per „ prohibitionis privationem; & sic contra „ præceptum non dividitur; quia etiam quod „ cadit sub præcepto, non est prohibitum --

139 OBJIC. II. Quisquis remittere potest injuriam, quam alter irrogavit: sed Uxor in malo contumax peccat in Virum; ergo Vir ei parcere potest.

Adulterium plures lædit.

RESPONDET laudatus Doctor ubi supra *ad* 6. -- Uxor non tantùm peccat in Virum, sed etiam in seipsam, & in Deum; „ & ideo Vir non totaliter potest pœnam „ dimittere, nisi emendatio sequatur --

140 OBJIC. III. Nemo ob alterius crimen tenetur jure suo se expoliare; ergo ob Mulieris peccatum Vir non amittit jus illam retinendi; ergo si eo non expoliatur, non tenetur illam dimittere.

RESP. Ob Mulieris crimen jus Viri simpliciter non amittitur, ipsum tamen læditur; ideoque per punitionem reparandum est. Unde abalienando Uxorem jus non dimittit Vir, sed expurgat, solidatque per divortium.

141 OBJIC. IV. Vir non tenetur se continere: sed si teneretur dimittere Uxorem, ad servandam continentiam adstringeretur; ergo.

Injuria illata Sacramento reparanda.

RESP. Tenetur saltem ad tempus se continere ad reparandam injuriam Sacramento irrogatam, atque ad delinquentis emendationem; quo pacto ad continentiam obligaretur, ut ægrotantem Uxorem sanaret. Vide mox dicenda.

142 OBJIC. V. Per dimissionem scandala, & lites oriri possunt, & dimissa quandoque effrænior evadit: sed Vir talia impedire tenetur; ergo fœdifragam dimittere non debet.

Quando cessat obligatio divortii.

RESP. In præcitatis casibus lex in actu secundo non obligat. Verùm contingere potest, ut scandalum habeatur, si adultera domi retineatur; quapropter prudentiæ regulis res pensanda est. Scandalum tamen evitari poterit, si palam fiant conatus Viri, quibus per strictiorem custodiam, per discreta verbera, per increpationes, & hujusmodi, a crimine delinquentem satagit avertere. Quare, præcluso scandalo, eam dimittere non tenetur, si lites timeat, infamiam, bonorum jacturam, si incontinentiæ periculum urgeat, vel quid simile; cum gravi incommodo exponatur innocens dimittendo adulteram.

Emendatam non tenetur Vir dimittere.

143 Ex his habes, Virum non teneri dimittere emendatam. Accedere enim maritaliter meretrici ad bonam frugem conversæ, aut, ut ejusdem conversio intentetur, laudabile est, ut patet exemplo Oseæ Prophetæ relato q. 1. 32. Cap. *Non est culpandus*, & Clemens III. *de Sponsalibus, & Matrimonio*, inter pietatis opera recenset eorum studium, qui depravatas Mulieres a lupanaribus eripiunt, easdemque in Uxorem ducunt. Unde stante emendatione, nec ejus crimini consentit, nec eidem ut meretrici, sed tanquam Uxori adhæret.

AN PARS INNOCENS POSSIT REAM RECLAMANTEM PROPRIO JUDICIO DIMITTERE QUOAD THORUM, ET HABITATIONEM.

144 PRopositio separationem thori insimul, & habitationis amplectitur. Nam certus moraliter de crimine mœchæ potest se a thoro privata auctoritate separare; cum promissio conjugalis hanc involvat conditionem; estque aliunde hujusmodi sejunctio privata actio, quæ propria fieri valet auctoritate. Si ad ream accederet innocens, censeretur facta reconciliatio, jusque deperderet postulandi judicialiter separationem. Si Pars rea per Judicem, mediis Censuris, compelleret ad conjugale commercium innocentem, adhuc abstinere posset innocens; quia Judicis Sententia, cum in falsa præsumptione fundetur, nullam vim habet. Evitare tamen deberet scandalum, si adesset, ne Censurarum contemptor videretur. Momenta, quæ certitudinem gignere valent, esse solent testificationes Personarum omni exceptione majorum, notorietas facti, susceptio prolis in longa absentia, scientia cohabitationis Viri extranei in domo Uxoris, aliaque prudentum judicio perpendenda, ne Pars innocens, probrosis suspicionibus, afficiatur injuriâ.

Propositio itidem ad reclamantem provocat. Si enim Pars criminosa separationi acquiescat, sive publicum, sive privatum sit crimen, poterit innocens tutò recedere; volenti enim non fit injuria. Præcavendum tamen erit scandalum, si inde timeretur. His positis

DICENDUM, non posse Partem innocentem proprio judicio ream reclamantem dimittere quoad thorum, & habitationem.

In veteri lege repudiū publica auctoritate fiebat.

145 PROB. I. Repudio in veteri lege permisso successit in lege Gratiæ divortium strictioribus regulis a Christo reformatum: atqui in lege Moysis non dabatur repudium absque publica auctoritate: oportebat namque subscribi libellum a Sacerdotibus, hocque ad præcavenda mala, quæ evenire possent;

ſent ; ergo etiam in lege Evangelica publicæ auctoritatis judicium exigitur ; cum idem urgeat motivum communis boni .

Divortium fieri debet per ſententiã Eccleſiæ .

146 PROB. II. Judicium inflictivum pœnæ huic correſpondere debet : ſed pœna ſeparationis fit manifeſta ; ergo etiam judicium debet eſſe manifeſtum . Et quidem judicium requiritur Eccleſiæ manifeſtum ; cum Conjugium inter Fideles magnum ſit Sacramentum .

Nemo Judex, & Actor.

147 PROB. III. Nemo unus , niſi in cauſa Fori interioris , Actor eſſe poteſt inſimul , & Judex : ſed dimittens Partem fœdifragam eſt Actor ; ergo nequit eſſe Judex ; unde extraneum judicium exquirendum eſt .

Privata vindicta reprobata .

148 PROB. IV. Quoddam videtur vindictæ genus , fœdifragam proprio judicio dimittere , contra Apoſtolum dicentem ad Rom. 12. verſ. 19. *Mihi vindicta : ego retribuam , dicit Dominus* ; ut ergo ab omni privata vindicta judicium expurgetur , & æquitatis jura ſerventur , Judicis Sententia expoſcenda eſt .

Hoc & Canones ſanxerunt . Cap. *Seculares* 33. *q.* 1. ex Concil. Carthag. habetur — Si antequam ad Epiſcopos Comprovinciales diſſidii cauſas dixerint , & priuſquam in judicio damnentur , Uxores ſuas abjecerint , a communione Eccleſiæ , & ſancto populo Dei , & pro eo , quod Conjugia maculant , ſeparentur — Cap. *Porro* . *De Divortiis* Alexander III. declarat , abſque Eccleſiæ Sententia non poſſe ſeparari Conjuges , qui aliàs illegitime propter publicum , & notorium Conſanguinitatis impedimentum Matrimonium contraxerunt ; ergo potiori jure ſine Eccleſiæ judicio dari non poterit divortium . Præterea Cap. *Significaſti* . *De Divortiis* ſubjicitur excommunicationi Vir , qui propter inceſtum Conjugem , privata auctoritate , dimiſerat . Et Cap. *De illa* ibidem cogitur Mulier ad Virum ab Apoſtaſia reverſum redire , a quo cauſâ hæreſis proprio marte ſeſe abalienaverat .

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

149 OBJIC. I. Abſque publico judicio Sententiam a legitimo Judice latam quilibet valet executioni mandare : ſed Chriſtus legitimus Judex divortii Sententiam dixit in cauſa fornicationis ; ergo publicum aliud judicium haud requiritur .

Chriſti ſententia de divortio per Judicem applicari debet.

RESP. Legis Canonem Chriſtus ſtatuit , Juſque promulgavit , & juxta Jus a Judicibus Sententia efformanda eſt . Sententia enim nil aliud eſt , quàm juris communis applicatio ad factum particulare per conſtitutos Miniſtros emanata ; & applicatio hujuſcemodi in caſu requiritur .

150 OBJIC. II. Laudabiliter imitatur , quod commendatur in Scripturis : ſed laudatur Sanctus Joſeph , qui Deiparam Sponſam voluit occulte dimittere ; ergo privato judicio divortium licitum fore nullimode eſt ambigendum .

S. Joſeph cur Virginem voluit dimittere .

RESP. cum D. Thoma *in Suppl. quæſt.* 62. *art.* 3. *ad* 2. — Joſeph voluit B. Virginem „ dimittere , non quaſi ſuſpectam de fornicatione , ſed ob reverentiam ſanctitatis „ ejus , timens cohabitare ei ; nec tamen eſt „ ſimile , quia tunc ex adulterio non ſolùm „ procedebatur ad divortium , ſed ulteriùs ad „ lapidationem , non autem nunc , quando „ agitur in judicio Eccleſiæ —

Alia argumenta vide ibidem ex Angelico Doctore .

Status incompoſſibiles aſſumendus poſt Judicis ſententiam.

151 Hinc inſeras , innocentem , qui jus habet , inſcio reo , aſſumendi ſive Sacros Ordines , ſive ingrediendi Religionem , nequit ante Judicis Sententiam incompoſſibilem ſtatum amplecti , ſive pro ſcandalo evitando , ſive ob decentiam Sacrorum Ordinum , nec non Religionis . Adoptato incompoſſibili ſtatu , non poteſt Vir amplius Uxorem repetere . Nec datur compenſatio , ſi cum alia peccaret . Quod ſi ad ſuam accederet , delinqueret utique contra Religionem , ſecus contra juſtitiam ; non enim diſſolutum eſt vinculum . Pars rea eo in caſu non tenetur aut caſtitatem vovere , aut ingredi Religionem ; hoc ſiquidem Jura non diſponunt . Pars fœdifraga , inſcio innocente , nequit ad aliam incompoſſibilem ſtatum tranſire ; nam quandiu innocens manet in Seculo reconciliari poteſt , ſuamque repetere , quæ redire tenetur , etſi in Religione voviſſet caſtitatem ; quo caſu reddere deberet , ſed petere nequaquam debitum poſſet .

DISPU-

DISPUTATIO QUINTA.

DE IMPEDIMENTIS SACRAMENTI MATRIMONII IN GENERE.

CONTROVERSIA I.

AN IN ECCLESIA DETUR POTESTAS CONSTITUENDI IMPEDIMENTA DIRIMENTIA.

1 NOvatores nobiſcum ſentiunt, in Chriſtiana Republica dari poteſtatem condendi leges prohibentes Nuptias, ſpectatis circumſtantiis loci, temporis, & Perſonarum. Stante porro lege, ſi quis eidem non obtemperet, Matrimonium annuunt illicite contrahi, utpote contra ſtatuta recti regiminis. Contendunt tamen, hanc poteſtatem non eò extendi, ut valeat impedimenta decernere, quæ dirimant, irritumque faciant Matrimonium. Tridentini temporibus obſtrepebant Hæretici, adversùs Eccleſiam inſurgentes, ex quo conſtituerit alios a Levitico aſſignatos Conſanguinitatis, & Affinitatis gradus.

Melancthon *in locis Communibus Tit. de Conjugio*, & Kemnitius 2. *parte examinis Tridentinæ Synodi* nonnullos gradus jure prohibitos fuiſſe noverunt, nec renuunt fateri, nunc poſſe prohiberi, ſalva tamen conſcientiæ libertate, ut ſcilicet nullum ſit peccatum, ſi ſecus fiat. Hac ſuper re Kemnitius pugnantia docet. Si enim juſta eſt, & legitima prohibitio, neceſſe eſt, Matrimonia adversùm eam contracta fore illegitima, adeoque peccare ſic contrahentes.

Gentiletus in ſuo examine Concilii Tridentini inſurgit adversùs Canonem 3. Seſs. 24. ubi Tridentini Patres anathema dixerunt adversùs aſſerentes, nequire Eccleſiam in aliquibus gradibus conſanguinitatis, & affinitatis in Levitico enunciatos diſpenſare, audenter ſcribens -- Hoc Canone Tridentini Patres, Eccleſiæ, hoc eſt. Papæ, & Sedi Romanæ poteſtatem tribuunt a Juris divini obſervatione ſolvendi, Juſque ſuæ illius poteſtatis ſupra Deum ipſum extendendæ &c. -- Brentius in Confeſſione Wirtembergenſi Cap. *de Conjugio*, & alibi, negat Romano Pontifici auctoritatem ferendi leges conſtitutivas graduum dirimentium Matrimonium, ſed veneratur Cæſarem ut legitimum Legiſlatorem; quoniam verò Pontificiis Sanctionibus leges ſuas ſubjecit, vult ipſum auctoritate expoliatum. Addit nihilominus, ſervandum eſſe Romani Imperatoris legem; quia licèt Cæſar hoc non potiatur jure, lex tamen juſta cenſenda eſt.

Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap.* 19. §. *ult.* Eccleſiam criminatur, quod gradus cognationis conſtituerit præter aliarum Gentium, & ipſius Moyſis Politiam. Beza primus Calvini Diſcipulus *lib. de repudiis, & divortiis* modum reprehendit ſupputandi gradus, quo Canoniſtæ utuntur, tanquam abſurdum, ſed hac ſuper re ſequendas ſtatuit Leges Civiles, aſ nempe œconomiâ, ut Matrimonia in illis gradibus Cognationis, quos illæ ſupputant, non contrahantur, verùm ſi contracta fuerint, negat eſſe dirimenda.

Launoius libro, cui inſcriptio: *Regia in matrimonium Poteſtas*, Eccleſiæ nomine, de qua Canon 4. *Seſs.* 24. Tridentini, Cœtum Fidelium intelligit, non quidem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſed politicæ gubernationis, prout ex Regibus, politiciſque Magiſtratibus coaleſcit -- Eccleſia verò a Romanis Ponti„ficibus . . . definitur Fidelium, ſeu Catho„licorum congregatio -- Hinc aſſerit, rectè intelligi, quomodo potuerit, & reapſe dirimentia Matrimonii impedimenta Eccleſia conſtituerit -- Nempe per Reges alteram Ec„cleſiæ perſonam, illa potuit conſtituere, „& conſtituit. Sic igitur ad perſonam Re„galem flexo Eccleſiæ nomine Tridentinis „Canonibus ſua conſtat veritas, & contra „imperitum Novatorem (*Lutherum intelli„git*) impedimentorum Matrimonii diſcipli„na retinetur, & aſſeritur --

Sunt, qui dicunt, Eccleſiam Seculo IX. quo prodiere Decretales, perperàm, ut ajunt, prioribus rei Chriſtianæ Pontificibus adſcriptæ, jus ſibi vendicaſſe conſtituendi impedimenta, unde factum eſt, ut Seculo XI. & XII. praxis illa ubique invaluerit, quoniam Burchardus, Ivo Carnotenſis, & Gratianus hujuſcemodi Decretales ſuis Collectionibus inſeruerunt. Alii contendunt, Eccleſiam ſenſim hoc jus ſibi arrogaſſe; ideoque vix fieri potuit, ut uſurpato juri Principes contradixerint. Alii tandem ultro fatentur, primis legis Evangelicæ Seculis Eccleſiam ſtatuiſſe impedimenta, non quidem proprio, ſed emendicato jure, nempe ex Principum conceſſione.

DICENDUM tamen eſt, Eccleſiam jure ſuo legitimam habere poteſtatem conſtituendi impedimenta dirimentia Matrimonium.

2 PROB. I. In Scripturis Eccleſia Regno ſub optimo regimine conſtituto aſſimilatur: ſed in hujuſmodi Regno datur jus intrinſecum diſponendi de civilibus, politiciſque contractibus, prout ad Reipublicæ bonum expedit, quaſdam apponendo conditiones, quibus valent contractus, aut irriti cenſendi ſunt, ſi illæ deſint; argo itidem in Eccleſia dari oportet intrinſecum jus diſponendi de Sacro connubiali contractu, prout ad bonum Animarum, Sacramentique decorem expediens ipſi viſum fuerit, ſicut in ceteris rebus ad Dei cultum ſpectantibus, taliter ut certis tantummodo ſervatis conditionibus, validum habeatur Matrimonium. *Eccleſia aſſimilatur Regno.*

3 PROB. II. Eccleſia fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum totâ gaudet gubernativâ poteſtate, quam Apoſtoli ſortiti

fuere:

Apostolis, Ecclesiæque collata potestas circa Matrimonium.

fore: sed Apostolis potestas a Christo collata est constituendi impedimenta dirimentia; ergo. Et sane Apostolus 1. *ad Corinth. 7.*, casu, quo Vir infidelis citra Creatoris injuriam cum Conjuge ad Fidem conversa habitare nolit, permittit, ut ab eo discedat, alterique nubat; ergo decernit, Viri infidelitatem, seu disparitatem cultus, eo in casu dirimens fore impedimentum.

4 PROB. III. In qualibet bene instituta Republica spectat ad eos, qui jure præsunt, humanos actus eidem proprios dirigere, eosque vel ratos, vel irritos declarare: sed in Christiana Republica invenire est, qui jure præest, nempe Petri Successor: Matth. 16. vers. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum*. Joan. 21. vers. 17. *Pasce oves meas*; ergo, cum contractus matrimonialis sit proprius Reipublicæ Christianæ, utpote ad rationem Sacramenti elevatus, apprime necessaria est in Præsidentibus directiva potestas, qua licitus, validusque habeatur. Hinc Jeremiæ 1. vers. 10. legitur: *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*; quibus innuitur potestas circa humanos actus, qui ad Sacra pertinent.

Ecclesiastica est circa Sacra versari.

5 PROB. IV. Quoties lex naturalis solummodo mandat, rem aliquam ad ordinem Sacrarum rerum spectantem agendam, vel non agendam esse, dari necesse est in Ecclesia positiva potestas modum præscribens, quo licite, valideque peragatur: unde effatum illud habetur: ubi desinit lex naturalis, lex positiva consurgit. Hinc quia lex naturæ Deum esse colendum præscribit, quin modum decernat: habetur in Ecclesia potestas ejusdem præscriptiva, ut nempe certis diebus, actionibusque, sub æternæ mortis discrimine colatur. Similiter quia in Ecclesia data est potestas remissiva peccatorum indeterminate, ideo ipsa firmiter sanxit, ut semel saltem in anno Fideles eidem potestati sese subjiciant. Et ratio in aperto est. Etenim bonitas, & malitia actionis non a sola specifica ratione, verùm etiam ab individualibus conditionibus dependet: momentum hoc similiter urget sive validitatem, sive nullitatem actus spectes; atqui Matrimonium, secundùm se, tantummodo pertinet ad naturæ legem, & divinâ elevatione ad Sacrarum rerum ordinem; ergo dari oportet in Ecclesia potestas modum præscribens, quo actu bene, valideque fiat. Idcirco scribit Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*.

Ubi desinit lex naturalis, positiva consurgit.

6 PROB. V. Non minùs eos inter, qui Sacro regenerationis lavacro abluti sunt, Conjugium censetur Sacramentum, quàm Eucharistia, Pœnitentia, & alia Sacramenta: sed in Ecclesia datur legitima potestas dispositiva circa alia Sacramenta, ut licite, vel illicite fiant, valide, vel invalide; ergo etiam in ordine ad Conjugium. Habemus namque Matth. 7. vers. 10. Domini præceptum: *Nolite Sanctum dare canibus*: porro canes non solùm hi intelliguntur, qui indigni sunt, sed etiam incapaces; quare fas est, ut Ecclesia potestatem habeat sive circa honestatem, sive circa actus validitatem, potissimùm circa ea, quæ non sunt determinata sive naturalis, sive divini juris. Hac potestate usum fuisse Paulum legimus 1. ad Corinth. 11. vers. 34. nonnulla præcipiens circa Eucharistiam, servato jure cetera disponendi: *Cetera cum venero disponam*; & in Sacro reconciliationis Sacramento habemus, Ecclesiam Canones constituisse, quibus validi, vel invalidi declarantur Ministri, adeoque validum, invalidumque efficiatur Sacramentum.

Potestas in Ecclesia circa Sacramenta.

7 PROB. VI. Per analogiam temporalis Conjugii explicat Apostolus dignitatem Conjugii spiritualis: sed Ecclesia circa spirituale Conjugium potestatem habet reddendi Personas inhabiles: quoniam ad Titum 1. vers. 5. legitur: *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros*, ita etiam 1. ad Timoth. 3. vers. 6. præcipitur, ne in Episcopum Neophitus eligatur; ergo pariformiter Ecclesia potestatem habere debet formam exarandi corporalis Conjugii, habilesque reddendi Personas ad illud contrahendum.

Analogia temporalis cũ spirituali Conjugio.

8 PROB. VII. eadem veritas ex Traditione Conciliorum. Primò quidem, si fides habeatur Canonibus Apostolicis, habemus sub primordiis Ecclesiæ *Can.* 26., seu 27. statutum impedimentum Ordinis pro majoribus Clericis, quatenus ipsis interdictæ fuerunt Nuptiæ.

Concilia impedimenta Conjugio opponentia.

Seculo IV. In Concilio Illiberitano *Can.* 14. & *seqq.* assignatur impedimentum disparitatis cultus, dum prohibentur Conjugia Idololatras inter, & Christianas Mulieres, sicut inter Hæreticos, & Fideles &c. Concilium Neocæsariense sub an. 314. statuit impedimentum affinitatis *Can.* 2. — Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem; veruntamen in exitu, si promiserit, quod ubi convaluerit, solvet Matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit — Carthaginense II. sub Genethlio Episcopo anno 390. *Can.* 1. impedimentum Ordinis firmat decernens, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab Uxoribus abstineant.

Seculo V. Hibernense sub an. 450. *Can.* 17. irritum facit Matrimonium cum Virgine Deo sacrata. Item Carthaginense IV. an. 498. celebratum *Can.* 104. Viduis continentiam ritu solemni professis, & violato proposito ad Nuptias transeuntibus, Christianam subtrahit communionem. Chalcedonense *Can.* 16. Sacras Virgines Deo dicatas, similiter & Monachos, nubere prohibet.

Seculo VI. Aurelianense I. an. 511. celebrato *Can.* 18. habet — Neque superstes frater thorum defuncti fratris ascendat, neque se quisquam amissæ Uxoris Sorori audeat sociare. Quod si fecerint; Ecclesiastica districtione feriantur — Arelatense II. an 533. *Can.* 17. Fœminas, quæ Diaconalem benedictionem obtinuerunt, si nupserint, arcet a communione. Arelatense III. congregatum an. 538. *Can.* 7. instauratis circa gradus consanguinitatis, & affinitatis Statutis, iterum declarat, Conjugia hujusmodi fore incestus, & adulteria, prohibens ne quis relictam Patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam relictam avunculi, vel patrui, ducat Uxorem. Demum Aurelianense IV. *Can.* 24. statuit impedi-

dimentum conditionis, seu servitutis, mancipiorum Conjugia irritans, si absque Dominorum placito fuerint inita. Turonense II. sub anno 567. *Can.* 15. Monachos Uxorem ducentes a communione pellere, atque ab illegitimo consortio separare mandat. Idem quoad Sanctimoniales decernit Matisconense I. an. 583. Et II. an. 585. *Can.* 18. incestas conjunctiones execratur.

Seculo VII. Rhemensis Synodus an. 625. celebrata *Can.* 8. incestuosas Nuptias damnat, atque bonorum expoliatione plectit. Toletanum IV. an. 634. habitum vetat Clericis inferioribus, quibus nubere licet, ne Viduas, repudiatas, aut malæ famæ fœminas ducant.

Seculo VIII. Synodus Romæ habita sub Gregorio II. an. 721. anathemate ferit eos, qui Sanctimonialem, susceptricem e Sacro fonte, fratris uxorem, neptem, novercam, aut aliquam de cognatione, Uxorem duxerint.

Seculo IX Moguntinum Concilium I. sub Rabano an. 857. *Can.* 30. Conjugium in quarto consanguinitatis gradu deinceps vetat, & contractum post hanc prohibitionem dirimit.

Seculo X. Concilium Ænhamense anno 1000. *Can.* 8. decernit de impedimentis Matrimonii, hocque contrahi prohibet cum consanguineis, vel affinibus in quarto gradu, cum Sanctimoniali, cum susceptrice sua e Sacro fonte.

Seculo XI. Bituricense an. 1030. *Can.* 17. Interdicit Connubia consanguineorum, & affinium, sicut & cum Clericis, vel eorum filiis, aut uxoribus, vel filiabus. Rothomagense an. 1050. *Can.* 14. Matrimonia clam contrahi prohibet, aut post prandium, & inter consanguineos infra septimam generationem.

Seculo XII. Leondoniense I. an. 1102. *Can.* 24. decernit ne Cognati usque ad septimam generationem copulentur, vel copulati simul permaneant. Idem firmatur in sequenti Concilio an. 1125. *Can.* 16.

Sequentium Conciliorum Sanctiones referre abs re foret; cum in notissimis versemur.

9 PROB. VIII. ex Traditione Summorum Pontificum. Pro quatuor prioribus Ecclesiæ Seculis habemus momentum ex Siricio Papa ad Himerium Tarraconensem, quo Monachos quosdam execratur, qui nubere tentabant — Quod (*ait Pontifex*) & publicæ Le-„ ges, & Ecclesiastica Jura condemnant — quibus palam fit, non loqui de nova lege tunc temporis emanante, sed de lege, quæ jam invaluerat.

Rescripta Pontificum circa impedimenta.

Innocentius I. *Epist.* 9. *ad Probum* declarat, nullimode legitimum fore Matrimonium Fortunii, superstite Ursâ priori Uxore, a Barbaris rapta; quod est impedimentum ligaminis. Leo I. *Epist.* 129. aliàs 79. *ad Nicetam Aquilejensem Episcopum cap.* 4. ligaminis impedimentum confirmat, Mulieres quasdam excommunicationi subjicens, ex quo prioribus existentibus Viris, licèt in captivitate, alios duxerant, atque ad primos renuebant redire. Idem Leo *Epist.* 12. aliàs 84. *cap.* 4. impedimentum Ordinis statuit, declarans Subdiaconis nequaquam concedendum esse Connubium. Plura etiam ipse Pontifex habet de impedimento conditionis *Epist.* 92. *cap.* 4. Symachus *Epist. ad Cæsarium Arelatensem cap.* 4. Nuptias prohibet Viduis, & Virginibus Deo sacratis, quod est impedimentum voti.

Gregorius Magnus *lib.* 6. *Epist.* 1. *ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum* declarat, restituendam fore Mulierem a Viro dimissam propter dissimulatam, ut objiciebat, servitutis conditionem, cum ejusdem libertas probata fuerit; *lib.* 7. *Epist.* 120. Virgilium, & Syagrium redarguit, quod defensionem non susceperint Syagriæ Deo sacratæ, & per vim sociatæ Marito; ubi duplex innuit impedimentum, voti nempe, & violentiæ; *lib.* 12. *Epist.* 31. ad Augustinum Anglorum Apostolum *in responsione ad* 6., *&* 7. *interrogationem* vetat, ne in primo, & secundo gradu Connubia fiant.

Zacharias Papa ad interrogationem tertiam Bonifacii Germanorum Apostoli, quæ erat de Laico, qui licentiam a Gregorio III. sibi indultam dictitabat, ut Mulierem in tertia generatione sibi propinquam, avunculi sui Viduam, ab altero Viro consobrino adhuc superstite digressam, & ante Matrimonium velatam in Uxorem assumeret, respondit: verisimile non esse, Gregorium Matrimonium hujusmodi permisisse, quia -- Ab Apostolica „ Sede illa non diriguntur, quæ contraria „ esse Patrum, sive Canonum institutis in-„ veniantur -- quare a prædicto Matrimonio recedendum esse decernit.

Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum *cap.* 39. docet, quid de consanguineorum Matrimoniis sentiendum -- De consanguini-„ tate generationum exquiritis, ut quibus „ utique fœminis jungi debeatis, liquidò co-„ gnoscatis, inter eas enim Personas, quæ „ Parentum, Liberorumve locum inter se „ obtinent, Nuptiæ contrahi non possunt &c.--

Gregorius V. in Romano Concilio an. 998. congregato Roberti Francorum Regis cum Bertha consanguinea Connubium irritum declaravit, eisque *Can.* 1. septem annorum pœnitentiam injunxit, atque separationem sub anathemate mandavit; & *Can.* 2. Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum talis Conjugii consecratorem, aliosque Episcopos consentientes, a communione suspendit, donec Ecclesiæ satisfecerint.

Alexander II. *Epist.* 38. *ad Episcopos, Clericos, & Judices Italiæ* confirmavit præcedentium Seculorum leges dirimentes Connubia infra septimum consanguinitatis gradum; & in Synodo Romana ab ipso coacta an. 1065. Incestuosorum hæresim damnavit; quidam namque Jurisperiti pertinaciter adhærentes Justiniani auctoritati gradus consanguinitatis numerandos esse eadem ratione ab Ecclesia, qua in successionibus contendebant, atque Matrimonia inter cognatos esse licita propugnabant. Gregorius IX. edere jussit Decretales, in quibus plures leges Connubia irritantes inseruntur.

Eduardus Anglorum Rex Edmundum Margaretæ filiæ Ludovici Belgarum Comitis Matrimonio copulaverat; verùm nullum declaratum fuit Conjugium propter impedimentum consanguinitatis, atque irrito, cassoque labore apud Urbanum V. dispensatio expetita fuit. Lu-

Ludovicus XII. Galliarum Rex, cum invitus duxisset Joannam Regis Ludovici XI. filiam, ipsam utpote sanguine conjunctam repudiavit; per Judices namque Ecclesiasticos ab Alexandro VI. deputatos nullum declaratum fuit Conjugium. Hoc soluto vinculo, veniâ a Pontifice impetratâ, Annam Britannicam itidem consanguineam in Uxorem duxit. Aliæ plurimæ occurrunt Pontificiæ dispensationes super impedimentis Matrimonii usque ad Concilium Tridentinum.

His omnibus invictè evincitur, legitimam adesse in Ecclesia auctoritatem constituendi impedimenta Conjugii dirimentia.

10 PROB. IX. ex Traditione Sanctorum Patrum, qui in Catholica Ecclesia impedimenta Matrimonii agnoverunt.

S. Basilius *lib. de Virginitate* post medium, de impedimento voti habet — Cum „ Virginitatem Domino professæ sint, car- „ nali postmodum voluntate male blandæ „ delinitæ, & devictæ, stupri scelus honesto „ Conjugii nomine obtegere cupiunt. Non „ ignorant hujusmodi, quamvis ignorantiam „ simulent; quæ Sponsi dexteram, & fœdera „ prævaricata sit; eam nec illius ultra esse „ Sponsam, quem dereliquit, neque ejus „ Uxorem per ullas leges dici posse, cui se, „ deserto Sponso, libidine incitata conjun- „ xit — Et *in Epist. ad Amphilochium* de impedimento consanguinitatis — Si quis affectu „ immundo correptus, ad illicitam duarum „ Sororum communicationem exorbitaverit, „ id neque Conjugium esse censendum, ne- „ que talem ad Ecclesiasticum cœtum ad- „ mittendum, priusquam a se invicem diri- „ mantur -- De impedimento publicæ honestatis scripsit Siricius Papa ad Himerium Tarraconensem Episcopum *cap.* 4. -- Hoc ne „ fiat, omnino prohibemus -- De impedimento Ordinis S. Hieronymus *lib.* 1. *adversùs Jovinianum* -- Certe confiteris non posse „ esse Episcopum, qui in Episcopatu filios „ faciat; alioqui si deprehensus fuerit, non „ quasi vir tenebitur, sed quasi adulter dam- „ nabitur -- Disparitatem cultus obesse Matrimonio contrahendo agnovit Augustinus *lib.* 1. *de Adulterinis Conjugiis cap.* 25. exponens Apostoli verba 1. ad Corinth. 7. *Cui vult, nubat, tantùm in Domino* -- In Domi- „ no, duobus modis potest intelligi, aut „ Christiano nubens, aut Christiana perma- „ nens. Sed posterior expositio non videtur „ ita probabilis, ut prior &c. -- Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxorem* fuse hac super re loquitur, probans non oportere Christifideles cum Infidelibus contrahere Matrimonium. S. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 9. idem affirmaverat -- Cave Christiane, Gentili, aut „ Judæo filiam tuam tradere; cave Genti- „ lem, aut Judæam, atque alienigenam, „ hoc est, hæreticam, & omnem alienam „ a tua fide uxorem accersas tibi -- Cum sequentium Seculorum Patres ejusdem labii sint, ideo eorum auctoritates omittimus, ut ad Novatorum sophismata refellenda accedamus.

SOLVUNTUR ACATHOLICORUM ARGUMENTA.

11 OBJIC. I. In causa Conjugii quod Deus conjunxit, homo non separet: sed per impedimentum dirimens separatur, qui a Deo conjunctus est; ergo ab homine, hoc est ab Ecclesia, nequit dirimens constitui impedimentum.

RESP. Christus nonnisi legitime contrahentes conjungit; porro legitime non contrahunt, qui aliquo impedimento irretiti sunt; itaque Ecclesia nequaquam sejungit conjunctos a Deo, sed solummodo sua lege inhabiles reddit Personas ad conjunctionem. *Non omnes legitime contrahunt.*

12 OBJIC. II. Quæ a superiori potestate firmata sunt, nequeunt ab inferioribus infringi: sed Conjugii firmitas divino jure constituta est; ergo ab Ecclesiæ legibus infringi nequit.

RESP. Apud Legislatores solemne est, plura decernere dependenter a regulis per inferiores Judices apponendis. Hoc modo actum est in lege Matrimonii; etenim Deus ejusdem naturam ita constituit, ut Ecclesiæ commiserit jus ea decernendi, quæ apta fuerint judicata. Simile habemus in Sacramentali Confessione; Christus namque absolute Sacramentum reconciliationis instituit, peculiaria verò e re Ecclesiastica sunt. *Ecclesiæ plura a Deo commissa.*

13 OBJIC. III. Conjugio indissolubilitas est essentialis: sed quod essentiale est, nullimode auferri potest; ergo Conjugium per Ecclesiasticas Sanctiones nequaquam valet dissolvi.

RESP. Matrimonio legitime contracto competit quidem indissolubilitas, nec quodcunque superveniens impedimentum illud solvit; atque in hoc nulla impræsentiarum dubitandi ratio occurrit. Difficultas versatur circa Matrimonium nondum contractum: & jure, & merito dicimus, Ecclesiam impedimenta apponere posse, ne contrahatur.

14 OBJIC. IV. Non est e potestate Ecclesiæ impedimentum ponere, ne baptismalis character in eo producatur, qui juxta divini juris regulas ad Sacrum regenerationis lavacrum aptus est; atqui Conjugium non minùs quàm Baptismus Sacramentum est; ergo eas inter Personas, quæ secundùm jus divinum habiles sunt repertæ ad Matrimonium, nequit Ecclesia dirimens apponere impedimentum.

RESP. Matrimonium, ut ait S. Thomas 4. *Sent. dist.* 34. *quæst. unica art.* 1. *ad* 4. est in officium naturæ, & est Sacramentum; ideoque magis subest Ecclesiæ Ministris, quàm Baptismus, cui solummodo Sacramenti ratio competit. Ex duplici autem capite oritur, quod potissimùm Conjugio præ aliis Sacramentis possint, & debeant apponi impedimenta. I. quia Matrimonium habet causam in nobis, utpote humanus contractus, & habet causam in Deo, ut reliqua Sacramenta; unde illud pluribus modis quàm ista impediri potest; & quia Pœnitentia habet itidem in nobis causam, propterea impedimenta quædam possunt circa eam constitui. *Cur Ecclesia valeat impedimenta constituere.*

II. quia

II. quia de aliis Sacramentis habemus praeceptum, vel consilium, velut de perfectioribus: secus de Conjugio; quare ut detur occasio proficiendi in melius, debent posse assignari impedimenta.

15 OBJIC. V. Christus Dominus, sublatis varietatibus hominum traditione superinductis, cum Pharisæis verba faciens *Matth.* 19. Conjugium ad primævam unitatem, & uniformitatem revocavit: atqui per impedimenta irritantia hujusce modi uniformitas tollitur, & multiplex inducitur mutatio; ergo non est in Ecclesia potestas impeditiva Conjugii.

RESP. Reformatio Conjugii a Christo inducta potissimùm attenditur penes unitatem, ejusdemque indissolubilitatem; qua super re nulla prorsus impræsentiarum mutatio. Quoniam verò unitas, atque indissolubilitas nequaquam subsistit, nisi contrahentes habiles sint, fas est potestas aliqua directiva, & regulativa, per quam habiles constituantur Personæ; quod fit mediis Sanctionibus conditiones præcipientibus, ut unitas, & indissolubilitas perfecta habeatur.

Mutatio quandoque laudabilis.

Nec urget, quod aliqua intercedat mutatio, si loci, & temporis spectentur circumstantiæ. Hinc dixit Innocentius in Concilio Lateranensi — Non debet reprehensibile „ judicari, si secundùm varietatem temporum Statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel „ utilitas id expolcit, quoniam ipse Deus, „ quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo — & refertur *De Consanguinitate, & Affinitate*.

16 OBJIC. VI. In Conjugio prior, & potior est conjunctio animorum, quàm corporum: sed Ecclesia non valet impedimenta constituere pro animorum conjunctione: cum impedire nequeat charitatis, atque amicitiæ laudabile vinculum; ergo neque apponere potest impedimenta pro corporum conjunctione.

Animorum conjunctio quando damnabilis.

RESP. Ecclesia utique non potest simpliciter, & absolute, amicabilem impedire animorum conjunctionem; bene verò in aliqua determinata circumstantia in ordine ad bonum commune custodiendum, augendumque. Quo pacto Magistratus in politicis concordiam inter Cives nequit prohibere, potest tamen eidem obsistere, puta respectu quarundam Personarum juxta peculiares rerum conditiones occurrentes, seu relate ad aliquos determinatos effectus, v. g. ne nocturni privati conventus habeantur &c.; ita Ecclesia impedire potest maritalem animorum conjunctionem cum hac, illave Persona.

17 OBJIC. VII. Leges dirimentes Matrimonia, directe fini Conjugii, qui est prolis susceptio ad cultum Dei, opponuntur; ergo. Sicut ab initio nullum adfuit impedimentum, quia Connubium ad humani generis propagationem ordinatum erat; ita nullum in præsenti apponi debet, quia proles intenditur ad Dei cultum.

RESP. Leges dirimentes nequaquam laudato fini contrariantur; sed mire deserviunt, quatenus disponunt, ut debito, congruentiorique modo proles suscipiatur, instituaturque ad Dei obsequium. Ceterum propagatio divini cultus in lege Gratiæ non per carnalem propagationem, sed per Gratiam fit; hæc porro exposcit, ut Fideles ab inordinato carnalium amore arceantur, magisque expediti sint, ut cælestia prosequantur. Ad hoc tendunt leges constituentes impedimenta.

Leges Ecclesiæ ad Dei cultum ordinatæ.

18 OBJIC. VIII. Conjugium est constitutum in symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia: sed Ecclesia impedire nequit, quod anima cum Christo conjungatur; ergo neque obstare potest, quod uniantur corpora.

Conjugium ut officium naturæ ab Ecclesia regulatur.

RESP. Desponsatio animæ cum Christo fit per Fidem, quæ plane supernaturalis est, nec aliud esse habet; quare non ab alio, quàm a Deo ejusdem regula venanda est. Conjugium verò & in officium naturæ habetur, & est Sacramentum; & licèt secundùm hanc rationem ab Ecclesia non dependeat, dependet tamen ab ea secundùm alteram. Porro Conjugium dicitur symbolum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, ut est Sacramentum; non ut est in officium naturæ.

CONTROVERSIA II.

AN POTESTAS, QUÆ IN ECCLESIA EST, CONSTITUENDI IMPEDIMENTA, HABEATUR EX LAICORUM PRINCIPUM CONCESSIONE.

PRobatâ in Ecclesia potestate constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia, nunc inquirendum superest, an habeatur a laica potestate, atque in Cœtu Fidelium resideat.

DICENDUM itaque, potestatem, quæ est in Ecclesia quoad impedimenta Matrimonii, haud esse a laica concessione.

Doctrina Patrum primi Christiani ævi.

19 PROB. I. Juxta doctrinam Patrum, qui primo rei Christianæ ævo floruere, potestas constituendi impedimenta Matrimonii a Sacris est Ecclesiæ Ministris; ergo a laica potestate, seu Principum concessione nequaquam descendit. Assumptum probatur. Siricius Papa *Epist. ad Himerium Tarraconensem cap.* 4., loquens de impedimento publicæ honestatis hoc refert momentum--Quia illa benedi„ ctio, quam nupturæ Sacerdos imponit, „ apud Fideles adinstar sacrilegii est, si ulla „ transgressione violetur --Hujusmodi impedimentum non repetit Pontifex ex Principum decretis, sed ex Sacerdotali benedictione.

S. Basilius *Epist. ad Diodorum* scribens de Viduo, qui Sororem demortuæ Conjugis duxerat, declarat id fore illicitum, utpote adversùs leges a Sanctis Viris exaratas — „ Propterea quod Sanctiones istæ a Sanctis „ Viris nobis sunt traditæ — Non dicit ab Imperatoribus, sed a Sanctis Viris. Notes velim, loqui non quidem de re nova, sed de re a Majoribus accepta.

Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem cap. 9.* sermonem instituens de impedimento cultus dicit, illud solummodo Conjugium ratum fore apud Christianos, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedi-

ctio; ubi nulla de Principibus metuio.

Impedimentum quoad Diaconissas a sola Ecclesia.

20 PROB. II. Haud dici potest illud ex Principum Sanctionibus, aut concessione, emanasse, de quo nihil unquam statuerunt Principes, bene verò Ecclesia: sed de Diaconissis altum apud Principes silentium, & aliàs in Concilio Aurelianensi II. *Can.* 17. decretum est pro ipsis Impedimentum voti in ordine ad contrahendum Matrimonium; ergo.

Ecclesia Leges ad omnes Gentes.

21 PROB. III. Ex Principum concessione reperi nequeunt Ecclesiæ Leges, quæ, Genti eidem Principibus non subditæ, ab Ecclesia injunctæ sunt; sed Ecclesia Leges dedit Genti non subditæ Imperio Principum: ut in aperto ex Gregorio Magno, qui Anglorum Genti tunc temporis Romano Imperio non subditæ circa impedimenta consanguinitatis disposuit: & ex Nicolao I., qui in Responsis ad consulta Bulgarorum *cap.* 39. ipsos, quamvis Romanis Principibus minime subjectos, docuit, quibus in gradibus consanguinitatis licerent Conjugia; ergo.

Principes ab Ecclesia exquirunt leges.

22 PROB. IV. Ei competit jus constituendi impedimenta, cujus est insurgentes ea de re dubitationes enucleare: sed ad Ecclesiam spectat matrimoniales causas agnoscere, non ad laicos Principes; ergo. Concilium Rom., apud Binnium, sub Zacharia an. 743. celebratum, habet -- Præteritis annis „ litteras miserunt Archiepiscopi, & Reges „ Provinciæ illius (*scilicet Germaniæ*) petentes Apostolica præcepta, qualiter liceat „ illius Conjugia copulare, & quomodo debeat observare -- Reges petunt, & non imperialia, sed Apostolica præcepta, qualiter essent intelligenda, & observanda circa gradus cognationis; agnoscebant igitur tunc temporis laici Principes auctoritatem penes Ecclesiam statuendi leges circa Conjugia.

Idem comprobatur ex actis a Gregorio V. in Concilio Rom. in causa Roberti Francorum Regis, & ab Alexandro VI. in causa Ludovici XII., de quibus superiùs *num.* 9. actum est.

Illustrius argumentum habemus ex Childerico Francorum Rege, qui Prætextatum Archiepiscopum Rothomagensem in Parisiensi Synodo, referente Gregorio Turonensi *Hist. lib.* 5. *cap.* 18., criminatus est -- Quid „ tibi visum est, o Episcope, ut inimicum „ meum Meroveum, qui filius esse debuerat, „ cum amita sua, idest cum Patris sui uxore „ conjungeres? An ignarus eras, quæ pro „ hac causa Canonum Statuta sanxissent? --

Carolus etiam Magnus *lib. 6. Capitularium* antea fassus fuerat -- De reliquis verò „ propinquis juxta constituta Sanctorum Patrum, & juxta Decreta Canonum judicen„ tur --

Lex Ecclesiastica leges Principum emendat.

23 PROB. V. Jus illud haud censeri debet ex Principum concessione derivatum, quod eorum leges emendat, abrogatque: sed Ecclesiæ potestas circa impedimenta Matrimonii est hujusmodi: nam Cap. *Cum secundùm Apostolum. De secundis Nuptiis* abrogatur lex Imperialis vetans secundò nubere nondum expleto anno a morte prioris Conjugis; ergo.

24 PROB. VI. Leges Canonicæ circa impedimenta Matrimonii tendunt ad objectum ordinis, qui altior est laicali potestate: sed potestas legislativa altioris ordinis dimanare nequit ab inferiori potestate, ut in aperto est; ergo. Explicatur argumentum. Conjugium consistens in contractu civili duarum Personarum elevatum fuit a Christo inter baptizatos ad esse Sacramenti, nempe ad ordinem sacrum; porro ordo sacer est proprie Sacerdotalis jurisdictionis, & dubio-procul superior est ad quamcunque laicalem potestatem; ergo sicut res naturalis, & humana, Deo sacrata, a laicali linea extrahitur, sic Conjugium elevatum ad esse Sacramenti, non laicalis, sed Ecclesiasticæ jurisdictionis efficitur. Hinc Cap. *De Francia. De Sponsalibus* Synodus Triburiensis decrevit, firmum esse Conjugium a quodam Franco initum cum muliere Saxona, qui eam dimittere volebat, eo quod Franciçæ leges non erant servatæ. Itaque Leges Civiles non urgent, si juxta Ecclesiasticas Sanctiones Matrimonium fuerit contractum.

DISSOLVUNTUR ADVERSANTIUM ARGUMENTA.

25 OBJIC. I. Sacerdotalis Ordo non nisi eam habet potestatem, quàm eidem largitus est Christus; sed ab eo potestatem non habet apponendi impedimenta Matrimonii, sed solummodo declarandi, quando liceat, nec ne: quo pacto idem Divinus Legislator *Matth.* 19. interrogantibus Pharisæis, num liceret quacunque ex causa uxorem dimittere, nulla constituta Sanctione respondit, quando liceret, & quando non; ergo jure suo Ecclesiam non habet, unde decernat impedimenta.

Christus de Conjugio judicavit.

RESP. Kemnitius 2. *part. Examinis Tridentini* tanquam mediator accedit inter negantes Ecclesiæ potestatem circa Matrimonia, illamque propugnantes, affirmans, ad Sacerdotalem Ordinem spectare resolvere conscientiæ casus ex Dei verbo pendentes circa Matrimonia, ad Magistratum verò politicum ferre Leges. Verùm ex laudato Matthæi capite oppositum evincitur. Nam Christus interpretatus non est solummodo Dei Verbum, sed per legem utique coactivam Judaicum abrogavit divortium; nec judicium ad politicum Magistratum remisit, sed ipsemet legem tulit: *Dictum est antiquis..... Ego autem dico vobis* &c. Matth. 5., ut inde intelligamus ad Principes Sacerdotum spectare cognoscere matrimoniales causas, cum ipsi Christi personam referant.

26 OBJIC. II. Circa rem nullimode sacram nequit jus proprium habere Ecclesia: sed Conjugium hujusmodi est, cum sit contractus civilis, & naturalis; ergo.

Matrimonium ad esse spirituale elevatum.

RESP. Utique Ecclesia de Conjugio non disponeret, si ad esse Sacramenti non fuisset a Christo elevatum; fuit tamen elevatum; & ideo de eo disponit. Materia, quæ erat naturalis, supposita elevatione, transit ad materiam Sacramenti; adeoque altior evadit ordine politico, & civili; jure itaque

opi-

optimo Ecclesiæ legibus subdi deber.

27 INSTABIS. Conjugium, etsi elevatum ad esse Sacramenti, de his plane rebus est, quæ directe, & per se deserviunt ad conservandam Reipublicæ pacem: atqui pax Reipublicæ est proprius finis, propriumque objectum politicæ potestatis; ergo jus disponendi de Conjugio ad Principes unice pertinet, & non nisi ex eorundem concessione alii judicare possunt.

Ecclesiæ leges ad bonũ Reip. ordinantur.

RESP. Conjugium elevatum in Sacramentum, hoc ipso quod recte per Ecclesiasticas Leges dirigatur, indubie ad Reipublicæ tranquillitatem quammaxime aptum est. Etenim Leges illæ ex rationabilibus momentis, nec non spectato communi bono conditæ sunt; & aliàs bene instituto supernaturali ordine, & tendentiâ in ultimum finem, dirigitur etiam tendentia in finem naturalem ex hujus subordinatione ad illum. Non igitur ex bono Reipublicæ colligi valet, Ecclesiasticam Legem ex Principum concessione emanare.

28 OBJIC. III. Lex impeditiva Conjugii inter Consobrinos, dimanavit a Theodosio Imp., ab eoque in morem inductam agnovit S. Ambrosius *Epist.* 60. novæ Editionis Parisiensis; ergo non est e re Ecclesiastica leges condere circa Matrimonia.

Lex irritans Coñubia Consobrinorum.

RESP. Suo illaqueatur vinculo Kemnitius. Tulit utique Theodosius legem irritantem Conjugia Consobrinorum: sed eam Arcadius, & Honorius ejusdem filii *l. Celebrandis* 19. *c. de Nuptiis*, & Iustinianus §. *Duorum. Instit. de Nuptiis* revocaverunt; Ecclesia verò legem hanc abrogavit, instauravitque Theodosianam, eique robur dedit, suamque fecit; hinc hujusmodi Ecclesiæ Constitutio invaluit, atque perpetuam est consecuta firmitatem. Itaque non precaria, sed propria auctoritate, Sacerdotalis Ordo impedimenta constituit, judicatque de illis. Gregorius Magnus *lib.* 12. *Epist.* 31. *ad Augustinum Anglorum Apostolum in responsione ad* 6., *&* 7. *interrogationem* habet -- Quædam terrena
„ Lex in Rom Republica permittit, ut sive
„ Fratris, sive Sororis, seu duorum Fratrum
„ germanorum, vel duarum Sororum filius, &
„ filia misceantur; sed experimento didicimus,
„ ex tali Conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra Lex prohibet cognationis
„ turpitudinem revelare; unde necesse est,
„ ut jam tertia, vel quarta generatio Fide-
„ lium licenter sibi jungi debeat -- Lex terrena a S. Pontifice nuncupatur Lex Arcadii, & Honorii, revocativa Theodosianæ Constitutionis, subrogatque Ecclesiasticam prohibitionem non quidem ad regulam Theodosianæ, sed ad regulam sacræ, divinæque institutionis:

29 OBJIC. IV. Duas inter potestates subordinatas principalior ea est, quæ alteri vim tribuit: sed in decernendis matrimonialibus impedimentis politica potestas Ecclesiasticâ potior est jure quia tempore; ergo cum necesse sit, quod eas inter detur subordinatio, plane fit, Ecclesiasticam consequi vim a laicali. Argumentum habemus ex Siricio *Epist. ad Himerium Tarraconensem cap.* 4. --
„ Quod & publicæ leges, & Ecclesiastica Jura
„ condemnant -- Ecce primatus Juri Civili, cui Ecclesiastica subditur potestas.

Lex Ecclesiastica potior Civili.

RESP. Lex politica circa Ecclesiastica est potior tempore in executione; quoniam Principes Ethnici priùs extitere ad Christi Ecclesiam, legesque promulgaverunt. Non autem est potior jure, non enim Secularis Ordo, quamvis præcesserit tempore, Ecclesiasticum præcellit dignitate. Erat quidem prior, & potior quoad Matrimonium, antequam ad rationem Sacramenti elevaretur; secus postea.

Porro Siricius Imperialem legem, quantùm ad vim obligandi, Ecclesiastico Juri nequaquam præponit; sed in illa hypothetica propositione describit ex duplici lege Monachorum proscripta Conjugia, atque a Civili tanquam a notiori exorditur.

30 OBJIC. V. Potestas alteri obsequens, ab ea vim accipit: sed Ecclesiastica potestas circa Conjugia obsequitur laicali; ergo. Evincitur minor propositio ex quo Sacerdotalis Ordo executioni mandari jusserit leges a Principibus latas. Leo Magnus *Epist.* 92. *cap.* 3. declarat irrita Servorum Conjugia, invitis Dominis, quia Cæsareæ Leges illa prohibent. Similiter Nicolaus I. *in responsis ad Bulgaros* eosdem edocens de gradibus vetitis, Imperialem legem proponit, explicat, præscribitque praxim -- De consanguinitate
„ generationum exquiritis, ut quibus utique
„ fœminis jungi debeatis, liquidò cognoscatis. Verùm quod Leges hinc faciunt,
„ jam meminimus --

Ecclesia vim confert legibus Principũ.

RESP. Ex quo Sacerdotalis Ordo executioni mandari jubeat Leges Civiles, non satis comprobatur in ipso solummodo precaria potestas; immo Superioris Legislatoris est praxim urgere mandatorum inferioris. Itaque Sacerdotalis Ordo praxim præscribit Legum Imperialium, quatenus ab ipsa adoptatæ fuerunt, atque ab eodem vim obligandi fuerunt consecutæ. Ceterum S. Leo tantùm affirmat, Leviticam legem perprius ad jus Imperiale apposuisse impedimenta: dicit enim -- Nuptiarum autem fœdera inter
„ ingenuos sunt legitima, & inter æquales
„ multò priùs hoc ipsum Domino consti-
„ tuente (*in veteri lege*) quàm initium Ro-
„ mani juris existeret -- Nicolaus verò perperàm ad Bulgaros Imperialem Sanctionem exposuisset; cum tunc temporis Romano Imperio non subderentur, adeoque Cæsareis nequibant urgeri Constitutionibus.

31 OBJIC. VI. Sacerdotalis Ordo a laicali potestate suarum legum valorem exoptavit: ut legere est apud Binnium in Concilio Milevitano *Can.* 17., ubi relato impedimento ligaminis, subditur -- In qua causa
„ Imperialem Legem petendam promulgari --
& in Moguntina Synodo, ubi postquam Canones conditi fuere, quos inter nonnulli habentur spectantes ad Matrimonium, puta LIV., & LV., a Patribus Carolo Magno oblati fuerunt, ut ab ipso emendarentur, atque robur obtinerent; ergo Leges Ecclesiæ ex se proprie vim non habent obligandi, sed hanc sortiuntur a laica potestate.

RESP. Ultro allucinatur Adversarius; nam verba Canonis oppositum evincunt. Ait

laudatus Canon Milevitanus *Placuit, ut secundùm Evangelicam, & Apostolicam disciplinam* &c., & prosequitur explicando impedimentum ligaminis. Igitur si hoc impedimentum ab Evangelica, & Apostolica dimanat, non dependet quoad vim obligandi a Principum auctoritate.

Cur Ecclesia subsidium Principum quandoque excipiat.

Equidem verum est, Ecclesiam quandoque ad laicos Principes confugere, ut suæ Leges executioni mandentur; sed secularem potestatem in subsidium expostulat, non ut Les vim obtineat, sed ut corporalibus pœnis coerceantur contumsces, inobedientes, atque spiritualis gladii contemptores.

Eodem sensu pariter intelligendum est Moguntinum, in quo luce clarius apparet, Fidei causas Sacerdotibus tantummodo commendatas, sicut laicales Laicis. In tres namque turmas discreta est Synodus, ut habet Præfatio Synodi — In prima turma consede-
„ runt Episcopi cum quibusdam Notariis,
„ legentes, atque tractantes Sanctum Evan-
„ gelium, nec non Epistolas, & Actus Apo-
„ stolorum, Canones quoque, ac diversa
„ Sanctorum Patrum Opuscula, Pastoralem-
„ que librum Sancti Gregorii, cum ceteris
„ sacris dogmatibus, diligenti studio perqui-
„ rentes, quibus modis statum Ecclesiæ Dei,
„ & Christianæ plebis profectum, sanâ do-
„ ctrinâ, & exemplis justitiæ inconvulsum,
„ largiente gratia Dei, perficere, & con-
„ servare potuissent. In secunda turma con-
„ sederunt Abbates, ac probati Monachi &c.
„ In tertia sederunt Comites, & Judices in
„ mundanis legibus decertantes, vulgi justi-
„ tias perquirentes, omniumque advenien-
„ tium causis diligenter examinantes, mo-
„ dis, quibus poterint, justitias terminan-
„ tes — His compertum est, in laudata Synodo Ecclesiasticas causis ad Sacerdotes spectasse, sicut laicales ad Laicos; sed quandoque horum potestas exoptata fuit, ut Refractarii ad legum observantiam impellerentur. Nec urget Canonum oblatio facta Principi; hæc enim non necessitatis, sed honoris causâ peragebatur; ut similiter factum legitur in Concilio Atelatensi VI.

32 OBJIC. VII. Cujus est relaxatio, ejus est Constitutio. Porro circa impedimenta Matrimonii suevit dispensare politica potestas; secus Ecclesia. Constat assumptum in Lege edita Ravennæ anno 409., cui titulus, *Si nuptiæ ex rescripto petantur*, ubi Honorius, & Theodosius Impp. referunt, quando, quibus, & qua ratione, velint circa vetita Connubia dispensare. Idem evincitur ex dispensationum formulis, quas tradit Cassiodorus *lib. 7. variarum cap. 6. num. 40., & 47.* Præterea ex facto Theodorici Regis, qui viro cuidam indulsit, ut cum puella in secundo consanguinitatis gradu conjuncta contraheret, & ratum effecit Conjugium cujusdam nobilis contractum cum Muliere plebeia, id lege vetante. Cum ergo Principes & Impedimenta Matrimonio apposuerint, & pro libito dissolverint, aliàs Ecclesia nusquam obstitit; jam plane fit, legitimam in ipsis potestatem agnosci. Si enim alienam usurpassent potestatem, debuisset Sacerdotalis Ordo in faciem resistere; quoniam, ut docebat Felix III. ad Acacium CP. — Error, cui non resisti-
„ tur, approbatur —

Principum dispensationes ex Ecclesiæ consensu.

RESP. Dispensationes præcitatæ licitæ fuere, quatenus conservandæ pacis causâ saltem tacitus Ecclesiæ consensus accedebat. Quandoque Imperialibus Constitutionibus non restitit; quia & a justitia non aberrabant, & Catholicæ Religionis bonum exposcebat concordiam Sacerdotii, & Imperii; sæpenumero tamen rejecit, ut vidimus superiùs *num. 23.*

Placet tamen Cabassutii sensa hac super re exscribere. Habet igitur *in sua Notitia Ecclesiastica* Seculi XVI., ubi de Concilio Tridentino *num. 56.* — In nostra Theoria,
„ & praxi Canonici Juris *lib. 3.* uberiùs di-
„ sputari de potestate Ecclesiæ nova indi-
„ cendi Matrimonii dirimendi impedimenta,
„ & docui, potuisse quidem Regias Constitu-
„ tiones opponere civilia obstacula contra
„ filiorumfamilias Connubia, quæ inscils,
„ & invitis Parentibus contrahuntur. Cete-
„ rum his legibus non attingi Sacramenti vi-
„ gorem, aut validitatem; neque posse Prin-
„ cipum, aut Magistratuum auctoritatem de
„ Sacramentorum essentia quidquam decer-
„ nere, sicut hoc ipso capite (*De Reforma-*
„ *tione Matrimonii cap. 1.*) decernit Triden-
„ tina Synodus de Matrimoniis filiorumfa-
„ milias, Parentibus invitis, aut inconsul-
„ tis. Possunt tamen Civiles Leges ejusmodi
„ nuptias prohibere quasi non tantùm hu-
„ mano, sed etiam divino jure vetitas, ut-
„ pote adversantes Dei præcepto de Parenti-
„ bus honorandis, tametsi ratio Sacramenti
„ subsistat in his ipsis illicitis nuptiis contra-
„ ctis. Multa enim facta tenent, quæ fieri
„ prohibentur, multaque impediunt contra-
„ henda, quæ non dirimunt jam contracta,
„ *l. Patre furioso ff. de his qui sunt sui, vel*
„ *alieni juris*. Sed tamen nullitas illa civilis
„ spectatur secundùm civiles actus, nuptia-
„ lium conventionum invaliditates, Succes-
„ sionum incapacitates, actionum civilium
„ denegationes, & similia. Hac diserte do-
„ cent Gallicani Jurisconsulti, Lovetus Supre-
„ mæ Parisiensis Curiæ Senator, nonnulla
„ referens amplissimi Senatus illius judicia
„ *lit. M. tit. 6.* Et Carolus Fevretus, quam-
„ vis in plerisque parùm æquus Ecclesiæ ju-
„ risdictioni, *lib. 5. de abusu tit. 2.* distin-
„ guit inter conventiones, & Sacramentum
„ Matrimonii, docetque Sacramentum qui-
„ dem existere in Conjugiis filiorumfami-
„ lias contra edicta Gallicana factis, dum
„ accesserit Parochi proprii, duorumque Te-
„ stium præsentia, sed penes Curias Regni
„ contractus, seu conventiones quoad civi-
„ lem effectum pro nullis haberi. Deinde
„ *in observatione XIV.* ad suum illud opus
„ Vir Senatus Consultorum Gallicanorum
„ diligentissimus perscrutator hæc Ipsa verba
„ effatur: *Curia suprema in clandestinis filio-*
„ *rumfamilias Matrimoniis* (loquitur autem
„ de Clandestinis respectu Parentum, etsi Pa-
„ rochus, & duo saltem Testes interfuerint)
„ *distinguere, ac secernere solent conventa nu-*
„ *ptialia ab ipso Sacramento, & quoad ista sola*
„ *consueverunt decernere Matrimonii nullitatem,*
„ *tem, ac invaliditatem, non tamen ullatenus*
„ *an-*

Circa Sacramenti essentiam nil Principes possunt.

„ *annullare Conjugii vinculum, neque convellere mutuum illum partium consensum, qui materiam præbet Sacramenti; quia Laici Judices incompetentes sunt in spiritualibus, & Sacramentis*. Addiditque, abusum exurgere, si Judex Secularis judicium ferret de validitate, aut invaliditate fœderis ejus, ad quod Parochi præsentia exigitur. Sicut ex opposito Judex Ecclesiasticus abuteretur, si auderet de dote, & nuptialibus donationibus judicium ferre. His demum ista subjungit, quæ rem istam extra omnem dubii aleam ponunt. Refert enim *ibidem* Fevreus: Clerus Gallicanus, postquam promulgatum fuit Ludovici XIII. edictum an. 1629., supplex Regem rogavit, admonuitque hujus edicti art. 39. per hæc verba: *Soient tels mariages declarez non valablement contractez*, gravem nasciturum confusionem, & ambiguitatem, eo quod a nonnullls ea referri contingeret ad sacramentalem ipsum fœderis nexum, quem Sacrolancta Synodus Trid. ita arctum, & insolubilem esse sanciverat, ut anathemate feriat quoscunque id vinculum solvere attentantes, cum agatur de Fide, & Sacramentis, circa quæ versatur inconcussa jurisdictio, quam Christus Dominus suæ contulit Ecclesiæ, nec ulli Christiano licitum est dubitare in ejusmodi rebus definitionem Œcumenici Concilii esse infallibilem, & ab omnibus tenendam: Regem verò, re primariis Consilii sanctioris Magistratibus communicata, matureque examinato scripto Gallicani Cleri commonitorio, hæc scribi jussisse: *Prædicta edicti verba nihil præjudicare Sacramenti vinculo, sed solùm civilibus partium conventionibus, de quibus laici Judices cognoscere solent*. Atque ita Rex ipse, & Clerus inter Sacramenti vinculum, & pacta dotalia distinguendum judicarunt -- Hæc Cabassutius, quarum nonnulla pro responsione ad argumentum deservire possunt.

33 OBJIC. VIII. Nequit impræsentiarum jure proprio Ecclesia statuere, quod ante Seculum XI. sancire non poterat: sed Seculo relato -- Nondum moribus receptum „ erat, ut Pontificum Romanorum veniâ, lege cognationis solutâ, Conjugia inter Cognatos coirent -- ut refert Joannes Mariana Hispanorum Historicus *lib.* 10. *cap.* 8., ubi loquitur de incestis nuptiis Alphonsi Castellæ Regis cum Ulraca consanguinea; ergo independens jus exercebant Principes, & sensim, his non advertentibus, illud sibi vendicavit Sacerdotalis Ordo.

RESP. Mariana plane erravit. Quoniam longe ante Seculum XI. Gregorius Magnus cum Anglis dispensavit in quibusdam consanguinitatis gradibus; itidem Gregorius II. cum Germanis circa annum 721. Equidem raro primis Ecclesiæ Seculis dispensatum est: cum vigeret disciplina circa Matrimonii impedimenta; erat tamen in Ecclesia potestas, sicut nunc. Abs re autem dicitur, sensim sibi Ecclesiam jus illud arrogasse; cum nec primus referri possit Auctor, nec casus fingi. Siquidem, cum Matrimonia palam essent celebranda, quomodo contra publicas, notasque

Primis Ecclesiæ seculis rara dispensatio.

Principum Leges contrahi potuissent, nullo reclamante? Omnes ne Principes, omnes Magistratus tunc temporis dormitabant? Quis credet?

34 OBJIC. IX. Per Fidei susceptionem non amiserunt Principes potestatem, quam jure divino, & naturali, & jure Gentium sortiti sunt: sed Principes Infideles, alieni prorsus ab Ecclesia, constituebant Matrimonii impedimenta, quibus adstringebantur Christiani sub eorum imperio viventes: idemque præcepit Apostolus ad Rom. 13. vers. 1. *Omnis Anima sublimioribus Potestatibus subdita sit*; ergo eandem potestatem post Sacrum regenerationis lavacrum retinere meritò dicendum est; ergo illa, quam habet Ecclesia, precaria censenda est.

RESP. Imperialibus Sanctionibus adstringebantur Catholici, quoties Fidei non adversabantur, ut *ibidem* docet Apostolus. Matrimoniales leges in discrimen non adducebant Religionis jura; ideo ipsis Ecclesia non obsistebat, immo ad obtemperandum adhortabatur Fideles; Religionis siquidem incrementum id exposcebat. Equidem Principes ad Fidem conversi propria non fuere potestate expoliati, sed ejusdem subordinationem agnoverunt in iis, quæ ad Sacrum Ordinem spectant.

Laicalis potestas circa Sacra subjicitur Sacerdotali.

35 OBJIC. X. Ex communi proloquio qui dat esse, dat consequentia ad esse, & ex opposito propter identitatem rationis: sed politica potestas, absque ulla dependentia ab Ecclesia, agit jure proprio in ea, quæ ad Conjugium consequuntur: disponit namque de filiis, & hæreditatibus, de donationibus, & dotibus; ergo etiam de essentia ipsius Conjugii.

RESP. Proloquium illud valet de consequentibus intrinsece emanantibus ab esse; secus de extrinsece connexis. Intrinsece consequitur ad Matrimonium v. g. Sacramentalis gratia. Relata verò in argumento extrinseca plane sunt, & accessoria; cum absque illis validum subsistat Connubium. Non valet igitur illatio. Quoniam autem prædicta consequentia simpliciter laicalia sunt, aptè ad laicalem potestatem pertinent.

Laicalia in Conjugio ad Laicos spectant.

36 OBJIC. XI. Qui præscribit Sacerdotio formam irritandi Conjugia, exigitque irritationem per restaurationem Legum Imperialium, politicam potestatem agnoscit potiorem Sacerdotali, hancque precariam: Id porro contigit in Tridentina Synodo; nam Oratores Galli, Regis nomine, solemniter, idest, auctoritative petierunt irritari Matrimonia clandestina, ut legere est apud Pallavicinum *lib.* 12. *Hist. Tridentini Concilii cap.* 1. *num.* 12., *& seq* -- Disputatum est „ de irritis declarandis Matrimoniis Clandestinis. Agnoscebantur immensa detrimenta, quæ inde nascebantur... Ideirco Oratores Galli, quorum Regnum fortassis hoc incommodum frequentiùs, nocentiusque patiebatur, 24. Julii solemniter Regis nomine petierunt, ut hujusmodi Matrimonia imposterum irritata decernerentur, renovatis antiquis nuptiarum ritibus: quod si gravi de causa interdum aliter fieri opportunum censeretur, saltem Matrimonia pro

„ non

„ non legitimis haberentur, quoties non „ adesset Sacerdos cum tribus, aut pluribus „ Testibus --

RESP. Argumentum Adversarios ferit.

Galli agnoscunt in Ecclesia potestatem in Matrimonia.

Nam eatenus Galli Oratores eam a Synodo petierunt reformationem, quia apprime noverunt, penes Principes illam non vigere potestatem. Porro illa petitio, supplicantium fuit, non imperantium. Non enim hoc innuit terminus *solemniter*, sed tantummodo declarat supplicationem peractam publice, & authenticis Regis instructionibus. Nomine verò antiquorum rituum non quidem Imperiales, sed Ecclesiasticæ Leges veniunt primis rei Christianæ Seculis emanatæ, de quibus Concilium Capite 1. *De reformatione Matrimonii*. Nec Oratores formam ullam præscripserunt a Concilio adoptandam, sed tantummodo ostenderunt, quo pacto occurrentibus malis obviam iri posset.

37 OBJIC. XII. Haud censendum est, Principes in lege Gratiæ minoris esse auctoritatis, quàm in lege scripta: sed in lege scripta Principes poterant solvere impedimenta in Levitico descripta, quod aliàs Sacerdoribus datum non erat; ergo. Evincitur minor propositio ex *lib. 2. Reg. cap. 13. vers.* 13. Ubi Thamar, cum a Fratre opprimeretur, ejus audaciam redarguens dixit: *Potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*; & 3. Reg. 2. Adonias a Salomone petiit Abisag Sunamitidem Novercam suam; ergo Israelitis innotuerit, Regem dispensare posse in impedimentis divino jure firmatis.

RESP. Sunt, qui respondent, Thamar non fuisse Sororem Ammon, sed David Privignam, unde eos inter non dabatur impedimentum.

Thamar vere Soror Ammon.

Hoc tamen a veritate alienum est, cum Scriptura *ibidem* nuncupet Thamar filiam Regis, & 1. *Paralip.* 3. relatis filiis David subditur: *Habueruntque Sororem Thamar*. Reponunt alii, Puellam talia subdole protulisse, ut e Fratris manibus elaberetur. Verùm questus inde habiti, quando ab Ammon expulsa fuit, aliter innuunt: *Majus est hoc malum, quod nunc agis, adversùm me, quàm quod ante fecisti, expellens me*; credebat ergo, quod, accedente Patris voto, remanere posset in uxorem. His itaque rejectis responsionibus, veriùs dicendum est, quod Thamar credidit legis ignara, minus malum nuptias, consentiente Patre, quàm stuprum. Porro, cum ita sit, nil inde in favorem laicalis potestatis.

Quoad secundum non una est Doctorum Sententia. Contendunt quidam, Abisag non fuisse Novercam Adoniæ; quia non Uxor David, sed administra Regis; cum nec Uxor vocetur, nec ab ipso fuerit cognita. Sed inde exurgunt alii, uxoremque affirmant; quoniam de industria quæsita est Mulier speciosa, ut senem calefaceret: quod ministerii genus, etiam pro senibus, maxime periculosum est; ideoque, ne David exponeretur periculo labendi, eam desponsavit, potissimùm cum tunc temporis Polygamia foret licita.

Abisag Uxor David.

Signanter notatur, quod eam non cognoverit, tanquam excellens virtutis exemplum in Rege; quod si Uxor non fuisset, perperàm admiraretur. Verùm ex quo Salomon, comminando, Bethsabeæ preces rejecerit, satis apparet, & illicitas fuisse, & e Regis imperio non esse dispensationem. Abulensis comminationem, & mortis reatum cognovit in Adonia, eo quod inhiabat ad Regnum, atque Abisag Conjugio suæ causæ patrocinari volebat; propterea Salomon ad Matrem intercedentem dixit: *Postula ei & regnum*; unde dicere oportet, tum Adoniam, tum Bethsabeam, ad legem prohibentem non attendisse.

38 OBJIC. XIII. Major est Supremi Principis potestas, quàm Plebis: sed hæc absque Clericorum consensu inducere valet consuetudinem constitutivam novi impedimenti, & abrogativam veteris, licèt a Canonibus constituti; ergo per expressam legem poterit Supremus Princeps nova constituere, & antiqua abrogare absque dependentia a Sacerdotio. Quod Plebs prædictam possit consuetudinem inducere, docent non infimæ notæ Theologi, exemplisque confirmant sive constituendi diem festum, aut jejunium, potissimùm cum impedimenta Conjugii proprie spectent ad Laicos.

Adde quod in lege humana, ut vim sortiatur, ea subintelligitur conditio, si usu recipiatur, & usu recepta vim habeat, donec consuetudine abrogetur. Et quamvis Supremus Princeps possit refractarios Subditos ad legis observantiam cogere; attamen, quia ad publicam felicitatem instituuntur leges, & Christianorum gubernium, non tyrannidem, sed suavitatem præseferre debet, in aperto est, prædictam conditionem involvere, & quidem relate ad eos, qui ea lege diriguntur, qui impræsentiarum alii non sunt a Laicis; quare sola ipsorum praxis sat erit pro firmanda consuetudine.

RESP. Ad solutionem hujus Argumenti notandum, tria potissimùm necessaria esse ad legitimam consuetudinem circa ea, quæ sunt præter legem, multoque magis contra legem.

Tria necessaria ad consuetudinem firmandam.

I. est honestas, videlicet, quod utilitas adsit Reipublicæ. Consuetudo namque vim legis habet: unde legis conditionibus gaudere debet; porro intrinseca legis conditio est utilitas. II. est legitima temporis præscriptio, decennium nempe in Civilibus, quadragenium in Canonicis. III. demum est Legislatoris consensus, qui communiùs tacitus sufficiens creditur. Verùm difficultas inter Auctores suboritur, quomodo tacitus consensus dignoscatur. Dicunt Casuistæ apte dignosci, cum Legislator animadvertit, aliquid passim usurpari, & non contradicit, cum facilè possit. Ea tamen non contradictio esse debet ex animo, & intentione, sive antiquam legem abrogandi, sive novam inducendi; & ratio in aperto est. Ex parte Subditorum frequentatio actuum contra, vel præter legem, oriri debet ex intentione obligandi; si enim oriatur ex intentione se subjiciendi pœnæ, vel devotionis causâ, non est apta ad inducendam consuetudinem obligantem. Quando Legislator pleno, & expresso consensu legem scriptam constituit, ut obliget, fas est ipsum habere intentionem obligandi sive ad culpam, sive ad pœnam. Hoc totum itaque prærequiritur in tacito con-

conſenſu pro lege obligante ex conſuetudine. His ſuppoſitis

Plerique docent, conſuetudine novum induci poſſe impedimentum, & quidem ex generali regula relata Cap. *Finali. De Conſuetudine*, quod legitime perſcribens vim legis habeat: cui concinit axioma apud Auguſtinum *Epiſt. 86. ad Caſſulanum* -- Mos populi „ Dei, & inſtituta Majorum ſunt pro lege „ tenenda -- Cap. *Cum olim. De Cleric. Conjug.* dicuntur fieri inhabiles ad beneficium, qui erant habiles: poterunt ſimiliter per eandem conſuetudinem habiles aliunde ad Matrimonium, inhabiles fieri; & propterea Cap. 1. *de cognatione ſpirituali* dicitur valere Matrimonium inter duorum compatrum filios, niſi Eccleſiæ conſuetudo, aliter ſe habere noſcatur.

Hæc eadem evincunt, conſuetudine abrogari poſſe impedimenta ab Eccleſia conſtituta, ita ut habiles ſint ad nubendum, qui inhabiles erant; proindeque laudato capite *Finali* aſſeritur, legem meritò introductam præjudicare poſſe Juri poſitivo, ut illud eſt, quo impedimenta conſtituta ſunt; conſuetudo autem poteſt legem facere.

Nec obſtat Cap. *Quod ſuper. De conſanguinit., & affinit.*, ubi ſejungendos præcipitur quoſdam in prohibito gradu conjunctos, non obſtante quacunque conſuetudine, quæ potius corruptela dicenda eſt; non igitur conſuetudo vim habet contra legem, nec Pontifex tacite conſentire cenſetur, cum omnem contrariam conſuetudinem execretur.

Non obſtat, inquam, quia Pontifex ſermonem habet de conſuetudine contra legem, ſtante identitate cauſæ, quâ lex condita fuit; ſecus de illa, quæ, nova occurrente cauſa, ſuperinducta eſt · ad quod nequaquam ſpectaſſe videtur Legiſlator, quando conſuetudinem vel reprobavit, vel non approbavit. Hujus porro rei momentum eſt, quia contingere poteſt, ut id quod in aliquibus circumſtantiis malum erat, vel inutile, aliis occurrentibus, bonum fit, & honeſtum. Quare ſicut ob hoc valet Legiſlator mutare legem ſcriptam prohibentem, vel præcipientem; ita per conſuetudinem novo titulo, novâque cauſâ, ſuperinductam lex prior abrogari poteſt.

Hæc dicta ſunt, ut vim aliquam præſeferre videatur objectio; ceterum oppoſita doctrina ſequenda eſt. Nam Gloſſa in Cap. *Fin. de conſuetud.* irrationabilem dicit conſuetudinem contra Statuta, & in Cap. *Cum non liceat. De præſcript.* nonnulli referuntur caſus, in quibus nullimode præſcribitur contra legem, & cum ſanior debeat eſſe multitudo, quàm particularis Perſona, juſtius eſt, quod nequeat multitudo mala fide præſcribere.

Nulla est Laica consuetudo adversus Legem Canonicam de Conjugio.

Admiſſa tamen probabilitate relatæ opinionis, negatur, Laicos poſſe conſuetudinem introducere abrogantem Canones circa Conjugium inſtitutos. Etenim, quamvis non ſit neceſſe, Clericos inferiores vel exercere actus conſuetudinis, vel aſſentiri, attamen fas eſt, Supremum Canonum Legiſlatorem ſaltem tacitum præbere aſſenſum; ab eo ſiquidem vis tota Canonicæ Legis dependet. Equidem Conjugia quoad executionem ſunt propria materia Laicorum; ſecus quoad directionem. Exemplum autem jejunii, & diei feſti in eo ſubſiſtit, quod jejunantibus Laicis, non verò Clericis, immo his reclamantibus, induci poſſit conſuetudo, ſi Superioris interveniat conſenſus. Non eſt tamen adoptanda doctrina, quæ ſubditur de illa tacita conditione, quæ in lege involuta aſſeritur. Abſolute Lex ſupremi Principis nequaquam a Subditorum acceptatione dependet. Non inficias imus, poſſe Subditos momenta exponere: quibus perpenſis, ſi opus ſit, Legiſlatorem legem abrogare æquum eſt; & in hoc ſuavis Chriſtianorum gubernatiu præcellere debet, non verò in præallegata implicita conditione.

39 OBJIC. XIV. Impedimentum non dicitur dirimens, quia Conjugium legitime contractum diſſolvat, ſed quia impedit, ne legitime fiat, inhabiles ad hoc reddendo Perſonas: atqui ad hoc ſolummodo Principes poteſtatem habent, nihilque jure propriu Sacerdotium; ergo precaria eſt Eccleſiæ poteſtas. Et ſane quandiu Conjugium non eſt contractum, ad ordinem Sacrum non eſt elevatum: nondum enim eſt Sacramentum; porro uſque dum non eſt ordinis ſuperioris, nullatenus ad Sacerdotium ſpectat; ſicut quandiu ſpirituali militiæ quis nomen non dedit, non Sacerdotali juriſdictioni, ſed laicali ſubditur. Cum ergo ante Matrimonii celebrationem tum Perſonæ, tum contractus, prorſus ſint Fori laicalis, non niſi politicæ poteſtati ſubordinantur. Et revera S. Thomas *in Suppl. quæſt. 50. art. unico ad 4.* nullum munus in Matrimonio Eccleſiæ diſpoſitioni relinquit -- Dicendum, quod Perſonæ illegi- „ timæ ad Matrimonium contrahendum di- „ cuntur ex eo quod ſunt contra legem, qua „ Matrimonium ſtatuitur. Matrimonium „ autem, in quantum eſt in officium naturæ, „ ſtatuitur lege naturæ: in quantum eſt Sa- „ cramentum, ſtatuitur jure divino: in quan- „ tum eſt in officium communitatis, ſtatui- „ tur lege civili; & ideo ex qualibet dicta- „ rum legum poteſt aliqua Perſona effici ad „ Matrimonium illegitima -- Hic nullum eſt caput, unde Eccleſiaſtica poteſtas præfulgere poſſit.

RESP. Indubie, quandiu Perſonæ, & res remanent profanæ, laicali poteſtati ſubduntur; nihilu tamen minus circa illas valet Eccleſia diſponere ſub conditione futuræ conſecrationis Deo faciendæ. De Laico volente Clericalem ſtatum aſſumere ſtatuit conditionem legitimi partus, ſcientiæ, & hujuſmodi; de eodem, ſi velit ſolemniter inter Religioſos adoptari, decernit ætatem ad profitendum. Cum ergo inter baptizatos legitimum Conjugium ſit Sacramentum, de eo hanc, vel illam conditionem expoſcere jure poteſt. S. Thomas de Matrimonio loquitur ſecundo loco; cum Jus divinum illud inſtituerit, tradens Eccleſiæ poteſtatem condendi regulas, ſine quibus validum non evadit. Qua poteſtate pluries uſa eſt Eccleſia, & noviſſime dixit anathema adversùs eos qui volebant, Eccleſiam non poſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in

Ecclesia de profanis disponere potest.

iis

lis constituendis erraffe; ut legere est in Tridentino *ſeſ. 24. can. 3., & 4.*, & *Tit. de Reformatione Matrimonii* per plura capita.

Ecclesiæ nomine venit Sacerdotalis Ordo.

Porro Ecclesiæ nomine intelligere Tridentinum Sacerdotalem Ordinem, secus Fidelium multitudinem, Laicos, Clericosque complectentem, luce clariùs apparet. Agit namque directe adversùs Lutherum, qui Sacro Ordini potestatem denegabat constituendi impedimenta: dicebat enim Hæreticus — „ Debent Sacerdotes ea omnia Matrimonia „ confirmare, quæ contra Ecclesiasticas, vel „ Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, & quæ non sunt in „ Sacra Scriptura expressa — Adde I. Tridentinum inhæret vestigiis præcedentium Conciliorum, & Canonum; in præcedentibus autem Conciliis Ecclesiæ nomine venit Sacerdotalis Ordo. II. *Titulo de Reformatione Matrimonii cap. 1., & seqq.* agit de impedimentis, nonnulla de novo statuens, declarans alia, eam clausulam repetendo: *Declarat Sancta Synodus*, qua solummodo Sacerdotalis Ordo exprimitur. III. Debet saltem aliquando declarari, quod sit nomine alterius Legislatoris, ut innotescat, cui accedendum pro dispensatione; nunquam autem Laicos Principes Sancta Synodus nominat. IV. Demum si Principum nomine id peregisset, ea omnia disciplinæ Decreta in suis Regnis publicari jussissent Principes; quod sane non contigisse ad unum omnes novere.

CONTROVERSIA III.

AN ECCLESIA PER SUUM CAPUT IN IMPEDIMENTIS JURIS HUMANI DISPENSARE POSSIT.

Explicatur natura dispensationis.

40 Dispensatio, quæ a plerisque definitur, Juris alicujus relaxatio ab habente legitimam potestatem, differt ab interpretatione; quia hæc non involvit necessariò jurisdictionem, cum privati Doctores possint legem interpretari. Discrepat etiam ab irritatione legis. Dispensatio enim plenam supponit legis obligationem; secus irritatio, ut videre est in sententia eorum, qui volebant, legem non obligare independenter a Populi acceptatione: hoc ipso quod Populus legem non acceptet, lex redditur irrita, antequam plenam sortiatur vim obligandi. Nec etiam convenit dispensatio cum abrogatione, vel derogatione. Nam abrogatio est cessatio totius legis, & derogatio partis illius, sed quoad omnes; dispensatio verò est relaxatio legis quoad aliquos, manente ipsa quoad alios in suo robore.

De hac igitur legis relaxatione instituitur præsens Controversia, inquirendo, an Ecclesia per suum Caput in impedimentis Juris humani dispensare valeat. Pro quo adnotare fas est, impedimenta in triplici fore differentia; alia sunt Juris divini, naturalis alia, reliqua demum humani juris. In his, quæ naturalis, aut divini Juris sunt, nisi specialis Dei concessio præintelligatur, Ecclesia nequit dispensare, ut perperàm clamant Etherodoxi, Catholicos propugnare. Evincitur ex Cap. *Inferior* dist. 21., & ex Clementina *de Electione. Ne Romani*. Itaque lis tota versatur circa impedimenta Juris humani.

DICENDUM, Ecclesiam per suum Caput dispensare posse in impedimentis Juris humani.

41 PROB. I. Supremus, & absolutus Legislator potest, quem vult, a lege eximere: sed Ecclesia in suo Capite est supremus, & absolutus Legislator quoad impedimenta Conjugii, quæ sunt Juris humani; ergo ab his, quem vult, eximere potest. Major propositio in aperto. Nam tota vis legis, sive in fieri, sive in conservari, ab intentione Legislatoris dependet, qui sicut legem potest ex toto abrogare, ita ab ejus onere aliquem subtrahere valet; quod aliud sane non est nisi dispensare.

Vis legis ab intentione Legislatoris.

42 PROB. II. Non minùs in suo regimine est bene disposita Ecclesia, quàm politicus Magistratus, nec minorem legislativam, absolutamque auctoritatem, Ecclesiæ tribuunt Scripturæ, quàm Reipublicæ: sed hæc in suis legibus valet dispensare, quod discimus, ex quo Principes sæpenumero ab oneribus legis nonnullos de Republica benemerentes laudabiliter eximunt; ergo poterit similiter Ecclesia in suis legibus ad Conjugium spectantibus dispensare.

Laudabilis quandoque dispensatio.

43 PROB. III. Æquali lance Hierarchiæ Ecclesiæ ex divina concessione convenit ligare, & solvere: Matth. 16. vers. 19. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*; sed Ecclesia ligare potest apponendo impedimenta; ergo solvere potest eadem auferendo per dispensationem.

44 PROB. IV. Ad Ephes. 5., & 1. ad Timoth. 3. juxta quorundam Patrum intelligentiam corporale, & spirituale Conjugium analogantur: sed Ecclesia potestatem habet dispensandi in impedimentis Conjugii spiritualis: ut alios inter constat in S. Ambrosio, qui Neophitus ad Episcopatum assumptus est, dicente aliàs Apostolo: *Non Neophitum*: & in Episcopo Panormitano a Lucio Papa dispensato in Bigamia, sicuti refert Glossa Cap. *Lector* dist. 34.; ergo poterit in impedimentis corporalis Conjugii dispensare.

Conjugium spirituale, & corporale analogantur.

45 PROB. V. Legislativa potestas Ecclesiæ data est in ædificationem: ad hoc autem pertinet, ut modis omnibus, utique aptis, tendat ad assecutionem finis a lege spectati: sed quandoque contingit, adimpletionem legis constitutivæ impedimentorum vel majus bonum impedire, vel etiam malum gignere; ergo necesse est tunc temporis posse Ecclesiam bonum assequi, legem relaxando. Si enim Princeps aliquis nubere vellet cum Consanguinea, & ex tali Matrimonio vel Fidei incrementum, vel pax Regni haberi posset, dispensatio ad majus Ecclesiæ bonum deserviret; adeoque concedenda esset, potissimùm si mala ex denegatione oriri posse prudens quilibet pertimesceret.

Dispensatio sæpe ad majus bonum ordinata.

46 Igitur potest Ecclesia per Summum Pontificem in impedimentis juris humani dispensare, justâ tamen accedente causâ; & meritò

Dispensatio sine justa causa est illicita.

meritò sane. Nam Legislator si aliqoos sine causa a lege eximeret, dilipator potius, qoàm fidelis dispensator censendus esset. cum inæquallitatem irrationabiliter poneret inter Subditos. Juxta Suarii placitum *lib. 6. cap.* 17. *num.* 9., & aliorum, lethaii crimine reus esset; Sanchez verò *lib. 8. de Matrim. Disp.* 18. *num.* 7., aliique plures, non nisi venialiter peccare dicunt (nisi magnum iode Reipublicæ damnum timeatur) cum exemptio unius a lege non magnam Inferat Reipublicæ deordinationem. Hinc proportionaliter juxta gravitatem peccati ex parte Dispensantis peccat petens absque legitima causa dispensationem, caqne utens. Potest tamen quis causam suam Legislatori exponere, ejusque judicio rem totam committere; porro si tunc dispenset, & compertum non sit, nullam subesse causam, dispensatio executioni mandari potest. Hæc clara suot.

An dispensatio sine justa causa sit valida.

Major difficultas exurgit, an pro valore dispensationis justa præreqniratur causa. Apud Doctores indubium est, invalidam esse dispensationem Inferiuris In lege Superioris; siquidem haud suspicari potest, eam potestatem communicasse, nisi ut rationabiliter ad usum deducatur. Hinc nullam dicunt dispensationem Rom. Pontificis absque justa causa in voto simplici, in juramento, & hujusmodi, qnæ sunt de jure divino; quoniam Deus potestatem non largitur, nisi in ordine ad prudentem, & rationabilem dispensationem. Similiter nullam volunt dispensationem ab Episcopo factam pro libito in impedimentis dirimentibus, ut infra declarabitur, immo etiam io impedientibus. Nam ita se habet Episcopus ad legem Pontificiam, sicut Pontifex ad Deum· hic porro stante Dei concessione, non nisi ex rationabili motivo eximere potest Fideles a lege divina; ergo & Episcopus in lege Pontificia.

In propriis legibus, ut docent boni nominis Doctores, Legislator illicite quidem dispensat, valide tamen. Ad hanc firmandam opinionem sequenti fundamentali momento utuntur. Lex pendet ab intentione, & potestate Legislatoris; ergo potest legem propriam ex toto, vel ex parte pro libito abrogare. Et sicut ob solam magni Principis postulationem concedi potest dispensatio; Ita ob solam dignitatem Principis ferentis legem, In eadem dispensari potest; & hæc appellatur gratia Principis.

Sunt tamen, qui gravia opponunt momenta. Illud potissimum urget, quod nulli Legislatori a Deo, vel ab Ecclesia, vel a Republica conceditur potestas, nisi in ædificationem: & ob hoc Doctores ad unum omnes in eam confluunt sententiam nullas esse dispensationes hujusmodi ab Inferioribus factas in lege Superiorum; ergo neque in legibus propriis. Adde. Quamvis vis legis ab intentione Principis dependeat, attamen, non nisi justâ interveniente causâ, lex fieri potest; ergo itidem, nisi rationabili occurrente motivo, valida erit dispensatio. Unde egregie S. Thomas 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 5. habet in corpore articuli -- Et ideo ille, qui „ habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ „ suæ authoritati innititur, ut scilicet In per„ sonis, vel In casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis „ non servetur. Si autem absque hac ratio„ ne pro sola voluntate licentiam tribuat, „ non erit fidelis in dispensatione, aut erit „ imprudens: infidelis, quidem si non ha„ bet intentionem ad bonum commune: „ imprudens autem, si rationem dispensandi „ ignoret; propter qnod Dominus dicit Luc. „ 12. Quis putas, est fidelis dispensator, „ & prudens, qnem constituit Dominus su„ per familiam suam? -- Hujusmodi Sententia tutior est, & rationabilior; prima verò extrinsecâ Doctorum auctoritate videtur communior.

Quænam causa sufficiat pro dispensatione.

Causa, quæ pro dispensatione desideratur, non ea esse debet, quæ ex se eximat a lege, immo neqnaquam fas est tanti ponderis esse, alioqui non opus esset dispensatione, sed tantummodo interpretatione; debet itaque tanti esse, ut rationabile motivum involvat legem relasandi. Quandoque plures causæ sejunctæ insufficientes sunt pro dispensatione; secus si insimul considerantur. Graviores causæ in fortioribus impedimentis exquiruntur; quo enim majus est vinculum, major urget prohibitionis ratio, adeoque gravior causa exoptatur v. g. pro gradibus proximioribus consanguinitatis, & affinitatis, quàm pro remotioribus. Neqoit autem certa regula assignari ad justam dignoscendam causam pro hac, illave dispensatione, propter diversas temporis, loci, & personarum circumstantias. Quare ad prudentes devolvitur judicium, spectata qualitate personarum, utilitate, pietate, & hujusmodi, inter qoæ fere Principem locum habet dignitas postulantis, puta Regis; dispensatio namqne quoad Principes commune Reipublicæ, & Religionis bonum involvit.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

47 OBJIC. I. Impedimenta Matrimonium dirimentia statuta sunt in Conciliis: sed Supremus Ecclesiæ Pastor in Conciliorum Sanctionibus dispensare non valet, ut octo supra decem Romani Pontifices a Dupin relati affirmant, ultro confitentes se non posse in prædictis dispensare, & insolubili observatione retinenda Sacerdotum Constituta. supremi namque Præsules sunt Canonum custodes, ipsis subjecti, nec ab Apostolica Sede vertibiles; ergo.

In canonibus Fidei nulla dispensatio.

RESP. Huic argumento factum fuit satis *Tom. V. Part. III. de Ordine Contr. VIII.* Impræsentiarum duo Canonum genera distinguenda sunt; quæ primi generis sunt, pertinent ad Fidei definitiones, naturalisqne Juris, nec non divini, explicationes; quæ verò alterius, ad Ecclesiasticam disciplinam spectant. In primis nulla intervenire potest dispensatio; secus in secundis. Momenta in argumento indicata apte probant, non posse Pontifices pro suo beneplacito dispensare, sicut Adrianus II. *in Epist. ad Basilium Imp.* declaravit; ceterum, rationabili existente

R causa

causa, Apostolicæ Sedi concessam dispensativam potestatem non infringunt. Audiatur Tridentinum *Sess. 25. cap. 18. de Reformatione* — Sciant Universi, Sacratissimos Cano-„ nes exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri „ poterit, indistincte observandos. Quod si „ urgens, justaque ratio, & major quando-„ que utilitas postulaverit, cum aliquibus „ dispensandum esse, id causa cognita, ac „ summa maturitate, atque gratis a quibus-„ cumque, ad quos dispensatio pertinebit, „ erit præstandum: aliterque facta dispensa-„ tio, subreptitia censeatur — Itaque absolute subduntur Supremi Pastores definitionibus Fidei; reliquis verò vi directiva, quæ supremæ auctoritati non adversatur, nec dispensativam minuit potestatem.

48 OBJIC. II. Lex Ecclesiastica impedimentorum constitutiva recta est, adeoque divinæ, naturalique legi consona: aliàs Religioni non congrueret, nec conveniret disciplinæ: quod tamen ad rationem legis apprime necessarium est; sed Pastor Supremus haud valet in divina, naturalive lege dispensare; ergo neque in lege constitutiva impedimentorum.

Ecclesia jus in humanam legem.

RESP. Ecclesia proprie loquendo sive in divina, sive in lege naturali, nisi aliter a Deo concessum sit, nequit dispensare: ad alium namque ordinem pertinet; potest tamen eam interpretari, sicut cum decernit v. g. mutuum Proditori Patriæ non fore reddendum. In lege verò humana potest indubie dispensare; quia propriam lineam non excedit. In eo igitur Ecclesiæ dispensatio consonat legi divinæ, naturalique, quod recta sit, congruatque Religioni.

49 OBJIC. III. Supremus Pastor adversùs justitiam distributivam agere nequit: sed dispensatio in legibus matrimonialibus lædit justitiam distributivam decernentem, quod partes æqualiter graventur, quodque una præ aliis ab onere non eximatur: sicut est etiam contra justitiam legalem, cum pars toti conformari debeat; ergo quoad dispensandum nulla in Pontifice Potestas.

Justitia distributiva nō adversatur dispensatio.

RESP. Utique agitur contra justitiam distributivam, si absque rationabili causa inæqualiter graventur partes; secus si legitimum occurrit momentum: sicut non est acceptio personarum *Deut. 1.* execrata, si æqualia inter inæquales non serventur, cum scilicet inter eos inæqualitas conditionum habeatur. Similiter immeritò adversùs justitiam legalem censetur, quod rationabiliter pars toti non conveniat. Itaque argumentum id unum evincit, non posse videlicet dispensari sine causa. Ceterum, ut ait S. Bernardus *Lib. 3. de Considerat. ad Eugenium cap. 4.* — „ Ubi necessitas urget, excusabilis dispensa-„ tio; ubi utilitas provocat, dispensatio lau-„ dabilis est. Utilitas, dico, communis, „ non propria. Nam cum nihil horum est, „ non plane fidelis dispensatio, sed crudelis „ dissipatio est —

50 OBJIC. IV. Nequit commune bonum pro privato particularis Personæ commodo prætermitti: cum bonum Gentis, ut ait Aristoteles *1. Ethicorum*, sit bonum divinius, quàm bonum unius Personæ; sed Lex, quæ impedimenta decernit, respicit commune bonum; ergo hoc prætermitti non debet; adeoque in lege nequit dispensari.

Dispensatio in ordine ad bonum commune.

RESP. Commune bonum & directe, & indirecte respicitur. Et quamvis plerumque causa impulsiva ad dispensandum, directe commune bonum intendat; non tamen semper exigitur, sed sat est, quod indirecte ad ipsum tendat. Hoc accidit, quoties propter privatum bonum dispensatio impertitur; quoniam ex privatorum bono commune resultat. Itaque in dispensatione sufficit intentio boni communis ob causam directe in bonum privatæ Personæ cadentem.

51 OBJIC. V. Ex lege constitutiva impedimentorum habetur materia proxima Sacramenti Matrimonii: atqui natura Sacramenti est, quod semel constituta invariabiliter perseveret; ergo. Et sane haud congruum videtur, in eadem Civitate, in eodem Pago, immo & in eadem Familia, ab uno contractum cum affine Matrimonium esse nullum, contractum ab alio cum alia itidem affine validum existere ratione dispensationis, totiesque variari Sacramenti materiam.

Quæ juris positivi sunt, variantur.

RESP. Male sibi plaudunt hoc argumento Hæretici, nolentes intelligere, eandem rem alicubi graviter Jure positivo esse præceptam; secus alibi. Ceterum instantiæ solutio in aperto est, videlicet, leges humanas, ac peculiares consuetudines, ex conditionibus Personarum, locorum, & similium, variationibus subesse. Proxima Sacramenti Matrimonii materia ubique una est, atque invariabilis, legitimus nempe duorum consensus; & tantummodo variatur materialis conditio subjecti contrahentis, quatenus ratione impedimenti una Persona efficitur inhabilis ad legitimum consensum, altera verò ob carentiam impedimenti per dispensationem ablati habilis est.

52 OBJIC. VI. Non potest Pontifex dispensare in Matrimonio, ita quod Proles nata ex Connubio inter Personas impeditas contracto sit legitima in ordine ad effectus civiles; quia nequit facere, quominus illud Connubium fuerit ab initio nullum; sed si dispensare posset in impedimentis, hoc agere posset, cum posset irritare Ecclesiasticam legem statuentem illud impedimentum, sine qua Matrimonium fuisset validum; ergo signum est, quod hanc dispensativam potestatem non habet Pontifex.

Pontificis potestas circa illegitimos.

RESP. Potest quidem Pontifex aptam reddere prolem aliàs illegitimam, ad effectus Ecclesiasticos, qui sub ejusdem cadunt juridictione; sed nullimode facere potest, quod Proles ex illegitimo concubitu sit legitima in ordine ad effectus naturaliter sequentes ad Matrimonium rite contractum. Et sane Prolem esse illegitimam, non oritur immediate ex impedimento ab Ecclesia statuto, sed immediate ex illegitimo Conjugio; nec Pontificia potestas ea est, ut præstare possit, ut non fuerit impedimentum, quando contractum fuit Conjugium. Poterit tamen dispensare in eo, & concedere, ut iterum celebretur, validumque habeatur; & tunc Proles, aliàs illegitime nata, secundùm Juris dispositionem legitima fiet.

53 Præ-

Nuntii potestas.

53 Præter Romanum Pontificem in universa Ecclesia, potest Nuncius in sua Provincia dispensare in casibus, in quibus Episcopus valet, insuper in impedimento publicæ honestatis ante, vel post contractum Matrimonium, & legitimare filios ante, vel post illud susceptos.

Auctoritas Episcoporum quoad impedimenta.

54 Episcopus ex favorabili interpretatione jus habet dispensandi in impedimentis dirimentibus, gravi urgente necessitate scandali, infamiæ, vel etiam incontinentiæ, ubi defectus occultus est, & difficillimus fit accessus ad Pontificem, sive ad ejus Ministrum, aut Privilegiatum, sive difficultas ex magna distantia, sive ex inopia habeatur, & aliàs Matrimonium publice fuit celebratum. Potestatem hanc extendunt quidam ad casum contracti Conjugii ex mala fide utriusque; non enim credunt, Pontificem cum tanto animarum periculo sibi in iis circumstantiis reservasse dispensationem. Verùm huic Sententiæ refragatur Tridentinum *Sess. 24. cap. 5. de Reformatione* — Non enim dignus est, qui „ Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, „ cujus salubria præcepta temere contempsit— Propognari tamen posset horum doctrina, si mala fides ex una tantummodo parte adfuerit; cum malitia unius innocenti obesse non debeat. Porro contendunt nonnulli, ad malam fidem nequaquam sufficere scientiam speculativam de gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis; sed requiri practicam, scientiam scilicet, qua dignoscatur illi gradui subesse impedimentum. Volunt itidem eam facultatem extendi ad Conjugium nondum celebratum, si illæmet urgeant circumstantiæ magni scandali, infamiæ, damnique pergravis, vel necessitatis filios legitimandi, nec alia via foret ab his evadendi, aut accedendi ad Apostolicam Sedem. Nec alio ducuntur momento, nisi quia inverisimile videtur, Papam in illis angustiis, & æternæ salutis periculo, sibi dispensationem reservare voluisse; quibus favet Cap. 2. *de Sponf. Impub.*, ubi instante necessitate, conceditur Episcopo facultas dispensandi in ætatis defectu. Pro enunciatis circumstantiis valet Episcopus facultatem suo Vicario delegare; cum ipsi non ratione Personæ prædicta potestas conveniat, sed ratione dignitatis; quæ autem hoc modo conveniunt, Vicariis communicabilia sunt, utpote corollaria jurisdictionis ordinariæ. Non tamen sufficit generalis concessio pro omnibus casibus, sed specialis desideratur ad hunc casum.

Vi consuetudinis, & Doctorum auctoritate, licèt non vigore Juris, potest idem Episcopus dispensare, ut Conjuges debitum invicem petant, aliàs impediti propter votum simplex, sive præcedens, sive subsequens Matrimonium, vel propter affinitatem, & spiritualem cognationem supervenientem. Et quidem dispensatio hujusmodi elargiri potest etiam extra casum necessitatis, immo patente aditu ad Superiorem. Hoc & Generalis Vicarius valet vi generalis concessionis a suo Præsule impertitæ. Cumque hujusmodi potestas sit juris ordinarii, hinc fit eandem habere Provisores, Sede vacante.

Privilegia PP. Societatis.

55 Sacerdotes Societatis Jesu a Præposito Generali ad partes ultramarinas sive Orientales, sive Occidentales, deputati, possunt pro Matrimonio sive inito, sive ineundo, indulto Apostolico, in omnibus gradibus affinitatis, & consanguinitatis, Juris humani dispensare, dummodo cum scientia impedimenti non fuerit contractum, sub hac tamen limitatione, quod ubi facilis est aditus ad Episcopos, solummodo in conscientia valeat dispensatio, quamvis in perpetuum; Episcopi verò in utroque Foro, sed tantùm ad viginti annos a data patentium præsentium litterarum computandos, & de consilio Patrum Societatis tanquam suorum Coadjutorum, si commode haberi possint. In reliquis autem Provinciis, ubi non sunt Episcopi, vel non minus quàm duo millia passuum distant, laudatis Patribus potestas in utroque Foro dispensandi competit; iisdem in locis possunt solemnitates, declamationes, aliasque externas ceremonias, ubi oportuerit, omittere, susceptamque Prolem, suscipiendamve legitimare. Concessa itidem est ipsis potestas, ut licentiam impertiantur Infidelibus ad Fidem conversis permanendi in Conjugiis antea celebratis in gradibus prohibitis, qui non sunt divini juris. Vid. infra *Disp. VI. Contr. II. num.* 28.

Habent itidem facultatem concedendi licentiam Conjugi ad Fidem converso nubendi cum Muliere Catholica, non expectato consensu, aut responso alterius Partis, quæ in Infidelitate perseverat, dummodo sufficienter constet, fuisse admonitam, atque intra statutum tempus nullum dedisse responsum, vel propter absentiam non posse legitime admoneri. Circa quod Limensis Synodus a Sixto V. confirmata statuit I. ut, si Infidelis rationabilem suæ conversionis spem ostendat, conversus ad secundas Nuptias non transeat, sed cunctando curet lucrari Conjugem. II. Si hæc conversionem differat, nec dilatio converso officiat, per semestre sustineat, sæpenumero de conversione Partem admonens. III. Elapso prædicto tempore adiri debet Episcopus, qui pro sua prudentia secundas Nuptias concedat, si vel Fidei, vel incontinentiæ subsit periculum, hoc verò cessante, jubeat expectare Infidelem, vel, si prodesse noverit, consulat cohabitare.

Concessa similiter iisdem Patribus potestas est matrimoniales causas cognoscendi, in illis tamen Terris Infidelium, in quibus non sunt Episcopi; & licèt Judicis munere fungantur, sine judiciali strepitu id debent peragere, accedente suorum Prælatorum deputatione, nec non assensu Episcopi utendi suis Privilegiis.

Privilegia Carmel. Discalceatorū.

56 Paulus V. Nostris Carmelitis Discalceatis in Perside degentibus vivæ vocis Oraculo indulsit, ut cum his, qui in illis Regnis convertuntur, & etiam cum jam Conversis, in omnibus gradibus dispensare possint, præter primum Consanguinitatis, vel affinitatis, ac per lineam rectam inter ascendentes, & descendentes. Sic apud N. P. Thomam a Jesu *De Conversione Gentium lib. 12. in notis ad Bullas Pontificum.*

57 Sacra Congregatio de propaganda Fide die 23. Febr., referente Cardinali Fac-

chinetto litteras Missionarii Thomæ Henrici Decani Basiliensis -- Decrevit, Missionarios habere facultatem dispensandi gratis in tertio, & quarto gradu in pauperibus, & cum Conversis ad Fidem Catholicam in secundo. & tertio mixtis, & in cognatione spirituali, præterquam inter levantem, & levatum. Decrevit etiam, quod Conversi ad Fidem Catholicam dispensandi sunt in cognatione spirituali; quia Baptismus inter Hæreticos est verus. Item quod in casibus, in quibus dispensari poterit, facultas eis datur declarandi prolem legitimam, & si publicatum fuerit decretum de matrimonio juxta formam Concilii, debent Jugales conversi antea conjuncti ab Hæreticis in Matrimonium, iterum contrahere saltem secretò -- Verùm circa hujusmodi decretum est advertendum hanc facultatem non quibuscumque Missionariis impertitam, sed iis tantummodo, qui a Sacra Congregatione mittuntur.

Privilegia Missionariis concessa.

58 Brevi calamo subdere placet ad Controversiæ complementum causas, quæ ad dispensandum sufficientes censentur; & ad sequentia referuntur. I. Bonum pacis tum Regnorum, tum Provinciarum, tum familiarum, sicut & litium, discordiarum, aut scandalorum extinctio. II. Dotis defectus, ut si Mulier dote carens inter Consanguineos reperit, qui ipsam ducere velit; quod & de Viro intelligendum est. Hoc momentum extendunt Doctores ad casum, in quo Parentes divites utique sunt, sed vel nolunt filiam sufficienter dotare, vel diu differunt, unde nubenda gravetur, nisi contrahat cum Consanguineo; si tamen sufficientem habeat dotem pro contrahendo Matrimonio cum Viro paris conditionis, haud potest dispensationem petere, ut contrahat cum Consanguineo, qui ad altiorem statum ipsam elevet. III. Locorum angustia, per quam difficile est nubere, nisi cum Consanguineis. IV. Conservatio successionis excelsæ familiæ, vel magnæ hæreditatis; expedit enim Reipublicæ bono habere nobiles Viros, opulentasque familias. V. Instauratio Matrimonii bona fide contracti, immo & mala fide, potissimùm si præcesserit copula, vel proles fuerit suscepta. Ad hanc causam revocatur reparatio honoris violatæ Mulieris, legitimatio, susceptæque prolis educatio. VI. Nobilitas, dignitasque postulantis, puta Regis, Principis, & hujusmodi; isti siquidem solent esse de Ecclesia benemeriti, & similia Conjugia in bonum Reipublicæ, & Ecclesiæ cedunt. VII. Pro remotioribus gradibus sat est pecuniarum subsidium in Ecclesiæ utilitatem.

Causæ ad dispensandum sufficientes.

Præcitatæ sunt causæ ex parte petentis dispensationem; causæ verò ex parte concedentis sunt liberalitas dispensantis, ordinatumque Ecclesiæ regimen.

59 Nunc deveniendo ad ipsam dispensationem notandum est, duplicem causam in dispensatione occurrentem distinguendam esse, motivam scilicet, & impulsivam. Prima est Rescripto intrinseca, & est finis præcipuus concessionis, & postulationis, & ea complectitur momenta, quæ mox enumeravimus tanquam sufficientia pro exposcenda dispensatione. Secunda est extrinseca, vimque finis proximi sortitur, ut sunt amicitia, sapientia, bonitas postulantis.

Dispensationis causa alia motiva, impulsiva altera.

A

Ut valor concessionis subsistat, fas est, causam motivam perseverare, quando ab Apostolica Sede conceditur dispensatio: & si Ordinario mandetur, adesse debet, cum ab ipso emanat. Si verò ante celebrationem Conjugii cesset causa v.g defectus dotis, juxta probabilius Doctorum judicium, valet dispensatio, ex regula Juris 73. in 6. -- Factum legitime, retractari non debet, licèt casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari -- Et sane dispensatio absoluta discriminatur a conditionata; porro nulla foret distinctio, si, cessante causa, dispensatio corrueret. Hac super re exempla præsto sunt; dispensatio in irregularitate ex paupertatis motivo concessa, eo cessante, dispensationis valor perseverat; dispensatio in voto Religionis ob virium debilitatem, in voto castitatis ob periculum incontinentiæ, non censetur nulla, etsi vires acquirantur, amoveaturque labendi periculum. Hujus ratio satis apta occurrit, quia nempe beneficium dispensationis consummatur, seu completur in actu legitimæ expeditionis: tunc enim dissolvitur vinculum, nec amplius redit, quamvis causa cesset; sicut legis abrogatio adæquate habetur, cum Princeps ex causa ipsam revocat, nec reviviscit, etsi causa ultra non perduret. Nec est simile in his, quæ, ut ajunt, tractum habent successivum, diversaque complectuntur tempora; tunc enim adest velut multiplex dispensatio, unde causa cessante pro uno tempore, pro eodem cessat dispensatio; ut cum quis ob virium defectum a jejunio dispensatur, si perfecte reparentur vires, cassatur beneficium dispensationis.

Causa motiva quandonam debeat perseverare.

B

C

60 Rescriptum Romani Pontificis subreptitium dicitur, vel obreptitium, quoties ex errore procedit, vel ignorantiâ, vel quia, quod exponi debet, reticetur, vel falsum loco veri substituitur. Si sit Rescriptum gratiæ, quo beneficia, dispensationes, & similia conceduntur, ipso facto irritum est; quia rationali concedentis voluntati refragatur, atque in ejus concessione causa completur, proindeque statim finis ejusdem evertitur. Si verò Rescriptum sit justitiæ, quod nempe per Juris regulas ordinatur ad causas absolvendas, tunc non irritum immediate censetur; quia circa media, non circa finem versatur, nec per illud absolvitur causa, sed per Sententiam a Judice ferendam; unde Pars altera instare debet, ut irritetur.

Rescriptum subreptitium quando habetur.

D

E

In Rescriptis gratiæ, de quibus tantummodo impræsentiarum, omissio eorum, quæ ex jure, vel stylo Curiæ, vel consuetudine, sunt exprimenda, nullum facit Rescriptum; quia talia in Jure exiguntur pro forma actus, qua deficiente, ut in aperto est, deficit actus. Subreptitium itidem, adeoque nullum efficit Rescriptum, omissio, vel falsificatio illius, quod est causa motiva; quia tunc ignorantia, sive error, dat causam concessioni.

Si falsificatio, vel omissio circa extrinseca versentur, quibus cognitis dispensatio non haberetur, ut si postulans falsò descri-

batur

batur doctus, aut probus; probabilior Sententia docet, Rescriptum validum fore; quia error, vel ignorantia non afficit substantialia, eaque propter non variat, aut absolutam concedentis voluntatem vitiat; regulanda quippe est per intrinseca rationabilia motiva. Habes exemplum. Tenet eleemosyna facta pauperi, qui probus creditur, cui facta non fuisset, si ejus mores improbi cogniti fuissent; etenim proprium eleemosynæ motivum est paupertas. Secus esset, si innocentia vitæ unice fuisset inspecta. Illa clausula Rescriptis inserta, *si vera sint exposita*, substantialia, causasque moventes respicit, cum ab his essentialis distributivæ potestatis rectitudo reguletur.

Ubi plures causæ proponuntur ad unam adæquatam sufficientem conflandam, si cum veris falsa commisceatur, Rescriptum nullum est; quoniam tunc ex singulis simul sumptis una integra consurgit, quæ est causa totalis motiva; hinc tota corruit per unius falsitatem, definitque principium, cui concedentis voluntas innititur. Si verò singulæ causæ sufficientes sint, & veris falsæ aliquæ inserantur, Rescriptum subsistit; cum ea jure una sufficiat. In dubio de sufficientia, vel de veritate causæ, aut de valore dispensationis, vel an falsa, quæ exposita fuere, motiva sint, vel impulsiva, plerique Doctorum propugnant, Rescriptum tanquam validum; quia Jura favent *l. quoties ff. de rebus dubiis*, Cap. *Abbas de verborum significatione*.

Ubi impedimentum inter Personas consurgit ratione unius principii utramque afficientis, sublatum ex parte unius aufertur ex parte utriusque, vi connexionis. Si verò utramque Personam afficiat sine connexione; tunc ex parte utriusque requiritur dispensatio. Hinc si tam Vir, quàm Mulier, votum emisit, non sufficit dispensatio uni collata; votum enim unius non connectitur cum alterius voto; secus accidit in gradu consanguinitatis, vel affinitatis, qui ex eodem indivisibili principio consurgit. Plura hac super re superessent enucleanda, quæ facilè occurrunt apud Casuistas.

CONTROVERSIA IV.

AN PONTIFEX DISPENSARE POSSIT IN IMPEDIMENTO VOTI SOLEMNIS CASTITATIS RELIGIOSORUM.

61 Quoniam sermo fuit de dispensationibus impedimentorum, operæ pretium erit impræsentiarum descendere ad peculiarem quæstionem dispensationis circa votum solemne, quod esse impedimentum dirimens, & quidem jure naturali divino ex dicendis patebit. Inquirimus itaque, an Pontifex dispensare possit cum Religioso solemniter Professo, ut Matrimonium contrahat. Salva ubique esse debet Apostolicæ Sedis reverentia, ejusdemque privilegia plene integra ab omnibus veneranda sunt, propugnandaque. Sed quoniam tot inter dotes indebito non indiget coruscare fulgore; ideo Catholici Doctores ad præsentis difficultatis examen devenere, affirmantibus pluribus, posse Romanum Pontificem in præcitato impedimento dispensare, negantibus aliis, qui id honori vertunt Pontificiæ dignitatis, quatenus Acatholicorum obstruunt ora clamantium, a Pontificiis extolli Petri Cathedram supra id quod est Deus.

DICENDUM est, Pontificem dispensare non posse in impedimento voti solemnis castitatis Religiosorum, ut contrahatur Matrimonium.

62 PROB. I. Quoties perseverat consecratio constituens intrinsece Personam Deo Sacram, impossibile est, quod ipsa non sit Deo consecrata, & ad laicalem Statum redeat; sed Ecclesiæ potestas nequit separare consecrationem intrinsece constituentem Personam Deo Sacram ab illo, qui est solemniter professus in Religione; ergo nequit illum ad Secularem Statum restituere, dispensando in voto solemni, aptumque reddens ad contrahendum Matrimonium. Votum solemne constituere Personam intrinsece Deo Sacram aperte declarant Canones relati 27. q. 1. ut Cap. *Virgines*, Cap. *Si quis fallo*, Cap. *Si qua Virgo*, & alibi sæpe. Declarant Patres, ut Ignatius *Epist. ad Antiochenses* — Virgines „ agnoscant, cui se consecraverunt — Atha- *Votum solemne intrinsece Deo consecrat.*
nasius *lib. de Virginit.* — Postquam continen„ tiam professa es, corpus tuum sanctifica„ sti — Basilius *in Proæmio Constit. Monastic.* — Qui a Mundi vinculis liber esse cupit, „ nuptias velut pedicas quasdam fugit; his „ autem relictis, vitam suam Deo consecrat, „ & castitatem profitetur — Ambrosius *lib. 3. de Virg.* — Discite quantas Alexandrina, „ totiusque Orientis, & Africanæ Ecclesiæ, „ quotannis sacrare consueverint: paruciores „ hic homines prodeunt, quàm illic Virgi„ nes consecrantur — Eusebius *lib. 4. de vita Constantini* — Castitatem, virginalemque „ modestiam amplexatæ quædam, corpus, & „ animam consecravere Deo — Ex his duo palam fiunt. Primum. Persona est, quæ immediate sacratur; ideoque inclamant Patres, *Corpus tuum*, *Vitam tuam*, Deo sacrata fore; ad innuendum, consecrationem afficere Personam. Secundum. Personæ se ipsas Deo consecrant; ut prædicta consecratio intelligatur non pure invocativa, quatenus Invocetur Deus, ut talia peragentibus præsto sit, sed constitutiva, utpote Personam sacrans, inhabilemque reddens ad profanos usus.

Porro consecrationem hujuscemodi auferri nusquam posse in aperto est. Etenim si consecratio constituit intrinsece Personam Deo Sacram, tandin essentialiter durat, quandiu ipsa Persona subsistit: sicut quousque perseverat Altare sub legitima Altaris figura essentialiter effectus habetur consecrationis, qui, si lapidem secundùm se afficeret, perseveraret, destructâ Altaris figurâ. De hac consecratione loquitur Deus Levit. 27. vers. 9. *Animal, quod immolari potest Domino, si quis voverit, Sanctum erit, & mutari non poterit*; siquidem animal relate ad præteritam actionem consecrantem dicitur consecratum; quoniam verò nemo unus præstare potest, quod actio illa non sit præterita, ideo quandiu animal

mal vivit, ſemper dicetur ſacratum Domino. Ex ea autem conſecratione dimanat in homine obligatio continentiæ. Hæc porro obligatio non eſt forma conſtitutiva conſecrationis, ſed effectus; non enim argumentari valet: quia tenetur ad continentiam, eſt conſecratus: ſed ex adverſo; etenim ſalvatur obligatio continentiæ abſque conſecratione.

Res clareſcat exemplo, quod expendit Abulenſis *in cap. 3. Numeror. quæſt.* 109. Si Ordini Epiſcopali, ſicut & Presbyterali, ejuſque conſecrationi eſſentialis foret obligatio continentiæ, nequiret Pontifex diſpenſare, ut Epiſcopus, vel Sacerdos, Conjugium contraheret, nec in ſenſu compoſito Epiſcopalis dignitatis, nec in ſenſu diviſo, auferendo ſcilicet Epiſcopalem conſecrationem; in omnium ſiquidem Sententia Eccleſia nequaquam valet Epiſcopalem conſecrationem auferre. & aliàs illi conſecrationi foret eſſentialis obligatio continentiæ; in ſubſtantialibus autem Eccleſia nequit diſpenſare. Atqui Religioſæ conſecrationi eſt eſſentialis obligatio continentiæ, ut clare docuit Innocentius III. relatus in Cap. *Cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.*, ubi -- Nec exiſtimet Abbas, quod „ ſuper habenda proprietate poſſit cum ali„ quo Monacho diſpenſare; quia abdicatio „ proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, „ adeo eſt annexa regulæ Monachali, ut „ contra eam nec Summus Pontifex poſſit li„ centiam indulgere -- Et Abulenſis, ubi ſupra, ait -- Includit contradictionem, quod „ aliquis ſit talis, qualis denominatur, & „ careat ſubſtantiâ rei, quæ eum talem fa„ cit, ſcilicet quod ſine albedine ſit albus, „ cum per albedinem quis albus ſit. Ita Mo„ nachum eſſe oportet, quod aliquid inclu„ dat ſubſtantialiter, ideſt, quod habeat ali„ quid ſubſtantialiter requiſitum ad hoc, „ quod ſit Monachus: quia quælibet res ha„ bet aliquid ſubſtantiale ſibi, ſed multum al„ terum eſt ſubſtantiale Monacho, per quod „ differat a non Monachis, niſi per obliga„ tionem ad continentiam, & abdicationem „ proprii, & obedientiam; ergo non pote„ rit Papa diſpenſare, faciendo, quod ali„ quis ſit Monachus, & careat aliquo iſto„ rum -- Sed neque facere poteſt, quod Monachus non ſit, adeoque capax Conjugii: nam per profeſſionem homo conſecratur Deo, ut ſuperiùs ſule probatum eſt, & conſecratio illi eſt eſſentialis, ſicut eſſentialis eſt in ordine Epiſcopali; ergo.

Monachis eſſentialis eſt continentia.

63 PROB. II. Non minùs firmum eſt ſolemnis Profeſſionis vinculum, quàm vinculum Matrimonii conſummati: cum illud ſit ſpirituale, perfectiſſimumque, Deum inter & hominem, per translationem perfectam dominii; ſed, urgente quacunque neceſſitate communis boni, nuſquam diſſolvi poteſt vinculum Conjugii corporalis conſummati; ergo neque ſolubile cenſendum eſt votum ſolemne Religioſæ Profeſſionis. Extraordinaria, & ineluctabilis neceſſitas boni communis ſit imminens periculum perverſionis totius Regni a Fide, evitari poſſit damnum adeo grave per diſſolutionem conjugalis vinculi · nemo unus ex Catholicis dicet, Pontificem in eo diſpenſare poſſe, nec inde colligi fas eſt quidquam ad rectum Eccleſiæ regimen deficere in Pontifice; quare ergo dicetur, diſſolubilem eſſe Profeſſionem Religioſam per diſpenſationem Pontificis, eâdem, vel ſimili, inſtante neceſſitate?

Religioſa profeſſio æquiparatur Conjugio.

Nec momenti eſt, ſi dicatur indiſſolubile prorſus Matrimonium conſummatum, propter perfectam ſignificationem unionis Chriſti cum Eccleſia, quæ ratio non urget in Religioſa Profeſſione. Etenim ſatis apte haberetur perfecta ſignificatio per hoc, quod Conjugium conſummatum ex natura ſua, & ſpectatâ ordinariâ rerum providentiâ, foret indiſſolubile; ideoque eidem non officeret, ſi per extraordinariam poteſtatem Pontifex poſſet illud diſſolvere, ſicut non officit, ex quo Deus illud diſſolvere poſſit. Ergo ſi hoc non obſtante, Matrimonium conſummatum nequit a Pontifice diſſolvi, neque poterit Religioſam Profeſſionem infringere.

64 PROB. III. Non datur in Eccleſia poteſtas ſive ordinaria, ſive extraordinaria, auferendi rem alicui traditam, & ſub hujus dominio perfecte translatam, etiam urgente communi bono, quoties Perſona, quæ re illa expoliari debet, non eſt illi ſubjecta: atqui Religioſus per vota ſolemnia perfecte Deo traditur, & ſpecialiter translatus eſt ſub dominio Dei, qui indubie Eccleſiæ juriſdictioni non ſubditur; ergo per nullam poteſtatem ſolemnia ejuſdem vota diſſolvi poſſunt, excogitato etiam quocunque boni communis periculo.

Per votum ſolemne homo Deo perfecte traditur.

65 PROB. IV. In verbis Joan. 21. relatis: *Paſce oves meas* non intelligitur collata extraordinaria poteſtas Eccleſiæ excitandi a mortuis virum ſupremo fato functum, ad præcavendam communis boni jacturam, ſi aliud medium non ſupereſſe confingamus, niſi vita hominis illius: ſed ſolemnis Religioſa Profeſſio in ordine ad ſecularia ex divina inſtitutione eſt mors ſpiritualis perfecta; ergo non eſt in Eccleſia extraordinaria poteſtas Virum Deo ſacratum per vota, adeoque mortuum Seculo, ab ea morte excitare.

Religioſus ad ſecularia velut mortuus

66 PROB. V. Chriſtus conſtituens, atque declarans perfectionem, immobilitatemque ſtatus perfectionis, qui in ſolemni Profeſſione Religioſa involvitur, comparationem adoptavit ab Eunuchis, qui hujuſmodi ſunt a natura, vel ab hominibus: quo momento utuntur Catholici adversùs Novatores, ut videre eſt apud Bellarminum *lib. 2. de Monachis cap.* 23., pro evincenda perpetuitate voti caſtitatis; ſed ſemel poſitâ impotentiâ in illis duobus Eunnchorum generibus, nullâ hominis poteſtate, aut naturali virtute, ſed a ſolo Deo ſupra naturam operante auferri poteſt; ergo poſitâ itidem voluntariâ impotentiâ in Religioſis, non datur in Eccleſia poteſtas eam reparandi, ſed ſolummodo e divina auctoritate erit id præſtare.

67 PROB. VI. Et potiſſimùm urgetur adversùs Novatores contendentes, impedimentum voti ſolemnis ſuperſtitioſum eſſe hominum inventum, adeoque non obligare, & pro libito diſſolvi poſſe. Urgetur ſimiliter adversùs nonnullos Eruditos, qui licèt catholice ſentientes fateantur, juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam, vota ſolemnia ſubſequens

Ma-

Matrimonium dirimere, nolunt tamen id evenire ex natura ipsius voti, sed ex Pontificia sanctione, ea propter primis rei Christianæ temporibus illicitum quidem, sed validum fuisse Conjugium contractum ab eo, qui solemniter voverat castitatem; discriminantur tamen, quo tempore votum constitutum fuerit impedimentum dirimens. Probatur itaque, quovis tempore solemne castitatis votum diremisse Matrimonium; unde meritò inferri debet dissolvere jure naturali divino, nullimode a Pontifice dispensabili.

Secundùm Augustinum *lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.* — „Quod Universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur — Sed vota solemnia subsequens dirimere Matrimonium Universa tenet Ecclesia, neque invenitur a Conciliis institutum; ergo ad Apostolicam Traditionem, quæ Jus divinum nobis manifestavit, referendum est. Quod universa Ecclesia hoc propugnet, in aperto est ex Tridentino *Sess. 24. Can. 9.* — „Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit — Porro legem hanc non fuisse in Concilio aliquo conditam probant eadem momenta, quæ adversæ partis Defensores proferunt, hujusce legis exordia designantes.

68 Volunt quidam, legem illam latam fuisse sub temporibus Innocentii II., qui Pontifex inauguratus fuit circa annum 1130.; cum in Lateranensi Concilio II. habeatur *Can. 7.* — „Statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, Monachi, atque Conversi professi, qui Sanctum transgredientes propositum sibi Uxores copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus — Et *seq. Can.* subdit — Id ipsum quoque de Sanctimonialibus fœminis, si, quod absit, nubere attentaverint, observari decernimus —

Referunt alii, quos inter Jueninus *Tom. 2. de Sacramentis cap. 3. de Impedimento voti*, hoc impedimentum ad tempora, quibus ubique invaluit, Gregorii Magni, qui an. 590. Romanus Pontifex electus fuit; cum *lib. 7. Epist. 9. ad Vitalianum Sipontinum Episcopum* pro casu Mulieris, quæ Religiosum habitum exuerat, & post votum nupserat, habeat — „Instantiæ tuæ sit Mulierem comprehendere, & statim non solùm ad male contemptum habitum sine excusatione aliqua revocare, sed etiam in Monasterio, ubi omnino districte valeat custodiri, detrudere — His constat Gregorium injungere separationem a Viro, cui se copulaverat Mulier Religiosa.

Ante tempora Innocentii II. matrimonium contractum a Religiosis erat nullum.

Verùm tum ante Decretum Innocentii II., tum ante illud Gregorii, legimus solemne votum irritum reddere subsequens Conjugium. Et quoad Innocentium, Calixtus II., qui ipsum præcessit *Dist. 27. cap. 8.* habet — „Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis Concubinas habere, seu Matrimonium contrahere penitus interdicimus. Contra quoque Matrimonia ab hujusmodi Personis disjungi, & Personas ad pœnitentiam redigi debere juxta Sacrorum Canonum definitiones judicamus — Jubet igitur, illos separari, utpote nullum Matrimonium, ut habet Glossa; & insimul hoc declarat juxta antiquiores Canones. Concilium Troslejanum circa annum 909. sub Sergio III. *cap. 8.* decernit — „Nullus Deo devotam Virginem, nullus sub Religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis illicito Connubio, aut vi, aut consensu, accipiat Conjugem; quia nec verum poterit esse Conjugium, quod a meliori proposito deducitur ad deterius, & sub falsi nominis culpâ, incestivâ pollutione, & fornicationis immunditiâ perpetratur — Triburiense Concilium an. 895. habitum idem statuit *Cap. 23.* — „Si quis Sacro velamine consecratam in Conjugium duxerit .... Verbo Domini, & Canonica auctoritate in hac Sancta Synodo præcipimus, ut omnino separentur, & juramento colligentur, ulteriùs sub uno non cohabitent tecto, nec familiari frui colloquio . . . aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti juste possit oriri — Toletanum IV. an. 633. habitum in eandem confluit Sententiam *Cap. 51.* — „Nonnulli Monachorum egredientes a Monasterio, non solùm ad Seculum revertuntur, sed etiam Uxores accipiunt. Revocati in eodem Monasterio, a quo exierant, pœnitentiæ deputentur, ibique deleant crimina sua, unde decesserunt — Ex his compertum quisque habere potest, ante Innocentium II. Ecclesiam nullum credidisse Matrimonium post solemne votum celebratum.

Verbo Domini, idest divino præcepto nullū Conjugium cum voto solemni initum.

Idem habes ex momentis antiquioribus Gregorio Magno. Concilium Turonense II. celebratum juxta P. le Cointe an. 566., adeoque ante laudatum Gregorium, *Can. 15.* habet — „Si qui in Monasterio conversi sunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi, nec quod absit, ullus eorum Conjugium ducere, extranearum Mulierum familiaritatem habere, nam sicut supra dictum est, si Uxorem duxerit, excommunicetur, & de Uxoris malæ sociatæ consortio etiam Judicis auxilio separetur — Quid clarius ad irritas declarandas hujusecemodi Nuptias? Hybernense sub S. Patritio circa annum 450. — „Virgo, quæ voverit Deo, si permaneat casta, & postea nupserit carnalem Sponsum, excommunionis sit, donec convertatur. Si conversa fuerit, & dimiserit adulterium, pœnitentiam agat, & postea non in una Domo, nec in una Villa, habitent — Ante Hybernense habemus Toletanum I. circa annum 400. congregatum, quod decernit *Can. 16.*, ut Mulier solemniter Deo Sacra — „Quæ Maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivento ipso Viro, caste vivere cœperit, aut postquam ille decesserit — Per ea verba: *Adhuc*

vivente

vivente ipso viro, caste vivere cæperit, satis innuitur separatio extrinseci, ut sic dicamus, conjugalis vinculi, quod revera non est; aliàs Canon non quid magis importaret pro ea, quæ post votum intentando Matrimonium Viro copulatur, ac pro ea, quæ post votum absolute peccat: cum hanc quoque a pœnitentia rejiciat, nisi peccare desinat, ut prima pars Canonis explicat — Devotam pec-
„ cantèm non recipiendam esse in Ecclesia
„ censemus, nisi peccare desierit —

69 Dicit Jueninus, *ubi supra*, verba præcitata non arguere separationem quoad vinculum contracti Matrimonii, sed tantùm quoad thorum; hanc enim præcipiebant Canones publice pœnitentibus, præsertim cum utraque Pars in ipso Nuptiarum contractu peccaret.

RESP. Marcus Antonius de Dominis *lib. 2. Reipub. Ecclesiastica cap. 11. num. 47.* asserit, Canonem Toletanæ Synodi alludere ad Statutum Innocentii I. *Epist. 2. ad Vitricium cap. 12.* quamvis perperàm adstruat, correctivum esse ejusdem Statuti — Respondeo,
„ *inquit*, Concilium hoc mitigasse in parte
„ Statutum Innocentii — Videamus igitur quid sentiat hac super re laudatus Pontifex, qui eodem ævo regebat Ecclesiam. Igitur laudato capito habet — Item quæ Christo
„ spiritualiter nupserunt, & velari a Sacer-
„ dote meruerunt, si postea vel publice nu-
„ psarint, vel se clanculò corruperint, non
„ eas admittendas esse ad agendam pœniten-
„ tiam, nisi is, cui se junxerat, de Seculo
„ recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio
„ custoditur, ut quæcunque, vivente Viro,
„ alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei
„ agendæ pœnitentiæ licentia concedatur,
„ nisi unus ex eis defunctus fuerit, quantò
„ magis de illa tenenda est, quæ antea im-
„ mortali se Sponso conjunxerat, & postea
„ ad humanas Nuptias transmigraverit — His palam fit, nullum fuisse intentatum Conjugium; comparat enim hujuscemodi Conjugium Conjugio ab illa contracto, quæ, vivente Viro, alteri nupserit, quod plane nullum est; & sicut Pontifex huic denegat licentiam agendi pœnitentiam, nisi unus ex eis fuerit defunctus, ita eandem denegat Sacræ Virgini, donec Vir fato functus fuerit. Loquebatur enim Innocentius de illis Virginibus, quæ cum post velum publice acceptum nupsissent, a Viris discedere nolebant; his porro pœnitentia usque ad Viri obitum interdicebatur; & meritò quia in libidinoso crimine perseverare volebant. Cur verò non præceperit, eas vel invitas a Viris separari, ea causa est, quia Ecclesiasticis tantùm, non Civilibus pœnis eas persequendas censuit, idcirco erga illas non Civilem, sed Ecclesiasticam potestatem exercere voluit. Si igitur Innocentius nullum declarat Matrimonium a Virgine Deo Sacra contractum, idem decernere dicendum est Concilium Toletanum, si in suo Canone ad Canonem Innocentii alludit; adeoque ibidem non agit de sola separatione quoad thorum, existente revera maritali vinculo.

70 Eodem Seculo, anno scilicet 451. In Generali Chalcedonensi Synodo *Can. 16.* statutum est — Si qua Virgo se Deo dedica-
„ verit, similiter & Monachus, non licere
„ eis jungi Nuptiis. Si verò inventi fuerint
„ hoc facientes, maneant excommunicati.
„ Statuimus verò, posse in eis fieri humani-
„ tatem, si ita probaverit loci Episcopus —

Ex ultimis verbis colligit Petrus Martyr, posse Episcopum permittere Sanctimonialium Conjugia, & Marcus Antonius *loc. cit. num.* 37. Canonem sequentibus explicat — Hoc est
„ confitentibus se peccasse, tollat ab eis ex-
„ communicationem, & patiatur eos fine
„ illa frui Matrimonio — Et Jueninus hoc unum asserit, velle Patres, nisi ut pœnitentiæ addicantur, circa quam poterit mitiùs agere Episcopus, sed nullimode ipsos præcipere separationem.

Verùm satiùs est Triburiensis Concilii adoptare sensa, quàm sive Hæreticorum, sive etiam aliorum sequi interpretationem. Itaque laudata Synodus *Cap. 23.*, de quo nonnulla superiùs dedimus, sed impræsentiarum integrum referre caput operæ pretium erit, habet — Si quis Sacro velamine consecratam
„ in Conjugium duxerit, & post dicatum
„ Deo propositum incesta fœdera, sacrilega-
„ que miscuerit, ut in Constitutis Gelasii Pa-
„ pæ *cap. 20.* legitur, protinus æquum est,
„ a Sacra Communione detrudi, & nisi per
„ publicam, probatamque pœnitentiam om-
„ nino non recipi; si tamen pœnituerint,
„ transeuntibus de Seculo Viaticum non ne-
„ getur. In Chalcedonensi Concilio *cap. 16.*, *Triburiense antiquos Canones renovat.*
„ hoc perpetrantes excommunicentur: confi-
„ tentibus, auctoritate Episcopi misericor-
„ dia largiatur. In Epistola Papæ Siricii
„ *cap. 6.*, Velatæ Deo consecratæ, si abje-
„ cto proposito Sanctitatis, clanculùm sacri-
„ lega se contagione miscuerint, vel de illi-
„ citis complexibus publice, & libere filios
„ procreaverint, has impudicas, detestabi-
„ lesque Personas a Monasteriorum cœtu, &
„ Ecclesiarum conventibus eliminandas esse
„ judicatum est, quatenus retrusæ ergastulis,
„ tantum facinus continua lamentatione
„ defleant. Unde verbo Domini, & Cano-
„ nica auctoritate, in hac Sancta Synodo præ-
„ cipimus, ut omnino separentur &c. — Omnino igitur separari debent sic contrahentes, tum verbo Domini, idest divino præcepto, tum Canonica auctoritate, sive ex Gelasio, sive ex Chalcedonensi Concilio, sive ex Siricio derivata.

71 Concilium Carthaginense IV. anno 398. celebratum *Can. 104.*, cui interfuit S. Augustinus, de Viduis professis, quæ ad Nuptias transeunt, habetur, quod juxta Apostolum damnationem incurrunt; quia primam fidem irritam fecerunt; additurque sequens causalis — Nam si adulteræ Conjuges
„ reatu suo sunt Viris suis obnoxiæ, quantò
„ magis Viduæ, quæ Religiositatem muta-
„ verunt, crimine adulterii notabuntur, si
„ devotionem, quam Deo sponte, non coa-
„ cte, obtulerunt, libidinosa corruperint
„ voluptate, aut ad secundas Nuptias tran-
„ situm fecerint — In hac causali Matrimonium illud declaratur nullum, sicut nullum est illud, quod intentatur ab adultera, cui æquiparat Sancta Synodus transitum Monialis

ad

ad Nuptias, Verùm quid plura, ubi textus in aperto est? prosequitur enim -- Quæ etsi, „ violentia irruente, ab aliquo præreptæ fuerint, ac postea delectatione carnis, atque libidinis, permanere in Conjugio, raptori, vel violento Viro consenserint, damnationi superiùs comprehensæ tenebuntur obnoxiæ -- Non vult igitur, quod in Conjugio permaneant, sed prorsus separentur.

Nuptiæ secundæ quando nullæ. Obiter placet advertere, dupliciter aliquem posse ad secundas Nuptias transire; vel prima vivente Conjuge, vel eâ defunctâ. Si transitus habeatur, vivente priore, secundæ Nuptiæ irritæ censentur; porro quando Religiosa solemniter Professa intentat Conjugium, Conjux alter, idest Christus, adhuc vivit, proindeque nullimode nubit.

72 Habemus tandem Concilium Illiberitanum ineunte Seculo III. congregatum, ubi *Can.* 13. -- Virgines, quæ se Deo dicaverunt, „ si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit, nec in fine dandam eis esse Communionem. Quod si sibimet persuaserint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & omni tempore vitæ suæ ejusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint a coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit, eas in fine Communionem accipere debere -- Patres veniam, & communionem in fine vitæ illis concedunt, si abstinuerint, idest, si se a prætenso Marito separaverint; quo loquendi modo irritus declaratur contractus.

Gaspar Jueninus *loc. supra cit.* Canonem hunc intelligit de Virginibus lapsis, per simplicem fornicationem, secus per transitum ad Nuptias, de quibus in eo Canone nulla occurrit mentio.

Verùm Canon communiter de Nuptiis accipitur, ut Glossa 27. *quæst.* 1. *Can.* 25. -- „ Quod si Virgines votum continentiæ frangentes nupserint -- Aliàs nulla de Conjugio mentio habetur; siquidem quod nusquam fuit, in proprietate sermonis Conjugium nuncupari non debet.

73 Si quis autem, ut harum auctoritatum vim relevet, cum cit. Juenino diceret, ex illis probari, votum solemne Religiosorum alicubi quidem primis Ecclesiæ Seculis diremisse Matrimonium, secus ubique; facilè revincitur. Nam, ut vidimus ex Augustino -- Quod Universa tenet Ecclesia, nec „ Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur -- Porro si ex Apostolica auctoritate, immo & divina, habetur hujusmodi impedimentum, sane ubique vigere debuit; non enim Jus Divinum alicubi obligat, alicubi non obligat. Addes quod Œcumenica Concilia, quæ utique pro Universa Ecclesia Canones præscribunt, de hoc impedimento sermonem habuere: ut de Chalcedonensi dictum est; ergo. Notandum etiam, nos retulisse Concilia ex omnibus fere Nationibus: etenim pro Hispania retulimus Illiberitanum, & Toletanum, pro Hybernia Hybernense, pro Gallia Turonense, pro Africa Carthaginense &c.; ergo jure asserere possumus, hanc fuisse totius Ecclesiæ Sententiam.

74 His concinunt priorum Seculorum Patres. S. Basilius *Lib. de vera Virginitate* circa medium habet -- Cum enim Virginitatem Domino professæ sint, carnali postmodum voluptate male blandâ delinitæ, ac devictæ, stupri scelus honesto Conjugii nomine obtegere cupiunt. Non ignorant hujusmodi, quamvis ignorantiam simulanti, quæ Sponsi dexteram, & fœdera prævaricata sit, eam nec illius ultra esse Sponsam, quem nequitiæ dans manus dereliquit; neque ejus Uxorem per ullas leges dici posse, cui se deserto Sponso, libidine incitata, conjunxit -- Et infra -- „ Conjugium quippe illi in peccatum reputabitur; primum quidem quia pessimum conjunctionis hujus fundamentum voluptatem jecit, prævaricationisque malum; deinde quia causa non esset libera, neque enim est mortuus vir ejus, ut cui vult nubat, vivente immortali viro, meritò censetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini thalamis intulit -- Quid luculentius? Si enim hujusmodi mulier habet viventem virum, cui se per votum solemne dicavit, jam plane fit, intentatas Nuptias cum mortali Sponso non solùm illicitas, sed nullas prorsus fore.

Patres priorum Seculorum. Basilio subscribit Chrysostomus *Epist. 6. ad Theodorum Monachum lapsum* -- Angelorum semel societati junctum, illam relinquere, aut uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est. Quamvis frequens hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò pejus affirmo -- Illa adversativa *Ego tamen* satis innuit, Sanctum Doctorem sentire, non esse nuptias; & sane *ibidem* sæpenumero eandem doctrinam repetit, cui addit -- Nam, si mulier proprii „ corporis non habet potestatem, sed vir, multò magis hi, qui Christo potius, quàm sibi vivunt, conditionem corporis sui habere non possunt -- Ubi vides eam esse conditionem inter Virginem Deo sacram, & Christum, quæ uxorem inter, & maritum intercedit: sed uxor, vivente marito, irritum facit subsequens Conjugium; ergo itidem Virgo Deo sacrata, dum carnale intentat Matrimonium.

Bellarminus, Possevinus, aliique, male audiunt Tractatum Sancti Ambrosii *ad Virginem lapsam*, tamquam Novatiano errori faventem: adeoque Sancto Ambrosio abjudicant; tamen Natalis Alexander absolute non reprobat. Ibidem igitur legitur -- Quæ se „ spopondit Christo, & Sanctum velamen accepit, jam nupsit: sed immortali juncta est viro; etiamsi voluerit nubere communi lege Conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur -- Si autem secundæ Nuptiæ cum homine celebratæ subsisterent, utvis forent illicitæ, non tamen adulterinæ dicerentur.

S. Hieronymus *adversùs Jovinianum* relatus *dist.* 27. *Can.* 9. -- Virgines, quæ post „ consecrationem nupserunt, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ -- Ejusdem labii sunt ceteri Patres, quos referre non vacat, cum præcitata monumenta abunde sufficiant ad evincendam doctrinam priorum Seculorum

circa nullitatem inintatel Matrimonii post solemne Religiosæ Professionis votum. Ex his tamen placet subsequens argumentum instituere.

75 Ex laudatis Conciliis, & Patribus, in aperto est, sub exordio nascentis Ecclesiæ extitisse Monachatum in sua proprietate per tria solemnia vota constitutum: sed Monachatus hujusmodi ex natura sua irritum facit subsequens Matrimonium; ergo tunc temporis nullum fuit Conjugium subsequens in Persona solemnibus votis adstricta. Min. evincitur. Nam SS. PP., & Concilia æquiparant Nuptias cum Christo celebratas, media Religiosa Professione, Nuptiis celebratis inter homines: sed Nuptiæ priores, vivente altero ex Conjugibus, subsequens dirimunt Matrimonium; ergo pariter in nostro casu.

Elucidatur argumentum. Ex natura legitimi, perfectique contractus, quoties res est uni perfecte tradita, nullus efficitur contractus, per quem ejusdem rei intentatur traditio alteri; quia per legitimam, perfectamque traditionem, dominium etiam possessivum transfertur; translato autem perfecto rei dominio, nulla superest potestas in ordine ad aliam dominii translationem. Sed solemnis Professio perfectam dicit traditionem totius Personæ in Deum: cum ab ipso, mediis Ecclesiæ Ministris, positive acceptetur; ergo ex natura sua aliam quamcumque traditionem hominibus factam irritat. Sicut, quia ratione servitutis omnia opera mancipii sunt sub potestate Domini, ideo omnis donatio, & venditio a mancipio intentata nulla est, & si eodem modo translata esset Persona, mancipium nubere non posset; ita, quia per solemnem Professionem translata est in dominium Dei Persona Monachi, nulla est traditio postmodum tentata per Matrimonium.

Professio dicit perfectam traditionem in Deum.

SOLVUNTUR MOMENTA CONTRARIA.

76 OBJIC. I. Non minùs intervenit obligatio juris divini, traditio, promissio, & consecratio, in votis simplicibus constituentibus Religiosum Statum, atque Sacræ Ordinationi annexis, quàm in votis solemnis Religiosæ Professionis: atqui in illis Ecclesia dispensare potest; ergo etiam in istis.

RESP. Argumentum firmat assertionem nostram. Nemo unus ex Catholicis Adversantibus nostris dicet, absque dispensatione posse Religiosum solemniter Professum valide inire Matrimonium; & tamen, nulla dispensatione præmissa, potest quis, stante simplici castitatis voto, valide Conjugium contrahere. Absque ulla dispensatione, si a Societate Jesu dimittantur habentes vota simplicia constitutiva Status Religiosi, possunt Nuptias celebrare. Itidem nullus asserere audebit, Religiosum solemniter professum, perseverante Religioso Statu, posse habilem reddi ad Nuptias; & tamen Sacer Altaris Minister, dispensatione accedente, poterit capax fieri ad contrahendum, ut innuit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Itaque latum intercedit discrimen inter præcitata.

Discrimen inter vota simplicia, & solemnia.

In votis simplicibus non intervenit perfecta traditio, perfectaque translatio dominii in Deum; & quamvis constituant Statum, ut in Societate, non sunt absoluta, sed conditionata, ut refert Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 8. *num.* 84. — Emittuntur vota a Scho„ lasticis, & Coadjutoribus Nostris, ut sub „ conditione quadam, quæ Initio ingressus „ omnibus manifestatur, emittantur — Hanc explicat conditionem *num.* 86. -- Sub ea ta„ cita conditione vovit, quandiu Societas „ ipsum retineret -- ita ut, secuta dimissione, cessant vota, ut in sua Extravag. *Ascendente Domino* Gregorius XIII. affirmat. In Sacra Ordinatione habetur quidem inauguratio, quæ ab Ecclesia auferri nequaquam potest; verùm eidem non est essentialiter annexum continentiæ votum. Vota solemnia & plane absoluta sunt, & perfectam, perpetuamque important traditionem, & Statui Religioso essentialiter connectitur votum continentiæ.

77 OBJIC. II. Religiosa Professio habet a solemnitate indissolubilitatem: sed hujusmodi solemnitas ex sola Ecclesiæ institutione orta est; ergo indissolubilitas Professionis Religiosæ ab Ecclesia auferri potest. Minor habetur ex Bonifacio VIII. in Cap. *unico de Voto in* 6., ubi Pontifex ad Bitterrensem Episcopum habet -- Quod votum debeat dici „ solemne, nec ad dirimendum Matrimo„ nium efficax nos consulere voluisti. Nos „ igitur attendentes quod voti solemnitas ex „ sola constitutione Ecclesiæ est inventa, „ Matrimonii verò vinculum ab ipso Eccle„ siæ Capite rerum omnium Conditore, „ ipsum in Paradiso, & in Statu innocentiæ „ instituente, unionem, & indissolubilita„ tem acceperit: præsentis declarandum du„ ximus oraculo Sanctionis, illud solum vo„ tum dici solemne, quantum ad post con„ tractum Matrimonium dissolvendum, quod „ solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri „ Ordinis, aut per Professionem expressam, „ vel tacitam factam alicui de Religionibus „ per Sedem Apostolicam approbatis — Et Gregorius XIII. Constit. *Ascendente Domino* coarguens asserentes, Alumnos Societatis emittentes vota simplicia non esse vere, & proprie Religiosos, habet -- Non conside„ rantes voti solemnitatem, sola Ecclesiæ „ Constitutione inventam esse, triaque hu„ jusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, „ ut substantialia Religionis vota ab hac Sede „ fuisse admissa, illaque emittentes in statu „ Religionis vere constitui, quippe qui per „ ea ipsa se Societati dedicant, atque actu „ tradunt, seque divino servitio mancipant -- ergo.

RESP. Possemus, ut argumento fiat satis, duplicem distinguere solemnitatem: unam intrinsecam, & essentialem, quæ consistit in absoluta traditione Deo facta, & absolute acceptata, stante habilitate Personæ ad profitendum: extrinsecam alteram, quæ versatur in ritibus, & conditionibus ab Ecclesia præscriptis ad valorem Professionis; non aliter ac Matrimonio, in quo intrinseca solemnitas sita est in actibus mutuæ traditionis, & extrinseca in ritibus ab eadem Ecclesia

Solemnitas voti duplex.

clesia decretis. Prima solemnitas est juris
divini constituentis statum perfectionis, tan- A
quam singulare bonum Evangelicæ legis; &
hæc extra Ecclesiæ jurisdictionem est quoad
dissolutionem. Extrinseca est humani juris
positivis Statutis variabilis. Verùm his non
indigemus; quoniam Bonifacius in laudata
auctoritate nobis tutam sternit viam. Ultro
damus, totam solemnitatem esse ab Ecclesia;
sed negamus inde, solemnem Professionem
esse dissolubilem. Discriminantur namque
voti solemnitas, & voti solemnis essentia;
sicut longe diversum est Matrimonii solem-
nitas, & Matrimonii essentia. Solemnitatem
Conjugii Fidelium totam præscribit Ecclesia,
quæ nullum voluit, si Parochi, & duorum B
Testium desit præsentia; & tamen ad unum
omnes fateantur, oportet, in hoc non consi-
stere essentiam Conjugii, sed in absolutis
actibus mutuæ traditionis, illa solemnitate
comite, & ab essentia indissolubile oritur
vinculum, non quidem ab Ecclesia, sed a
Capite rerum omnium Conditore, ut loqui-
tur Pontifex. Similiter totam Religiosæ Pro-
fessionis solemnitatem præscribit Ecclesia,
nullamque dicit Professionem, hanc irritam
decernit, si Religio non sit approbata, si
annus probationis non præmittatur &c.; sed
voti solemnis essentia ex his non consurgit,
sed ex actibus perpetuæ actualis traditionis, C
& acceptatæ in perpetuum translationis, un-
de immediate vinculi obligatio habetur, &
hæc obligatio ad lineam ordinis superioris
ascendit; quod similiter in Conjugio videre
est, in quo, præmissa, seu comitante dispo-
sitione ab Ecclesia præscripta, resultat ratio
Sacramenti, significatio conjunctionis Christi
cum Ecclesia, vinculi indissolubilitas, quæ
non Ecclesiastici, sed divini juris sunt.

Idem aliu evincitur exemplo. Jus civile
totam præcipit solemnitatem necessariam ad
valorem v. g. donationis inter vivos, vel Te-
stamenti confirmandi per mortem, ita quod,
illis non appositis conditionibus, nulla cen- D
setur donatio, nullumque Testamentum; at-
tamen omnibus rite persolutis consurgit obli-
gatio ordinis naturalis; & potissimùm facta
translatione rei donatæ, vel hæreditatis, ne-
quit Magistratus, spectato jure, rem illam,
aut hæreditatem a Possessore auferre: quod
si translatio in Personam alienigenam facta
sit, neque urgente communi bono spoliari
potest. Ita impræsentiarum loquendum est;
observatâ Religiosæ Professionis solemnitate
ab Ecclesia sancitâ, exoritur obligatio alte-
rius ordinis; proindeque ab humana pote-
state indissolubilis evadit.

Quod ex Gregorio refertur, nobis arri- E
det. Vota simplicia Societatis, quamvis ve-
ros efficiant Religiosos, non tamen faciunt
eos solemniter Professos; non ob aliud sane,
nisi quia traditio illa non est plane perfecta,
& quoquoversus absoluta; hinc Ecclesia non
eam Dei nomine adoptat simpliciter pro om-
ni casu. In professione verò solemni & tradi-
tio absoluta censetur, & Ecclesia eam in per-
petuum Dei nomine acceptat, fitque illico
Juris divini; quo modo cum Procurator no-
mine alterius consensum partis contrahentis,
seuve ultro oblatam, acceptat, translatio im-
mediate vertit in principalem, nec amplius
sub potestate Procuratoris est revocatio.

78 OBJIC. III. Non minùs est insepa-
parabilis ab homine Religioso Professio,
quàm consecratio a Calice Sacris deputato:
sed Calix hujusmodi, urgente necessitate,
assumi potest ad laicales usus, & manente
eodem subjecto per ablationem formæ Calicis
auferri consecratio; ergo eodem existente
homine, auferri, & separari poterit Profes-
sio, proindeque ad Conjugium aptari.

RESP. Calix absque ulla execratoria
actione, assumi valet, si occurrat necessitas,
ad laicalem usum, puta ad dandum medicamen
Infirmo periclitanti, & aliud ad id non sup-
peteret medium, & absolute Calicis figura
ab ipsa materia, puta argento, sejungi valet;
nil autem horum concedere possunt Adver-
sarii in casu Religiosi Professi. Negatur ita-
que a Calice separabilem esse consecrationem;
dum siquidem figura tollitur, destruitur Ca-
lix, & remanet argenti massa; ex quo infer-
tur, per mortem separari ab homine Profes-
sionem Religiosam, quia per mortem desinit
homo.

79 OBJIC. IV. Id quod si a principio
adesset, impediret, ne votum fieret, est
sufficiens causa dispensandi post factum: sed
bonum commune v. g. pax Regni, est suffi-
ciens causa, ne votum fiat, cum homo te-
neretur non vovere; ergo si commune bonum
occurrat post votum, sufficiet ad dispensan-
dum solemniter Professum.

RESP. Si ante contractum Matrimo-
nium timerentur ex eo mala, eaque gravia,
teneretur homo non contrahere; verùm si
Matrimonio inito eadem mala immineant
dissolvi nequaquam potest. Sic in nostro casu
commune bonum utique impedire potest so-
lemnem Deo consecrationem; sed post hanc
nulla est in Terris potestas, quæ illam au-
ferre possit.

Plura facta tenent quæ fieri non valent.

80 OBJIC. V. Si in solemni voto con-
ditionata involvitur acceptatio, videlicet,
nisi obstet commune bonum, & supremus
Princeps aliter non decernat, datur potestas
voti dispensativa: sed in voto solemni huju-
scemodi conditio implicatur: est enim lex
particularis, & aliàs in hisce legibus duplex
illa conditio spectatur; ergo.

RESP. Conjugium est lex particularis,
& consummatum potest esse communis boni
impeditivum v. g. propter sterilitatem; & ta-
men non contrahitur cum illa duplici condi-
tione, nec dissolvi potest. Ita in nostro casu.
Jus namque naturale obligat ad providendum
communi bono licitis, & possibilibus mediis,
& non aliter. Leges itaque dupliciter parti-
culares nuncupantur; vel quia pro institutio-
nis fundamento non nisi hominis voluntatem
respiciunt; vel quia applicationem quidem
habent a voluntate, sed aliunde illas institu-
tas agnoscit, ultroque illis subjicit. Ubi le-
ges sunt primo modo particulares, duplicem
relatam conditionem involvunt. Sed lex Ma-
trimonii, sicut & Professionis Religiosæ par-
ticulares sunt secundo modo, quatenus di-
vinæ sunt institutionis simpliciter, quibus li-
bere homo se subjicit; unde nulla potestas est
invenire, quæ a tali lege relaxet.

Leges particulares in duplici differentia.

81 OBJIC. VI. Nequit homo Ecclesiæ præripere privilegia extraordinariæ potestatis concessa per ea verba Joan. 21. *Pasce oves meas*: sed assertio nostra hujusceemodi privilegia abnegat: urgente siquidem necessitate periclitantis Fidei, nisi Religiosus solemniter professus nubat, denegatur Ecclesiæ extraordinaria potestas dispensativa voti solemnis; ergo.

RESP. Assertio nostra nullum sane privilegium laudatis verbis Ecclesiæ concessum imminuit, infirmatve; immo Ecclesiæ jura mire propugnat, cum ipsa explicet consone ad Scripturæ regulas. Et sane quis usquam dicet, lædere Pontificiam potestatem, qui affirmaret Supremum Hierarcham non posse consummatum dissolvere Matrimonium, non posse mutare Sacramentorum materiam, etiam periclitante communi bono? Cur igitur eadem impræsentiarum non securrit ratio?

82 OBJIC. VII. Hæc prædicatio, *Petrus est Religiosus*, est accidentalis, sicut hæc, *Petrus est albus*: sed esse album est separabile a Petro; ergo etiam esse Religiosum.

RESP. Hæc prædicatio, *Petrus est uxoratus*, est accidentalis, sicut hæc alia, *Petrus est cæcus*; & tamen esse uxoratum non est auctoritate Ecclesiæ a Petro separabile, nec naturali virtute esse cæcum; ergo similiter in nostro casu. Sunt enim denominationes quædam, quæ accidentales dicuntur, quia rei secundùm suæ essentialia constitutæ superveniunt; verùm supposita earundem applicatione, efficiuntur inseparabiles, & velut essentiales. Esse Religiosum secundùm se est separabile a Petro; secus Petro perfecte Deo sacrato per vota; nam sub hac consideratione intelligitur perfecta traditio consecrativa personæ. Unde licèt hæc propositio, *Petrus est Religiosus*, sit absolute accidentalis, hæc tamen est necessaria, *Petrus Deo traditus per Professionem est Religiosus*, proindeque immutabilis.

Quædam accidentalia a subjecto inseparabilia.

83 OBJIC. VIII. Latria, & Charitas sunt virtutes solemni voto excellentiores: illæ namque immediate Deum respiciunt, hoc verò non immediate; sed in Ecclesia admittitur potestas dispensandi in voto Latriæ, & Charitatis; ergo etiam in voto solemni.

RESP. Indissolubilitas non attenditur penes objectum perfectius, sed penes propria constitutiva. Eucharistia indubie est Sacramentum aliis excellentius; & tamen est iterabilis, quod de omnibus aliis non verificatur. Nobilius est vinculum Episcopalis consecrationis ad Ecclesiam, quàm vinculum conjugale: illud enim perfectius habet objectum; & tamen illud dissolvi potest, secus istud. Votum itaque solemne ex suis intrinsecis perfectam dicit, atque adæquatam Deo traditionem; ideoque vovens castitatem ad mortem usque profitetur, & Deus hoc modo acceptat.

Rerum constitutiva spectanda.

84 OBJIC. IX. Si pereunte humano Genere, tantummodo Monachi, & Sanctimoniales superessent, tenerentur, ne tota Gens periret, simul nubere: sed hoc licitum foret, nisi accedente dispensatione; ergo hæc est possibilis; adeoque adest in Pontifice hujusmodi potestas.

RESP. Argumenta hujusmodi non urgent, cum limites Providentiæ a Deo constitutæ in regimine Universi transcedant. Ceterum recurrit instantia de Matrimonio consummato. Si enim omnes Uxorati essent steriles, posset ne Ecclesia dissolvere Matrimonium consummatum, ne humanum Genus periclitaretur? Si nec gutta aquæ superesset, & milleni forent Infantes baptizandi, posset ne dispensari, ut collatio Baptismi fieret in lacte? In eo igitur conficto casu illi nec nubere tenerentur, nec possent; sicut qui nihil habet, nec tenetur, nec potest opem præstare extremæ indigenti. Deberet tamen tunc temporis Ecclesia precibus Deum exorare, ut divinam voluntatem manifestaret; quod si certa fieret revelatio de propaganda ulteriùs specie, ipsum specialiter, absoluto suo dominio, dissolvere solemnis Professionis vinculum intelligeremus.

Deficientibus hominibus Religiosus non posset nubere.

85 OBJIC. X. Ubi est eadem species rerum constitutiva, eædem sunt proprietates: sed voti tum ordinis, tum simplicis castitatis eadem est species cum voto solemni; ergo eadem est proprietas dispensationis.

RESP. Conjugium est ejusdem speciei sive ratum, sive consummatum; & tamen illud est dissolubile per Professionem Religiosam, secus istud. Sunt inter Theologos, qui propugnant, votum simplex a solemni discriminari, discriminari itidem votum Ordinis, ab illo Religiosæ Professionis; sunt & alii, qui omnia ejusdem speciei volunt. Verùm, utut res se habeat, votum solemne efficitur indissolubile propter consummatam perfectionem traditionis, & acceptationis divinæ, quæ in aliis non adinvenitur.

Discrimen inter votum simplex, & solemne.

86 OBJIC. XI. Solemne Religionis votum non solùm importat continentiam, sed etiam omnis proprietatis abdicationem; sed Ecclesia, cum Religiosos ad Episcopatum promovet, dispensat quoad paupertatis votum: eodem quippe modo, & tenore expediuntur Bullæ pro ipsis, ac pro aliis Clericis, qui dubio-procul Ecclesiasticorum bonorum dominium habent: aliàs prædicti Episcopi ad restitutionem de male expensis tenerentur, quod non est dicendum, cum hac super re Ecclesia non sit sollicita; ergo.

RESP. Perperàm asseritur, dispensari in paupertatis voto Religiosum Episcopum inauguratum, sed eidem solummodo libera bonorum tribuitur administratio, cum dependentia tamen a Supremo Pastore, cui etiam obedientiæ voto subditur. Bullæ quidem eædem sunt quantùm ad liberam administrationem; secus quoad dominium. Unde teneretur ad restitutionem, si bonis abuteretur; sed de hoc Ecclesia non est sollicita, vel quia crimen non supponit, vel quia talem obligationem relaxat, ipsi namque deberentur Ecclesiæ.

Episcopus Religiosus ad paupertatem tenetur.

87 OBJIC. XII. Sicut obligatio voti solemnis est Juris divini naturalis, ita obligatio juramenti promissorii, vel obligatio succurrendi Parentibus sunt Juris naturalis: atqui in his Ecclesia dispensare potest; ergo etiam in illo.

RESP. In promissione humana alteri facta, atque acceptata, Pontifex dispensare

nequit;

nequit; quia jam alter dominium habet in re, vel jus ad rem. Cumque in solemni voto absoluta acceptatio facta fuerit a Deo; hinc est, quod Pontifex in eo dispensare non valeat. Id palam fit in votis solemnibus Societatis, quæ majorem utique firmitatem habent sive eorum Deo, sive coram hominibus, quàm vota simplicia Coadjutorum, eaque major firmitas consurgit ex carentia conditionatæ acceptationis, quæ in simplicibus involvitur. Votum solemne importat consummationem spiritualis Conjugii in esse contractus hominis tradentis se Deo acceptanti; adeoque acceptatio absoluta est. Aliàs status perfectionis, quem vota solemnia constituunt ad Evangelica consilia spectant, quæ absolute sunt Juris divini.

Unde firmitas in voto solemni.

88 OBJIC. XIII. Patres in eam confluunt Sententiam, ut validum sit Matrimonium initum post solemne castitatis votum: sed hoc salvari nequit sine dispensatione; ergo. Major ex mente Hæreticorum impugnantium Statum Monachorum fusius seq. Tomo probabitur. Impræsentiarum Augustinum, & Leonem Magnum potissimùm adducemus, quibus fidit Jueninus *loco sæpe cit.*, ubi probare contendit, votum solemne castitatis non fuisse ubique per quinque priora Secula Matrimonii impedimentum dirimens -- S. Augustini tempore, *ait Eruditus Auctor*, „ fuerunt, qui dicebant, Nuptias Virginum, „ quæ Deo castitatem vovissent, non Nuptias „ esse, sed adulteria; fuerunt, qui negarent; „ istis adhæsit Augustinus —

I. Itaque ex Augustino sequentem excerpit auctoritatem ex *lib. de bono Viduitatis cap. 10., & seq.* -- Proinde qui dicunt, talium Nuptias non esse Nuptias, sed potius „ adulteria, non mihi videntur satis acute, „ ac diligenter considerare quid dicant... „ Fit autem per hanc minus consideratam „ opinionem, qua putant, lapsarum a sancto „ proposito fœminarum, si nupserint, non „ esse Conjugia, non parvum malum, ut a „ Marito separentur Uxores, & cum volunt „ eas separatas reddere continentiæ, faciunt „ Maritos earum adulteros viros, cum suis „ Uxoribus vivis alteras duxerint. Quapropter non possum quidem dicere a proposito „ meliore lapsas si nupserint, fœminas, adul„ teria esse, non Conjugia: sed plane non „ dubitaverim dicere, lapsus, & ruinas a „ castitate sanctiore, qua vovetur Deo, adul„ teriis pejores esse -- Hæc S. Doctor.

II. Leo Magnus *Epist. 82. ad Rusticum Narbonensem* consultus de Monachis, qui Uxores accipiunt, non jubet, ut separentur, sed tantùm ut publicâ pœnitentiâ damnentur -- Qui relictâ singularitatis (*sic Can. 12.*) „ Professione ad militiam, vel ad Nuptias „ devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfa„ ctione purgandus est; quia etsi innocens „ militia, & honestum potest esse Conju„ gium, electionem tamen meliorum dese„ ruisse, transgressio est -- Sic Juenius.

RESP. primò quoad ultimam auctoritatem Leonis Magni. S. Pontifex loquitur de Monachis simplici voto continentiæ obstrictis, non verò solemni. Etenim *Can.14.* aperte distinguit utrumque votum. Nam *cit. Can.12.* legitur--Propositum Monachi proprio arbitrio, „ aut voluntate susceptum, deseri non potest „ absque peccato; quod enim quis vovit „ Deo, debet & reddere. Unde qui, relicta „ singularitatis professione &c. -- Hoc, propositum, seu votum simplex fore, colligitur ex diverso loquendi modo, quo utitur *Can. 14.*, ubi agit de voto solemni; hoc namque appellat non solùm propositum, sed consecrationem -- Ambigi verò non potest crimen „ magnum admitti, ubi & propositum de„ seritur, & consecratio violatur. Nam si „ humana pacta non possunt impune calca„ ri, quid eis manebit, qui corruperint fœ„ dera divini Sacramenti -- Quod autem de separatione altum silentium habeat, nil mirum; cum de ea jam satis disseruerit Innocentius I. Decessor suus, ut vidimus superiùs *num. 69.*

Ad primam auctoritatem, nempe D.Augustini.

RESP. Indubie ex S. Augustini Sententia datur votum simplex non constitutivum status Religiosi, & votum solemne, quod Monachalem Statum constituit. Nam *Psal. 75.* duo distinguit genera voventium continentiam; in eos nempe, qui continentiam a paupertatis, & obedientiæ voto discretam vovent; & in eos, qui, relictis omnibus, castitatem, communemque vitam in societate Sanctorum amplectuntur. Similiter S. Doctor adsuit Concilio Carthaginensi IV., in quo *Can. ultimo* contra Viduas prævaricantes, postquam, abjecta laicali veste, sub Episcopi, & Ecclesiæ testimonio, sese Deo dicaverant, pœna decernitur. Porro hoc Viduarum genus ab aliis discriminabatur, quæ castitatem quidem vovebant, sed, retenta laicali veste, in Parentum, Dominorumve domo, caste vivebant. Loco igitur laudato *de bono Viduitatis* sermonem non habet de votis Statum Monachalem constituentibus, sed de votis simplicibus; nec ibi quidquam innuitur, quod votum solemne declaret, immo oppositum ex contextu evincitur. Etenim *cap. 10.* harum Viduarum votum comparat cum voto Mulieris conjugatæ, quæ continentiam vovet, quod dubio-procul non est, nisi votum simplex; cumque hoc non dirimat subsequens Matrimonium, jure optimo earum Nuptias malas, sed non irritas dicit.

Discrimen inter votum simplex, & solemne apud Augustinum.

89 DICES, S. Augustinus insurgit adversùs dicentes, Nuptias illas nullas fore: sed nemo unus dicere poterat, simplex votum subsequens dirimere Matrimonium; ergo illi Auctores loquebantur de Viduis voto solemni obstrictas.

RESP. Minor falsa est. Etenim duo breviter notanda occurrunt. Primum est, duplex votum simplex castitatis adinveniri; unum continentiam Deo promittens absque ulla prorsus traditione Religioni facta; alterum continentiam Deo promittens cum aliquali imperfecta traditione facta Religioni. Secundum notandum est, omnium consensu, faciliùs esse subsequens vinculum impedire, quàm præcedens dissolvere; adeoque quod valet præcedens dissolvere Matrimonium ratum, potest fortiùs impedire ne contrahatur. His positis.

Votum simplex duplex.

Non solùm Augustini ævo, sed nostris hisce

hisce temporibus quorundam Scholasticorum opinio fuit, votum simplex traditionem aliquam involvens dissolvere Matrimonium ratum; adeoque hi Doctores propugnare debebant, votum simplex Conjugium subsequens impedire juxta doctrinam in secundo notando relata. Alios inter Paludanus 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *num.* 25. hanc propugnat Sententiam, affirmans, Eremitarum votum non esse solemne, dissolvere nihilominus Matrimonium.

90 INSTABIS. S. Doctor tum eo loci, tum *Can. ultimo* Carthaginensis Concilii, ad probandum, prædictas Viduarum Nuptias fore illicitas, utitur testimonio Apostoli affirmantis, Viduas illas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: sed Apostolus loquitur de Viduis habentibus solemne castitatis votum; ergo & Augustinus.

RESP. neg. min. Etenim Apostolus de Viduis sermonem instituit habentibus votum continentiæ secundùm se; agit namque de illis, quæ in obsequium Templi, seu in Diaconissas eligebantur. Hinc Sancti PP. testimonium illud usurpant sive pro simplici, sive pro solemni voto, ut inde probetur, haud licitum esse, sive nubendo, sive fornicando, violare promissam castitatem, nullimode spectatis aliis effectibus, qui cum illis connectuntur.

91 URGEBIS. Ibidem Augustinus tanquam aliqualiter acutam laudat argumentationem Adversariorum, verùm eam non adoptat, ex quo absurda ex illa proveniunt; hæc autem nulla forent, nisi supponeret, votum illud fore solemne. Vis enim argumenti erat hujusmodi: si secundæ Nuptiæ intententur, superstite priori Viro, nullæ sunt: sed Viduæ illæ, medio voto, Christo, cui mors ultra non dominabitur, nupserunt; ergo subsequentes Nuptiæ homini factæ irritæ censendæ sunt. Sed in hoc argumento absurdum involvi affirmat Augustinus — Cum
„ enim laudabiliter etiam vivente Viro, ex
„ ejus consensu continentiam fœmina Chri-
„ sto voveat, jam secundùm istorum ratio-
„ nem nulla hoc facere debet, ne ipsum
„ Christum, quod sentire nefas est, adulte-
„ rum faciat, cui, vivente Viro, nubit —
Cumque fœmina non fiat Christi Sponsa nisi per votum solemne, in aperto est, Augustinum de eo locutum fuisse.

RESP. Ad salvandam illationem S. Augustini haud necesse est votum solemne, per quod peculiares Nuptiæ Christum inter, & Sanctimoniales, celebrantur: sed sat est votum quodcunque, per quod aliqua cum Christo conjunctio intercedat; siquidem fœmina habens Virum, si alteri sui copiam faciat, sive per secundas intentatas Nuptias, sive alio quopiam modo, Vir ille adulter est. Ceterum S. Doctorem non loqui de solemni voto constituente speciales Nuptias cum Christo, satis innuitur sequentibus — Deinde cum primæ
„ Nuptiæ melioris sint meriti, quàm secun-
„ dæ, absit, ut sanctarum Viduarum iste sit
„ sensus, ut Christus eis videatur quasi se-
„ cundus maritus; ipsum enim habebant &
„ antea, quando Viris suis fideliter servie-
„ bant subditæ, non carnaliter, sed spiritua-
„ liter, Virum, cui Ecclesia ipsa, cujus
„ membra sunt, Conjux est, quæ fidei, spei,
„ charitatis, integritate, non in solis Virgi-
„ nibus Sanctis, sed etiam in Viduis, &
„ conjugatis Fidelibus tota Virgo est — Quibus apte declarat, sermonem esse de Viduis communem laicalem Statum post votum servantibus, nec ad Statum peculiarium Nuptiarum, ut illæ sunt, quæ per solemnia vota celebrantur in Religione; transierunt. Eundem sensum habet Augustinus *lib. de Sancta Virginitate cap.* 34., ubi agit de Viduis, quæ cœlibatum voverant, sed pœnitet Professionis, quia nubere impune non possunt; ubi videtur, non excludere impotentiam simpliciter ad nubendum, sed solummodo ratione pœnæ, & aliàs votum earum fuerat solemne, cum Professio non habeatur per simples votum. Habet itaque eundem sensum Augustinus, cum etiam hoc loco loquatur de voto simplici. Professionem namque in lata quadam, sed vera significatione usurpat; indubie enim qui simplex castitatis votum emittit, castitatem profitetur.

Viduæ quædam cum simplici voto.

92 OBJIC. XIV. Ecclesia potest dispensare Religiosos solemniter professos, ut Matrimonium contrahant; ergo votum solemne castitatis non dirimit Matrimonium naturali, aut divino Jure. Sic Jueninus, qui hoc nonnullis, quibus jam factum fuit satis, probare contendit; addit tamen, quosdam Pontifices in hoc dispensasse, prout apud Feburetium legere est, referens ex Mendoza dispensationem relate ad Ramirum — Qui
„ licèt in Tomariensi Cœnobio Ordinis S. Be-
„ nedicti solemniter vovisset, dispensatus est
„ ab Innocentio Papa II., ut mortuo Ger-
„ mano Fratre sine liberis, nuberet cum Ul-
„ raca Aquitaniæ Ducis, & Pictorium Co-
„ mitis filia — Sic ille.

Alii volunt, Alexandrum III., seu Cœlestinum III. dispensasse cum Constantia filia Regis Siciliæ, ut nuberet cum Henrico filio Imperatoris Friderici Barbarossæ.

Surius *Tom.* 1. *die* 8. *Januarii* refert, Alexandrum III. ex Bernardo Justiniano *in vita S. Laurentii Justiniani* dispensasse cum Nicolao Monacho de familia Justinianorum, ut Uxorem duceret, ad reparandam familiam illam bello fere extinctam.

Additur ex Martino Chromero *lib.* 4. *de rebus gestis Polonorum*, Benedictum IX., instantibus Populis, vota dissolvisse Casimiri filii Regis Poloniæ, Monachi Cluniacensis, ut nuberet.

RESP. Huic argumento possemus brevibus respondere dicendo quod ex enunciatis monumentis non inde colligitur, posse absolute Pontificem dispensare, sed posse probabiliter. Ut enim Pontifex licite, & prudenter se gerat in dispensando, sufficit, quod sequatur dictamen opinionis probabilis, qualis est affirmans, posse Pontificem cum Religiosis solemniter professis dispensare; nec requiritur, quod evidenter, aut certò cognoscat se habere potestatem ad id, quod facit. Inductive constat hoc in dispensationibus, & dispositionibus Pontificiis circa alias materias, in quibus solent concurrere opiniones con-

trariæ

trariæ probabiles . Sic dicitur , aliquos Pontifices dispensasse in Matrimonio rato , quia in praxi secuti sunt opinionem probabilem asserentem , posse Papam sic dispensare ; alii verò non ausi sunt in tali Conjugio dispensare , quia judicarunt speculative esse certius, quod Papa non habeat talem potestatem . Sic erudite loquuntur PP. Nostri Salmanticenses *Tract. 20. de Statu Religioso disp. 1. dub. 7. num.* 110. , ex quibus plura pro hac Controversia adoptavimus . Ceterum cum iisdem relatas Historias rejicimus .

Quoad Ramirum audiamus Natalem Alexandrum *Seculo XII. cap.* 11. *art.* 4. , qui , postquam ex Zurita *in Indicibus rerum ab Aragonia Regibus gestarum lib.* 1. retulit Ramirum a Pontifice Maximo a voto solutum , subdit -- Pontificiam illam dispensa- „ tionem fabulæ simillimam suspicor , quam Zurita ipse haud certò asserit , hac verborum cautione usus (*ut ferunt*) &c : *Quod confirmare liquidò haud possum* . Præterea de Pontifice , a quo hujusmodi concessa fertur dispensatio non conveniunt Scriptores . Quidam ab Anacleto Pseudopontifice , alii ab Innocentio II. datam tradunt . Tertiò Principem fœminam , quam Uxorem duxit , quidam *Agnetem* , alii *Mathildem* , alii *Urracam* nominant ; quidam, sororem , quidam filiam Ducis Aquitaniæ fuisse docent . Quartò , nullum sive Antipapæ Anacleti , sive legitimi Pontificis Innocentii II. diploma hac de re profertur -- Sub his invictis momentis , quis unquam stabit relatis sive a Zurita , sive a Mendoza ?

Conficta refellitur narrationes.

Quoad secundùm de Constantia iterum adeamus laudatum Alexandrum , qui remversat *Seculo cit. cap.* 2. *art.* 13. -- Constan- „ tiam illam Rogerii Siciliæ Regis filiam in Monisterio Panormitano Monialem fuisse votis obstrictam, atque a Cœlestino (supple Tertio) ut Henrico V. Imperatori nuberet , a votis absolutam, Recentiores nonnulli commenti sunt , quos doctissimus Cardinalis Baronius luculente refellit , Monialem nunquam fuisse , probans ex Gotfridi Viterbiensis , Hugonis Falcandi , Arnoldi Lubecensis &c. coævorum Scriptorum silentio : Epitaphia verò , ex quibus fidem huicce commento adstruere quidam nituntur , adscititia esse probat . Nec a Cœlestino dispensata dici potest , ut Henrico V. Imp. nuberet , quæ anno 1186. eidem adhuc Germaniæ Regi nupserat , Urbano III. Pontifice , ut Gotfridus Viterbiensis testatur --

Quoad tertium . Quæ de Nicolao Justiniano Monacho Ordinis S. Benedicti adstruitur dispensatio, egregie refellitur a Baronio ; nam prout refertur a Surio contradictionem involvit . Affirmatur a Surio, habita dispensatio ab Alexandro III. , quâ positâ , Nicolaum duxisse Uxorem , ex qua S. Laurentium Justinianum suscepit , qui aliàs ad Episcopalem dignitatem assumptus fuit ab Eugenio IV. , qui annis ducentis quinquaginta ab Alexandro floruit . Alii ut tempora concilient , volunt non S. Laurentii Progenitorem fuisse dispensatum , sed alium ex Ascendentibus . Verùm nec monumenta rem apte comprobant , nec propugnari ullatenus valent ab ipsimet Adversariis , qui contendunt hujuscemodi dispensationes concedi posse non, nisi periclitante Regno , aut Catholica Fide ; extinctio autem unius familiæ licèt præclarissimæ non est tanti momenti , ut dispensandum sit in voto solemni .

Ad ultimum . Auctorum discrepantia rem prorsus dubiam reddit . Quidam volunt Casimirum a Benedicto IX. dispensatum ; alii a Clemente II. Sunt qui affirmant , vota emisisse vi , & metu cadente in virum constantem a Boleslao incussum , qui Casimirum cum Matre exulare coegit , utque securior evaderet , Cluniacensem habitum induit , quem , audita morte persecutoris , dimisit . Hoc colligit Joannes Nicolaï *in additionibus ad summam Rayneri* ex libro, cui titulus *Gallia Christiana* , & Gonet *de Matrim. disp.* 9. *art.* 2. §. 4. ex Longino rerum Polonicarum Scriptore ; idcirco , ubi Baronius *ad an.* 1041. , aliique , dicunt , Casimirum fuisse dispensatum , intelligendi sunt de dispensatione impropria , quatenus Pontifex nullam declaravit fuisse ab initio Professionem .

93 OBJIC. ult. ex Doctrina Juenini *in responsione ad objectionem contra* 3. *Conclusionem* . Vinculum solemnis Professionis, & vinculum Matrimonii non habent inter se repugnantiam, sed sunt compossibilia ; ergo solemnis Professio ex natura sua non repugnat Matrimonio , sed id præstat ex sola Ecclesiastica Constitutione , quam Pontifex valet dispensare . Ant. prob.

I. Conjuges post consummatum Matrimonium possunt ex communi consensu solemnem Professionem emittere , & constitui vere , & proprie in Statu Religionis, retento Connubii vinculo ; quod satis evincere videtur, Matrimonii, & Professionis vincula inter se non repugnare .

II. Licèt solemnis Professio sit hominis traditio facta Religioni , non tamen omnimoda, & totalis : unde ex natura sua locum relinquit , ut homo naturali utatur facultate ad valide contrahendum Matrimonium ; quo pacto licèt homo jure servitutis Domino se tradiderit , potest tamen alteri nubere ; ergo.

RESP. Argumenti solutionem habemus ex laudatis Nostris PP. Salmanticensibus *dub.* 6. *num.* 78. , & 85. Admittimus non inveniri repugnantiam, sed compossibilitatem , si sermo , aut comparatio sit inter Matrimonium antecedens, & subsequentem Professionem ; negamus tamen , si fiat comparatio inter Professionem antecedentem , & subsequens Matrimonium . Nam sicut impotentia, quæ Matrimonium præcedit, illud dirimit : secus impotentia subsequens ; ita in nostro casu . Et disparitas in eo apparet , quod contrahens Matrimonium tradit corpus Uxori , obligando se ad reddendum debitum, & ad simul cohabitandum : Religiosus autem, qui solemniter supponitur professus, sive Deo perfecte traditus ad caste vivendum , illam nequit traditionem facere, nec talem intentionem habere , atque adeo nequit valide contrahere , atque jus Deo acquisitum auferre ; & consequenter fieri non valet, quod vinculum præcedentis Professionis cohæreat cum vinculo

Discrimen inter matrimonium antecedens ad professionem, & hanc subsequens.

sub-

ſubſequentis Matrimonii. Ceterum ubi Matrimonium ſupponitur ratum, aut conſummatum, fieri poteſt, quod unus Conjugum ob adulterium amittat jus exigendi debitum, vel quod ambo ex mutuo conſenſu cedant juri illud petendi, ſimulque habitandi: quo caſu nihil impedit, ut ex pari etiam conſenſu vitam Religioſam ſolemniter profiteantur; proindeque fieri valet, quod vinculum Matrimonii antecedentis componatur cum vinculo ſubſequentis Profeſſionis. Idemque proportionabiliter accidit in exemplo proxime allato impotentiæ comparatæ Matrimonio antecedenti, & ſubſequenti, ut facilè conſideranti conſtabit.

Probatio prima partem ſolummodo, quam concedimus, evincit. Nam in ea fit comparatio Profeſſionis ad Matrimonium antecedens, quod contractum, & ratum jam ſupponitur.

Servus cur nubere poſſit.

Ad ſecundam. Res uni tradita, & ſub ejus dominio exiſtens nequit alteri tradi, ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam tradita eſt; unde quia Servus traditur Domino, & eſt ſub ejus poteſtate quoad opera, itaut Dominus poſſit eo uti quantùm ad omnem uſum prudentem, & ſibi utilem, propterea Servus nequit alteri ſe tradere in ordine ad eadem opera. Conſtat autem quod homo per ſolemnem Profeſſionem traditur Deo, non utcunque, ſed in ordine ad ſervandam omnimode caſtitatem, cujus perpetuum votum in ipſa Profeſſione includitur: traditio verò in Matrimonio concedit Uxori jus in corpus hominis ad uſum Profeſſioni Religioſæ contrarium; ergo Religioſus ſolemniter profeſſus ex natura ipſius Profeſſionis redditur inhabilis ad contrahendum valide Matrimonium, & conſequenter prædicta Profeſſio jure naturæ illud dirimit. Quod verò Servus ſe tradat Uxori ad uſum, & finem Matrimonii, non eſt contrarium præcedenti traditioni in ordine ad opera ſervilia; unde una traditio non dirimitur per aliam. Hæc laudati PP. Collegii Salmanticenſis, & quidem egregie *loco citato*, ubi plura ad rem noſtram, ſicut etiam *in dubio ſequenti*, potiſſimùm cum agunt *num.* 117. de Sententia Sancti Thomæ. Plurima & nos dicemus Tomo ſequenti *De Conſiliis Evangelicis*.

DISPUTATIO SEXTA.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EX PARTE CONSENSUS.

1 MAtrimonii impedimenta in duplici ſunt differentia; alia ſimpliciter impedientia nuncupantur; dirimentia altera. Dirimentia eſſentialibus conſtitutivis Conjugii repugnant; unde conjugale fœdus ſub his invalide contrahitur. Impedimenta impedientia non adverſantur eſſentiæ Matrimonii, ſed ipſum illicitum reddunt, quamquam invalidum non efficiant.

Impedimenta Matrimonii impedientia.

2 Impedientia ſub his verſiculis continentur

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,

Atque catechiſmus, crimen, ſponſalia. votum,

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Prohibitio igitur Eccleſiæ intervenit, quoties Pontifex, Epiſcopus, aut Parochus, ob rationabile momentum Nuptias interdicunt. Hujus violatio indubie lethalem culpam regulariter involvit; cum gravibus mulctentur pœnis delinquentes, ut habetur Cap. 1. *de Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ*. Haud tamen inficias imus, cauſam occurrere poſſe a mortali excuſantem.

Tempus feriatum ex Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 10. comprehendit tempus a Dominica prima Adventus incluſive, uſque ad completum diem Epiphaniæ, & a feria 4. Cinerum incluſive, uſque ad abſolutum diem Octavæ Paſchatis. Sub hoc tamen impedimento non intelligitur Matrimonium abſolute, ſicut & illius conſummatio, ſed ſolummodo ſolemnitas benedictionis, itidem ſolemnis Sponſæ in domum Sponſi traductio, ſolemniora convivia, atque tripudia. Et Tridentinum mox laudato *cap.* 1. non prohibet, Matrimonium ante benedictionem conſummari, ſed ne hoc fiat, hortatur.

Sequitur impedimentum Catechiſmi, quod ſublatum creditur. Contrahebatur namque antiquitùs hoc impedimentum inter Profeſſorem Fidei, quam ante Eccleſiæ januam quis pronunciabat nomine baptizandi, & ipſum baptiſatum.

Aliud impedimentum eſt Criminis, quod ad ſeptem capita reducitur. Primum eſt inceſtus, quod eſt conſummatum crimen ſcienter, cum Conſanguineis Sponſæ, & e contra. Si crimen hoc ſit cum Conſanguineis Sponſæ ducendæ de futuro, eſt Jure novo Tridentini *Seſſ.* 24. *cap.* 4. impedimentum dirimens uſque ad ſecundum gradum; & Jure antiquo Cap. *Tranſmiſſa*. *De eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris*, impediebat nubere cum quacunque. Si ſit cum Conſanguineis Sponſæ de præſenti, impedit cohabitationem thori. II. Raptus Sponſæ alienæ de præſenti, invito Viro, eam de domo abducendo impedit cum quacunque nubere. III. Uxoricidium ſimplex, peractum ſive ex ira, ſive ex vindicta, vel ex alio quocunque motivo, impedit cum quacunque alias Nuptias contrahere, etſi Vir Uxorem deprehenſam in adulterio occiderit; quia lex lata fuit pro quacunque illicita occiſione, Cap. *Quicunque* 33. q. 2. Non tamen extenditur ad Uxores occidentes Viros, utpote ad ſimilia non ita audentes. Diximus Uxoricidium ſimplex; ſi enim

enim sit perpetratum animo aliud Matrimonium contrahendi, est impedimentum dirimens, & non tantùm impediens. IV Susceptio Prolis, idest, si eam absque necessitate baptizet, aut de sacro fonte levet, aut in Confirmatione teneat, animo negandi debitum alteri. In pœnam itaque insidiati Conjugii privatur Conjugio in perpetuum, Cap. *De eo* 2. q. 1. V. Qui Presbyterum occidit, atque de crimine convictus fuerit, privatur jure nubendi, Cap. *Qui Presbyterum. De Pœnitentiis, & remissionibus*; & meritò quidem, cum sustulerit Ministrum ad assistendum Conjugio destinatum. VI. Solemnis pœnitentia pro eo tempore, quo perdurat, a Nuptiis arcet; illud namque tempus non exultationis, sed luctus est. Porro inter crimina recensetur, non quia crimen involvat, sed quia illud præsupponit. VII. Impeditur a contrahendo Connubium, qui scienter præsumit Monialem Deo sacratam sibi in Uxorem assumere; quia injuriam Sponso Christo irrogat. Doctores ad unum fere omnes volunt, hoc criminis impedimentum fore ex opposita consuetudine sublatum.

Quintum impedimentum oritur ex Sponsalibus. Quæ enim contracta sunt cum una, impediunt cum altera nubere; est siquidem contra fidelitatem, & justitiam id, quod uni promissum est, alteri tradere. Si autem legitime dissolvantur, cessat impedimentum.

Ultimum demum impedimentum, quod Matrimonium impedit, est simplex votum sive castitatis, sive Ordinis, aut Religiosum Statum suscipiendi, vel non nubendi, sive absolutum sit, sive ad tempus, expectata v.g. morte Patris; quia hujusce voti observatio juribus Matrimonium consequentibus repugnat. Hæc sunt impedimenta, quæ illicitum quidem, sed non invalidum reddunt Connubium.

Impedimenta Matrimonii dirimentia.

3 Impedimenta dirimentia, quæ scilicet nullum reddunt Conjugium, quatuordecim enumerantur sequentibus versibus descripta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.

Omnia impedimenta dirimentia ad duo capita referuntur.

Hæc porro dirimentia impedimenta ad duo velut fundamentalia capita reducuntur, ad consensum videlicet contrahentium, & ad personarum idoneitatem; Conjugium namque nihil aliud est, quàm voluntarius contractus legitimus inter Personas. Ad consensum refertur vis, seu coactio. Ad eumdem consensum reducuntur etiam error, & conditio Personæ; etenim nemo censetur consentire in Personam, quæ alia est ab ea, quæ creditur, nec quis vult Servam ducere, quam liberam supponit. Reliqua impedimenta ad personæ idoneitatem reducuntur. Ex his quædam absolute, & respectu cujuscumque Matrimonii inhabiles reddunt; secus alia. Nonnulla jure naturæ, nonnulla jure Ecclesiastico constituta fuere. Naturale impedimentum quodcunque dirimit Conjugium, sicut etiam votum, Ordo, ligamen; crimen verò, cultus disparitas, cognatio, aliquos solummodo afficiunt. Impræsentiarum ad examen revocamus, quæ spectant ad consensum, acturi postmodum in sequenti Disputatione de aliis, quæ Personas afficiunt.

4 Etherodoxi tria impedimenta, quæ se tenent ex parte consensus, non renuunt, videlicet errorem, conditionem, & vim; aliud tamen addunt, nempe defectus consensus Parentum; itant Calvinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 19. irritas declarat Nuptias filiorum, non interveniente Parentum consensu, cui concinunt alii Novatores, de quibus *Controv. III.*, ubi etiam erit sermo de quibusdam Catholicis Auctoribus.

Circa enunciata impedimenta plures occurrunt difficultates, quæ dilucide brevibus enucleari non possunt; quare diversis Controversiis examinandæ sunt. Pro quo notandum, Conjugium duo importare; & ipsum actualem contractum, quo Conjuges de præsenti mutuò se promittunt, traduntque; & vinculum perpetuum, quod ex illa actuali traditione consurgit. Utrumque reperitur in quolibet legitimo Connubio, sive in officium naturæ sit, sive in esse Sacramenti consideretur.

CONTROVERSIA I.

AN IN MATRIMONIO MUTUUS CONSENSUS SIT ESSENTIALIS.

Pontificum sensa circa consensum.

DICENDUM, in Matrimonio mutuum consensum fore essentialem.

5 PROB. I. Pontificiæ Sanctiones essentialem agnoscunt mutuum contrahentium consensum; ergo. Ant. evincitur ex Eugenio IV. *in Decreto pro instructione Armenorum* -- Causa efficiens Ma„trimonii regulariter est mutuus consensus „per verba de præsenti expressus -- Tridentinum *Sess.* 24. *de Reformatione Matrimonii cap.* 9. declarat, maxime nefarium esse Matrimonii libertatem violare, inde sub anathematis pœna prohibet, quod nullus nec directe, nec indirecte cogat -- Quominus Ma„trimonia contrahant -- Et clariùs *Cap.* 1. -- „Dubitandum non est, Matrimonia clande„stina libero contrahentium consensu facta, „rata, & vera esse Matrimonia &c. -- Et infra -- Parochus, viro, & muliere interro„gatis, & eorum mutuo consensu intellecto „vel dicat &c. -- Innocentius III. *de Sponsalibus, & Matrimonio*. Cap. *Tua Fraternitati*. -- Respondemus, quod Matrimonium in ve„ritate contrahitur per legitimum viri, & „mulieris consensum -- Et Cap. *Tua nos* -- „Non debet ex illo facto Conjugium judi„care, quoniam ex altera parte defuit om„nino consensus, sine quo cetera nequeunt „fœdus perficere conjugale &c. -- Alexander III. *Cum locum* eodem titulo -- Cum lo„cum non habeat consensus . . . Matrimo„nium autem solo consensu contrahitur -- Nicolaus I. *ad Consulta Bulgarorum* Cap. *Sufficiat*

ficiat 27. *q.* 2. -- Sufficiat secundùm leges „ solus eorum consensus, de quorum co- „ njunctionibus agitur; qui consensus, si in „ nuptiis solus fortè defuerit, cetera omnia „ etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur--

6 PROB. II. Quod absolute, & simpliciter unius est, in alterius potestatem transire nequaquam potest, absque Domini consensu: sed in Conjugio unius corporis potestas transfertur in alterum, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 7. vers. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; ergo absque mutuo consensu nequit hujusmodi translatio Juris fieri: Vir enim, sicut & Mulier sunt simpliciter domini suorum corporum. Cumque ex l. *Labeo* 2. *ff. de verborum significat.* in quolibet contractu consensus exigatur, potissimùm pro matrimoniali erit necessarius; cum in eo & tradatur res maxime propria, & pretiosa, & sub gravissimo tradatur onere, ad usum videlicet compartis, quando voluerit, & quoties expostulaverit. Argumentum habes ex S. Thoma *in Suppl. quæst.* 45. *art.* 1. -- „ Unus non accipit potestatem in eo, quod „ est libere alterius, nisi per ejus consen- „ sum: sed per Matrimonium accipit uter- „ que Conjugum potestatem in corpus alte- „ rius, ut patet 1. *Corinth.* 7. cum priùs „ uterque liberam potestatem sui corporis „ haberet; ergo consensus facit Matrimo- „ nium --

Quod sui juris est, non fit alterius, nisi accedente consensu.

7 PROB. III. Conjugale vinculum importat socialem animorum, corporumque unionem in domestica societate, & œconomica familia, ideirco *ad Ephes.* 5. ex conjugali desponsatione colligit Apostolus indivisam mutuæ dilectionis obligationem, sicut Christus dilexit Ecclesiam; sed socialis unio, sicut & mutua dilectio, ut in aperto est, sine mutuo voluntatis consensu dari nequit; ergo.

Animorum unio [illegible] mutuum consensum.

8 PROB. IV. ex S. Thoma *loco laudato* -- Dicendum quod in omnibus Sacra- „ mentis est aliqua spiritualis operatio, me- „ diante operatione, quæ eam significat, „ sicut per ablutionem corporalem in Ba- „ ptismo fit ablutio interior spiritualis: unde „ cum in Matrimonio sit quædam spiritualis „ conjunctio, in quantum Matrimonium „ est Sacramentum, & aliqua materialis, se- „ cundùm quod est in officium naturæ, & „ civilis vitæ, oportet quod, mediante ma- „ teriali, fiat spiritualis virtute divina; unde „ cum conjunctiones materialium contra- „ ctuum fiant per mutuum consensum, „ oportet, quod hoc modo etiam fiat ma- „ trimonialis conjunctio --

In matrimonio spiritualis conjunctio.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

9 OBJIC. I. Illud perperàm censetur essentiale, quo deficiente, quandoque subsistit Conjugium: sed, deficiente consensu, quandoque illud subsistit: nam Eugenius IV. supra relatus *num.* 5. apposuit verbum *regulariter*; ergo.

Respondent quidam, eo adverbio usum Eugenium propter Sponsalia consensum per verba de futuro exprimentia, quæ, accedente cohabitatione thori, Jure veteri ante Tridentinum vigente, transibant in Matrimonium. Verùm hujusmodi solutio nequaquam cohæret cum Decretalibus enunciatis, quæ longe ante Eugenium emanatæ fuerunt, quasque eidem apprime perspectas fuisse fas est credere.

Itaque dicendum est, adverbium illud præpositum fuisse, cum afficere deberet non quidem consensum, sed verba, hunceque sensum efformare -- Causa efficiens Matrimo- „ nii, est mutuus consensus, regulariter per „ verba de præsenti expressus -- Et meritò sane; nam verba non semper sunt necessaria, sed nutus aliquando sufficiunt, ut in mutis, surdisve apparet.

10 OBJIC. II. Amens, cum aptus sit ad procreandum, Conjugii capax dici debet, potissimùm cum Ecclesia ad conservandas præclarissimas familias, amentium Nuptias admiserit: sed amens incapax est consensus; ergo.

RESP. Amens alius est, qui nusquam mentia compos efficitur; alius verò, qui aliquando sanæ mentis dignoscitur. Qui primi generis est, nullimode contrahere valet Conjugium, nec usquam Ecclesia approbavit; quia licèt in illo adsit procreandi capacitas, hæc tamen ab illa jumentorum non discriminatur. Qui est secundi generis, a contrahendo non excluditur; eo siquidem tempore, quo mentis est compos, verum consensum præbere potest, qui virtualiter perseverat. Hoc porro Matrimonium admittit Ecclesia; secus illud.

Quinam Amentes Matrimonium possint contrahere.

11 OBJIC. III. Sicut Baptismus est Sacramentum spiritualis generationis, ita Conjugium est Sacramentum corporalis propagationis: sed veraciter subsistit Sacramentum Baptismi absque proprio consensu: ut compertum est in pueris, qui sub primordiis vitæ regenerati, nequeunt inde reclamare, quamvis Christianæ legis præceptis sese gravatus dictitent; ergo absque proprio consensu stabit Sacramentum Conjugii, licèt onerosam inducat obligationem.

RESP. Equidem utrumque Sacramentum in ea ratione spiritualis, & corporalis generationis analogatur; sed longe dispari conditione. Baptismus est de omnino necessariis ad salutem; quapropter per solam intentionem Matris Ecclesiæ valide confertur, atque ad promissæ legis observantiam obligat, absque eo quod possit ad usum rationis perveniens reclamare; & oppositum damnavit Tridentinum *Sess.* 7. *Can.* 14. Et meritò sane, cum onus observandæ legis sit baptisato & absolutæ necessitatis, & summæ utilitatis. Conjugium verò non est de necessariis ad salutem; cumque aliàs perpetuum involvat vinculum, necnon onera pergravia, sufficientem exposcit in nubente discretionem ad prævidenda futura; quod absque rationis usu fieri nequaquam potest.

Discrimen inter Baptismum, & Matrimonium.

12 DICES ex S. Thoma *in Suppl. quæst.* 43. *art.* 2. -- Ex tunc aliqui possunt Spon- „ salia contrahere, ex quo eis possunt futuræ „ Nuptiæ placere: sed signa talis placentiæ fre- „ quenter

„ quenter apparent in pueris ante ſeptennium; ergo ante illud tempus poſſunt contrahi Sponſalia — ergo conſenſus non eſt neceſſarius.

RESP. Argumentum ſolvit ibidem Angelicus Doctor — Ad quartum dicendum, „ quod illa placentia, quæ eſt in pueris ante ſeptennium, non procedit ex perfecto uſu rationis, cum nondum ſuſceptibiles ſint plenæ diſciplinæ, ſed magis contingit ex motu naturæ, quàm ex aliqua ratione; & ideo non ſufficit talis placentia ad Sponſalia contrahendum — Hanc doctrinam clariùs explicat In corpore articuli, ubi triplicem ſtatum diſtinguit circa uſum rationis — „ Primus eſt, cum quis neque ipſe intelligit per ſe, neque ab alio capere poteſt. Secundus eſt ſtatus, quo homo ab aliis capere poteſt, ſed Ipſe per ſe non ſufficit ad intelligendum. Tertius eſt, cum homo & ab alio jam capere poteſt, & per ſeipſum conſiderare. Et quia ratio paulatim in homine convaleſcit, ſecundùm quod quietantur motus, & fluxibilitates humorum ſenſualitatis; ideo primum ſtatum hominis obtinet homo ante primum ſeptennium. Et propter hoc, illo tempore nulli contractui aptus eſt; & ita nec Sponſalibus. Sed ad ſecundum ſtatum Incipit pervenire in fine primi ſeptennii; unde etiam tunc temporis pueri ad ſcholas, ponuntur. Sed ad tertium ſtatum incipit homo pervenire in fine ſecundi ſeptennii, quantùm ad ea, quæ ad perſonam ipſius pertinent, in quo ratio naturalis ejus convaleſcit, ſed quantùm ad ea, quæ extra ipſum ſunt in fine tertii ſeptennii; & ideo ante primum ſeptennium nulli contractui aptus eſt. Sed in fine primi ſeptennii incipit eſſe aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipue de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis, non autem ad obligandum ſe perpetuo vinculo, quia ad hoc non firmam voluntatem habet; & ideo tali tempore poſſunt contrahere Sponſalia: Sed in fine ſecundi ſeptennii jam poteſt obligare ſe de his, quæ ad perſonam ipſius pertinent, vel ad Religionem, vel ad Conjugium; ſed poſt tertium ſeptennium etiam poteſt de aliis ſe obligare &c. — Hâc doctrinâ plane evincitur, ad contrahendum Conjugium neceſſariò prærequiri perfectum uſum rationis, atque conſenſum ad ſe perpetuo vinculo obligandum.

Triplex ſtatus circa uſũ rationis.

13 OBJIC. IV. Si conſenſus neceſſarius, eſſentialiſque foret ad Conjugium, nequiret inde ſubſiſtere ſine illo: atqui juxta Canones ſubſiſtere videtur; ergo. Evincitur minor propoſitio ex Cap. *Litteras. De Deſponſatione Impuberum*, ubi declaratur, Nuptias non ſubſiſtere celebratas cum Matre, poſtquam filia fuit in cunabulis ab eodem deſponſata, dummodo Nuptiæ cum Matre initæ fuerint poſt filiæ ſeptennium; nec alia occurrere poteſt ratio, niſi quia deſponſatio filiæ in cunabulis nulliter facta tractu temporis convaluerit; proinde conſenſus non videtur eſſentialis.

RESP. Indubia eſt Doctorum Sententia, tractu temporis non convalidari Sponſalia, ſive Conjugia; adeoque expoſcitur vel novus conſenſus, vel præcedentis confirmatio. Hanc Sententiam eo in caſu ſupponit Alexander III. dicit enim — Verùm ſi poſtquam puella ſeptimum annum complevit; „ prædictus Vir Matrem ejus accepit Uxorem, cum Sponſalia ea tunc placere conſueverint, inter eos ſententiam divortii non differas promulgare — Ea verba: *cum Sponſalia ex tunc placere conſueverint*, reddunt ſenſum, ſi fuerint ratihabitione confirmata; quo pacto valida ſunt Sponſalia, atque publicæ honeſtatis impedimentum inducunt; proinde ibidem Pontifex vetat, ne & filiam accipiat. Hujuſmodi reſolutio iis conſonat, quæ habentur Cap. *Si Infantes. De Deſponſatione Impub.* in 6., ubi pariter Sponſalia per verba de futuro ante ſeptennium celebrata, ſicut etiam inter impuberes per verba de præſenti decernitur, ſola temporis ſucceſſione non firmari, niſi ratihabitio intercedat per verba, vel ſigna expreſſa.

14 OBJIC. V. Catechiſmus, ubi de Matrimonii Sacramento, propugnat validum Conjugium — cum puella propter verecundiam non reſpondet, ſed Parentes pro ea loquuntur — ſed in hoc caſu mutuus contrahentium conſenſus non invenitur, ſicut propria non habentur verba; adeoque ſicut verba Parentum ſufficiunt, ita ſolus eorundem conſenſus Matrimonium efficiet.

RESP. Supponit Catechiſmus, quod in caſu verecundiæ puella vere conſentiat, ſed erubeſcat verbis conſenſum declarare; quapropter taciturnitas cenſetur declaratio conſenſus. Quoniam verò advertit Gloſſula in Cap. *Si Infantes* mox citato — Regulariter „ in actu oneroſo tacens non habetur pro „ conſentiente — l. *Filiusfamilias ff. De prout*; ideo caute in hiſce caſibus agendum eſt, & Parochi rigide declarationem exigere debent vel per nutus, vel per verba, puellæ contrahentis, ita ut nullus ſuperſit ambigendi locus; ſæpe enim timida creditur verecundia, quæ revera eſt diſplicentia, & averſatio ad Sponſum. Prædicta ex dicendis clariùs eluceſcent.

Taciturnitas quandoque verbis æquivalet.

CONTROVERSIA II.

AN CONJUGALE VINCULUM PER POTENTIAM CREATAM ABSQUE CONTRAHENTIUM CONSENSU EFFICI POSSIT.

DICENDUM per nullam creatam potentiam conjugale vinculum effici poſſe abſque contrahentium conſenſu.

15 PROB. I. Quorieſcunque ad aliquod conſtituendum juxta ordinarias providentiæ leges aliquid ſive per modum conſtitutivi, ſive per modum conditionis *ſine qua non*, ut eſſentiale requiritur, non eſt admittenda, ſine ſpeciali revelatione, in Civili, vel Eccleſiaſtica Republica poteſtas, quæ illud requiſitum immutet, ſive ſuppleat, potiſſimùm cum iſtud ad naturalem legem, vel ad Sacramenti rationem ſpectet, & urgentiùs ſi

Quod eſt eſſentiale ſuppleri non poteſt.

ad utrumque simul: in quolibet enim ordine & principia sunt immutabilia, & rerum naturæ invariabiles; sed contrahentium consensus juxta communes providentiæ leges pertinet ex naturali lege, & ex lege Sacramentorum, pro statu Gratiæ ad essentialia Matrimonii requisita; ergo sine speciali revelatione non datur creata potestas valens illum supplere. Assumptum jam in præcedentibus probatum est.

Conjugale vinculum a consensu efficitur.

16 PROB. II. Quod ut effectus dependet ab actibus vitalibus, effici nequit ab illa potestate, quæ nullum in eosdem actus habere potest influxum: sed conjugale vinculum est effectus, vel quasi effectus dependens, ut a causa efficienti, a contrahentium consensu: ut in aperto est ex Eugenio IV. jam laudato; ergo cum nulla creata potestas vim habeat, nec ullam habere possit causalitatem in actus vitales, nulla potest absque contrahentium consensu conjugale vinculum efficere.

Conjugium exposcit animorū conjunctionem.

17 PROB. III. Vinculum, quod essentialiter radicalem, immo actualem animorum conjunctionem exigit, effici nequit a potestate, quæ animos immutare non valet, nec ullum dominii genus habet super eos, uti revera est creata potestas; sed Conjugium ex suis intrinsecis expostulat radicalem animorum conjunctionem, cum mutuum exigat amorem, mutuamque connaturaliter dilectionem, & quidem specialem, est enim individua vitæ societas: unde scriptum est Gen. 2. *Et adhærebit Uxori suæ*, & ad Ephes. 5. *Viri diligite Uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*; ergo.

18 PROB. IV. Vinculum quod potest fieri per humanam potestatem, etiam per eamdem potestatem est dissolubile, juxta commune effatum: omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur; sed dissolubile non est conjugale vinculum per humanam potestatem; ergo. Declaratur argumentum. Homines suo consensu efficiunt conjugale vinculum, velut, ut ajunt, *in fieri*, & Deus *in facto esse* illud efficit indissolubile, atque contrahentium voluntati talem tribuit firmitatem, ut usque ad mortem in suo effectu perseverare debet: *quos Deus conjunxit, homo non separet*; quod si hanc perpetuitatem non habet juxta præsentem providentiam, nequaquam conjugale vinculum dici potest. Porro si independenter a nubentium voluntate humana potestas eos conjungeret, vinculum esset absolute solubile, utpote simpliciter juris humani; ut compertum est in vinculo consanguinitatis, quod cum ex humana constitutione inhabiles reddat Parentes ad contrahendum, ab humana potestate sæpenumero dissolvitur; ergo.

Vinculum conjugale dicit perpetuitatem.

19 PROB. V. Ex definitis in Tridentino *Sess.* 21. *cap.* 2. Ecclesia nullâ gaudet potestate immutandi Sacramentorum substantiam, quæ in materia, atque forma consistit, multoque minùs id potest civilis potestas: sed Christus determinate pro materia proxima in Sacramento Conjugii instituit legitimum contrahentium consensum; ergo per nullam potentiam creatam fieri valet, ut Conjugium absque prædicto consensu sit Sacramentum. Nulla etiam potestas potest efficere, quod Conjugium, ut in officium naturæ, sine illo consensu subsistat. Siquidem hocce Conjugium per consensum nubentium est unice materia elevabilis, seu elevata in Sacramentum Matrimonii: & quamvis fortassis contingere possit, ut ratio Sacramenti separetur a ratione contractus, nusquam tamen fieri potest, ut destruatur habitudo ad esse Sacramenti, ita ut vel dari possit Sacramentum Conjugii sine ratione contractus essentialiter per mutuum consensum constituti, vel possit adinveniri contractus per mutuum consensum in officium naturæ, & non sit materia apta ad Sacramentum; cumque nulla potestas vim habeat efficiendi, quod vinculum conjugale aptitudinem non involvat ad esse Sacramenti, jam plane fit, neminem efficere posse, ut non prærequirat mutuum consensum.

Sacramentorum essentia immutabilis.

20 PROB. VI. Conjugale vinculum essentialiter est ligamen inter marem nuptum, & fœminam nuptam constitutum: sed vinculum, quod absque contrahentium consensu ab humana potestate haberetur, nequaquam vinculum foret nupti ad nuptam, sed potestatis ipsos devincientis; ergo. Sane nullus ibi interveniret contractus. Etenim si Princeps aliquem cogeret invitum ad rem suam alteri dandam, hic revera nullum institueret contractum, nec se alteri obligaret, licèt alter jus in rem acceptam acquireret. Pari ratione, si Ecclesia, vel Respublica dominium corporis Viri conferret Mulieri, & ex adverso, nullo tamen partium interveniente placito, neuter se alteri obligaret, nec conjugale vinculum consurgeret, sed esset jus dominii ex parte unius, & servitutis ex parte alterius a Superiore derivatum.

Inter invitos nullus contractus.

21 PROB. VII. Potestas, quæ tendit in destructionem boni communis, nec a Deo, nec a Republica Principibus concessa est: sed hujusmodi esset potestas copulativa Conjugii absque eorundem consensu; nam quomodo inviti possent Matrimonii onera sustinere? quomodo individuam vitæ societatem servare? quomodo mutua officia præstare? Sine his commune bonum funditus verteretur; ergo nullimode concedenda est humanæ potestati facultas constituendi Conjugia sine mutuo contrahentium consensu.

DISSOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

22 OBJIC. I. Sponsalia, accedente cohabitatione thori, absque novo consensu transibant in Conjugium de præsenti: Cap. *Is, qui fidem. De sponsalibus, & Matrim.*: sed hoc non aliter evenire poterat, nisi quia Ecclesia consensum de præsenti supplebat; ergo.

RESP. Præsumitur in prædicto casu novum in cohabitatione thori intervenisse consensum. Hoc judicavit Gregorius IX., ut nullus subsit ambigendi locus; adeoque Episcopo Cremonensi præscribit, ut Sponso præcipiat, dimissâ secundâ, quam duxerat in facie

Solus consensus Sponsaliū non sufficit ad Conjugiū.

facie Ecclesiæ, ad priorem redire. Ceterum si revera novus consensus de præsenti defuit, nullus coram Deo erat contractus.

23 OBJIC. II. Qui perfecto gaudet dominio Viri, & fœminæ, potest invitos copulare; sed Respublica hujusmodi est: quoniam invitos Cives ad servitutem, & mortem tradere valet; ergo ex justa causa, reluctante Viro, potest ejus corpus transferre in potestatem alicujus fœminæ.

Potestas Reipublicæ limitata.

RESP. Respublica nequaquam habet liberum, absolutumque dominium corporeum suorum Civium, ut in allato exemplo videre est; nequit enim præcipere, ut Cives seipsos jugulent. Nullam dein potestatem sortitur in ordine ad conjugale commercium; eumhoc sit singulariter proprium, & liberum, & vinculum Matrimonii essentialiter pendeat ab electione, quæ potestati humanæ non subest.

24 OBJIC. III. Non minùs Cives sunt Reipublicæ, quàm ejusdem sint eorundem bona: sed pro communi utilitate, invitis Civibus, utitur eorundem bonis Respublica; ergo in ordine ad idem bonum poterit efficere Conjugium, ut publica obtineatur felicitas.

Reipublicæ potestas juxta æquitatē.

RESP. Non inficias imus, posse Rempublicam juxta æquitatis leges uti Personâ Civium in ordine ad publicam felicitatem; secus hanc sibi per quæcunque media potest conciliare. Hinc plerique Doctores meritò propugnant, nequire innocentem tradere Tyranno illum sub minis universalis excidii exquirenti; quia hujusmodi traditio incongruum plane foret medium ad salutem totius Gentis. Quoties Respublica, invitis Civibus, utitur eorundem bonis, per ea finem consequitur; verùm finis Conjugii, qui est individua vitæ consuetudo mutuis dilectionis officiis complenda, sine contrahentium consensu nusquam habebitur.

25 OBJIC. IV. Temporale Conjugium *ad Ephes. 5.* analogatur cum spirituali: quam analogiam apte declarat Evaristus Papa *Epist. 2. de Episcopis ejectis*; sed Ecclesia potest Clericum cogere ad Episcopatum, qui est spirituale Conjugium; ergo & Civem ad Matrimonium.

Potest præcipere Ecclesia ut quis Conjugium contrahat.

RESP. Argumentum æquivocatione laborat. Aliud siquidem est, ad corporale, sive spirituale Conjugium cogere, aliud effective facere Conjugium sine consensu contrahentium. Primum indubium est; unde Ecclesia valet præceptis cogere ad Episcopale munus assumendum, itidem justis de causis ad Matrimonium contrahendum, itaut Subditi teneantur obtemperare mandatis; sed tunc aderit consensus. Secundum humanam effugit potestatem, quæ nec spiritualis, nec corporalis Conjugii vinculum valet immediate efficere.

26 OBJIC. V. Non minor libertas requiritur ad Religiosæ Professionis vinculum, quàm ad conjugale: hi namque Status in jure æquiparantur; sed Ecclesia effective impellit invitum ad Religiosæ Professionis vinculum, ut si ultra annum quis Professorum habitum gestaverit: ut habetur Cap. 1. *De Regularibus* in 6.; ergo.

Ecclesia declarare valet adfuisse consensum.

RESP. Non dicitur eo loci, Ecclesiam cogere ad Professionem vinculum efficiendo; sed declarare in eo casu Professionem legitime elicitam; quia, ut inquit Innocentius IV. *intelligitur firmiter approbasse* susceptum Ordinem post elapsum probationis annum. Eo sane modo, quo valet Ecclesia ex circumstantiis declarare in aliquo corporali Conjugio mutuum adfuisse consensum. Ceterum neutrum potest Ecclesia efficere independenter a voluntate Professi, & nubentium.

27 OBJIC. VI. In contractu sub conditione impossibili inito, eâ non purificatâ, non censetur adesse consensus: sed nuptialis contractus taliter celebratus, ab Ecclesia ut validus habetur: non alia ratione, nisi quia ipsa supplet, quod deest, Cap. *Si conditiones. De Conditionibus appositis*; ergo.

Conditio impossibilis nulla.

RESP. In citato Canone Gregorius IX. aliter sentit ab Adversantibus. Sustinendum declarat illud Conjugium; quia conditiones turpes, & impossibiles, pro non adjectis habentur; adeoque, qui sub illis consentit, absolutum præbet consensum, sicut quando nulla apponitur conditio.

28 OBJIC. VII. Quoties aliquid ad valorem contractus essentialiter desideratur, nusquam sine illo subsistere potest, sive dum contractus efficitur, sive dum convalidatur: utpote ab initio nullus; sed Ecclesia consensum, qui defuit ab initio, supplere potest, revalidando Conjugia nulliter contracta; ergo etiam ab initio poterit absque nubentium consensu efficere conjugale vinculum. Min. evincitur.

Innocentius XII. motu proprio, cujus initium, *In Principis Apostolorum Sede*, Romæ evulgato apud S. Mariam Majorem 12. Kalendas Maji Pontificatus an. II., ubi cum sub Legatione Avenionensi quarundam Ecclesiarum Pastores sine facultate Romanæ Sedis in impedimentis quarti, sicut etiam tertii, & quarti mixtorum graduum Consanguinitatis, itidem tertii æqualis consanguinitatis, vel affinitatis dispensaverint, declaravit primò, ejusmodi Matrimonia talis dispensationis prætextu celebrata *nulla, & invalida fuisse, & esse*; deinde de plenitudine potestatis ea immediate valida effecit — Tenore præsentium „ revalidamus, ac omnino revalidata esse „ volumus, illaque imposterum revalidationis nostræ hujusmodi vigore vim, robur, „ effectum, ac efficaciam validorum, & legitimorum, legitimeque contractorum Matrimoniorum, & perinde ac si illa, & illorum qualibet ab illorum initio, ac in „ eorum radice valida, ac legitima, prævia „ super dictis impedimentis dispensatione „ Apostolica, rite, valide, ac legitime contracta, celebrata, solemnizata fuissent, „ habere, & obtinere: omnesque, & singulos, qui dicta Matrimonia sic contraxerunt, in eorum Matrimoniis hujusmodi „ absque eo quod illi, nec quisquam illorum „ Matrimonium de novo contrahere, seu „ novum consensum præstare ullo modo debeant, aut teneantur, remanere, & in „ eis perseverare libere, & licite, possint, „ ac debeant, prolesque ex hujusmodi Matrimonii susceptas, ac suscipiendas legiti-

a mas,

„ mas, & pro legitimis, ad utrumque Forum dici, censeri, & haberi ..... decernimus, declaramus, supplentes quoscumque defectus ex nullitate, ac insubsistentia dispensationum hujusmodi provenientes &c. — subdens demum, quod ii, qui hujusmodi Matrimonia inierunt, a nulla potestate vexari possint.

Aliud pro eadem re momentum habemus ex Constitutione Clementis XI., quæ incipit, *Ad futuram rei memoriam* emanatâ Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 2. Aprilis 1701. Pontificatus an. I., ubi eodem modo revalidat Matrimonia a Neophitis Indorum conversorum contracta in gradibus prohibitis sub prætextu dispensationis collatæ a Patribus Societatis vi suorum privilegiorum. Constitutionis laudatæ sensa in idem redeunt cum enunciatis ex Innocentio. Porro tria potissimùm in hac Constit. notanda occurrunt. I. Privilegia Societatis ad casus *ibidem* recensitos, exhibitosque, non se extendere, ex declaratione Romanæ Inquisitionis. II. Matrimonia prætextu dispensationis hujusmodi contracta *nulla, ac invalida fuisse, & esse*, declarantur. III. Omnes supplendo defectus decernit Pontifex, ea revalidare absque eo quod Nupti *novum consensum præstare ullo modo debeant*.

Utrumque Decretum fuit inde productum occasione postulatæ responsionis in facto cujusdam Missionarii, qui in pluribus Matrimoniis super gradus prohibitos dispensasse dicebatur. Ab Eminentissimis reclamatum est, atque in revalidationibus novus exigitus fuit Partium consensus; verùm cum res iterum ad examen fuerit revocata, nullum conditum Decretum pertinens ad consensum, sed aliter provisum est.

RESP. Errasse hujusmodi Pontifices a veritate prorsus alienum est; idcirco eorundem sensa hac super re perpendenda sunt. Dici itaque potest primò, Pontifices laudatos velle non renovandum consensum coram Parocho, & Testibus: cum pro Foro externo sit satis semel præstitum fuisse; unde uterque declarat, quod nullus super ea Matrimonia ab ulla potestate vexari possit. Quare, dum asserunt, novum consensum non fore præstandum, de publico, secus de privato loquuntur.

Secundò dici posset, quod omnes illæ formulæ, quibus uterque Pontifex utitur, tanquam de præsenti ea Conjugia convalidantes, sint simpliciter declaratoriæ supplementi defectus, quod pro eo tempore, quo vi prætensæ legitimæ dispensationis contracta fuere, præstitit Ecclesia. Elucidatur hoc, suppositâ satis plausibili doctrinâ, nempe Ecclesiam defectus supplere in casibus, & factis, quorum valor ab ipsa dependet, quando ejus Ministri prætextu legitimæ auctoritatis, quæ tamen in re non est, stante titulo, & errore communi, aliquid agunt; ut cum Sacerdos jurisdictione carens ad absolvendum, stante titulo, atque errore communi, Pœnitentiæ Sacramentum ministrat: in quo casu Ecclesia dicitur supplere jurisdictionis defectum, ita quod ille vere crimina relaxat. Pari ratione irritum est Conjugium inter personas Consanguinitate conjunctas sive in tertio, sive in quarto gradu, sed ex sola Ecclesiæ dispositione; quapropter, si ejusdem dispensatio, dum Matrimonium contrahitur, interveniat, jam legitimum & jure, & meritò censetur.

Præsules itaque Comitatus Avenionensis, sicut & Missionarii Societatis sese legitima præditos potestate arbitrantes, titulo sufficienti sub communi errore dispensaverunt; unde hujusmodi defectum, dum contrahebantur Conjugia, supplebat Ecclesia; propterea valida fuere, & talia quovis tempore fuisse declarant laudati Pontifices. Utuntur quidem verbis innuentibus actualem revalidationem, ut dignoscatur essentialis necessitas realis dispensationis a Romana Ecclesia; cumque dicunt, prædicta Conjugia *invalida fuisse, & esse*, hoc intelligendum est, attentis rebus secundùm se.

Ecclesia quandoque jurisdictionem supplet.

Tertiò propugnari posset, Innocentium, & Clementem, novum non exquirere formalem consensum; quia prior, qui fuit appositus, saltem virtualiter perseverat absolute, & simpliciter in effectibus, mutuisque obsequiis, adeoque sat est removere impedimenta, sub quibus consensus aliàs validus suum non fuit sortitus effectum constituendi nempe vinculum conjugale. Unde apposite Pontifex uterque præmisit, *aliàs tamen rite, & legitime contracta*; siquidem volunt ab initio legitimum consensum, qui postmodum perseverat; ea pari ratione qua si adultus, postulato Sacro regenerationis lavacro, non quidem naturali, sed artificiali aqua fuisset ablutus, dein in amentiam incidisset, detecto errore, vi illius primæ voluntatis, quæ perseverare meritò præsumitur, posset iterum naturali aqua ablui.

CONTROVERSIA III.

AN CONSENSUS PARENTUM REQUIRATUR AD VALOREM CONJUGII.

29 Conjugia Filiorumfamilias, invitis Parentibus, cassa, irritaque fecere Romani, ut pluribus in aperto est Tit. *de ritu Nuptiarum*, & potissimùm l. *Nuptiæ* 2. *ff. de ritu Nuptiarum* l. 23. tit. 2. ubi — Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, idest qui coeunt, quorumque in potestate sunt — Dissidium inter Eruditos est, an omnino consensus ita sit necessarius, ut sine illo irritæ censendæ sint Nuptiæ quoad substantiam contractus, & Sacramenti, vel tantummodo quoad effectus civiles. Hoc veriùs egregii Jurisconsulti judicarunt, quos inter Paulus *lib. 2. Sententiarum tit.* 14. scribens — Eorum, qui in potestate Patris sunt, sine voluntate ejus Matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur; contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur — Hujusmodi Sententia elucidatur ex formula 14. ex relatis ab Illustri Bigonio sub hoc titulo: *Formulæ veteres secundùm legem Romanam* — Viventibus

Romanorum leges circa Conjugia Filiorum.

„ tibus Patribus, loici Filiosfamilias fine „ voluntate eorum, Matrimonia non legiti„ me copulantur, sed contracta non solvun„ tur -- Ea propter Justinianus *Instit. de Nuptiis*, dum afferit, quod si, invitis Parentibus, contrahant Filii -- Nec vir, nec uxor, „ nec matrimonium, nec dos intelligitur -- non aliud intendit, quàm explicare injustitiam contractus, secus dissolutionem; ut apte scripsit Dionysius Godefridus in Notis ad legem *Filius* in Digest. *de ritu Nuptiarum* -- Si „ Pater justam rationem habuit non proban„ darum hujusmodi nuptiarum, injustæ nu„ ptiæ, injusta uxor, injusti liberi, &, ut „ Apulejus, Spurii; nulla dos, nulla uxor. „ *Instit. de Nuptiis*. Non tamen jure civili „ Romano dissolvitur Matrimonium --

Leges Galliæ.

30 Romanis legibus consonant Franciæ posteriorum Seculorum. Henricus II. Galliarum Rex an. 1556. Parentibus concessit jus exhæredandi filios, qui absque ipsorum consensu nuberent, legem extendens tum ad futuras, tum ad prætetitas Nuptias non consummatas, exceptis tamen filiis, completo anno 30., & fœminis ætatis annorum 25., qui petito, & non obtento consensu Parentum, Matrimonium contraxerunt.

Henricus III. in Comitiis Blesensibus an. 1579. easdem leges confirmavit, & articulo 42. capitis pœnâ mulctavit subornatores filiorum, aut filiarum minorum 25. annorum, prætextu Matrimonii, Parentibus non consentientibus. Ludovicus XIII. Constitutione edita an. 1629. statutum Blesense confirmavit -- Volumus, omnia Matrimonia „ contra dicti Statuti tenorem declarari in„ valide contracta; obligabunturque Judices „ Ecclesiastici causas matrimoniales conve„ nienter huic articulo dijudicare --

Verùm quid circa hujusmodi Ludovici Constitutionem actum sit a Clero Gallicano, plura dedimos superiùs *Disp. præced. Controv. II. sub num.* 32. ex Cabassutio, ubi retulimus ejusdem Cleri sensa, quibus humillime supplicatum est, ut duæ elucidarentur difficultates -- Prima est, ut non aliter intel„ ligantur hæ voces *valide*, *& invalide* con„ tracti Matrimonii, quàm per relationem „ ad contractum civilem, & nullatenus ad „ contractum spiritualem Sacramenti. Se„ cunda, ut non adstringantur Ecclesiastici „ ad judicandum secundùm hujus edicti, „ simulque Blesensis articulos, sed juxta Sa„ cros Canones, & Ecclesiastica Decreta, „ quæ sunt unica regula, & norma judicii „ Ecclesiasticorum -- His ex mandato Regis responsum fuit -- Commonitio Cleri quod „ spectat ad priorem difficultatem sic resolu„ ta fuit: verba ista *valide, aut invalide con„ tracta Matrimonia* non esse aliter explican„ da, quàm per solam relationem ad con„ tractum civilem per laicos Judices. Altera „ pariter difficultas justa, & rationi congrua „ visa est -- Subdit Jueninus *in præsenti art.* 2. -- Eam Regis Christianissimi declarationem „ laudati Auctores excerpserunt ex Commen„ tariis Cleri Gallicani *Tom.* 1. *pag.* 774. „ Sed illius (ut audit) Senatus Parisiensis „ non habet rationem, quippe quod, ubi „ rescidit contractus de quibus agitur, fa„ cultatem faciat ad alias Nuptias convo„ landi --

Illud tamen mirum videtur, eundem Clerum paucos post annos, anno nempe 1635. irritum declarasse Matrimonium Joannis Baptistæ Gasto Aurelianensis Ducis, præcitati Regis Ludovici Fratris, contractum, inscio, & invito Rege, cum Margareta Lotharinga -- Galliæ consuetudine non esse concessum, ut „ Regiæ sobolis Principes, & ii præsertim, „ qui viciniores sunt hæredes Coronæ, sine „ Regis coolensu Nuptias celebrent, multò „ minùs contra voluntatem, & interdictum „ illius. Has porro Nuptias, seu Conjugia „ illegitima esse, invalida, & nulla, defectu „ conditionis, sine qua memorati Principes „ valide contrahere non possunt Matrimo„ nium. Hanc demum Galliæ consuetudi„ nem rationi consentaneam esse, veterem „ & legitima præscriptione constabilitam, & „ Ecclesiastica authoritate firmatam -- Porro si ex declaratione Ludovici XIII. invalida sunt quoad contractum civilem Matrimonia Filiorum-Familias sine Parentum consensu, secus quoad rationem Sacramenti, qua ratione invalidum absolute declaratur a Clero Matrimonium Ducis Aurelianensis? Numquid Sacramentorum essentia alia est pro Principibus, alia pro Plebe? Hanc repugnantiam videtur agnovisse Archiepiscopum Parisiensem, dum anno 1643., adstantibus Duce, & Margareta, annuente jam Rege, iterum Matrimonium contrahentibus, audito mutuo Conjugum consensu, sub conditione protulit -- Et ego conjungo vos in Matrimonium, in quantum est opus: In nomine Patris &c. -- Vid. seq. Controv. *num.* 62.

Declarationes Cleri Gallicani inter se pugnantes.

Equidem verum est, apud Gallicanos latum discrimen opinandi adesse circa valorem Conjugii Filiorum, invitis Parentibus. Alii propugnant fore invalida; quia Rex carentiam consensus vult esse impedimentum dirimens; quod & præstare valet, cum Principes laici possint leges ferre circa Matrimonium prout est in officium naturæ. Dicunt alii, irrita esse hujusmodi Conjugia quoad substantiam, non ex defectu consensus Parentum, quem necessarium non agnoscunt ad valorem, sed quia in illis contractibus sæpenumero occurrit impedimentum raptus, non quidem violentiæ, sed seductionis juxta caput 395. *lib.* 7. *Capitularium* -- Placuit, ut hi qui rapiunt fœmi„ nas, vel furantur, vel seducunt eas, nul„ latenus habeant Uxores -- Alii demum contendunt, ea Connubia non esse irrita quoad substantiam, sed solummodo quoad effectus civiles, puta, exhæredationis, legitimorum natalium, donationum, & hujusmodi; nec posse Principes Christiani impedimenta Matrimonium dirimentia statuere, immo nusquam constituisse.

Galli inter se contrarii.

31 Novatores circa præsentem Controversiam in varias abiere Sententias. Quid senserit Calvinus, vidimus sub initio Disputationis *num.* 4. Martinus Lutherus *Ser. de Matrimonio*, & Melancthon *in locis communibus* tit. *de Conjugio* cum distinctione procedunt. Vel ex Conjugio filiorum, inconsultis Parentibus, secutus est partus: & tunc firmum volunt esse Matrimonium; vel non est secu-

Novatores:

secutus: & tunc liberum est Parentibus illud firmare, vel irritare.

Joannes Brentius *in Catechismo ad quartum præceptum*, Kemnitius in 2. *p. examinis Trident.* volunt, &c. præcipiunt, ut Nuptiæ a filiis celebratæ sine Parentum placito referantur Magistratibus, eorum judiciu approbandæ, vel reprobandæ; eaque ducuntur ratione, quia etsi ex generali regula debeant filii Parentum consensum obtinere, nihilominus quandoque aliter expedit; ideoque Judicis Sententia exquirenda est.

Erasmus nostri temporis Hæreticos prævit *in colloquio de Matrimonio*, ubi Catharinam, & Eubulum loquentes referens ait -- „ Definiunt quidam, Matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam invitis Parentibus, Inter puerum, & puellam per verba de præsenti contractum est; atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec Veterum leges, nec Moyses ipse, nec Evangelica, nec Apostolica doctrina -- quibus aperte sentit, divino, & naturali Juri repugnare Sententiam asserentem, non requiri Parentum consensum. Verùm ex principiis ab Erasmo productis Catholica veritas plane firmatur.

DICENDUM itaque, consensum Parentum nequaquam requiri ad valorem Conjugii.

32 PROB. I. ex Scripturis veteris legis. Gen. 2. Moyses referens Conjugii institutionem non solùm non innuit necessarium Parentum consensum, sed oppositum suadet dicens: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Hic plena potestas nubendi declaratur, nullo expectato Parentum consensu.

In filiis plena potestas nubendi.

Hinc ut legitimum approbat Scriptura Conjugium a Jacob cum Lia, & Rachele initum Gen. 29., & 30., non interveniente Patris Jacob placito. Immo Matrimonium Esau cum tribus Uxoribus verum fuit, & tamen invitis Parentibus celebratum; de duabus primis habetur Gen. 26. vers. 34. *Esau verò quadragenarius duxit uxores duas, Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon ejusdem loci; quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ*; de tertia legitur ibid. cap. 28. quod cum Esau cognovisset Patrem nolle quod Jacob Uxorem duceret de filiabus Chanaan, nihilominus voluit ex eis sumere Uxorem: *Probans quoque, quod non libenter aspiceret filias Chanaan Pater suus, ivit ad Ismaelem, & duxit uxorem* &c. quod sane manifestat, nupsisse, invitis Parentibus. Eadem plena libertas nubendi declaratur Numeror. cap. 36. vers. 6., ubi Moyses: *Et hæc lex super filiabus Salphad a Domino promulgata est: nubant, quibus volunt, tantùm ut suæ tribus hominibus*. Celeberrimum itidem offert exemplum Scriptura Tobiæ 7., ubi Junior Tobias insciis Parentibus, Angelo suadente, Saram uxorem duxit; quod Matrimonium miraculis commendatum legimus, quatenus Sponsam a Dæmone liberavit. Quod si ex divino, & naturali Jure necessarius fuisset Parentum consensus, neutiquam talia evenissent, nec suasorem habuisset Angelum.

33 PROB. II. ex novò Testamento. Toties non est necessarius Parentum consensus ad Matrimonium Filiorum-familias, quoties Christus unicuique liberam status electionem reliquit: atqui hoc contigit in lege Gratiæ; ergo. Instituens Christus *Matth.* 19. statum perfectionis, atque Evangelica explicans consilia, libertatem omnem Eligenti concessit: ideo dixit Adolescentulo: *Si vis perfectus esse: vade* &c.; si ergo quilibet sui juris est in electione status, jam plane fit, non esse necessarium placitum Parentum. Idem innuitur ab Apostolo 1. ad Corinth. 7. vers. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantùm in Domino*; cui vult ipsa, non ejus Parentes. Et meritò sane. Etenim ratio, quam ibidem vers. 7. versat Apostolus, id clare evincit, atque apte sive viduis, sive primò nubentibus accomodatur: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo*; nubere itaque, vel non nubere est donum unicuique proprium, ab alterius voluntate independens.

34 PROB. III. Ex Decretis Pontificum. Nequit ex divino Jure necessarium dici, cujus oppositum Ecclesiastici Canones sanxerunt: non enim errare potest Ecclesia circa Jus divinum, vel naturale; sed Canones declarant, Parentum consensum haud esse necessarium in Conjugiis filiorum; ergo. Can. *Cum virum*. *De Regularibus*, habet Clemens III. de puella nubili -- Tunc, quia „ liberum haber arbitrium in electione propositi, sequi Parentum non cogitur voluntatem -- Cap. *Sufficiat* 27. q. 2. Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum -- Sufficiat secundùm leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur &c. -- Eadem verba habentur Cap. *Cum apud sedem Apostolicam*, Cap. *Cum Locum* eodem tit., & alibi; ergo.

35 PROB. IV. Ex Patribus. S. Ambrosius *lib. 1. de Virginibus cap.* 10. -- Si hominem amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? -- S Augustinus *Epist.* 254. aliàs 233. *ad Benenatum* de quadam puella nondum apta Viro, de cujus Conjugio jam agebatur, inquit -- Fortassis quæ nunc non apparet, apparebit, & Mater, cujus voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura præponit, nisi eadem puella in ea jam ætate fuerit, ut jure licentiori sibi eligat ipsa, quod velit --

36 Accedit argumentum ex Adversariorum principiis. Novatores contendunt, Conjugium filiorum, invitis Parentibus, celebratum, ab iisdem nequaquam dissolvi posse, si consummatum fuerit; hoc porro nequaquam valeret, si priùs non censeatur validum. Consummatio namque ad substantiam Conjugii non spectat, sed est effectus ad ipsum consequens, immo ab eodem separabilis, quinimo cohabitatio thori est prorsus illicita, quoties prævie non subsistit conjugale vinculum, erit enim accessus ad non suam; ergo concedant oportet Novatores, haud necesse fore, quod filii advocent Parentum con-

sen-

sensum, ut valide nubant — Proindeque jure „ damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falsò affirmant, Matrimonia a filiis-familias sine consensu Parentum contracta irrita esse, & Parentes ea rata, vel irrita facere posse — Trident. *in Decreto de Reformat. Matrimonii cap.* 1.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

37 OBJIC. I. Deus Conjugii Auctor est Matth. 19. *Quod Deus conjunxit* &c. Sed Deus non potest esse Auctor Conjugii filiorum, insciis, aut invitis Parentibus, celebrati, utpote contra suum præceptum: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*; ergo.

RESP. Deus est Auctor Conjugii quoad essentialia; secus quoad accidentalia, ipsique Matrimonio extrinseca. Porro id quod essentiale est in Conjugio, est materia, & forma; cetera verò accidentalia. Unde bene potest contrahi verum Matrimonium, etsi deficiat quoad id, quod essentiam non tangit. Deus est Baptismi Auctor; & tamen stare potest, ut quis valide baptizet, etsi illicite, puta cum Laicus absque necessitate, immo contra Episcopi mandatum, Sacramentum regenerationis ministrare præsumit. Et sicut secundùm se non agit contra Decalogi præceptum filius, qui, renuentibus Parentibus, pro Christo cœlibatum eligit; contra illud non agit, si nubat, spectatâ per se Conjugii naturâ. Si autem dehonoratio aliqua interveniat, aliunde crimen obveniet, ex accidentariis nempe Conjugii.

Filius est sui juris in ordine ad Conjugium.

38 OBJIC. II. Post primum Adæ, & Evæ Conjugium, Deus neminem, nisi per aliquod medium, conjungit: sed medium in Conjugio filiorum, naturali subjectionis lege id postulante, est Parentum consensus; ergo.

RESP. Sicut Deus alia Sacramenta, medio Ministro, facit; ita & Matrimonium. Minister autem Sacramenti Conjugii sunt ipsi Contrahentes; adeoque aliud medium haud exquiritur. Equidem naturali lege filius Parentibus subditur, sed salva libera conditione in electione status; unde sicut non est in libera Parentum potestate, ut filius se contineat, vel non, ita neque ut valide, vel invalide nubat.

Filii quomodo Parentibus subditi.

39 OBJIC. III. Toties per Parentum consensum, tanquam per medium necessarium jungit Deus Filios-familias, quoties horum Conjugia expresse dependent a Parentum voluntate; porro taliter dependent, juxta Apostolum ad Colos. 3. vers. 20. *Filii, obedite Parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino. Per omnia*, inquit; adeoque nullum excipit casum. *Placitum est in Domino*; proindeque Nuptias, invitis Parentibus, reprobat, nec facit.

RESP. Filiorum Conjugia sub Parentum directione cadunt; quatenus congruum est, quod ipsis renuentibus, aut nescientibus, Matrimonium non contrahant. Ceterum eorum consensus haud desideratur tanquam necessarius ad validum filiorum Matrimonium. Quare non est intelligendus de his Apostolus, in quibus filius est sui juris. Ex hoc in aperto est. Si enim vellet filius, refragantibus Parentibus, se Deo sacrare, utique contra Apostoli mandatum agere nemo unus ex Catholicis dicet; ergo similiter in nostro casu. Ultro concedimus, placere Deo, quod filii juxta Parentum votum nubant; sed si contra ipsorum voluntatem contrahant, non reprobantur irritatione Conjugia.

Quando Parentibus obtemperandū.

40 OBJIC. IV. Tunc foret absolute necessarius Parentum consensus, si præceptum esset Parentibus, ut filios Matrimonio jungerent: sed hoc a Domino absolute præceptum est; ergo. Deut. 7. vers. 3. *Nec sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Jerem. 29. vers. 6. *Accipite uxores, & generate filios, & filias, & date filiis vestris uxores; & filias vestras date viris.* Hic eodem modo describitur necessarius Parentum consensus ad proprias, sicut ad filiorum nuptias. Rursus 1. ad Corinth. 7. *Igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam bene facit, & qui non jungit melius facit.* Vide plenissimum Parentum dominium in Conjugia filiorum.

RESP. Parentibus commendantur filii, ut instituantur circa Conjugia, sicut ad bene agendum in omnibus; ceterum non est eis collata potestas irritandi, vel constituendi eorum Connubia. Primus itaque Scripturæ locus abs re affertur; continet namque præceptum prohibens Hebræis Matrimonium inire cum alienigenis, ne eorum corda subverterentur, atque ad Idololatriam traherentur. Textus alter mandatum explicat de propagatione Hebraicæ Gentis sub servitutis jugo pene destructæ. Ultimus Virginitatis involvit consilium, quatenus tam præexcelsæ virtutis suasores esse debent Parentes.

Parentes instituere filios debent.

41 OBJIC. V. Res per easdem caussas dissolvitur, per quas nascitur: sed filiorum Conjugium ex Domini præcepto, sola Parentum voluntate, dissolvitur; ergo etiam valide Conjugium non contrahitur sine Parentum placito. Eruitur minor Exod. 22. vers. 16. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit: reddet pecuniam juxta modum dotis.* idem legitur *Deut.* 22. vers. 28.

RESP. In laudatis Scripturis non agitur de irritatione Matrimonii; nam in hisce casibus, ut ipsimet Novatores fateri tenentur, dissolvi nequit, cum fuerit consummatum. Agitur ibi de pœnis iis infligendis, qui erga Virgines nondum desponsatas injurii sunt; ut scilicet dotare, & ducere teneantur. Patre autem nolente filiam tradere Stupratori; hic debet dotem solvere, & certam pecuniæ quantitatem. Verùm hoc intelligas, si renuente Patre, renuat & filia. Nam si hæc velit, etsi Pater nollet, starent Nuptiæ.

Pœna in Stupratores.

42 OBJIC. VI. Quandiu filii sub patria potestate sunt, tandiu irrita sunt eorundem acta, nullumque faciunt contractum de his, quæ ad patriam potestatem pertinent: sed filii, antequam nubant, vivunt sub patria potestate; ergo nullum contrahunt, Parenti-

V bus

bus non consentientibus, Matrimonium. Ideoque *Numer.* 30. Pater ex Domini præscripto filiarum vota irritat; quod juris naturalis esse notat Augustinus.

RESP. Filius considerari potest in statu pubertatis, & ante pubertatem. Quæ agit pro hoc statu quantùm ad vota, Conjugia, & hujusmodi, a Parentibus irritari possunt; quia tunc temporis quoad totius vitæ seriem Parentibus subduntur. Secus dicendum est post pubertatem; tunc enim sunt sui juris quantùm ad dispositionem personæ. Unde sicut pro hoc statu vota Religionis, castitatis, obligant, etiam contradicentibus Parentibus; ita & Conjugia. Lex Numerorum loquitur pro statu incompletæ pubertatis; quo sensu loquitur Augustinus. Vide doctrinam S. Thomæ, quam supra *num.* 12. recitavimus.

Vota filiorum quando irritari possunt.

43 DICES. Ex ratione impuberum Conjugia infirma sunt; quia Conjugium magni momenti res est, atque perpetua servitus, quæ seriam expostulat rerum discussionem, quæ in ipsis dari non potest. Hoc porro urget etiam pubertatis tempore; cum fervescant animi motus, qui mentem obnubilant, atque circa futura improvidi meritò censeantur; ergo pro eo tempore, nisi advocato Parentum consensu, infirma, adeoque Irritabilia erunt Conjugia.

RESP. Quamvis, expleta pubertate, possint quandoque filii sine prudentiæ dictamine operari, nihilotamenminus pubertatis status sufficientem involvit rerum cognitionem ad seriò perpendenda, quæ ipsis prodesse, vel obesse possunt. Ideirco & natura, & leges, pleraque eorundem acta ut valida approbant, inter quæ Matrimonium pariter numeratur.

Status pubertatis capax ad deliberandum.

44 OBJIC. VII. Filius in statu pubertatis, invitis Parentibus, nequit domum vendere. Est autem Patri filius charior domo; unde qui illum occideret, vel raperet, magis Patrem offenderet, quàm si domum everteret. Itaque si domum nequit filius, Patre invito, vendere, neque se ipsum potest disponere. Audiamus Erasmum -- Emanciparunt te leges a jure Parentum? Nequaquam. Licet ne tibi emere, aut vendere fundum, invitis Parentibus? An non tu illis charissima, maximeque propria es possessio? --

RESP. Filii pro eo statu valent bona possidere, de quibus libere, & valide possunt disponere, spectata naturali lege, nam Civilia, vel Canonica Statuta, aliquando aliter decernunt. Porro mutatio status ad actus naturaliter liberos spectat; quapropter quoad hanc plenam habent libertatem. Est quidem filius possessio Patris; non tamen ut mancipium, sed ut naturâ liber, suæque potestatis circa ea, quæ propriam personam respiciunt.

Mutatio status libera.

45 OBJIC. VIII. Quod perpetua Ecclesiæ Traditione firmatum est, ad Jus divinum revocari potest, & oppositum nequit posterioribus Seculis statuere: sed Conjugium filiorum, renuentibus Parentibus, nullum esse perpetua Ecclesiæ Traditione firmatur; ergo Jure divino nullum est. Min. prob.

Evaristus Seculo II. illegitimum declarat filiorum Conjugium, si Parentum consensus non accedat -- Aliter legitimum non sit Conjugium, nisi ab iis, qui super ipsam fœminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur, Uxor petatur, & a Parentibus, aut propinquioribus sponsetur &c. -- Hinc talia Matrimonia adulteria, & fornicationes vocat; ut refertur Cap. *Aliter* 30. q. 5.

Seculo III. Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem cap.* 8. -- Nec in terris filii sine consensu Patrum recte, & jure nubunt --

Seculo IV. S. Basilius *Epist. 2. ad Amphilochium Can.* 42. -- Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente Patre, nec Domino, ii qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec Conjugio Domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem Conjugium -- Eodem ævo S. Ambrosius *lib. 1. de vita Abraham cap. ultimo* agens de Rebecca ait -- Consulitur Puella, non de Sponsalibus; illa enim expectat judicium Parentum --

Seculo V. Concilium Carthaginense IV. *Cap.* 13. vult, quod Sponsi a Parentibus suis, vel paranimphis offerantur. Et Leo Magnus relatus Cap. *Qualis* 30. q. 2. declarat, quod Uxor a Parentibus tradi debet.

Seculo VI. Toletanum III. *Cap.* 101. -- Similis conditio de virginibus, ne extra voluntatem Parentum, vel suam cogantur Maritos accipere -- Aurelianense IV. *Can.* 22. -- Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne Conjugium, quod contra Parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur: sed sicut est prohibitum, non admittatur, & his, qui perpetraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur --

Seculo VII. eadem disciplinæ ratio habebatur apud Orientales, ut colligitur ex Photii Nomocanone *Tit. 13. cap. 9.*, & ad Seculum usque XII., Immo ineunte Seculo XIII., vigebat, ut refert Balsamon, qui tunc scripsit in titulum Photiani Nomocanonis. Seculo IX. Nicolaus I. *in Resp. ad consulta Bulgarorum cap.* 3. tum contrahentium, tum Parentum consensum, ad Matrimonium requirit -- Quæque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur --

Seculo XIV. Clemens III. relatus Cap. *Videtur nobis* 35. q. 6. -- Qui enim meliùs recipi debent, quàm illi, qui meliùs sciunt, & quorum est interesse? Ita ut si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundùm leges nullum sit Matrimonium --

Demum hujus Traditionis invictum momentum habemus ex Synodo Coloniensi celebrata anno 1536. *p. 9. cap.* 43., ubi exoptat Evaristi Canonem renovari.

RESP. Admissa, licèt non concessa, Traditione, non evincitur, Jure divino necessarium esse Parentum consensum. Non enim omnis Traditio ad Jus divinum pertinet; cum etiam Traditio solius Ecclesiastici Juris habeatur.

Ca-

Ceterum negamus prætensam Traditionem. Etenim Conjugium quovis tempore fuit proprius nubentium consensus, utpote respiciens rem maxime propriam contrahentium. Quare notandum est, Conjugium sumi posse dupliciter; nempe & quoad substantiam, & quoad perfectionem, & solemnitatem. Relata testimonia evincunt, in Ecclesia exigitum fuisse Parentum consensum, ad perfectionem, & solemnitatem Conjugii; quoniam semper a clandestinis Matrimoniis abhorruit. Nusquam tamen Ecclesia ut essentialem agnovit Parentum consensum; ut in aperto est ex plena libertate, quam in contrahentibus exigit, etiam relate ad Parentes, quatenus improbat violentiam, vel quasi violentiam, quæ ab ipsis fit quoad Nuptias filiorum.

Conjugium quoad perfectionem, & solemnitatē.

Itaque ad singula deveniendo. Celebris Evaristi Canon ab omnibus explicari debet; quoniam tales *ibidem* exposcit conditiones, quas indubie ad substantiam Nuptiarum spectare nemo unus dicet. Vult namque quod Nuptiæ cum oblationibus, & precibus, cum paranimphis, & propinquorum comitatu, cum legitimis dotibus, a Sacerdote benedicantur. Hæc sane Matrimonii substantiam non tangunt, sed ad solemnitatem requiruntur. Equidem contractum sine Parentum consensu vocat illegitimum; at intelligi debet in facie Ecclesiæ, cum nequeat probari Testibus. Vocat itidem adulterinum; sed in præsumpta radice; præsumuntur enim clanculùm nubentes, ex concupiscentia nubere, ex qua oriri solent adulteria. Videantur quæ diximus jam supra *Disp. II. Contr. Unica num.* 14. in resp. ad 3. object.

Concupiscentia fovet adulteria.

Ad III. Seculum respondemus, Tertullianum meritò asserere, non advocato Parentum consensu, nec recte, nec jure, nubere filios-familias; ordo siquidem congruentiæ sine causa prætermittitur, dum, inconsultis Parentibus, Matrimonium contrahitur. Sed hoc probat fore illicitum; secus invalidum.

Ad IV. S. Basilius loquitur, spectatis legibus civilibus, quæ suo tempore evulgabantur. Hæ porro illicitas, & fornicarias hujusmodi Nuptias declarabant, quantùm ad effectus civiles; secus quantùm ad rationem Sacramenti. S Ambrosii auctoritas hortatoria est ad puellas, ut Rebeccæ exemplum imitentur; verùm si aliter Nuptias contrahant, earum Conjugia nequaquam irritat.

Ad V. Carthaginense abs re affertur; cum dubio-procul loquatur de solemnitatibus Connubii, idcirco exigit etiam paranimphos custodes. Ejusdem labii est S. Leo; cum dotem, & paranimphos insimul cum Parentum oblatione expostulet.

Ad VI. Toletanum Adversarios ferit; siquidem eo loci agit de viduis, inquiens -- „ illis nubant, quos propria voluntate vo„ luerint habere Maritos -- hancque conditionem ad Virgines extendit -- Ne extra „ voluntatem Parentum, vel suam cogantur „ Maritum accipere -- Sufficit igitur ipsarum voluntas ad contrahendum. Aurelianense nostræ non adversatur Sententiæ; sed solummodo intendit vim omnem sive Parentibus, sive puellis, factam impedire. Hinc ad salvanda plenæ libertatis jura decernit, ut rapta restituatur, etiamsi vel in stuprum, vel in Matrimonium consenserit, ut de libera ejusdem voluntate certum habeatur argumentum.

Ad VII. Nomocanon Photianus continet doctrinam Basilii loquentis secundùm Jus civile, ut jam innuimus; & hoc eodem sensu locutus est similiter Balsamon. Porro juxta prædictum Jus, hujusmodi Matrimonia non sunt invalida, sed tantummodo talis conditionis, ut in judicio auctoritas Magistratus ei non patrocinetur.

Nicolaus leges tradit de Matrimonio juxta consuetum modum contrahendo; adeoque varios Nuptiarum ritus, qui, dum Matrimonium contrahitur, intervenire debent, refert, puta dotem, oblationem, benedictiones Sacerdotales: addens non esse peccati reum, qui ex his aliquos prætermitteret; ex quo palam fit, non omnes essentiales esse; nec ab ipso eo loci declarantur, quinam accidentarii, quique essentiales sint.

Ad XIV. Id, quod affertur ex Clemente III. quod alii Cœlestino I. adscribunt, nullum facessit negotium; siquidem ibi clarus est sermo de impedimentis consanguinitatis, & affinitatis exquirendis. Etenim immediate ad relatum textum legitur -- „ ideo enim maxime Parentes, & si defue„ rint Parentes, proximiores admittuntur, „ quoniam unusquisque suam genealogiam „ cum testibus, & chartis, tum etiam ex „ recitatione Majorum scire laborat. Qui „ enim melius &c. -- Unde sicut nemo dicet, consensum proximiorum esse essentialem Conjugio: ita nec consensum Parentum; & tamen eo loci dicitur, admittendos proximiores, illis deficientibus. Quare verba illa *Secundùm leges nullum fit Matrimonium* in idem redeunt, ac si diceretur, non fit Matrimonium secundùm Ecclesiæ leges, nisi exquirantur gradus consanguinitatis.

Coloniense Concilium optat Evaristi Decretum ad praxim deduci, ne clandestina permittantur Conjugia, de quibus agit laudatus Pontifex. Synodi vota complevit Ecclesia in Tridentino illa irritante.

46 OBJIC. IX. Consuetudo vim legum declarat: atqui consuetudo fuit, ut Matrimonia, inconsultis Parentibus, irrita censerentur; ergo. Minor propositio probatur.

I. Judith vidua Hesulphi, & Etelredi Regum Angliæ, filia Caroli II. Regis Franciæ, cum nupsisset Balduino Belgii Comiti, non nisi post interpositas Nicolai I. preces factum est, ut, accedente Patris voto, legitimum contraheret Matrimonium; ut legere est apud Flodoardum *lib. 3. cap. 12. Historia Ecclesiæ Rhemensis*; ergo.

II. Ludovicus II. filius laudati Caroli II., inscio Patre, cum Ansgrada Conjugium iniit, sed dissolutum fuit, quamvis prolem suscepisset, & Aliceam, seu Adelaidem Anglam, desponsavit, cujus filius

Carolus Regno suffectus est: sic Reginon. *in Chronic. lib.* 2.; ergo Patris consensus est essentialis.

RESP. Apud Flodoardum legitur, Juditham Balduinum, inscio Patre, secutam suisse, & quod Carolus per Episcopos, & Regni sui Primates -- Post mundanæ legis „ judicium, Canonicam in jam dictum „ Balduinum, & Judith secundùm Edicta „ B. Gregorii ab Episcopis depromi Senten- „ tiam fecit -- Porro Canonex Gregorii ipsemet Rex Carolus Epist. *ad Ludovicum fratrem* inscriptâ declarat, atque Balduini crimen palam facit -- Filiam nostram Judith „ Viduam secundùm leges divinas, & mun- „ danas sub tuitione Ecclesiastica, & Re- „ gionum de Burge constitutam Balduinus „ sibi furatus est in Uxorem, quem post „ legale judicium Episcopi Regni Nostri ex- „ communicaverunt secundùm Sacros Ca- „ nonex, & definitionem Sancti Gregorii „ Papæ, qui dicit: si quis Viduam furatus „ fuerit in Uxorem, ipse & consentientes „ ei, anathema sint -- Rapuit igitur Balduinux in Uxorem Juditham, ipsa consentiente, & Ludovico fratre approbante, sed renuente Patre. Verùm argumentum non urget ex Sententia P. Boucat, cujus est argumentum *de Matrim. Instit. Dissert. 7. art.* 3. *Sect.* 5. *Concl.* 1. *Tertio ex quibusdam factis*. Etenim laudatus Auctor *eadem Dissert. art.* 8. §. 14. *Quæret I.* propugnat nullum Matrimonium Andreæ, qui Titiam, ipsa consentiente, sed invitis Parentibus, & Tutore sub cujus dominio adhuc est, rapuit, & ambo in aliam a Patria abeunt Civitatem, ubi tabernaculum, & domicilium constituentes, postea nubunt. Nullum, inquam, vult hujusmodi Matrimonium ex Decreto Concilii Aurelianensis relato Can. *de Raptoribus* 36. q. 1. -- Si verò, quæ rapitur, Patrem habere „ constiterit, & puella raptori consenserit, „ potestati Patris excusata reddatur, & ra- „ ptor Patri superioris conditionis satisfa- „ ctione teneatur obnoxius -- Cum igitur casus hujusmodi idem revera sit, ac factum Balduini cum Juditha, dicemus nullum fuisse horum Conjugium, non ex defectu consensus Patris, sed ex impedimento raptus.

Ceterum dicendum est, Matrimonium Balduini validum fuisse quoad rationem Sacramenti; secus secundùm civiles effectus. Ita esse plene colligitur ex Epistola Hincmari Nicolao Pontifici data, ubi reconciliato Patre Judith Conjugium describitur -- Baldui- „ nus, & Judith Jura legum Secularium, „ quæ elegerunt, exequi studuerunt. Domi- „ nus autem Noster Rex, filius vester huic „ desponsationi, & conjunctioni interesse „ non voluit, sed missis publicæ rei Mini- „ stris, sicut vobis promisit, secundùm le- „ ges Seculi eos uxoria conjunctione adinvi- „ cem copulari permisit, & honores Baldui- „ no pro vestra solummodo petitione dona- „ vit -- Leges Seculi quid aliud disponunt nisi spectantia ad dotem, hæreditatem, & hujusmodi? Itaque secundùm humanum Jus validum effectum est, quod validum jam erat ut Sacramentum.

Ad II. dicimus, Reginonem, aliosque hac super re errasse. Nam Flodoardus supra laudatus *cap.* 19. refert, Ansgardim a Ludovico II. cognominato Balbo perperàm repudiatam fuisse, ut Adelaidem Uxorem duceret; enumerans enim Opuscula, quæ scripsit Hincmarus, unum exaratum dicit, quo se excusat eo quod Ludovici cohabitationem cum Adeleide non prohibuerit -- Scripsit & „ de Objectis sibi a Gosseno super Ludovici, „ Balbi Regis Patris eorum assensu, quare „ Ansgardim uxorem abjectam eum recipere „ non coegerit, & Adelaidem ab eo reti- „ neri non prohibuerit -- Cujus rei invictum habemus momentum, ex quo Ludovicus III., & Carlomannus filii Ansgardis regnaverunt ante Carolum simplicem habitum ex Adelaide, quam secundam Uxorem vocat Baronius *ad annum* 879. Pluribus id evincit Natalis Alexander *Sec. IX. cap. 7. art.* 4.

CONTROVERSIA IV.

AN FILII GRAVITER PECCENT NUBENDO, INVITIS PARENTIBUS.

47 DUbio-procul graviter delinquere poterit filius nubendo contra Patris voluntatem propter circumstantias, quæ in tali Conjugio poterunt spectari, puta si cum dedecore familiæ nubat, si cum scandalo, si cum discordiarum periculo, homicidiorum, & similium; quo pacto etiam Parentes mortalis noxæ Rei fierent, copulando filios, si molesto, si inæquali tradant Conjugio, si fœdæ, aut rixosæ ipsos copulare velint mulieri. Quærimus igitur, an præcise, ex quo sine Parentum consensu nubant filii, mortaliter peccent. Ultrò admittimus in filiis convenientiæ, & congruentiæ debitum ad postulandum, expectandumque Parentum consensum; verùm hoc debiti genus sub veniali obligare solet.

DICENDUM itaque, filios, invitis Parentibus, nubendo, secundùm se nequaquam graviter peccare.

48 PROB. I. Secundùm ea, quæ ad corporis naturam pertinent, homo non tenetur obedire homini, sed solummodo Deo: quia in his omnes sunt naturâ æquales: ut sunt ea, quæ ad corporis sustentationem, prolisque generationem pertinent; ergo sicut valent filii, insciis Parentibus, de his, quæ ad corporis sustentationem pertinent, sibi providere, ita etiam in his, quæ prolis generationem respiciunt, quod fit per Matrimonium; aliàs non essent quoad hoc naturâ æquales. *In quibusdam homines naturâ æquales.*

49 PROB. II. Filius per Matrimonium perpetuæ obligatur servituti, quæ onera, & quidem gravia secum affert, & nisi libera prorsus voluntate eligantur, difficillime possent tolerari; ergo æquum est, contrahentes esse omnino liberos in tali suscipienda obligatione; proindeque alterius consensum nec exquirere, nec expectare jure debent. Laboriosam hanc servitutem involvere Conjugium perspectam habuerunt Apostoli; *Matrimonium onerosam servitutem involvit.*

pro-

propterea Matth. 19. audita ejusdem indissolubilitate dixere : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere* . Eamdem servitutem mente revolvens Apostolus 1. ad Corinth. 7. vers. 28. compatiebatur Conjugatis dicens : *Et si nupserit virgo , non peccavit ; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi* . Porro nemo liberæ conditionis adstringi potest ad perpetuam , durissimamque servitutem invitus , ita quod sub reatu gravis peccati , æternique cruciatus, ab aliorum voluntate , & consilio , dependere teneatur ; ergo non datur obligatio exquirendi Parentum voluntatem , eorumque assensum expectandi .

Pactum pecuniarium lædit libertatē in Nuptiis.

50 PROB. III. Magis adversatur libertati Nuptiarum , onus peccandi graviter, quàm solvendi pecuniarum , etsi mediocrem, summam : cum spirituale damnum longe prætergrediatur quodcunque temporale ; sed Jura tum Canonica , tum Civilia , ne Nuptiarum libertas lædatur , vetant , irritantque pactum solvendæ pecuniæ in Sponsalibus appositum , si alter a promissis resiliat Cap. *Gemma. De Sponsal. l. Titia ff. de verborum oblig. l. fin. cap. de Sponsalibus* ; ergo multò minùs gravis obligatio poscendi , atque expectandi Parentum voluntatem filiis apponenda est .

51 PROB. IV. Spirituale Conjugium, ut sæpenumero dictum est , analogatur cum corporali : sed in electione spiritualis Conjugii nullatenus peccat filius assumendo sive statum cœlibatus , sive profitendo in Religione , non advocato Parentum consensu ; ergo idem in corporali Conjugio dicendum est . Utrobique enim eadem ratio occurrit , videlicet quia contrahentium agitur negotium .

MOMENTA ADVERSA REFELLUNTUR.

52 OBJIC. I. Parentes juxta Sacræ Scripturæ leges filiis opportunas Nuptias debent procurare *Deut. 7.* , *Jerem. 9.* , & *1. ad Corinth. 7.* ; ergo filii Parentibus obtemperare debent ; ergo non sunt sui juris ; adeoque Parentum voluntas exquirenda .

Conjugia filiorum non spectant ad domesticam œconomiam.

RESP. Quamvis Parentes curare debeant , ut filios nubant ; horum tamen voluntas potissimùm expectanda . Gen. 24. vers. 57. explorata fuit a Parentibus , fratribusque , Rebeccæ voluntas : *Vocemus puellam , & quæramus ipsius voluntatem* . Et sane cum filiorum Connubia non spectent ad domesticam œconomiam , pleno Parentum dominio non subordinantur .

53 OBJIC. II. In licitis , honestisque , potissimùm si magni momenti sint , Parentibus obtemperare debent filii : atqui Nuptiæ licitæ sunt , & honestæ , atque ob perpetuam obligationem gravis momenti ; ergo sub gravi illis obtemperare debent .

Nuptiarum electio prorsus libera.

RESP. Non omnia licita , & honesta, habemus præcepta . Nonnulla siquidem ad ordinem supererogationis spectant . In his porro plenâ potiuntur libertate homines ; unde filii pubertatem nacti , invitis Parentibus , ad plura se adstringere valent , puta ad quædam moderata jejunia , ad vacandum Deo , & hujusmodi . Nuptiæ autem licitæ quidem sunt , sed maxime liberæ ; & quia onus important , sed personale , ideo earum electio non nisi a propria voluntate habenda est .

54 OBJIC. III. Actio filii , quæ graviter Parentum jura violat , haud a lethali crimine valet excusari : sed hujusmodi est Conjugium filiorum , insciis Parentibus , celebratum : etenim ubique gentium conqueruntur Genitores adversùs filios taliter nubentes ; ergo lethali crimine rei meritò censendi sunt .

Parentum querelæ adversùs filios quandoque injustæ.

RESP. Actio , quæ violat jura congruentiæ , & honestatis , venialis peccati lineam non excedit . Hujusmodi est conditionis Matrimonium filiorum absque Parentum consensu celebratum . Horum querimoniæ non eæ sunt , ut lethale crimen innuant ; cum sæpe itidem conquerantur , ubi filii , potissimùm primogeniti , Christo se vovent , atque Religiosam vitam profitentur ; cum aliàs in tali electione nullâ ipsi afficiantur Injuriâ .

55 OBJIC. IV. Universalis consuetudo , rationabili instituta motivo , veræ legis vim sortitur : sed universalis adest consuetudo , ut filii non nisi exquisito , & expectato Parentum consensu , Nuptias quærant ; quod sane rationi congruum esse nemo unus refragabitur ; ergo .

Consuetudo quando habet vim legis.

RESP. Consuetudo etsi immemorabilis non semper vim legis habet ; ut enim hanc vim sortiatur , fas est , quod inducatur animo constituendi legem , & quod Principis accedat approbatio , & tantæ debet esse efficaciæ , ut adversùs oppositum jus præscribere valeat . Impræsentiarum præcitata consuetudo non fuit instituta animo constituendi legem , sed solummodo innuendi convenientiam . Nec ab Ecclesia adoptata fuit ; cum plenam libertatem velint Canones . Neque adversùs oppositum jus potest præscribere ; cum hoc ex natura ipsa oriatur . Dein sæpissime interrupta fuit ; cum frequenter habitæ fuerint Nuptiæ , invitis Parentibus .

56 OBJIC. V. Quotiescunque quis in aliquo opere eligendo tenetur sub gravi prudenter agere , adeoque ab aliorum instructione pendere , ne in agendo erret , toties absque consilio operando , graviter delinquere in aperto est : Conjugii electio hujus est generis ; ergo nupturi aliena indigent directione . In filiis autem hujusmodi instructio indubie a Parentibus venanda est ; aptiùs namque isti præ aliis noscunt , quod filiis , familiæque expediat , ut habetur Cap. *Aliter* 30. q. 5. Non petito itaque , expectatoque Parentum consensu , graviter peccare dicendum est .

Filii capaces eligendi.

RESP. Argumentum evincit , quandoque contingere posse , ut filius peccet graviter , inconsultis Parentibus , nubendo ; sed non semper . Etenim plerumque filius capax est prudenter perpendendi Matrimonii onera ; & aliàs extranei ad consulendum aptiores sunt , cum Parentes non raro in Nuptiis divitias , familiæ splendorem , non quidem veram filiorum felicitatem cogitent .

57 OB:

57 OBJIC. VI. Tenentur Parentes ab indigno Conjugio filium avocare, & filius non obtemperando graviter delinquit, sed tenentur itidem Parentes filio congruum providere Conjugium. ergo si tunc filius Parentibus refragatur, gravi crimine reus erit. Et sane in bonum filiorum censetur Parentum bonum, sicut illorum malum horum infortunium judicatur.

RESP. Parentes vi sui muneris tenentur filios dirigere, tum a malo avocando, tum dirigendo ad bonum; Patres namque filiis thesaurizant. Ceterum æqualis non adinvenitur ratio, ut censeatur in filiis obligatio ad sequendam Parentum directionem. Malum quodlibet lædit; propterea quovis tempore fugiendum. Sed non tenemur quodcunque bonum amplecti, nec cujuslibet boni omissio in crimine est; ex duobus namque bonis potest absque noxa, prætermisso uno, aliud eligi. Quare filius indignam ducere non debet, atque hac super re Patri adhærere tenetur; sed non semper quam dignam offert Pater, adoptare debet, sed ei liberum est aliam, quæ indigna non sit, sibi eligere; quo pacto, si filio volenti se Deo sacrare Pater unum Monasticæ vitæ statum proponeret, hoc prætermissu, posset alium filius absque Parentis injuria amplecti.

Omne malum fugiendum, sed non omne bonum amplectendum.

58 OBJIC. VII. Ea doctrina D. Thomæ a Theologis adoptata, filius in his, quæ ad naturam corporis spectant, ut generatio, & sustentatio, liberi juris est, & Patri æqualis: sed quamvis filius non peccet sibi providendo sustentationem, invito, & negante Patre alimenta, delinquit tamen, si determinatam, atque a Patre oblatam rennit sustentationem, ut ad placitum contra ejusdem voluntatem alterius conditionis exquirat; ergo licèt filius nubendo non peccet, quando Pater Nuptias denegat, respuens tamen, quas Pater offert, dubio procul peccabit.

RESP. Si Pater filiorum ope non indiget, poterit filius absque Patris injuria extra Parentum domum sustentationem sibi acquirere. Ceterum Conjugium inter & sustentationem latum intercedit discrimen. Quamvis Pater filium alere teneatur, nihilotamen minus Dominus est bonorum, quibus filium sustentat; & ideo liberum est ei hæc, vel illa bona distribuere. Insuper alimenta non consistunt in re indivisibili, atque perpetua. Secus accidit in Conjugio, quod perpetuam importat adhæsionem, atque individuam vitæ societatem mutuo amore conglutinatam. Filius itaque fortius habet jus circa Conjugium, quàm circa sustentationem.

Discrimen inter Conjugium, & sustentationem.

59 OBJIC. VIII. Ubi Parentes in statu impubertatis filium alicui determinatæ personæ in Sponsum promittunt, pubertatem nactus tenetur ille stare promissis, ex Cap. *Tua Fraternitas. De Desp. Impuberum*, ubi Hormisdas habet -- Et postquam filius per-
„ venerit ad perfectam ætatem, omnino de-
„ bet hoc adimplere -- Sed eadem urget ratio pro statu pubertatis: nam etiam tunc temporis sub patria vivit potestate, ratione cujus voluntas Patris censetur filii voluntas; ergo.

RESP. Nequaquam filius, vi paternæ promissionis, tenetur stare Sponsalibus a Patre initis: sicut nec ingredi Religionem, ex quo Parentes ipsum Deo voverint; cum hæc libertati, quæ a jure naturali, & divino, ipsi competit quoad electionem status, repugnent. Illæ itaque promissiones Parentum tacitam involvunt conditionem, si filii ratum habuerint, libereque acceptaverint. In hoc sensu a Glossa, & a Doctoribus explicatur laudatus Hormisdæ Canon. Diximus non teneri vi promissionis; si enim aliunde gravia timerentur mala, vel maxima bona familiæ obventura essent, filius fortè peccaret a paternis resiliendo promissionibus.

Parentum promissiones filiis conditionem involvunt.

60 OBJIC. IX. Ab æquitate alienum videtur teneri Parentes, ipsis invitis, grave subire onus nuptos alendi filios, atque filiabus dotem tradendi, & posse filios sine Parentum placito nubere: sed Parentes ex communiori Sententia tenentur filias dotare, filiisque alimenta præstare; ergo filii absque gravi crimine nubere nequeunt, nisi accedente Parentum consensu, ut ex mutuo onere æquitas medium teneat.

RESP. Parentes absque dubio filias non indigne nubentes contra eorum voluntatem, dotem solvant, oportet, sicut & alimenta filiis similiter nubentibus. Absolute enim nullam irrogant ipsis injuriam, nec possunt rationabiliter esse inviti quoad substantiam Conjugii; cum ut supponimus, æqualitatem generis, & hujusmodi servent. Solummodo quoad accidentalia eorum Nuptiis opponuntur; hæc tamen oppositio non sufficit ad absolvendos Parentes ab obligatione numerandi dotem, atque præstandi alimenta. Fortè a solutione dotis liberi evaderent Parentes, si filia ex bonis adventitiis illam haberet. Verùm circa hoc oriri posset dubium, quando indecore filia nubat; quo casu nonnulli Doctores contendunt, Patrem haud cogi posse ad solutionem dotis, sed solummodo ad alimenta, quæ juxta naturæ leges filiis etiam ingratis debentur. Sed est & alia Sententia; quia denegatio Dotis gravissime lædit libertatem, & protestatio illam denegandi gravissimæ coactioni, gravissimisque minis æquipollet, quæ jure Ecclesiastico prorsus execrantur.

Dos filiabus exsolvenda.

61 OBJIC. X. Nequit a gravi crimine excusari, quod leges justæ gravissime puniunt: sed leges Cæsareæ, Castellæ, Galliæ, & Portugalliæ, puniunt exhæredatione filios, invitis Parentibus, nubentes; ergo gravissimum debet esse peccatum.

RESP. Hujusmodi instantia, opinantium diversitate, obscurior evasit. Ut igitur clarescat.

Leges Cæsareæ de filiis nubentibus, invitis Parentibus.

Dicendum est I. Jure communi Cæsareo nequeunt Parentes filios ipsis invitis nubentes exhæredare præcise ex quo unam potius, quàm aliam sibi Uxorem assumant; similiter de filiabus dicendum est. Nullibi enim in Jure hoc cautum est; nec tale Matrimonium una est ex quatuordecim causis, nec ex gravioribus enumeratis in Glossa Cap. *Quintavallis. De jurejurando* ex Auth. *Ut cum de Appellat. cognoscitur* §. *Aliud quoque*, & tradit Navarrus *cap.* 4. *num.* 15., sicut & Clarus §. *Testamentum q.* 41. &c. Et meritò

sane;

ſane ; cum filii quoad ſtatus electionem Parentibus nequaquam ſubdantur.

Dicendum II. Filiæ nubentes poſt 25. annos, & filii poſt 30. etiamſi cum dedecore familiæ, exhæredari non poſſunt, Auth. *Sed ſi poſt . C. de inoffic inſ. Teſtament.* — Sed „ ſi poſt 25. annos , te differente filiam Marito copulare , & in ſuum corpus peccaverit , vel ſine conſenſu tuo Marito (ſe libere tamen) copulaverit , eam exhæredare non potes — Et ratio legis optima eſt ; quia Pater in procurandis ejuſdem Nuptiis negligens præſumitur .

Dicendum III. Si filius ante prædictam ætatem turpiter nupſerit , exhæredari valet l. *Non tantùm . §. Si emancipatus 2. de Bonorum poſſeſſione* — Nam etſi tam ignominioſam duxerit uxorem filius , vel dedecore ſit tam ipſi , quàm Patri mulierem talem habere . . . poſſit Avus ſuo jure uti , „ eumque exhæredare — Si filia ante 25. annum , volentibus Parentibus eam nuptui tradere, congruenterque dotare , non conſenſerit , ſed luxurioſam vitam elegerit , exhæredari valet : itidem ſi mancipio nupſerit ; ut colligitur ex prææallegata Authentica *Sed ſi poſt*. Poſſunt namque ſeculi Principes in crimina ex Matrimonio orta animadvertere .

An obligent Leges Cæſareæ, & particularium Regnorum de exhæredatione Filiorum.

62 Hinc difficultas eſt , an hujuſmodi leges ſive Cæſarei Juris , ſive particularium Regnorum obligent . Sunt , qui velint , has leges accenſendas eſſe inter injuſtas , vel eſſe revocatas , aut Jure Canonico correctas ; ſive quia libertati Nuptiarum a divina , & naturali lege conceſſæ adverſantur ; ſive quia juris eſt Eccleſiæ leges condere circa Matrimonia; ex Trident. *Seſſ. 24. Can. 12.*

Volunt alii , non eſſe abrogatas , nec Injuſtas. Siquidem Parentes tantummodo jure naturæ tenentur filiis alimenta præſtare ; ſecus hæreditatem ; l. *fin C. De Codicil.* & alibi . Aliàs Parentes ſuorum bonorum plenam habent poteſtatem : ſicut liberi ſunt , & Domini ipſi filii ad decenter nubendum ; adeoque in pœnam erogatæ injuriæ poſſunt hæreditate privari , ſicut abſque Patris injuria poſſunt filii decore nubere . Quibus addas velim , exhæredationis pœnam nimiam filiorum audaciam compeſcere : nihil melius excogitari poſſe ad criminis ultionem ;& leges hujuſmodi inſtitutas eſſe in favorem Matrimonii , ne indigne contrahatur . Unde ad primam Adverſantium rationem reponunt iſti , Eccleſiam libertatem , quæ in peccatum tendit , nequaquam patrocinari ; etenim peccatum dicit defectum veræ libertatis . Ad ſecundam , affirmant , Magiſtratum leges ferre poſſe circa Matrimonium , ut eſt civilis contractus ; ſecus ut Sacramentum , de quo Tridentinum .

Poſſet tamen quis dicere , e Regia poteſtate fore leges municipales condere circa Matrimonia , invitis Parentibus , celebrata , ſi Epiſcopi , & Eccleſia , annuant, dummodo gravia occurrant momenta, vel ea inconvenientibus, vel ea publico Regni bono ; quare ſi in aliquo Regno pleraque Conjugia filiorum contra Parentum voluntatem inita communi felicitati adverſentur , quatenus ipſimet Parentes contemnantur , deſerantur , eorumque bona diſſipentur , ſi filii evadant effrænes , nimiumque molles , pigri , artes diſcere negligent , & hujuſmodi , poterunt Principes præſcribere, ut Conjugia a filiis non celebrentur ſine Parentum conſenſu , atque in eos animadvertere pœnâ denegationis dotis , atque exhæredatione . Hinc juſtæ cenſeri poterunt leges Henrici II. , Henrici III. , & Ludovici XIII. pro Galliarum Regno , quibus tum filii , inſciis Parentibus , nubentes , tum nepotes , in perpetuum ab omni hæreditate , juribuſque omnibus , & commodis vi matrimonialis contractus , teſtamentorum , iiſdem obvenientibus repelluntur .

Quare In Galliarum Regno Parochi aſſiſtere nequeunt Nuptiis filiorum minorum 30. annis , & filiarum non expletis 25. , ſi contrahere velint, invitis Parentibus, ſed conſenſum exigere debent ſcriptis commendatum; ſi verò Parentibus caruerint , exquiritur Tutorum , & Curatorum conſenſus . Abſolutâ autem prædictâ ætate , non eſt expectandus eorum conſenſus , ſed ſcripto conſtare debet fuiſſe rogatos ; itidem a Matre , quæ ad ſecundas Nuptias convolavit , rogandum , non expectandum ejuſdem placitum . Sic in laudatorum Regum Conſtitutionibus . His non obſtantibus Gallicani Doctores Epiſcopis , & Parochis ſuaſores ſunt , ut contendant filios reconciliare Parentibus , neve ſecundùm Juris rigorem agant ; pro quo mire deſervire poteſt Epiſt. 83. S. Ambroſii ad Siſinium .

Incertum an leges Principum circa matrimonia obligent in conſcientia.

63 Verùm an hujuſmodi leges pro conſcientiæ Foro obligent , diſſidium eſt . Durum quippe valde eſt, filiorum libertatem ſub æterni cruciatus pœnâ vincere , eo potiſſimùm tempore, quo concupiſcentia fervet , & familiari mulierum converſatione incaleſcit ; adeoque incontinentiæ periculum urget , ob quod docet Apoſtolus meliùs eſſe nubere , quàm uri ; aliàs non tarò Parentes ſtudioſe Nuptias differunt, & ne filii id ægre ferant , laxant habenas , nec eorundem pravos animi motus compeſcunt , unde in præceps ruunt . In aperto eſt doctrina S. Auguſtini *lib. 1. de Adult. Conjugiis* Connubium inſtitutum eſſe ad ſedandam concupiſcentiam ; propterea plurimos laudabiliter nubere , qui aliàs non poſſent fortè laudabiliter vivere . Proindeque periculoſum valde eſt , quod in conſcientia filius Nuptiis aptus teneatur ad votum Parentum nubere ex civili lege adſtrictus; cum Paulus inclamet : *Si non ſe continet , nubat .* Non dicit , ſi non ſe continet , petat a Patre Nuptias ; ſed abſolute , nubat . Et potiſſimùm poſt Tridentinum , ubi , cum Oratores Galli petiiſſent , ut hujuſmodi Conjugia irrita declararentur , noluere Patres nec ætatem 18., vel 20. annorum determinare , nec neceſſitatem beneplaciti , & conſenſus Parentum ; ut refert Pallavicinus *lib. 22. cap. 1.*

Equidem ſcio , nonnulla Concilia Inceſtuoſis , ſpem nuptiarum abſtuliſſe ; & tamen nemo unus dicet , id injuſte ſancitum ob continentiæ periculum . Notum quippe erat , Deum , qui fidelis eſt , & non ſinit tentare ſupra id , quod poſſumus , poſtulantibus nuſquam denegare Gratiam continendi . Sed talia Decreta , nec univerſalia fuerunt , nec multum temporis perdurarunt , immo certum

ſolum-

solummodo Personarum genus obstrinaere. Dubitari itidem posset, num ad Forum conscientiæ catenderentur; cum ad cateriorem spectarent disciplinam, nec omnia ab Apostolica Sede approbata fuisseut. Hæc innuimus; ceterum unusquisque abundat in sensu suo; ideoque in Tridentino tot fuere opinionum, & opinantium concertationes circa filiorum Conjugia.

64 OBJIC. XI. Nequit a gravi crimine immune censeri, quod Ecclesia semper caecrata fuit, prohibuitque: sed ea Tridentino *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* Conjugia filiorum, invitis Parentibus, quamvis rata -- nihilominus Sancta Ecclesia Dei ex „ justissimis causis illa semper detestata est, „ atque prohibuit -- ergo.

RESP. Ea conteatu palam fit, Concilium sermonem habere de Conjugiis clandestinis, quæ irritavit, & ad valide contrahendum, Parochi, & duorum Testium præsentiam necessariam decernit. Filiorum Conjugia absque Parentum consensu non sunt clandestina; possunt namque coram Parochu, & Testibus celebrari; adeoque a Tridentino perperàm caecrata dicuntur.

65 OBJIC. XII. Ea communi effato exceptio firmat regulam in contrarium; sed in Tridentino *Sess. 24. cap. 9. de Reformat. Matrim.* solis Dominis temporalibus, & Magistraibus, veritum est Subditos ad Nuptias cogere -- Præcipit Sancta Synodus sub ana„ thematis pœna, quam ipso facto incur„ rant, ne quovis modo directe, vel indi„ recte, Subditos suos, vel quoscumque „ alios cogant, quominus libere Matrimonia „ contrahant -- ergo Concilium supponit, & vult, Parentes cogere posse filios; propterea filii sub gravi obtemperare debebunt.

Seculares cogentes subditos ad nuptias, excommunicantur.

RESP. Illud Concilii Decretum non est relativum, sed positivum, spectans præcise ad temporales Potestates; adeoque nec supponit, nec Parentibus potestatem facit cogendi filios ad Nuptias. De Parentibus namque egit in prioribus capitibus. Solùm juvat inferre, Parentes cogentes filios ad Noptias non innodari majori excommunicatione, sicut innodantur cogentes Subditos.

66 OBJIC. XIII. Servata personarum notione, ita se habet filius sub patria potestate constitutus, ac Servus sub dominio Heri, sed iste absque gravi noxa, Domino non annuente, nequit Matrimonium inire: cum sui dominium jam alteri traditum, Uxori dare nequeat; ergo neque filius. Fortiùs urget argumentum in filia, quæ ex toto a patria extrahitur potestate, subditurque Viro, Propter hanc rationem ultrò ab omnibus conceditur, Servum absque Domini consensu nequaquam posse Sacris Ordinibus inaugurari, aut Religiosam Professionem emittere; quia ad opera adstringeretur, ad quæ Dominus jus habet, & potestatem.

RESP. Quidquid dicatur de Matrimoniis Servorum ad Seculum usque duodecimum, dubio-procul impræsentiarum validum est, & licitum, ut colligitur ea Cap. 1. *De Conjugio Servorum* -- Sane juxta verbum Apo„ stoli, sicut in Christo Jesu neque liber, „ neque Servus, a Sacramentis Ecclesiæ remo„ vendus est; Ita nec inter Servos Matri„ monia debent ullatenus prohiberi. Et si „ contradicentibus Dominis, & invitis, con„ tracta fuerint, nulla ratione sunt propter „ hoc dissolvenda -- Et ratio est, quia Servus non subditur Domino in his, quæ sunt de jure naturæ: sed juxta naturæ appetitum est Matrimonium in ordine ad conservationem speciei, sicut cibi sumptio in ordine ad individui conservationem; ergo sicut Servus non subditur Domino, quin libere possit comedere, prout necesse est ad corporis sustentationem, ita non subditur quantùm ad contrahendum Matrimonium. Unde Doctores volunt, Dominum graviter peccare, si impediat Servi Conjugium, si supplicio afficiat ob initum Matrimonium, si aliò mittat, ita ut ab uxore sejungi debeat, si thori cohabitationem, rectamque prolis institutionem impediat.

Servus libere matrimonium valet contrahere.

Itaque, ut ait S. Thomas *in Suppl. quæst. 52. art. 2. ad* 1. -- Servus est res Domini, „ quantùm ad ea, quæ naturalibus superad„ duntur, sed quantùm ad naturalia omnes „ sunt pares. Unde in his, quæ ad actus „ naturales pertinent, Servus potest alteri, „ invito Domino, sui corporis potestatem „ per Matrimonium præbere --

Illud, quod de filia additur, probat ultra quàm par est. Nequiret enim Religionem intrare; cum per ingressum subtrahatur a patria potestate, & alteri plene subdatur. Latum igitur intercedit discrimen Servum inter, & filiam. Servus actiones suas ex justitia, absolute, simpliciter, & in perpetuum obligatas habet Domino; ideoque alteri se tradere nequit, nec ipsi Deo Sacros Ordines suscipiendo, vel Religionem ingrediendo, nisi consentiente Domino. Filia verò non est absolute, & in perpetuum sub patria potestate, sed quandiu statum non elegit: & electio status est ei libera; unde cum a dicta potestate se extrahat per id, qood ei liberum est, nullam irrogat Parentibus injuriam.

Servus in quo æ quiparatur Domino.

67 OBJIC. XIV. Patres perpensi sunt in execrandis Conjugiis, inconsultis Parentibus, celebratis, ut in superiori Controversia *num. 45. Objecl. VIII.* vidimus ex Tertulliano, Ambrosio, Evaristo, sicut ex PP. Concilii Aurelianensis IV., & Coloniensis celebrati an. 1536.; ergo.

Laudatis Patribus addes Leonem *Epist. ad Rusticum Narbonensem* ubi -- Paterno ar„ bitrio viris junctæ carent culpâ -- ergo eâ non carent sine illo junctæ. Pelagius Cap. *Patrem* 32. q. 3. habet -- Et ideo Avi ma„ gis electionem de conjunctione neptis, „ quàm Patris ejus (quia Pater erat Servus, „ secus Avus) cujus nullo modo liberum „ potest esse arbitrium, decernimus atten„ di -- Alexander II. *in 3. parte Decreti Ivonis Carnotensis cap.* 17. Virum probat reum esse perjurii propter promissionem factam ducendæ concubinæ, & consanguineæ, quia -- Quod observare legaliter non potuit sine „ judicio Parentum, vel Judicum, temere „ jurare præsumpsit -- Concilium Parisiense celebratum an. 557. *Cap.* 6. prohibet sub anathemate, etiam beneficio Regis petere puellas contra Parentum voluntatem. Turonense II.

habi-

habitum an. 567. *Can.* 20. non admittit quarundam puellarum Deo Sacratarum, & Viduarum excusationem, quæ post mutatam vestem nubebant; id fecisse asserentes — ne „ eas inferiores personas macularent — non admittit, inquam; quia leges statuerunt — „ Ut nullus ullam puellam absque Parentum „ voluntate trahere, aut accipere præsumat; „ quæcunque ergo timet violentiam . . . re„ fugiat ad Ecclesiam —

RESP. Argumentum evincit, filios, & potiori jure filias, delinquere contra debitum honestatis, & convenientiæ, invitis Parentibus, nubendo; nec aliud probant relata testimonia. Admittimus tamen, ut sub Controversiæ initio adnotavimus *num.* 47., ex circumstantiis contingere posse, ut graviter peccent . . .

Laudabiles nuptiæ consultis parentibus celebratæ.

Sequentia pariter momenta in idem redeunt. Nuptiæ siquidem ad votum Parentum celebratæ carent veniali culpa ex violato honestatis debito; secus illæ, quæ, ipsis inconsultis, habentur. Pelagius Avi consensum expectandum præscribit ex honestate, non verò ex absoluta necessitate. Alexander & jure & meritò filium criminatur; quia imprudenter, nullo exquisito judicio, circa vinculum consanguinitatis, & dedecus ducendi concubinam juraverat. Parisiense duo vetat: rapere filiam contra Parentum voluntatem: & eam exposcere beneficio Regis. Nec abs re hæc duo vetat. Nam ex primo irrogatur Parentibus injuria; ex secundo habetur vis, & coactio, quoniam Principis voluntas coactioni æquiparatur. Reliqua municipales Gallici Regni Constitutiones innuunt.

68 Regula igitur in Conjugiis filiorum, invitis Parentibus, quoad peccatum, attendenda est ex causa. Si causa sit contra aliquod præceptum, vel præcepti violationem involvat; tunc peccabunt filii, & cogi possunt ad determinatas Nuptias; ut si Virgo fuerit deflorata, si ex tali Conjugio rixæ, dissidia, & hujusmodi tollantur, si ad Parentum sustentationem sint necessariæ. Ceterum noverunt prudentes sæpenumero Parentes potius propriam, quàm filiorum felicitatem, & commodum sedulò exquirere; unde etsi quandoque peccent filii, invitis Parentibus, nubentes, non rarò peccant Parentes contentiose filiorum Nuptias impediendo.

CONTROVERSIA V.

AN CONSENSUS AD CONJUGIUM REQUISITUS DEBEAT ESSENTIALITER EXTERIUS MANIFESTARI.

69 Wiclephus relatus a N. Waldensi *Tom. 2. de Matrim. cap. 132.* negat sensibilia signa necessaria ad Conjugium; ideoque *in 4. Trialogi cap. 22.* habet — Veritas qui„ dem mihi videtur, quod assistente consen„ su Conjugii, & Domino approbante, sub„ ducto quocunque signo sensibili; foret sa„ tis, ideo lex conscientiæ, & instinctus Do„ mini in bene viventibus in contractu hu„ jusmodi rectissime regularet — Cujacius in Cap. *Tuæ Fraternitati. De sponsalibus, & Matrim.* idem sentit. Quidam ex Catholicis necessariam volunt exteriorem consensus manifestationem, non quidem essentialiter, sed per modum conditionis.

DICENDUM tamen, consensum ad Conjugium requisitum debere essentialiter exterius manifestari.

70 PROB. I. Eugenius IV. *in Instruct. Armenorum* habet — Septimum est Sacramen„ tum Matrimonii . . . causa efficiens Matri„ monii regulariter est mutuus consensus per „ verba de præsenti expressus — Adverbium illud *Regulariter*, ut *in hac Disp. Contr. I. num.* 9. explicatum est, appellat supra mutos, & surdos, in quibus nutus, & signa, pro verbis usurpantur.

Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de Refor. Matrim.* — Parochus, Viro; & Muliere in„ terrogatis, & eorum mutuo consensu in„ tellecto, dicat &c. — Si intelligi debet consensus, dubio-procul debet esse sensibilis.

Alexander III. Salernitano Archiepiscopo in Cap. *Licet. De Sponsal. duorum* — Si inter „ Virum, & Mulierem legitimus consensus „ interveniat de præsenti, ita quidem quod „ unus alterum in suo mutuo consensu, ver„ bis consuetis, expresse recipiat, utroque „ dicente: Ego &c. —

Innocentius III. Arelatensi Archiepiscopo Cap. *Cum apud. De Sponsal.* agens de mutis, & surdis — Videtur, quod si talis velit „ contrahere, sibi, non possit, vel debeat de„ negari, cum quod verbis non potest, signis „ valeat declarare —

Conjugium est contractus.

71 PROB. II. Conjugium institutum est per modum humani contractus humano modo exercendi: sed humanus contractus essentialiter expostulat, ut aliquo sensibili signo compleatur: omnis enim conventio in humanis signis, aut verbis, exprimitur; ergo. Argumentum desumitur ex D. Thoma *in Suppl. quæst.* 45. *art.* 2. — In matrimonio „ fit contractus inter virum, & mulierem; „ sed in quolibet contractu oportet esse ex„ pressionem verborum, quibus se invicem „ homines obligent: ergo & in matrimonio „ oportet esse consensum per verba expres„ sum —.

Nemo alteri obligatur, nisi exprimat.

72 PROB. III. Contractus conjugalis importat obligationem unius ad alium: 1. ad Corinth. 7. vers. 3. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro*; sed nullus se alteri obligat, nisi sensibiliter id manifestet: Proverb. 6. vers. 2. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus*; ergo manifestatio exterior est essentialis.

Conjugium transfert dominium.

73 PROB. IV. Per Matrimonium fit translatio dominii unius personæ in aliam: 1. ad Corinth. 7. vers. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; sed translatio dominii rei exterioris nequit fieri per actum solummodo internum: 1. Reg. 16. vers. 7. *Homo enim videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor*; ergo interior voluntas sensibiliter manifestari debet. Hanc rationem habet Catechismus Romanus in præsenti *num.* 6. — Cum itaque Conjugii

„ obligatio nuda promissio non sit, sed ejusmodi abalienatio, qua reipsa vir mulieri, „ & vicissim mulier viro corporis sui potestatem tradit; idcirco necesse est verbis, „ quæ præsens tempus designant, Matrimonium contrahi --

Ex mutua traditione habetur vinculum conjugale.

74 PROB. V. Conjugale vinculum specialiter consurgit ex mutua traditione unius ad alterum, atque ex mutua acceptatione: sed mutua intelligi nequit acceptatio, nisi mutua manifestatio habeatur, quæ sane solis animi motibus, qui occulti sunt, fieri nequaquam potest; ergo.

Matrimonium est Sacramentum sensibile.

75 PROB. VI. Omne novæ legis Sacramentum essentialiter consistit in aliquo sensibili; sed hujusmodi est Christianorum Conjugium; ergo essentialiter in aliquo sensibili consistere debet; ergo solis actibus internis constare non potest. Quod dicebat S. Thomas laudato loco -- Matrimonium est „ Sacramentum quoddam; sed in omni Sacramento requiritur aliquod sensibile signum; ergo & in matrimonio. Et ita „ oportet esse consensum per verba expressum --

OPPOSITA REFELLUNTUR ARGUMENTA.

76 OBJIC. I. Consensus solitarius est consensus simpliciter internus: sed Jura pro essentia Conjugii solùm consensum exquirunt; ut Cap *Tuas. De Sponsal. duorum* -- Ut postquam inter legitimas perso„ nas consensus legitimus intervenerit de „ præsenti, qui sufficit in talibus juxta Ca„ nonicas Sanctiones, & si solus defuerit &c. -- Cap. *Cum locum. De Sponsalibus* -- Matri„ monium autem solo consensu contrahitur -- & *Cap. Sufficiat 27. q. 2.* -- Sufficiat secun„ dùm leges solus eorum consensus, de quo„ rum conjunctionibus agitur --

Legitimus consensus debet innotescere.

RESP. Terminus ille *solus* non excludit consensum exteriùs manifestatum, sed explicat, alium non requiri consensum a contrahentibus distinctum, ut excludatur eorum Sententia, qui volebant necessarium Parentum consensum ad validum Conjugium, aut copulam, ut Matrimonium vere contractum diceretur. Ceterum eo ipso, quod Jura dicant, consensum requisitum debere esse legitimum, plane fit debere manifestari; non enim legitimus censeri potest, nisi contrahentibus innotescat.

77 OBJIC. II. Conjugium spectat ad lineam contractus promissivi: sed in humanis valida est promissio, & donatio pure mentalis; unde si Petrus v. g. librum interiùs donet Paolo, hic non est fur, si illum accipiat; ergo.

RESP. Inter homines non datur promissio, & donatio per actum pure internum; siquidem ut vera habeatur, necessaria est acceptatio. Unde Paulus librum accipiens, nesciens Petri voluntatem, esset formaliter fur, sed non materialiter; quoniam Dominus in re non esset invitus. Ceterum ut ait Catechismus supralaudatus *num. 5.* -- Neque „ enim Matrimonium est simplex donatio, „ sed mutua pactio; atque ita fit, ut con„ sensus alterius tantùm, ad Matrimonium „ conjungendum satis esse non possit, sed „ duorum inter se mutuum esse oporteat; „ atqui ad declarandum mutuum animi con„ sensum verbis opus esse perspicuum est --

Pactio absque manifestatione non instituitur.

78 OBJIC. III. Illud non est essentiale, sine quo res subsistere valet: sed sine exteriori manifestatione consensus adhuc Conjugium subsisteret; ergo: Si Deus unius consensum alteri revelaret, & alter illum acceptaret, subsisteret Conjugium: etenim manifestatio non est necessaria, nisi ut alter acceptare possit. Hoc intendebat Innocentius III. Cap. *Tua Fraternitati, de Sponſ.* -- Matrimo„ nium in veritate contrahitur per legiti„ mum viri, & mulieris consensum; sed „ necessaria sunt quantùm ad Ecclesiam ver„ ba consensum exprimentia de præsenti --

Manifestatio qua necessaria?

RESP. Non quæcunque manifestatio consensus sat est ad Matrimonium; sed quæ propria sit humani contractus, & Sacramenti novæ legis. Hæc porro est modo humano sensibilis. Manifestatio non solùm est necessaria, ut interior innotescat consensus, sed insimul est pars; sicut in Confessione Sacramentali similiter videre est, quæ essentialis partis verum rationem sortitur, etsi ordinetur ad internæ compunctionis manifestationem. Caput *Tua Fraternitati* nobis patrocinatur; cum ibi Pontifex exposcat consensum exteriùs manifestatum, sed indeterminate, nempe aut per verba, aut per nutus, ita ut hi, qui loqui possunt, verbis internum consensum declarare debeant, ne inde lites habeantur, quæ ex signis alioquin æquivocis oriri possunt. Verùm de mutis aliter loquendum est -- Nam surdi, & muti, *inquit*, pos„ sunt contrahere, si aliis signis exprimant „ suos consensus -- Sunt igitur necessaria verba quoad Ecclesiam; cum faciliùs in Foro externo probetur, quod verbis fuit declaratum.

79 OBJIC. IV. Mutorum Conjugia inter Fideles celebrata veram Sacramenti rationem habent: non essent porro Sacramenta, si interior consensus non sufficeret. Nutus siquidem non valent Sacramentum perficere, dicente Eugenio superiùs laudato, tribus Sacramenta constare, rebus scilicet, verbis, & Ministro. Hinc nec Baptismus, nec Pœnitentia absque verbis perficiuntur. Itaque singulare est, absque exteriori signo Conjugium subsistere; cum etiam pro his, qui loqui nequeunt, fuerit institutum.

Conjugium Fidelium mutorum verum est Sacramentum.

RESP. Soto *in 4. Dist. 26. q. unic. §. Sed hic est dubium*, & Melchior Canus *lib. 8. de locis cap. 5. ad 3.* asserunt, Mutorum Conjugia non fore Sacramenta; immeritò tamen. Quia Conjugium inter Fideles rite celebratum, ex definitione Tridentini verum est Sacramentum. Cumque inter mutos verus matrimonialis contractus habeatur, hinc accenseri debet inter Sacramenta; Christus namque conjugalem contractum ad esse Sacramenti elevavit. Porro contractus quilibet nutibus, aliisque signis, internum consensum declarantibus, perfici valet; hinc Eugenius referens naturam Sacramenti Matrimonii perfici verbis, addidit *regulariter*, ut in-

nueret

nuerer, non esse expungendum e Sacramentorum albo, cum per solos nutus exprimitur consensus.

Nutus æquiparatur verbis.

Momenta a Soto, & Cano in Objectione producta non urgent. Siquidem in humanis, nutus verbis æquipatantur, quoad contractus civiles; ut in aperto est. In Baptismo, & Pœnitentia, determinata est forma a Christo per verba; & ista sunt essentialiter requisita. Secus accidit in Conjugio; cum in hoc id unice requiratur, quod civilem contractum perficere potest; porro ad civilem contractum perinde sunt verba, ac nutus.

Quinimmo plerique Doctores propugnant, validum esse Conjugium si signis, aut nutibus exprimatur, quamvis contrahentes loqui valeant. Christus siquidem, quando Conjugium in Sacramentum clevavit, non immutavit naturam contractus; porro cum contractus quilibet per consensum exteriùs expressum sive verbis, sive signis, sive nutibus perficiatur, plane fit etiam in potentibus loqui valere Conjugium in esse Sacramenti; unde ante Tridentinum Sponsalia per solam thori cohabitationem transibant in Conjugium.

80 DICES, S. Thomas *in Suppl. quæst. 45. art. 2.* asserit, verba in Conjugio fore necessaria, sicut ablutio in Baptismo; hæc ablutio dubio-procul necessariò requiritur in Baptismo; ergo etiam in Conjugio necessariò requiruntur verba.

RESP. Nomine verborum intelliguntur signa quælibet sensibilia; quia cum Matrimonium sit Sacramentum, debet per aliquod sensibile signum perfici, sicut in Baptismo necessaria est externa sensibilis ablutio.

81 OBJIC. V. Si non sufficeret consensus pure internus, nullum foret Conjugium initum a puella omnino tacente: sed ex D. Th. *loco supra cit. ad 3.* validum censeri debet; ergo. Aliàs ex Cap. unico *§. Fin. de Sponsal. Impub.* in 6. habetur, sufficere Parentum consensum ad Matrimonium puellæ, etsi ipsa prorsus sileat; & tamen consensus Parentum non est essentialis in Conjugiis filiorum; ergo consensus pure internus contrahentium sufficiet ad Matrimonium perficiendum.

Silentium verbis æquivalet ex circumstantiis.

RESP. Ubi Lex, vel Doctores, volunt, sufficere taciturnitatem ad contrahendum Conjugium, de exteriori loquuntur taciturnitate, quæ ex circumstantiis æquiparatur locutioni. Hinc dixit *ibidem* S. Thomas -- „ Sic oportet consentire, ut invicem se „ spontanee recipiant: quod judicatur fieri, „ si in desponsatione non contradicant; unde „ verba Parentum computantur in casu illo, „ ac si essent puellæ; sunt enim sufficiens „ signum, quod sunt ejus, ex quo non contradicit -- Et hic est casus, ubi verificatur Regula Juris: *Qui tacet, consentire videtur*; præsumit namque Jus silentium illud ex verecundia oriri. Ceterum Parochi hujusmodi Conjugia nullatenus permittere debent; cum sint valde æquivoca, & lites inde maximæ oriri possunt.

82 OBJIC. VI. Eodem modo loquendum est de Matrimonio, ac de voto, cum utrumque obligationem involvat: sed consensus interior sat est ad votum; ergo similiter ad Matrimonium.

Discrimen votum inter, & matrimonium.

RESP. Latum intercedit discrimen votum inter, & Matrimonium. Matrimonium habet naturam contractus; idcirco Jura exigunt, ut Contrahentium voluntates exprimantur, ne humana perturbetur societas. Audiatur S. Thomas *ubi supra ad 1.* -- Di„ cendum, quod in voto non est aliqua Sa„ cramentalis obligatio, sed spiritualis tan„ tùm; & ideo non oportet, quod fiat ad „ modum materialium contractuum ad hoc „ quod obliget, sicut est de Matrimonio --

CONTROVERSIA VI.

AN EXTERIOR CONSENSUS SINE ANIMO INTERIORI SUFFICIAT AD VALOREM CONJUGII IN ESSE CONTRACTUS.

83 HÆreticos dedimus *Tomo III. Tract. I. De Sacramentis in Genere Disp. VI. Contr. VI.*, immo & Catholicos, qui, diversimode licèt, propugnant, in Ministro Sacramentorum non fore necessariam intentionem ad conficiendum Sacramentum; ibique adversùs prædictos valide probata est absoluta intentionis necessitas. Quæ ibidem retulimus mire impræsentiarum deservire possunt; placet tamen alia subdere momenta, ut fiat satis Objectis a viris Catholicis, qui non solùm *in eod. Tract. de Sacramentis in Genere*, sed etiam speciatim *de Matrimonio* eandem versant doctrinam. Hos inter est Juenius *Differt. 10. de Matrimonio quæst. 2. art. 2. Concl. 2.*

DICENDUM itaque, exteriorem consensum sine animo interiori nequaquam sufficere ad valorem Conjugii in esse contractus.

Conjugium mutuū amorem exigit.

84 PROB. I. Vera corporum, animorumque conjunctio non subsistit cum solo externo consensu, fictiò licèt exhibito, sine interiori animo: dissensus siquidem cordis disjungit animos; atqui Conjugium hanc veram corporum, animorumque conjunctionem importat: Gen. 2. vers. 24. *Relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ*, quibus declaratur, Conjugium fore vinculum mutui, perfectique amoris, Parentum amorem vincentis; ergo.

Conjugium unionē significat Christi, & Ecclesiæ.

85 PROB. II Conjugium, etiam ut in officium naturæ consideratum, analogatur, & assumptum est ad unionem Christi, & Ecclesiæ significandam, *ad Ephes. 5.*: sed physica Christi unio, media Incarnatione, non est apparens, & ficta, sed vera, & realis: & unio moralis non est solummodo exterior per externorum donorum communicationem, sed potissimùm Interior, media charitate; ergo oportet, unionem constitutivam Conjugii esse veram; sed ejusmodi non est, si non adsit interior voluntas contrahendi; ergo.

Translatio dominii supponit liberum consensum.

86 PROB. III. Consensus, per quem transfertur dominium rei maximæ æstimationis, maximeque propriæ, ad liberum alterius usum, debet esse magis liber, & vo-

luntarius, quàm consensus translativus dominii rei communis, & extrinsecæ; quoniam quæ primi generis sunt, majoris sunt momenti, majorisque ponderis. Sed conjugalis consensus translativus est dominii proprii corporis, quod indubie res est maxime propria, intrinseca, & pretiosa: & traditur liberæ alterius voluntati; ergo interveniat necesse est consensus maxime proprius, intrinsecus, & liber, qui sane non est consensus pure exterior; ergo quamvis exterior consensus in quibusdam contractibus circa bona fortunæ versantibus posset sufficere, nusquam sufficiet pro contractu Conjugii.

87 PROB. IV. Si exterior consensus foret legitimus, atque ad Matrimonium sufficiens, qui cum una hoc modo contraxisset, si postmodum cum altera sincere, & vero animo nubendi Conjugium celebraret, teneretur absolute priori adhærere, nec delinqueret cum ea habitando; atqui cum priori cohabitare nequit, etiamsi pœnis, censurisque cogatur ab Ecclesia verum consensum præsumente, nec eam retinere potest, ut statutum legitur ab Innocentio III. Cap. *Inquisitioni. De Sent. Excommunicationis* — „ Debet potius excommunicationis Sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortaliter — non igitur per fictum consensum verum contrahitur Matrimonium.

Interaus consensus prævalet exteriori.

88 PROB. V. Exterior consensus per sola verba exprimitur, atque illis unice innititur; Conjugium tamen per sola verba non perficitur, Cap. *Tua Fraternitati, de Sponsal., & Matrim.*, ubi Innocentius III. — Postulasti, „ utrum ex solis verbis, & ex quibus, Matrimonium contrahatur. Nos igitur Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria sunt quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti. „ Nam surdi, & muti, possunt contrahere, „ si aliis signis exprimant — fictus consensus nequit legitimus nuncupari. Rursus idem Innocentius Cap. *Tua nos*, eodem tit. interrogatus, quid sentiret de duobus, quorum unus dolose se habuerat, respondit, nullum inter eos intercessisse Connubium — Quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, & defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale — Idem probat Alexander III. *in Appendice Concilii Lateran. III. p. 6. cap. 26.*

Conjugium solis verbis non perficitur.

89 PROB. VI. Ad valorem Sacramenti novæ legis requiritur intentio interior: sed Conjugium inter Christianos est verum novæ legis Sacramentum; ergo veram interiorem intentionem exigit. Hoc argumentum fuse versatur *Tomo III. Tract. I. Disp. VI. Contr. VI.* adversùs propugnantes, seriam exteriorem intentionem sufficere ad conficienda Sacramenta.

DISSOLVUNTUR OBJECTA.

90 OBJIC. I. Fraus, & dolus, nemini debent patrocinari: ut habetur ex Alexandro III. *de Cognatione spirituali*, Cap. *Si vir, vel mulier*; sed si, qui seriò per verba de præsenti absque interiori animo nuberet, non ligaretur conjugali vinculo, fraus, & dolus, ei patrocinaretur: cum in Foro externo frui posset impune amplexibus mulieris deceptæ, eamque postmodum dimittere; ergo. Sic Jueninus.

RESP. Argumentum hoc sibi objecerat S. Thomas *in suppl. quæst. 45. art. 4.*, cui responder — Ad primum ergo dicendum, „ quod ibi sunt duo; scilicet defectus consensus, qui sibi patrocinatur in Foro conscientiæ, ut non adstringatur vinculo Matrimonii, quamvis non in Foro Ecclesiæ, in quo judicatur secundùm allegata; „ & dolus verborum, & hoc non patrocinatur nec in Foro Pœnitentiæ, nec in Foro Ecclesiæ, quia in utroque pro hoc „ punitur —

Fraus nemini patrocinatur.

91 OBJIC. II. Haud censendum est male provisum Reipublicæ, immo honori, & illatæ Virginibus injuriæ per Viros Stupratores sub promissione, & per verba de præsenti. Hoc contingeret, si de facto non sufficeret exterior consensus. Nam etsi sub pœna capitis præciperetur Stupratori Virginem ducere, si internus consensus requireretur, posset ille animum non habere, hinc relicta Conjuge, in longinquas abire Regiones, aliamque ducere, & sic leges eludere, & Canones, qui excommunicationibus cum priori habitare compellunt. Ergo sufficit exterior consensus.

RESP. Leges illæ justæ censendæ sunt, dum Stupratorem cogunt deceptam ducere; cum non aliud intendant, nisi compellere ad rite nubendum; quod sane internum consensum importat. Quoniam verò humanus Legislator prævalere nequit adversùs omnem malitiam, hinc quandoque impii homines ficte contrahunt, quin dicatur male provisum Reipublicæ; non enim omnes legibus refragantur — Ecclesia, *ut ait S. Thomas loco* „ *laudato ad* 3. compellit ad standum cum „ prima Uxore; quia secundùm ea judicat, „ quæ foris apparent; nec decipitur in justitia, quamvis decipiatur in facto. Sed „ ille debet potius excommunicationem sustinere, quàm ad primam Uxorem accedat, vel debet in alias regiones remotas „ fugere —

Leges præcipiunt Stupratori legitimas Nuptias.

92 OBJIC. III. Non est adstruendus necessarius consensus, qui fere omnia Conjugia exponit incertitudini, & summo discrimini desponsatas: sed interioris consensus necessitas prædictorum est certa origo; ergo. Prob. min. Interior voluntas nisi per verba dignoscitur; ergo si verborum expressio non sufficit, neuter contrahentium posset alterius animum dignoscere; proindeque uterque incertus esset, adeoque peccaminosa foret cohabitatio. Hoc fortiùs urget in Nobilibus Conjugium cum plebeis mulieribus incunti-

bus

bus. Valida namque adest præsumptio, quod propter conditionis inæqualitatem vero nubendi animo careant.

RESP. Si ex parte unius adsit dolus, nullum revera est Conjugium; est enim contractus mutuus. Quandiu tamen non apparent signa clara, & evidentia doli, oppositum præsumendum est; omnis quippe præsumitur bonus, nisi probetur malus. Unde, hac stante regula, sufficiens pro humano convictu certitudo habetur; quapropter Pars nescia juste suo utitur jure.

Nemo præsumitur malus, nisi probetur.

In contractibus itidem inter conditione dispares sua sunt signa, & sinceræ promissionis argumenta. Equidem diligentiùs ea parte plebejæ mulieris res perpendenda est, ne decipiatur; ceterum non rarò nobiles Viri sinceriùs ad istas feruntur a fucatis dotibus nequaquam illecti. Vid. infra *num. 97.*

93 OBJIC. IV. Absurdum plane damnabile est, quod innocenter decepta mulier nec possit cum Deceptore habitare, nec ad secunda vota transire: sed stante nostra Sententia, hoc contingeret: etenim licèt Fraudator juramento fateatur dolum, mulier nec valet thoro accedere, nec in facie Ecclesiæ alteri nubere; ergo.

RESP. Ecclesia facili negotio non assentitur asserenti dolum in celebratione Conjugii, quando publice fassus est, alteram accepisse in Uxorem. Quare Innocentius III. Cap. *Per tuas, de probationibus* ait -- Nimis „ indignum est (juxta legitimas Sanctiones) „ ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio va„ leat testimonio infirmare -- Hinc nec Pars altera facilè credere debet; præsumendum enim est, nunc potius fore mendacem, quàm quod mentitus sit in facie Ecclesiæ. Interea nondum explorata rei certitudine, absque peccato jure suo uti potest. Accedentibus verò certitudinis momentis abstinere tenetur, causam deferens ad Ecclesiam, quæ, cognita fraude, alias Nuptias concedet.

Qui dolum asserit, probare tenetur.

94 OBJIC. V. A Conjugio non legitimo, illegitimi filii nascuntur: non enim arbor mala bonos fructus facere potest; atqui ex Conjugio ex parte doloso filii legitimi habentur, ut Jura clamant; ergo Conjugium legitimum sit oportet.

RESP. In favorem bonæ fidei, & Partis innoxiæ filios declarat legitimos, & efficit Jus Canonicum, quoties defectus, vel impedimentum occultum, vel uni tantùm Parti notum intercesserit; dummodo tamen in facie Ecclesiæ contractus fuerit celebratus, & filii nati sint ante præceptum a Judice divortium. Unde Ignorantia, quæ alterum ex Parentibus a peccato excusat, etiam facit filios esse legitimos.

Quando filii legitimi ex Conjugio nullo.

95 OBJIC. VI. Conjugium institutum est juxta regulas contractus civilis: sed contractus hujusmodi per solam externæ promissionis obligationem subsistit; ergo. Si civilis contractus non subsisteret per solam obligationem externæ promissionis, nulla in contractibus esset fides. Siquidem vendens, donans, &c. absque animo vendendi, & donandi, non transferret rei venditæ, vel donatæ Dominium: unde absque injustitia, reddito emptori pretio, rem venditam iterum posset sibi accipere; quod sane absurdum foret, omne humanum commercium susdeque vertens.

RESP. Sunt, qui volunt cum Pontio, & Vasquez, nonnullos humanos contractus, puta donationes, venditiones, permutationes, & hujusmodi, verum non requirere consensum, sed fictum sufficere, dummodo seria verba intercedant. Verùm horum opinio plerisque non arridet; & quidem urgente eodem principio. Modus namque sic contrahendi humano adversatur commercio, quod humano modo, idest secundùm hominis naturam, quæ rationalis est, exerceri debet; unde sicut similes contractus validi nequaquam censentur, quoties intercedit violentia, hæc quippe naturæ liberi hominis contrariatur; ita legitimi dicendi non sunt, si ficte celebrentur. Etenim contractus, & promissiones, inter privatos homines quandam privatæ legis speciem præseferunt, quæ a publicis legibus exemplanda est: hæ porro vim nullam obligandi habent, si Legislator voluntatem non habeat obligandi, sive ad pœnam, sive ad culpam; quapropter, si internus desit consensus, tales contractus non sunt humano modo initi. Nec humanum commercium periclitatur. Nam etsi ficti contractus coram Deo nulli sint, nihilominus per leges, & pœnas coguntur Deceptores stare promissis; coguntur itidem a Confessariis tum propter damna inde obvenientia, tum quia ex justitia legitime contrahere tenentur.

Humani contractus sine interno consensu nulli.

Esto tamen contractus aliqui quoad humanas rerum commutationes solo exteriori exhibito consensu subsistant, sunt alii plures versantes circa graviora, & pretiosiora, qui sine vero consensu non valent. Hos inter potissimùm est Conjugium, propter singularem ejusdem naturam, ut vidimus; sicut ob idem momentum, non valet spirituale Conjugium Religiosæ Professionis ficte celebratum.

96 OBJIC. VII. Idem sentiendum est de Matrimonio, ac de Sponsalibus: cum hæc sint via ad illud; sed Sponsalia per solam exteriorem promissionem subsistunt; ergo etiam Conjugium. Minor sequentibus probatur momentis.

I. Obligatio adimplendi promissum ab externa tantummodo promissione oritur: etenim nemo unus dicet, habentem intentionem donandi ita esse adstrictum, ac si revera donasset; sed ficte promittens habet exteriorem promissionem; ergo illam adimplere tenetur.

II. Contractus civilis obligationem involvit tam pro interno, quàm pro Foro externo: sed Forum externum ad actum solummodo externum perpendit: non enim de internis judicat; ergo ficte promittens, quamvis non obligetur interne, externe tamen servare debet promissa.

III. Si promissio, quia ficta, non involveret obligationem, jam sequeretur, quod exterior infamatio sine animo infamandi non induceret obligationem reparandi damna inde obvenientia: hoc nullimode propugnandum est; ergo.

IV. Ficte contrahens cum intentione se non obligandi, voluntatem habet promittendi,

tendi, quæ obligationem importat, adeoque admixtam involvit voluntatem se obligandi. Sicut projiciens merces in Mare nollet eas projicere, & tamen voluntarie censetur id facere, prævalente voluntate projiciendi voluntati adversæ; ita in nostro casu quamvis nollet se obligare, quia tamen promittit, ideo meritò censendum est velle subire obligationis debitum.

V. Legis naturæ mandatum est, ut alteri non feceris, quod tibi non vis fieri: sed nemo vellet Promissorem mendacem esse; ergo ficta promissio revera obligat.

RESP. Nonnulli ex his, qui contendunt, subsistere Sponsalia sub ficta promissione celebrata, renuunt tamen hoc asserere de Connubio, si interior desit consensus, ex quo conjugalis contractus perpetuum mutui amoris vinculum importat. Ceterum idem prorsus asserendum est etiam de Sponsalibus. Implicat namque, aliquem teneri promissionem implere, qui positiva voluntate se non obligandi promittit: conditio siquidem contraria substantiæ contractus ipsum irritat; sed habens positivam voluntatem se non obligandi ponit conditionem contrariam substantiæ promissionis, de cujus ratione est ipsa obligatio; ergo promissionem destruit. Hoc autem etiam urget, etsi jurata foret promissio; quia accessorium sequitur principale. Videantur, quæ diximus in Proœmio præsentis Tractatus *Contr. III.*, ubi resolvimus, ficta promissione non contrahi Sponsalia, & momenta contraria refellimus. Quantùm ad ea, quæ hic objiciuntur respondemus.

Conditio contraria substantiæ contractus ipsi irritat.

Ad I. Evidens est, obligationem ab externa obligatione non unice exoriri; interior quippe voluntas se habet ad actus humanos, sicut anima ad corpus. Actualis autem donatio ideo magis obligat, quàm sola donandi intentio: quia præter intentionem involvit executionem, atque promissi traditionem.

Ad II. Civilis contractus interne, & externe, obligans, non est fictus contractus; verùm Forum externum etiam ad actum internum respicit, cum iste sit forma exterioris; proindeque judicat de internis cum exterioribus connexis.

Ad III. Infamatio sine animo lædendi obligat propter damna inde secuta. Hoc itidem contingit in fictis promissionibus, si inde damna sequantur.

Ad IV. Obligatio adimplendi promissum, ad veram consequitur promissionem, secus ad dolosam; quo pacto illa foret, qua quis sine positiva voluntate sese obligandi promitteret. Nec urget paritas de projiciente merces in Mare. Hic siquidem vult simpliciter projicere, & solummodo secundùm quid non vult; in nostro casu vult simpliciter se non obligare.

Ad V. Lex illa naturæ oppositum plane suadet; nemo enim vult, quod secum fraudolenter contrahatur; ideoque si optat sibi servari promissum, vult similiter, verum secum contractum celebrari.

97 OBJIC. VIII. Consensus ille dicendus est necessariò requisitus, qui magis communi bono deservit: sed consensus exterior est hujusmodi; ergo. Posito exteriori consensu ea nequeunt derivari absurda, quæ haberentur, si interior consensus exigeretur. Etenim decipientes sub spe Matrimonii puellas contractum servare debent, nec ab eo valent recedere; ex adverso, ubi deesset interior consensus, non teneretur stare promissis, nec ex vi Matrimonii, neque ex vi promissionis; adeoque ficti Amasii impune debaccharentur.

RESP. Nullum sequitur inconveniens, ex quo requiratur exterior insimul & interior consensus. Nam hujusmodi Deceptores tenentur Parti offensæ ex vi illati damni satisfacere. Qua super re sequentes regulas adoptant Doctores ex D. Th. *in suppl. quæst. 46. art. 2. ad 4.* -- Dicendum, quod in tali casu „ Sponsus antequam aliam cognoverit, tene„ tur eam ducere in Uxorem, si sint æqualis „ conditionis, vel si Sponsa sit melioris con„ ditionis. Sed si aliam duxerit, factus est „ jam impotens ad solvendum illud, ad quod „ tenebatur; & ideo sufficit, si ei de nuptiis „ provideat. Et ad hoc non tenetur, ut qui„ dam dicunt, si Sponsus sit multò melioris „ conditionis, aut aliquod signum fraudis „ evidens fuerit; quia præsumi probabiliter „ potest, quod Sponsa non fuerit decepta, „ sed decipi finxerit --

Deceptor tenetur deceptæ satisfacere, & quomodo.

Itaque si Deceptor sufficientia dedit deceptionis signa, sibi imputet Decepta: decipi namque voluit. Si Deceptor, & Decepta fere æqualis sint conditionis; eam ducere debet, nisi cum altera fuerit uxoratus, vel nisi inde rixæ inter Parentes, scandala, vel damna timeantur, quibus casibus sat erit illam dotare, vel de aliis Nuptiis providere. Ratio in aperto est. Damnificator, ex Justitia æquale tenetur reddere; eo in casu reddi nequit æquale, nisi illam ducat; illa siquidem seipsam dedit, ut ille se daret in Conjugem, unde ibi fuit contractus onerosus *do, ut des*, & absolutâ conditione ex parte unius, debet alter, non ex vi fictæ promissionis, sed ex lege justitiæ, qua tenebatur sincere promittere, & injuriam non irrogare, conditionem adimplere; sicut qui ficte Petro promittit centum sub onere, quod Petrus adimplevit, ex justitia debet fictus Promissor centum tradere. Tandem si Deceptor longe disparis sit conditionis, ratione dignitatis, nobilitatis, & hujusmodi: non adstringitur Deceptam ducere, etsi fœmina ejusdem conditionem ignoraverit, vel, eâ cognitâ, prudenter crediderit, seriam fuisse promissionem. Quoniam in contractibus onerosis tenetur quis ex justitia servare æqualitatem in rebus; impræsentiarum non servaretur æqualitas; apud Prudentes siquidem non tanti æstimatur damnum violatæ puellæ, quanti Nuptiæ ejusdem cum viro longe dignioris status. Quod de Virgine dictum est, aptari debet Viduæ honestæ famæ; secus mulieri deperditæ.

98 DICES cum nonnullis, qui contra hanc regulam insurgunt, & duobus instant momentis.

I. Substantia Conjugii in personarum traditione sita est: divitiæ verò, nobilitas, & cetera hujusmodi, accidentaria meritò censentur; ideoque etiam in promissione

Spon-

Sponsalium fictus Promissor imparem ducere tenetur.

II. Sequeretur quod neque qui vere promitteret, deberet eam ducere; nam sincera promissio non ponit æqualitatem, ad quam spectat justitia.

RESP. ad I. Equidem divitiæ, nobilitas, dignitas, &c. hujusmodi, non spectant ad substantiam Conjugii; magnam nihilominus ponunt inæqualitatem inter contrahentes, quam servare non præcipit lex justitiæ.

Ad II. Non eadem currit ratio de vero, & ficto Promissore. Nam verus Promissor ex vi promissionis inire debet Conjugium; fictus autem solummodo propter damnum, quod stante illa inæqualitate non tanti æstimatur, quanti Matrimonium viri nobilitate præcipui cum muliere inferioris notæ. Tenetur tamen hic eam dotare, vel de honesto Connubio providere; quod si seducta dote caruerit, non solùm de Nuptiis, sed & de dote provideri debet.

99 OBJIC. IX. Conjugium per fictam promissionem contractum censetur ab Ecclesia validum, quæ cogit contrahentes, licèt solummodo externe, ad mutuam vitæ societatem absque eo quod revalidationem præcipiat per novum verum consensum; ergo consensus pure externus sufficiens est ad perficiendum Matrimonium.

RESP. Argumentum circa practicam difficultatem versatur; ab omnibus tamen dissolvendum, cum urgeat non tantùm in promissione ficta, sed etiam in promissione ex errore circa substantiam, ex metu gravi occulto, ex impedimento dirimente, quod post contractum Conjugium vel utrisque, vel uni Parti innotescat.

Duplex igitur hac super re occurrit Sententia Doctorum, qui solam externam promissionem sufficere abnuunt. Prima affirmat, fictum Promissorem ad revalidandum contractum nequaquam adstringi. Ex quo enim nullus initus fuit contractus, liber est ad resiliendum; unde qui ficte Religiosam Professionem emisit, ad valide profitendum nequit impelli.

Fictus promissor tenetur verū contractum apponere.

Propugnat altera, debere verum contractum apponere, nisi propter scandala, damna, & hujusmodi, revalidatio impediatur. Hæc Sententia adoptanda videtur. Fictus siquidem Promissor damnum Parti illatum reparare tenetur ex justitia; Pars namque decepta ob deperditam virginitatem cogetur manere innupta, vel Religionem ingredi, quoniam Ecclesia nusquam Conjugii dissolutionem, & transitum ad alia vota permittet, nisi invictis argumentis fictio comprobaretur, ne fortè quis captet occasionem valida dissolvendi Sunjugia, quia si mentitus est contrahendo in facie Ecclesiæ, dubitari meritò potest, quod mentiatur dissolutionem intentando. Addas velim, justitiæ leges præcipere, ut unicuique jus suum reddatur: porro Pars innocens, cum vere pro toto vitæ tempore alteri se tradiderit, jus habet, ut itidem alter idem præstet; ergo cum ab initio hoc factum non fuerit, & alterius traditio perseverat, jam plane fit, reparandam esse fictam traditionem. Religiosæ Professionis exemplum abs re affertur; cum Religio nullum patiatur damnum, etsi vera non emittatur Professio.

Quomodo fictus Promissor teneatur verum contractū apponere.

100 Sed hinc validus emergit scopulus, qualiter novus præstandus sit consensus ad convalidandum irritum Conjugium. Docent aliqui, haud necesse fore mutuum consensum, neque absolutam manifestationem, aut Parochi, & Testium præsentiam, sed abunde sufficere consensum aliqualiter exteriorem ex parte illius, qui sive impedimenti, sive alterius defectus conscius est, quin Pars altera admoneatur, dummodo aliquo artificioso medio, occultatâ prioris contractûs iovaliditate, Partis innocentis habeatur consensus.

Volunt alii expressum utriusque consensum, sive Pars utraque, sive una tantummodo nullitatis sit conscia, immo innocentem de nullitate contractus admonendum. Doctrinam hanc magni nominis Doctores propugnant; & profecto mihi certa videtur, eamque sequentibus momentis evinco.

101 I. Conjugiom ut sit validum, importare debet vel physice, vel moraliter essentialia constitutiva, nempe mutuum legitimum consensum externe manifestatum; sed cum Matrimonium ab initio nullum revalidatur, non admonita Parte, nec physice, nec moraliter adsunt prædicta constitutiva; ergo nequit Conjugium effici validum. Majori propositioni nemo refragatur. Probatur igitur Minor; & quoniam physicum desiisse consensum in aperto est, & circa moralem permanentiam dubitatio exoriri potest, hanc non adesse prout ad intentum, evincitur. Consensus, qui moraliter adest ex parte ignorantis Matrimonii nullitatem, ille est, qui perseverat ut ab initio positus: sed consensus ab initio positus fuit nullus, illegitimusque; ergo consensus, qui perseverat, est nullus, atque illegitimus. Nam permanentia, non est nisi præexistentis rei duratio; ergo ex illo moraliter perseverante, validum nequaquam efficietur Conjugium; non enim majoris virtutis censendus est ut moraliter, quàm ut physice præsens.

Consensus illegitimus non sufficit ad contrahendū.

102 II. Ut sufficeret consensus ille moraliter perseverans, debuisset saltem ex parte innocentis esse validus: sed ex hac parte non fuit validus; ergo non sufficit. Si Conjugium irritum fiat ratione impedimenti dirimentis, certum est, consensum fuisse illegitimum; qui enim incapax est ad contrahendum, quantumcunque conetur valide contrahere, semper nulliter contrahit; sicut incapax ad donandum, aut vendendum, quantumcunque conetur donare, & vendere, nulliter vendit, & donat. Si fiat nullum defectu consensus alterius Partis, etiam nullus est ex parte innocentis. Non enim sat est ad valorem, ut vere alter se tradat, sed necesse est, ut contractus ille importet acceptationem: cum habere debeat rationem materiæ, & formæ; porro quantum est de se nihil innocens acceptat; quia nihil traditur. Sicuti nihil tradit, qui non habet, unde tradat, quamvis tradere intendat; ita nihil acceptat, cui nihil confertur.

Vera traditio ad verum acceptationē refertur.

fertur, etsi acceptare intendat.

103 III. Lex civilis, & Canonica, immo Christus non elevavit ad veri contractus, seu Sacramenti materiam consensum verum reputatum, & tantummodo in hominum existimatione legitimum: sicut non jungit personas sola existimatione legitimas: nec aqua credita naturalis, sed vera elevata est ad materiam Sacræ ablutionis; atqui consensus ex parte innoxia exhibitus est tantùm in existimatione validus, quatenus credidit, nullum subesse impedimentum dirimens, nullamque interfuisse fictionem; ergo ille consensus nullatenus fuit verus, & validus; adeoque formaliter repetendus, sicut ablutio formaliter repetenda est in Baptismo, ubi prior cum aqua solùm existimata naturali facta fuerit.

Verus consensus elevatus est rationem Sacramenti.

104 IV. Sola ratihabitio prioris illegitimi consensus non est dicenda sufficiens ad revalidandum contractum Conjugii; sed consensus artificioso modo exquisitus, non detecta nullitate Matrimonii, non est nisi ratihabitio illegitimi prioris consensus: non enim renovant consensum, nisi quia credunt legitime nupsisse; ergo. Ubi Superiores singulis annis solemnem votorum renovationem excipiunt a Religiosis, non nisi primæ acceptationis ratihabitio intervenit, quæ si nulla fuisset, nullimode per repetitas votorum renovationes revalidaretur; siquidem ideo nunc Superiores acceptant, quia priorem validam fuisse judicant. Ita in nostro casu.

105 V. Ideo alterius Sententiæ Propugnatores illa exquirunt artificia, atque non esse revelandam Matrimonii nullitatem contendunt, quia fieri potest, quod Pars innocens novum refugiat contractum, & quidem momentosis acta rationibus, puta quia risosa, infidelis, aut odiosa cohabitatio; ergo rationabile occurrit momentum, quo judicetur nec priorem irretractatum perseverare consensum, nec verum, absolutumque esse illum, qui artificiosis mediis extorquetur.

106 VI. Ex Angelico Doctore loco supra laudato consensus per verba de præsenti expressus in Conjugio se habet, sicut ablutio in Baptismate. Fiat casus, Sacerdotem artificiali aqua, quam naturalem, veramque credidit, legitima intentione, infantem abluisse: & cognito post mensem errore, verâ aquâ abluendo, revalidasse Sacramentum; sufficiens ne censenda esset illa prior intentio non revocata? Nequaquam sane. Fiat iterum casus, Sacerdotem verâ aquâ abluisse adultum, qui tamen nullam, immo contrariam habuit intentionem suscipiendi Sacrum regenerationis lavacrum, quamvis legitimam habuerit intentionem Sacerdos: hinc post aliquos dies ficte baptizatus velit revalidare Baptismum, proinde re Sacro Ministro manifestata, animo suscipiendi Sacramentum se disponit; sufficiet ne prior illa ablutio sub illa prima Sacerdotis intentione? Nemo unus hoc affirmabit. Fas est, utrumque novam efformare intentionem cum nova ablutione. In primo exemplo habes Conjugium ratione dirimentis impedimenti irritum: in secundo habes Conjugium nullum ratione fictionis; & in utroque prior intentio non suffragatur; adeoque in utroque denuo exquiritur mutuus consensus exteriùs manifestatus.

Ratio fundamentalis est. Quia consensus conjugalis vim totam, totamque habet efficaciam *in fieri*, quatenus causat perpetuum vinculum, & in eo totam exhaurit virtutem, atque in ipso perseverat irrevocabiliter; unde si Conjuges mutuo consensu centies seriò, & sincera voluntate, conentur priorem retractare consensum, vel ejusdem permanentiam destruere, nusquam id præstare valebunt; quod itidem contingit in Baptismate, in quo tota vis intentionis exhauritur *in fieri*, perseveratque immobiliter in charactere. Porro ubi sub primordiis nullum fuit Conjugium, aut Baptismus nullus, vis consensus, vel intentionis evanescit, nec vinculum efficitur, aut character; adeoque nihil superest, in quo perseverare possit.

Vinculum conjugale ex consensu.

107 VII. Conjugium æque perpetuum, & onerosum est, cum revalidatur, ac quando primò rite celebratur: propterea utrobique perfectum requirit voluntarium; hoc sane non est invenire, ubi non detecto impedimento, aut defectu, artificiosis formulis, extorquetur consensus, puta: *Me ne ita diligis, ut impræsentiarum mecum contraheres, si non esset inter nos Conjugium?* vel *Ex nunc vis me in Conjugem, ac si nullum fuisset hactenus Matrimonium?* vel *Scrupulis angor circa valorem Matrimonii, conjugalem contractum renovemus*. Hæ namque censentur amatoriæ significationes, quibus sæpenumero utuntur Conjuges certi de valore Matrimonii, ut ad conjugale commercium se excitent. His autem quandoque affirmative respondent mulieres, eo plane tempore, quo interiori mordentur rabie ob dura, & molesta, immo etiam ob verbera, quæ pridie passæ sunt, ne graviora sustinere cogantur. Quandoque contingere potest, ipsas sive tristi exagitatas humore, sive in suspicionem actas, sive ob alias causas, quæ in dies occurrunt, ad præfata nihil respondere.

Conjugium requirit perfectū voluntarium.

Nec momenti est dicere, eo in casu ad manifestationem consensus sufficere thori cohabitationem maritali affectu absolutam, quæ ante Tridentinum valebat, ut Sponsalia in Conjugium transirent. Etenim illa cohabitatio, & affectus, ex parte innocentis non est nisi per respectum ad Conjugium existimatum ab initio legitimum, nihil denuo addens. Aliàs post Tridentinum, Sponsalia solo carnali commercio, transire nequeunt in Matrimonium.

Carnale commercium non efficit Conjugium.

108 VIII. Vel Pars conscia nullitatis prudenter prævidet innocentem novum assensum denegaturum; & indubie veritatem manifestare debet. Vel prudenter credit, lubenti animo novum præstare posse consensum; & hoc renovato, revalidatum certò habet Conjugium, cum consensus industriose exquisitus nec liber, nec absolutus dicendus sit, & quidquid involvit voluntarii, unice habet per ordinem ad priorem consensum in existimatione legitimum; proindeque nusquam in conscientia tutus erit, & ut exteriora evitet inconvenientia, majoribus illaqueatus evadet.

109 IX.

In dubiis tutius eligendum.

109 IX. Stante hujusmodi diversarum opinionum obscuritate, renovatio Conjugii artificiose exquisita redditur saltem dubia quoad valorem. Porro in dubiis circa valorem Matrimonii solemne, & certum est apud Doctores, tutius esse eligendum. Quoniam verò in casu extremæ necessitatis licèt, sicut in aliis Sacramentis videre est; uti materiâ dubiâ, ita urgente simili necessitate fas erit, oppositam adoptare Sententiam; non debent tamen Conjuges de facili allucinari, quasi grave foret inconveniens abstinere a thoro propter nullitatem contractus, cum ob leviora momenta habeantur diuturnæ, immo perpetuæ separationes.

In occultis revalidationibus non requiritur præsentia Parochi, & Testium.

110 Quæ tamen hucusque diximus, non urgent quoad præsentiam Parochi, & Testium, si semel, dum contractum fuit Matrimonium, adfuere præsentes, & aliàs impedimentum non est publicum, nec publica Conjugii nullitas. Nam Pius V. declaravit, in occultis revalidationibus non fore necessariam Parochi, & Testium præsentiam; & quidem hac super re, utpote Ecclesiastici Juris, potuit Apostolica Sedes dispensare, secus in consensu, qui ad Jus naturale, & divinum spectat.

111 Posset in favorem ficti consensus argumentum referri ex D. Augustino *lib.* 1. *de Unico Baptismo cap.* 10. quo adversùs Wiclephum utitur Thomas Waldensis, videlicet. Potuit Simon Magus secundùm extrinsecum Sacramentum, quamvis non secundùm spiritum, Christo conjungi; ergo qui ficte contrahit, secundùm extrinsecum Sacramentum recte censebitur verum Matrimonium celebrasse.

Verùm perperàm usurpatur Augustini doctrina. Etenim ideo S. Doctor eo loci validum admittit Simonis Magi Baptismum; quia fictio non versabatur circa intentionem verum suscipiendi Sacramentum, sed circa finem, qui pravus erat, cum intenderet non Gratiam acquirere, sed pecuniam reportare. In nostro casu fictio versatur circa intentionem spectantem ad essentialia Conjugii; quare paritas non urget.

CONTROVERSIA VII.

AN VERBA EXPRIMENTIA CONSENSUM DEBEANT ESSE DE PRÆSENTI.

Wiclephi error.

112 WIclephus *in* 4. *Trialogi cap.* 22. apud N. Waldensem *de Sacram. Matrim. cap.* 132. habet -- Hæc convertuntur,
„ ut hic supponimus, Te accipio in uxorem,
„ &, te accipiam in uxorem. Cum ergo
„ secundum sit certius, & minùs imbriga-
„ bile, videtur, quod ipsum sit eligibilius
„ ad homines matrimonialiter copulandum--
Et infra -- Si accipio te in uxorem, tunc per
„ ante est verum, quod te accipiam in uxo-
„ rem: & si sit verum, te accipiam in uxo-
„ rem, tunc pro tempore suo est verum,
„ quod te accipio in uxorem; cum ergo cum
„ verbis de futuro sit consensus compatibilis,
„ & verba illa sint vera, atque a Domino
„ ordinata, quomodo licet verba illa fru-
„ strare per verba sequentia de præsenti, quæ
„ non sunt tantæ efficaciæ? -- Hinc subdit--
„ Si per verba de præsenti fit matrimonium,
„ tunc sequitur oppositum in adjecto; quia
„ cum vox, quando desinit esse, non est,
„ verba ista de præsenti non faciunt matri-
„ monium, nec sunt sibi compossibilia --.
Hæc ille; ex quibus habemus, ipsum sentire, requiri ad contrahendum Matrimonium verba de futuro, & nequaquam verba de præsenti deservire.

DICENDUM tamen est, verba exprimentia consensum esse debere de præsenti, & nequaquam sufficere verba de futuro.

Adam contraxit Conjugii per verba de præsenti.

113 PROB. I. Argumento S. Augustini *lib. super Gen. ad litteram cap.* 19. Verba, quibus Adam suum iniit, expressitque Conjugium exemplaria fuere pro omnibus futuris Conjugiis ad Seculi usque consummationem: sed verba illa fuerunt de præsenti: cum determinatione itidem de præsenti; ergo verba de præsenti a Deo assumpta fuere, atque constituta ut essentialia pro contrahendo Matrimonio. Exponitur assumptum. De costa Adæ educta Muliere, eique in adjutorium propagationis commendata, statim inquit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea . . . Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*. Gen. 2. vers. 23., & seq. Illis in verbis de præsenti, atque per adverbium de præsenti coarctatis, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, eructavit, ait Augustinus, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus, & licèt illa verba primus homo protulerit, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit: Matth. 19. vers. 4. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; ea namque elevavit Deus, atque instituit.

Conjugium consistit in contractu de præsenti.

114 PROB. II. Ex Hugone *lib.* 2. *de Sacram. p.* 11. *cap.* 5. Conjugium consistit in contractu, qui fit, non vero in contractu, qui promittitur; qui enim promittit, nondum absolvit contractum; qui verò facit, illud complet. Sed contractus, qui fit, formam importat de præsenti; ergo Conjugalis contractus verba de præsenti exigit. Audiamus laudatum Doctorem apud Waldensem--
„ Considera, quod longe aliud est promit-
„ tere, atque aliud facere. Qui promittit,
„ nondum facit. Qui autem facit, jam fa-
„ cit, quod facit. In eo, qui promittit, si
„ non facit, quod promittit, mendacium
„ est. In eo autem, qui facit, etiam si post
„ factum pœnitet, tamen factum omnino
„ est, quod factum est. Qui ergo promittit
„ se uxorem ducturum, nondum tamen uxo-
„ rem duxit. Et quæ spopondit se nuptu-
„ ram, nondum nupsit, nec Conjugium
„ adhuc fuit, sed futurum esse debuit. Cum
„ autem postea & ille uxorem duxit, & illa
„ marito nupsit, jam Conjugium fit utrin-
„ que, & non poterit dissolvi, quod factum

„ est, etiamsi id, quod promissum fuit, non „ est impletum --

115 PROB. III. Fieri nequaquam potest, determinatæ rei non adesse determinata constitutiva: sed Conjugium est quid determinatum: quoniam dicit determinatum vinculum cum determinatis Personis; aliàs verba de futuro, utpote de contingentibus, indeterminationem important; ergo per talia verba Conjugium celebrari nequaquam potest.

Determinatæ res sunt determinata constitutiva.

116 PROB. IV. Causæ Sacramentales significando efficiunt: unde id efficiunt, quod significant, sed exprimens consensum suum per verba de futuro, non significat se facere, sed facturum Conjugium; ergo illud non efficit.

117 PROB. V. Qui per verba de futuro in mulierem aliquam consentit, inde aliam per verba de præsenti ducit, debet secundùm Jura eum secunda cohabitare; sed si non forent necessaria verba de præsenti, hoc non contingeret, nec id Jura præciperent: siquidem cum prima jam Matrimonium celebrasset, & qui legitimam habet Uxorem, aliam ducere nequaquam potest; ergo verba de futuro non sufficiunt, sed omnimode necessaria sunt verba de præsenti.

Plura afferri possent Jura rem nostram apprime probantia; verùm sufficiat Gregorii IX. resolutio Cap. *Si*, *de Sponsalibus*, & *Matrim.* -- Si inter Virum, & Mulierem legi„ timus consensus interveniat de præsenti, „ ita quod unus alterum mutuo consensu „ verbis expresso recipiat, sive sit juramen„ tum interpositum, sive non, non licet al„ teri ad alia vota transire; quod si fecerit, „ secundum Matrimonium de facto contra„ ctum, etiamsi sit carnalis copula subsecuta, „ separari debet, & primum in sua firmitate „ manere. Verùm si inter ipsos accessit tan„ tummodo promissio de futuro, idest, Ego „ te recipiam in meam, & ego in meum, „ sive similia verba; si alius mulierem illam „ per verba de præsenti desponsaverit, etiamsi „ inter ipsam, & primum intervenerit jura„ mentum de futuro, secundum Matrimo„ nium non poterit separari, sed eis est de „ violatione fidei pœnitentia injungenda --

ADVERSA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

118 OBJIC. I. Si quis dicat: *Volo te in Uxorem meam*: suam declarat voluntatem per verba de præsenti: sed hæc non efficiunt Conjugium; ergo verba de præsenti non sufficiunt.

RESP. Verba, quæ ad contrahendum necessaria sunt, debent esse non solummodo de præsenti quoad materialem constructionem, sed potissimùm quoad significationem. Præcitata non habent sensum dicentem de præsenti contractum, sed præcise exprimunt voluntatem contrahendi; quo modo declararet quis suam voluntatem postmodum exequendam, si diceret: *Volo emere domum tuam*. Itaque pro Conjugio verba de præsenti desiderantur, quæ actu contractum efficiant, atque declarent.

Voluntas contrahendi nõ efficit contractum.

119 OBJIC. II. Obligatio contractus conjugalis est instituta juxta regulas ceterorum contractuum civilium: sed in aliis contractibus consurgit obligatio per quæcumque verba consensus exprimatur, sive sint de præsenti, sive de futuro; ergo similiter contractus conjugalis.

RESP. Conjugium institutum est juxta leges contractus civilis, qui actu transfert dominium. Omnis autem contractus civilis translativus potestatis rei propriæ verbis de præsenti completur. Quod si verba adhibeantur de futuro, sola voluntas transferendi stipulatur, secus translatio.

Per verba de præsenti transfertur dominium.

120 OBJIC. III. Hæc verba: *Juro, quod tenebo te in Uxorem*, nullatenus sunt de præsenti; sed per hæc validum efficitur Conjugium, Cap. *Ex parte*, *de Sponsal.*, & Cap. *Si quis* 30. q. 5. -- Si quis juraverit se „ aliquam habere in Uxorem, illa sit legiti„ ma Uxor -- ergo verba de præsenti non sunt prorsus necessaria.

RESP. Quandoque verba, quæ secundùm grammaticalem expressionem sunt de futuro, ex adjunctis aliter significant. Verba illa *Tenebo te in Uxorem* relata Cap. *Ex parte* determinantur ad tempus præsens per adjuncta *Tenebo te in Uxorem ex nunc*, *ex hoc tempore*: propter hoc quæ erant de futuro, trahuntur, ut significent de præsenti; ideoque sufficiunt ad contrahendum Matrimonium. Unde apte advertit Glossula, illa verba in objectione relata solitarie accepta non valere ad complendum Conjugium; quia sic accepta sensum simpliciter promissorium important, non autem effectivum.

Ad secundum ex Cap. *Si quis*, dicimus quod per appositum juramentum non habetur Matrimonium, sed tantummodo obligatio ad Mulierem illam ducendam in Uxorem.

121 OBJIC. IV. Majorem firmitatem, & certitudinem, habent verba clara de futuro, quàm dubia, & obscura de præsenti; sed hæc constituunt Conjugium: cum Jura plurimùm deferant Matrimonio, & in dubiis pro illo judicandum sit: Cap. *Videtur*. *Qui Matrim. accusare possu*, & Cap. *Licet* 2. *de Testibus*; ergo sufficient similiter verba de futuro.

RESP. Verba manifesta de futuro majorem habent certitudinem in ordine promissionis: secus in ordine perficiendi, absolvendique contractum; in hoc quippe verba de præsenti, etsi dubia, prævalent. Porro verba possunt esse ambigua ex vi locutionis, quæ duplicem reddere valet sensum. V.G. Si quis dicat: *Consentio te habere in Uxorem*, possunt in idem reddere, ac si diceretur; *Consentio te ducere in Uxorem*: & tunc solam promissionem important; & possunt significare: *Nunc te accipio in Uxorem*: & efficiunt Conjugium. Prædicta itaque verba clarescere possunt vel ex circumstantiis, vel ex Proferentis intentione. Unde prima regula interpretandi hujusmodi verba est mens loquentis, ubi innotescere potest. Altera regula sunt circumstantiæ. Si verò neutrum occurrat; usurpanda sunt juxta communem loquendi, & intelligendi modum. Post factum, perseverante dubio, standum videtur pro Matrimonio;

Verba dubia quomodo intelligenda.

monio ; quia ejus dissolutio plura affert inconvenientia , & aliàs Conjugium ex natura sua perpetuum est .

122 Non expedit immorari in persuadendis Wiclephi momentis, quæ supra *num.* 112. recitavimus; cum nullius sint ponderis. Primum quod in prima propositione refert, in aperto falsum est . Quis unquam , non dicam docuit , sed ne audivit quidem, dici ad convertentiam *te accipio* , *te accipiam* ? convertentur ergo hæc alia , *comedo* , *& comedam* : *do* , *& dabo* ; quo nil absurdius . Non audet Augustinus *lib.* 11. *cap.* 18. dum auroram , quæ Solis nuncia est , intuetur , Solem dicere præsentem: & affirmabit Wiclephus, dici ad convertentiam præsens , & futurum?

Wiclephus confutatur.

Errat itidem in alio momento ejusdem propositionis asserens , certius esse futurum , & minùs imbrigibile . Quid enim incertius futuro contingenti ? Quid vertibilius futuro pendente ab inconstanti hominum voluntate? Quis hominum non se certiùs habere existimat , quod jam habet , quàm quod nondum habet ?

Similiter paralogizat in secunda propositione -- Si accipio te in Uxorem , tunc „ per ante est verum quod te accipiam in „ Uxorem -- Volens cæcutire non discriminatur data inter , & promissa . Qui consentit me cras ditaturum , non me nunc ditat ; ditat promissione , non pecuniâ . Consensus itaque non verus promissione , sed verus actuali acceptatione efficit Conjugium -- Si „ sit verum te accipiam in Uxorem , tunc „ pro tempore suo est verum , quod te accipiam in Uxorem -- Si nunc sincero animo dicam , cras Romam ibo , nunc non est verum , quod cras ibo Romam ; cum & infirmari possim , vel detineri , vel mutare voluntatem . Itaque ad rem nostram inquit S. Thomas *in Suppl. quæst.* 45. *art.* 3. *ad* 1. -- „ Cum consensus exprimitur per verba de „ præsenti , & verba sunt præsentia , & in „ præsens consentitur pro eodem tempore ; „ sed quando consensus fit per verba de futuro , verba sunt præsentia , sed consentitur „ in futurum , & ideo non pro eodem tempore --

Inane demum est quod tertiò dicit -- „ Quia vox quando desinit esse , non est ; „ verba ista de præsenti non faciunt Matri„ monium -- Idem regerimus in Hæreticum . Verba si futura sunt , nondum sunt ; & ideo quia non sunt , non faciunt Conjugium . Quod si dicat : immo sunt in tempore suo . Et nos reponimus , verba de præsenti sunt in tempore suo .

CONTROVERSIA VIII.

AN COEXISTENTIA HABITUALIS CONSENSUS SUFFICIAT AD MATRIMONIUM .

BRevi calamo propositam difficultatem expendimus .

DICENDUM , consensum conjugalem esse debere simul morali virtuali coexistentia , secus habituali .

123 PROB. I. Consensus conjugalis debet esse explicatus per verba formalia , vel æquivalentia de præsenti : sed mutuus consensus de præsenti , moralem importat simultatem ; ergo . Evincitur minor propositio . Nequit salvari mutua duorum coexistentia sine aliqua simultate : non autem fas est , interveniat physica simultas , ut ex humano convictu , atque in aliis Sacramentis videre est ; adeoque moralis requiritur , quæ tamen non longe præcesserit ; verba siquidem de præsenti hoc exposcunt . Res clarescet in Sacramento Eucharistico . Non est opus , quod materia consecranda sit omnino sub oculis Sacerdotis , sed aliqualiter distare potest , ita tamen ut pronomen *hoc* verificetur. Sic in Sacramentali absolutione persona absolvenda potest ad aliquod spatium distare , sed taliter ut ipsi accomodari valeat particula *te absolvo*; si enim tanta intercederet intercapedo , ut ex humano loquendi modo deberet dici *illum* , absolutio nulla foret . Ita impræsentiarum , significatio de præsenti *Nunc te accipio in Uxorem* eam moralem simultatem exquirit , quam naturaliter postulat actualis contrahentis promissio .

Mutuus consensus exigit moralem simultatem .

124 PROB. II. Illa necessaria censenda est coexistentia , quam involvit solemnitas Conjugii ab Ecclesia requisita . Ecclesia in celebratione Conjugii quovis tempore postulavit , si non ad valorem , ad licitum saltem , Sacerdotis præsentiam , ejusque benedictionem . Porro hic modus contrahendi moralem formalem , seu virtualem , præsentiam petit , nec deservit consensus habitualiter perseverans . Et sane quis posset testimonium reddere de consensu duorum , si puta per mensem unus alium præcesserit . Hujusmodi probatio potissimùm rem nostram evincit quoad licitum .

Ecclesia postulat coexistentiam consensus formalē , vel virtualem .

125 PROB. III. Conjugium propter perpetuitatem , & onera , quæ importat , perfectum exigit voluntarium : sed in consensu tantummodo habitualiter perseverante non datur perfectum voluntarium : cum non habeatur nisi perseverantia voluntarii a multo tempore habiti ; ergo .

Voluntarium habituale non est perfectū .

126 PROB. IV. Ea moralis coexistentia mutui consensus est necessaria , quæ ad elevationem in Sacramentum apta censetur . Consensus simultaneus per solam habitualem permanentiam nullimode est sufficiens ad elevandum Conjugium in Sacramentum . Siquidem consensus contrahentium Matrimonium est consensus Ministri Sacramenti ; cumque in hujusmodi Ministro , ut plerique meritò docent Theologi , habitualis intentio non sit sufficiens , & saltem virtualis requi-

Intentio Ministri saltem virtualis .

ratur, hinc fit, prædictum consensum ineptum fore ad Sacramentum conficiendum.

127 PROB. V. Secundùm Jura non sufficit ad contractum, qui stipulatione perficitur, simultas, quæ per habitualem perseverantiam habetur; & hujusmodi est communis intelligentia textus l. *Continuus ff. de verborum obligat.* — Continuus actus stipulantis, & „ promittentis esse debet — Sed Conjugium, spectatis Tridentini conditionibus, stipulato æquivalet contractui; ergo pro eo alius ab habituali consensu requiritur. Ea itaque mora admittenda est, quæ, ad obtinendum responsum, & cum eo consensum, desideratur. In gravioribus siquidem negotiis, quæ perpetuitatem involvunt, maxima exoptanda est consensus coexistentia.

Matrimonii est contractus stipulatus.

OPPOSITA REFELLITUR SENTENTIA.

128 OBJIC. I. Juxta commune placitum, Matrimonium per Procuratorem celebratum, validum, & licitum est: sed in hoc casu non est invenire moralis formalis simultas consensus, sed tantummodo habitualis; ergo.

RESP. Consensus contrahentis in prædicto Conjugio est moraliter præsens per actualem virtualem perseverantiam in mandato, litterisque procuratoriis.

129 OBJIC. II. Sicut Conjugium contractus naturam sortitur, ita Sacramentalis Pœnitentia leges habet judicii: sed in Pœnitentia confessio, quæ ejusdem materia est, absolutionem, quæ est illius forma, longe præcedere potest; ergo consensus unius diu antecedere potest alterius consensum, adeoque habitualiter tantùm perseverare.

RESP. Argumentum Adversarios ferit. Etenim confessio, ut pars Sacramenti, debet esse dolorosa; hæc autem ex communi Sententia nequit longe præcedere; siquidem nemo audet propugnare, actum contritionis nunc elicitum deservire posse post biduum ad obtinendam absolutionem. Et quamvis narrativa peccatorum confessio longe priùs habeatur, attamen ante absolutionem ut tradunt Doctores, fas est saltem in confuso, & in genere ipsam renovare, hoc exigente naturâ judicii reconciliativi per modum Sacramenti. Proinde neque in Conjugio consensus solummodo habitualiter perseverans dicetur sufficiens ad intentum.

Conjugii, & Pœnitentiæ similis ratio.

130 OBJIC. III. Juxta moralem hominum existimationem tandiu censetur perseverare consensus, quandiu implicite, sive explicite, non revocatur; hinc apud homines solemne est ab his, qui consensum in aliquo negotio præstiterunt, exquirere, an in eo perseverent. Sed in Conjugio consensus quocunque tempore præstari valet; ergo, si non retractetur, semper perseverare dicetur; proindeque habitualis perseverantia sufficiet.

RESP. Perseverantia, ex quo actus non retractetur, arduas in explicatione involvit difficultates, quæ a Theologis versantur, ubi de actibus humanis. Communiùs perseverare dicitur consensus pro contractibus in obligatione ipsum ratum habendi: quo pacto non manet in se ipso, sed in suo effectu; ea plane ratione, qua perseverat consensus v. g. aliquem occidendi in obligatione illum revocandi, nec ratum habendi. Hic tamen perseverandi modus pro Conjugio nequaquam sufficit; siquidem non ex illa obligatione, sed ex consensu tanquam ex parte essentiali componitur. Verùm his non inspectis, illa perseverantia non deservit in Sacramentorum Ministris; consensus in contrahentibus Conjugium spectat ad materiam, formam, & ejusdem Ministrum, qui alius non est a Conjugibus. Aliàs sæpenumero in civilibus contractibus hujusmodi consensus, solâ temporis morâ, revocatur; hinc Mercatores quamvis vendere alicui promiserint merces, si aliquod tempus elabatur, Emptore non comparente, aliò distrahunt. Hanc implicitam consensus revocationem meritò suspicari possemus in electione status perpetui: non enim hæc diuturnam admittit suspensionem; adeoque habitualem consensum excludit.

Temporis morâ revocatur consensus.

131 OBJIC. IV. Virtualis intentio necessaria creditur, quando ad aliquid peragendum ordinatur, ut in reliquis Sacramentis luculenter apparet: sed consensus, & intentio, in Conjugio nullum opus efficiunt, sed solùm dominium unius in alium transferunt; ergo haud opus est virtualiter existere; adeoque habitualis sufficiet existentia.

RESP. Virtualis intentio non tantùm est necessaria ad opus, sed etiam quando operans nomine alterius agit; Conjuges autem, utpote Ministri Sacramenti, agunt alterius nomine. Dein licèt intentio hujusmodi non sit factiva realis operationis, seu operationis a Conjugibus discretæ: est tamen mutuò applicativa materiæ, & formæ Conjugii: est insuper effectiva conjugalis vinculi; unde saltem virtualis esse debet.

Virtualis intentio in Ministro requisita.

132 OBJIC. V. Videtur satis plausibilis opinio asserens, sufficere ex parte innocentis consensum ab initio positum, quando Pars altera ficte contraxit, & reparari debet Conjugium; ergo, cum hujusmodi revalidatio quandoque post multum temporis contingat, dicendum est, sufficere habitualem consensus perseverantiam; in eo namque casu partis innocentis consensus, qui ab initio validus fuit, irretractatus supponitur.

RESP. Præcitata Sententia in superioribus *num.* 100. usque in finem Controversiæ fuse impugnata fuit; adeoque non nisi pro casu necessitatis ad praxim deducenda, quo pacto utimur etiam materiâ dubiâ, ut ibidem *num.* 109. vidimus. Quare impræsentiarum instantia non urget.

CON-

CONTROVERSIA IX.

AN MATRIMONIUM SUB HONESTA CONDITIONE DE FUTURO CONTINGENTI CONTRACTUM, IMPLETA CONDITIONE, FIAT OMNINO PERFECTUM, ABSQUE NOVO EXPRESSO CONSENSU.

* * *

ALIQUA PRÆMITTUNTUR.

Adjectiones, quæ Conjugio apponuntur.

133 CUm civiles contractus dependeant a voluntate contrahentium, atque a legum dispositione, eisdem quandoque quædam apponnntur modificationes, seu adjectiones. Has itaque congruum est indicare.

Prima adjectio est temporis; designatio videlicet temporis, pro quo contrahens intendit, & vult contractum absolvi, v. g. *Contraho tecum nunc, ut post decem dies te habeam in Uxorem*. Hæc adjectio indobie contractum suspendit usque ad determinati temporis complementum.

Secunda est causæ; assignatio nempe motivi contrahendi, quæ explicatur per causalem *quia*, ex. gr. *contraho tecum, quia nobilis*.

Tertia est demonstrationis; quæ est declaratio conceptus per relativum qualitatis: *Contraho tecum, qua nobilis es*.

Quarta est modi; idest per modum oneris, quod declaratur per particulam ut: *Contraho tecum, ut doceas*; & statim perficitur contractus, cum revera habeatur absolutus consensus cum animo se obligandi, hincque consurgit obligatio, stante honestate materiæ. Modus itaque perfectum supponens consensum, contractum nequaquam suspendit, sed obligationem imponit; unde sunt, qui dicunt, modum appositum etsi contrarium substantiæ contractus, ipsum irritum non reddere, v. g. *Petrus cum Berta contrahit, ut corpus suum prostituat*.

Conditiones de præsenti, vel de præterito non suspendunt contractum.

134 Præter hujusmodi adjectiones apponuntur non rarò conditiones aliquæ, quarum aliæ sunt de præsenti, vel de præterito. Conditiones istæ contractum non suspendunt. Si enim subsistunt, validus efficitur contractus, secus, si non subsistunt; siquidem quodlibet ex suppositione quod est, necessariò est, & ad prærteritum non datur actio.

Conditiones necessariæ de futuro an suspendant contractum.

Aliæ sunt conditiones de futuro necessariæ ab intrinseco, ob essentialem a causis naturalibus dependentiam, ut: *Si Sol cras orietur*; vel ab extrinseco ex divina Dei ordinatione, ut: *Si futurum sit universale judicium*; hæ tamen indeterminate nuncupantur, ignotum quippe est tempus, quo evenient. Si incognitæ absolute sint, aut tanquam necessariæ non habeantur, induunt respectu ignorantium naturam conditionis contingentis; proindeque coojugalem suspendunt contractum. Si verò dignoscantur ut necessariæ, contractus non suspenditur, sed completæ censentur; quia sive in causa naturali, sive in positivo decreto divinæ Providentiæ noto, & certo sunt determinatæ, atque in hac determinatione præsentes sunt, & sic habentur ut impletæ, quod colligitur ex l. *Si pupillus 9. ff. de novat.*

135 DICES I. Habetur l. *Hæres meus ff. de condit., & demonst.* legatum conditionatum non sortiri effectum, nisi ad adventum conditionis.

II. Conditiones ab extrinseco necessariæ, revera ab intrinseco sunt contingentes, sicut & aliæ revera censentur contingentes, quamvis cadant sub infallibili dispositione divinæ Providentiæ.

III. Incertum est quod contrahens perveniat usque ad adventum conditionis; adeoque meritò dicendæ sunt contingentes.

RESP. Lex eo loci loquitur in casu, quo instituens Legatum talem esse suam intentionem explicat; quod commune est pro omnibus contractibus conditionatis; absolute namque non consentit de præsenti, sed tempus determinat, ibique suam alligat dispositionem.

Ad secundum. Equidem omnes conditiones necessariæ sunt, si spectetur divina Providentia; sed de quibusdam datur cognitio divini Decreti, de aliis non. Primæ igitur dicuntur necessariæ etiam quoad nos: adeoque contractum non suspendunt; secus aliæ.

Ad tertium. Illæ sunt modificationes transcendentes, quæ effectum non retardant, nisi exprimatur; adeoque habentur pro non adjectis, atque censentur conditiones generales, ad quas referuntur conditiones: *Si vixeris, si consenseris, si Deus voluerit* &c. Cum enim hæ in omnibus casibus intelligantur, atque sine illis contractus non subsistat, nil operantur, etiamsi exprimantur, atque pro non adjectis reputantur.

Regulæ pro conditionibus impossibilibus.

136 Sunt & conditiones, quæ impossibiles dicuntur, ex quo ad actum reduci non valent. Quædam impossibiles sunt ex natura rei, v. g.: *Contraho tecum, si digito cælum tetigeris*; aliæ a Jure: *Contraho tecum, si liceat cum Consanguinea contrahere*; aliæ de facto: ut si mulieri ostiatim mendicanti dicatur: *Contraho tecum, si pondus auri dederis*; aliæ ex suppositione: ut rusticanam alloquens velit cum illa contrahere, *si sit Dux, aut Princeps*: vel sciens Patrem fato functum dicat: *Contraho tecum, si Pater tuus vivit*.

Circa conditiones impossibiles de futuro, sequentes instituuntur regulæ; etenim de adjectis sive de præsenti, sive de præterito dicetur postea.

Prima regula ea est, quod quando conditio impossibilis ut talis non dignoscitur, suspenditur contractus; cum respectu contrahentium perinde est, ac si possibilis foret.

II. Cognita conditionis impossibilitate, omnis illico tollitur obligatio, quæ in re nulla erat, sed in apprehensione suspensam obligationem habebat.

III. Si seriò talis conditio exigatur; non rejicitur, sed censetur pro nolle contrahere.

IV. Si lusorie adjiciatur, & de intentione certum habetur momentum; pro non adjecta reputatur, & Conjugium in utroque fore validum creditur.

V. Si

V. Si de animo non constet, videlicet num joco, aut seriò apposita, nec ea circumstantiis certum efformari possit judicium: stante dubio decernendum est in favorem Conjugii; ad tollendam tamen quamcunque ambiguitatem absolutus consensus apponendus est.

In casu itaque, quo non constet de contrahentium intentione, statuit Gregorius IX. Cap. *Fin.*, *de condition. appositis*, quod statim validum habeatur Matrimonium, atque conditio impossibilis, cognita ut talis, censeatur non adjecta -- Conditiones appo„ sitæ in Matrimonio, si turpes, aut im„ possibiles fuerint, debent propter favorem „ ejus pro non adjectis haberi -- Decretum hujusmodi, ex quo Ecclesia validum efficere nequeat Matrimonium, quod ea natura rei nullum est, multiplicem habet intelligentiam.

Sunt, qui velint, Jus novum importare in favorem Matrimonii, fundatum in præsumptione consensus vere exhibiti ab exigente impossibilem conditionem, hancque jocose adjectam, proindeque nullimode consideratur, habeturque contractus tanquam absolutus; quod comprobant ex l. *Obtinuit ff. de condition., & demonst.*, ubi in favorem ultimæ voluntatis decernit Jus civile, quod quandiu non constat de voluntate Testatoris, conditiones impossibiles in Legatis rejiciuntur, nisi habeantur ut possibiles, quia tunc suum sortiuntur effectum. Fas tamen est in utroque contrahente, ut rationabilis præsumptio fundetur, laudati Juris adesse notitiam. Cum enim ea generali regula contractus sub impossibili conditione celebrati, præsumatur, quod contrahens eligat contrahere sub adjecta conditione, hinc fit, nequaquam prudens haberi fundamentum dictæ præsumptionis, si semel Jus illud ignoretur. Ceterum cum plerique prædictâ careant notitiâ, rarò suum effectum consequitur.

Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 2.* negat, Pontificem decernere, Conjugium sub conditione impossibili celebratum statim fore validum, validumque præsumendum: adeoque illico non censeri ut non adjectam illam conditionem; affirmatque, Pontificem intendere, ut in favorem Conjugii judicetur, quando, perpensis omnibus, absolutus adfuisse creditur consensus, vel de eo dubitatur; & in hoc casu rejicienda est conditio, atque Sententia in favorem Matrimonii ferenda est.

Itaque cum signa consensus occurrunt, nec opposita prævalent, nullimode ad conditionem attendendum est, sed favendum est Matrimonio. Et sane Pontifex nequit validum efficere Conjugium ab initio nullum defectu consensus; cum ab hoc valor contractus dependeat, nec rationabile momentum habetur præsumendi adesse consensum. Siquidem ea leg. *Impossibilis ff. de verb. oblig.* cum certò non constat de intentione, conditio impossibilis alios contractus, præter ultimam voluntatem, vitiat, eosque irritos reddit; apud homines namque solemne est, quod cum rem aliquam refugiunt, impossibilem apponunt conditionem ad innuendum dissensum. Non igitur in casu Matrimonii fundamentum subest præsumendi consensum, etiam habitâ Juris notitiâ. Vult namque Pontifex favere Matrimonio secundùm se, & per modum legis, quæ ab aliena notitia nequaquam dependet; & quamvis ultimæ voluntates circa Legata impossibilem rejiciant conditionem, id oritur, ex quo versentur circa temporalia, quorum dominium ob justas causas Respublica in alium transferre valet: quod de Conjugio verificari nequit, cum Ecclesia nec consensum transferre, nec ipsum supplere potest, adeoque nisi sufficientia occurrant indicia, præsumi non debet: ideoque Pontificia Sanctio id præstat, ut pro Matrimonio judicandum sit, ubi de dissensu certò non constet.

Prædicta Regula extenditur ad conditiones sive positivo, sive naturali Jure impossibiles: v. g. *Contraho tecum, si cum Consanguinea contrahere possum*: vel, *Contraho tecum, si furtum licitum fuerit*; quia id possumus, quod jure possumus, l. *Nepos poculo ff. de verb. significat.*, propterea hujusmodi conditiones Jus civile rejicit a Legatis, l. 1. *ff. de condition.* idem sentiendum de prædictis conditionibus sive sint de præsenti, sive de futuro: ut, *si digito cælum tangis, aut tetigisti*; quia conditio impossibilis non rejicitur a Matrimonio, quia ad impossibile obliget, sed quia impossibilis est; hoc porro verificatur, sive sit de præsenti, sive de præterito.

Conditiones impossibiles de facto: ut noscens, mulierem esse mendicam dicat: *Contraho tecum, si mille solveris*, non amandantur, nec statim nullum reddunt contractum; quia hujusmodi conditiones non sunt absolute impossibiles, sed respectu hujusce personæ. Nec ablegantur, quæ sunt impossibiles ea suppositione, ut: *Contraho tecum, si Pater tuus consentit*, cum aliàs est mortuus, qua de re si adsit notitia, statim nullum censetur Matrimonium; si non, suspenditur usque dum veritas innotescat, qua posita omnis corruit contractus. Istæ nempe conditiones circa possibilia versantur, & non nisi ex fortuito eventu impossibiles sunt; proindeque ad normam possibilium metiendæ sunt.

Conditio *Contraho tecum, si Papa dispensaverit*, si habeatur a personis impeditis vinculo a Papa solubili, & de ea serie, in qua non difficulter, immo sæpe dispensatio occurrit, habeaturque de præsenti sufficiens causa, inter impossibiles non computatur. *Contractus dependens a Papæ dispensatione valet.* Si enim sit impedimentum de linea eorum, quæ vel solvi non possunt a Pontifice, vel nunquam, aut rarò dispensantur, aut gravissimam causam, seu qualitatem personarum primi ordinis, ut sunt Principes, exquirant, vel justa dispensationis ratio non subsit; communiter reputatur conditio impossibilis, quæ rejicitur, & Conjugium irritum immediate censetur; cum personæ sint inhabiles. Ratio primi est, quia nullibi conditio illa prohibetur, cum solummodo vetitum habeatur Conjugium absolute contrahi inter impeditos; aliàs conditio honesta est, & sæpius adimpleta, unde inter possibiles meritò accensetur, efficitque contractum in proprietate conditionatum. Huic Sententiæ adstipulatur Jus civile l. *Gallus ff. de liber.*,

&c.

& posthum., ubi statuitur, quod factum tempore inhabili relatum ad tempus habile valet **A** pro illo; & per consequens quamvis contractus conjugalis, sub conditione dispensationis non teneat pro eo tempore, valebit tamen pro tempore obtentæ dispensationis.

Nec obstat l. *Continuus* 137. §. *Cum quis ff. de verb. oblig.* secundùm quam conditio a Principis voluntate dependens censetur impossibilis. Nam hoc intelligendum est de iis, quæ a Principe concedi non solent.

Nec iterum obstat, quod quando contractus celebratur personæ sunt inhabiles, & inter inhabiles nullum celebrari Conjugium. Quia licèt, dum nunc sub conditione contrahunt, sint inhabiles, refertur tamen Matrimonium ad tempus habile, **B** pro quo præsens contractus moraliter, & virtualiter irretractatus perseverat. Non inficias tamen imus, oppositam Sententiam satis probabilem esse.

Conjugium, seu Sponsalia contracta inter Consanguineos, non expressa conditione, *Si Papa dispensaverit*, nulla censenda esse veriùs dicitur. Etenim enumerantur inter contractus absolutos ab inabilibus initos; & in *Clementina unica de consanguinit.* excommunicationis censurâ notantur nubentes cum Consanguineis, quæ dispositio nusquam urgeret, si tacita conditio dispensationis æquivaleret expressæ. **C**

Nec in oppositum urget l. *Ut gradatim* §. 1. *ff. de muneribus, & honor.*, juxta quam verba generalia intelliguntur de extremis habilibus, propterea contractus intelligitur celebratus sub ea conditione, sub qua licet, etsi non exprimatur. Ea siquidem regula valet, quando conditiones omnino intrinsecæ sunt, & sine quibus ab intrinseco nullus est contractus, v. g. *si consenseris*; secus quando conditiones sunt ab extrinseco, seu a Jure positivo, tunc enim exprimi debent.

137 Ex his colligitur I. per Matrimonium, & Sponsalia sub conditione celebrata, *Si Papa dispensaverit*, non contrahi impedi- **D** mentum publicæ honestatis, quandiu non est impleta conditio. Hoc enim impedimentum ex Sponsalibus conditionatis non habetur; bene verò completa conditione.

II. Pro tempore expectatæ dispensationis inter Sponsos ea licent, quæ permittuntur, quando Sponsalia sunt absoluta.

III. Contrahens, cui justa suppetit causa resiliendi ante dispensationem a Matrimonio, vel Sponsalibus, vel a Sponsalibus obtenta dispensatione celebratis, non tenetur ad expensas pro dispensatione factas, sicut nec pro præparatoriis ad Conjugium, etiamsi Pars **E** altera absque culpa causam dederit, puta quia graviter morbo fœdata; quia suo utitur jure; adeoque nemini injuriam irrogat. Si autem causa resiliendi ex culpa habeatur, atque indecorum sit nubere, puta ob crimen fornicationis Sponsæ, hæc ad impensas ab innocenti factas tenetur. Crimen tamen fornicationis in Sponso non reputatur hujus conditionis.

Turpes conditiones rejiciendæ.

IV. Servata proportione, idem sentiendum est de turpibus, ac de impossibilibus conditionibus Matrimonio adjectis; cum utrasque Gregorius IX. loco laudato rejiciat. Hinc si seriò contrahens intentionem condi- **A** tioni turpi alligaverit, suspenditur contractus, nisi talis sit naturæ, ut substantiæ Matrimonii contrarietur. Si contrahens verè inire velit Conjugium, joco tamen turpem adjicit conditionem, habetur tanquam non apposita, & pro valido contractu judicandum est. Si dubium suboriatur, num joco, aut seriò fuerit adjecta, rejicitur similiter, & nullius momenti reputatur. Prædicta tamen intelligenda sunt, si turpes conditiones sint de futuro, ut contraho, *si Patrem occideris*. Si autem seriò appositæ sint, & de præsenti, vel de præterito, ut *si Patrem occidisti*, non rejiciuntur; sed si non subsistunt, nullum illico **B** est Matrimonium; si sint verificatæ, validum.

Doctores Gregorianum Decretum communiùs extendunt ad Sponsalia, quando contrahentium intentio non innotescit; unde conditiones turpes, seu impossibiles ab illis ablegantur, & in utroque Foro censentur absolute inita. Et meritò sane; cum Sponsalia sint via, & velut inchoatum Conjugium. Nec momenti est, quod dispositio Tridentini circa clandestina Matrimonia non extendatur ad Sponsalia, ex quo de ipsis non occurrat mentio; adeoque neque extensio in nostro casu facienda sit, cum Gregorius de illis nihil decernat. Nam extensio facienda **C** est, ubi finis idem, eademque ratio viget. In nostro casu de turpi, & impossibili conditione apprime verificatur sive pro Coojugio, sive pro Sponsalibus; provocatio nempe ad peccatum. Non autem eadem est ratio in clandestinis Sponsalibus, ac in Matrimonio; cum non eadem occurrant inconvenientia a Concilin inspecta.

Prænotata pro conditionibus honestis.

138 Deveniendo tandem ad honestas conditiones, duo prælibare fas est. Primum, in Foro conscientiæ contrahentis intentioni standum est. Substantia siquidem, & valor Conjugii totus a consensu dependet; unde quæcunque sit apposita conditio, si contra- **D** hens verè illi adhæret, suspenditur contractus, sicut & obligatio, donec adimpleatur conditio, etsi Ecclesia in Foro exteriori oppositum decerneret. Secundum, gravi crimine rei sunt contrahentes sub conditione etiam honestâ: ejusdemque criminis participes sunt Parochus, & Testes. Etenim Sacramentum sub conditione conficitur absque necessitate, quæ revera adesse nequit in celebratione Conjugii sub conditione, cum effectum non sortiatur, nisi ea completa, & aliàs pro quolibet eventu per Sponsalia valeat provideri.

Conditiones honestæ de præsenti, & de præterito non suspendunt contractum.

139 Dicendum itaque primò est, con- **E** ditiones honestas de præsenti, & de præterito, contractum Conjugii nequaquam suspendere; sed illico valere, si conditiones subsistunt: irritumque censeri, si non adsint. Nam sub illa conditione realiter existente mutuus contrahentium consensus in suo esse completo existit: nil enim expectandum est; si autem non existit, nullus adest consensus, utpote innixus veritati conditionis.

Conditio de futuro suspendit Conjugium.

140 Dicendum II., conditionem de futuro contingenti, propter naturam conditionis, quæ est suspensiva valoris contractus sub ea celebrati, suspendere Conjugium. Siquidem

quidem contrahens non habet animum tradendi dominium sui, nisi adveniente conditione. Hoc intelligi debet de conditionibus vel ante, vel in ipso contractu adjectis; cum enim Matrimonium semel perfectum non dependeat a mutuo consensu pro dissolutione, nulla amplius apponi potest conditio quoad illius valorem. Idem, servata contractus proportione, dicendum est de Sponsalibus.

Ex conditionato contractu oritur obligatio.

141 Dicendum III. Initis semel Conjugio, vel Sponsalibus, sub conditione, Pars una licite resilire nequit, altera refragante. Sicut enim ex contractu absoluto absoluta, & in re oritur obligatio; sic ex contractu conditionato obligatio conditionata, & in spe dimanat. Si tamen alteruter consensum retractet, aut alteri nubat, statim vinculum solutum remanet. Porro causæ justæ resiliendi ab hujusmodi Conjugiis illæ eædem sunt, quæ ad relaxanda Sponsalia sufficiunt.

Impleta conditione perficitur contractus.

142 Dicendum IV. Cum impletur conditio, sub qua celebratum fuit Conjugium, illico perficitur, etsi conditionis adimpletio ignoretur, sive conditio sit de præsenti, & de præterito, sive de futuro: nisi ipsamet cognitio adimpletæ conditionis sit in pactum deducta; quod & de quibuscunque contractibus verificatur. Etenim ad valorem Conjngii sufficit vera contrahendi voluntas: sed purificata conditione, adest voluntas contrahendi; ergo omnia ad valorem contractus adinveniuntur. Haud tamen licita est cohabitatio, nisi adveniente scientia completæ conditionis.

143 Dicendum V. quando contrahens conditionem apponit, *Si Pater consentit de præsenti*, hoc est, si Patri non displicet; si Pater sciens, & volens, approbet statim, subsistit contractus Conjugii.

Conditiones circa consensum Patris.

Quod si Pater pro eo tempore non sit sui compos, & suo juri redditus gratum habeat, validum censetur Conjugium ex Sententia Soti; quia illa ratihabitio virtualem innuit complacentiam, vel saltem non illi displicuisse tale Matrimonium. Verùm haud legitimum hujusmodi Conjugium dicendum esse videtur. Nam pro eo tempore quo Pater v. g. erat dormiens, formalis complacentiæ prorsus incapax erat; adeoque ratihabitio nequit virtualem complacentiam signare; ad virtualem siquidem saltem prærequiritur existentia formalis complacentiæ. Hinc si quis in somnis filium baptizet abluendo, & proferendo verba, neutiquam censendus esset regeneratus, etsi evigilans Baptismum ratum haberet; quia eo tempore incapax erat intentionis.

Si verò conditio adjiciatur de præterito, & Pater modò consenserit, modò dissenserit, standum est ultimæ voluntati; quia animus contrahentium est non displicendi Patri, & ultima voluntas priorem retractat.

Si autem conditio sit de futuro, nempe si Pater consentiet; & ipse primò dissentiat, dein Conjugium approbet, nullum est. Quia l. *boves §. Hoc sermone ff. de verborum signific.* sermo simpliciter prolatus de prima vice intelligendus est: Hoc ipso quod Pater primò dissentiat, deficit conditio, qua deficiente nullus efficitur contractus; adeoque contrahentes resilire possunt, quoniam obligatio semel extincta non reviviscit.

Si verò celebretur Conjugium sub conditione: *si Pater consentiet*; & ipse conscius Conjugii sub hac conditione initi, nec consentiat, nec dissentiat, nullaque occurrant signa ad comprobandum consensum, vel dissensum, dicendum est, nullum fore hujusmodi Connubium. Conditio siquidem debet in specifica forma adimpleri juxta contrahentium animum; hoc impræsentiarum non verificatur, cum Pater ad utrumque negative se habere videtur. Nec valet, quod in hoc casu contrahentium animum eum esse, ne Pater ægre ferat tale Conjugium, neve contradicat: hoc ipso autem quod tacet, non ægre fert, aut contradicit, aut signa dissensus apparent; ergo conditio censenda est adimpleta. Non valet, inquam, siquidem qui sic se habet, nec contradicit, nec dissentit, nec consentit, sed velut inter utrumque versatur; nam, ut apte advertit Glossula ad regulam 44. *Juris in 6.* tacere est medium quoddam expressum inter voluntatem, expressamque contradictionem; propterea haud dici potest, quod positivus non adsit dissensus, sed nec adest, nec non adest, sed quid medium a dissensu, & consensu, sicut proportionaliter accidit in dubio, & præcisione.

Negativa voluntas non innuit consensum.

RESOLVITUR DIFFICULTAS CONTROVERSIÆ.

144 His prælibatis celebris occurrit difficultas, videlicet, an Matrimonium per verba de præsenti celebratum, sub honesta tamen conditione de futuro contingenti, purificata conditione, sine novo consensu a contrahentibus apposito evadat perfectum, transeatque in absolutum.

Non inficias imus melius esse, tutiusque novum consensum apponere; non tamen lethalis criminis reus foret censendus, qui illum omitteret, propter gravia momenta Sententiæ propugnantis, novum non esse necessarium.

Iidem indubium est, in hac Sententia contrahentes, posita veritate conditionis, haud posse cum aliis nubere, nulliterque aliud inentari Conjugium; cum Matrimonium prius jam subsistat perfectum. Secus accidit juxta illorum placitum, qui novum exquirunt consensum: licèt enim graviter delinqueret contra justitiam, frangendo promissam alteri fidem, tamen posterius Conjugium validum esset; illud namque sub conditione celebratum, cum non fuerit perfectum, absolutumque, Sponsalibus æquiparatur.

Certò similiter supponendum est, contrahentes pro eo tempore, pro quo conditionis eventus expectatur, consensum non retractasse. Si enim consensum alteruter revocasset, dubio procul novus apponendus esset; estque similis ratio, quæ urget in Conjugio per Procuratorem celebrato, quod subsistit, si quando Procurator agit, Principalis non mu-

mutavit voluntatem. Itaque casus ad hoc reducitur, quod duo contrahant per verba de præsenti sub conditione de futuro contingenti, & consensum non retractent, an purificata conditione novum exhibere debeant consensum, ut perfectum habeatur Conjugium.

DICENDUM est, ubi nubentes contrahunt de præsenti sub conditione de futuro contingenti, puta: *Si cras mille solveris*, conditione impleta, perfectum, absolutumque evadere Conjugium.

Natura contractus conditionalis.

145 PROB. I. Christus contractum Matrimonii elevando ad rationem Sacramenti, sartam, tectamque voluit illius naturam; sed natura contractus conditionalis ea est, ut, impleta conditione, purus, perfectusque, habeatur, perinde ac si nulla fuisset apposita conditio, ut Jura clamant l. *Hac venditio 7. ff. de contrah. empt.* -- Conditio„ nales venditiones tunc perficiuntur, cum „ impleta fuerit conditio -- & l. *potior 11. ff. qui potior.* -- Cum semel conditio existit, „ proinde habetur, ac si illo tempore, quo „ stipulatio interposita est, sine conditione „ facta esset -- ergo, impleta conditione, contractus Conjugii absolutus efficitur, & Sacramentum.

Conjugium ab animo contrahentium dependet.

146 PROB. II. Contractus plene voluntarius, uti est conjugalis, ab animo, atque expresso contrahentium consensu dependet: sed isti declarant contrahere, se ligare, se tradere, si conditio adimpleatur; ergo, hâc positâ, Conjugium firmum evadit, atque absolutum. Nam iste modus contrahendi negativam involvit particulam, seu sensum negativum cujuscunque conditionis importat, & sic intelligitur: Ego te nunc accipio in Uxorem, & me tibi trado absque ullo alio requisito, hoc ipso quod v. g. dederis mihi centum; ergo, facta solutione, absolutus omnino redditur contractus.

Verba practica quod significant, efficiunt.

147 PROB. III. Verba practica id efficiunt, quod significant, & secundùm quod innuunt: sed hæc verba: *Accipio te nunc in meam, si cras centum dederis*, & hæc alia: *Accipiam te in meam si cras dederis centum*, sunt practica; ergo quod significant, efficiunt. Sed lònge aliud prima significant, ac secunda: ergo diversum effectum significant, efficiuntque; atqui secunda efficiunt obligationem contrahendi Matrimonium, conditione impleta; ergo prima significant jam contractum, eâdem purificatâ; aliàs eandem significationem, eundemque effectum haberent.

Consensus formalis, ac virtualis, est eadem.

148 PROB. IV. Eandem efficaciam in humanis habet præsentia virtualis, ac formalis Intentionis: unde æque perficitur Sacrum regenerationis lavacrum per virtualem, ac per formalem Ministri intentionem; sed consensus expressus de præsenti, qui sub initio stipulationis appositus fuit, est virtualiter præsens, quando impletur conditio; ergo eundem præstat effectum, ac si formalis adesset. Quandiu enim non retractatur consensus, semper virtualiter declarat: *Nunc te accipio in Uxorem*; adeoque etiam dum purificatur conditio.

149 PROB. V. Corporale Conjugium cum spirituali analogatur *ad Ephesios 5.*: sed desponsatio animæ cum Christo per simplex votum, quo de præsenti quis Deo vovet castitatem sub conditione de futuro, v. g. *Si cras Petrus dederis centum*, conditione impleta, nullo expectato consensu, & voluntate, obligat, & absolute adstringit, & per consequens consensus absolutus evadit; ergo consimiliter in corporali Conjugio.

Spirituale, & corporale Conjugium æquiparantur.

150 PROB. VI. Sicut ad Matrimonium requiritur consensus per verba de præsenti, ita ad Sponsalia requiritur consensus per verba de futuro. Sponsalia sub conditione emissa, adimpleta conditione, ocyus efficiuntur absoluta, perfectaque; quia statim oritur publicæ honestatis impedimentum, quod sane, pendente conditione, non habetur; ita quod si pro eo tempore per verba de præsenti Vir iniret Matrimonium cum Consanguinea prioris Sponsæ, valeret Conjugium, secus adimpleta conditione, ut declarant Cap. unico *De sponsal. in 6.* Ergo etiam Conjugium independenter a novo expresso consensu perfectum efficitur, & absolutum.

Ratio eadem Sponsalium, & Conjugii.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

151 OBJIC. I. Post Constitutionem Innocentii XI. non subsistit Sacramentum, cui non apponuntur materia, & forma, juxta tutiorem opinionem: atqui opinio novum formalem consensum requirens impleta conditione, est tutior, & quidem adversative, negat enim primum consensum sufficere, novumque necessariò requirit; ergo cum Catholicorum Conjugium sit Sacramentum, & consensus ad valorem per modum formæ sit necessarius, plane fit, novum consensum requiri.

Decretum de tutiori sequenda Sententia explicatur.

RESP. Pro solutione momentosæ hujusce difficultatis notandum venit, quod dupliciter aliquid tutius dici valet; aliud dicitur tutius intensive, extensive aliud. Tutius intensive illud est, quod rerum naturam servat, nulloque periculo sive Sacramenta, sive contractus exponit. Tutius extensive illud est, quod non solùm rerum servat naturam &c., sed insuper opus facit perfectius, seu perfectiori modo complet. Si Minister intentionem habeat virtualem conficiendi Sacramentum, utitur opinione intensive tuta; si verò formalem habeat, utitur opinione tutiori extensive. Similiter si pœnitens imperfecte contritus ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, opinionem sequitur tutam intensive; si verò perfecte contritus, extensive tutiorem amplectitur. Porro Ecclesia præcipit, sequendam opinionem tutiorem intensive; secus extensive. Nostra Sententia est tutior intensive; opposita est tutior extensive, per novum siquidem formalem consensum modo perfectiori celebratur Conjugium.

152 DICES. Opinio, quæ versatur in linea probabilitatis in conspectu tutioris, non est tuta, aut tutior intensive, subditurque Innocentianæ damnationi: sed nostra Sententia sistit in linea probabilitatis, cum plures Doctores prædictæ Sententiæ refragentur,

tur, & aliàs tutius est, quod ipsi propugnant; ergo nostra nec tutior, immo nec tuta est intensive.

RESP. Opinio sistere potest in linea probabilitatis directè tantùm, & directè insimul, & indirectè. Directè tantummodo sistit, quando pondus aliquod probabilitatis habet ab auctoritate, & ratione, sed ab aliis Doctoribus inter probabiles non accensetur; directè verò insimul, & indirectè, seu veriùs reflexe, quando & habet suæ probabilitatis momenta, & ab aliis in oppositum sentientibus judicatur etiam probabilis, licèt aliter sentiant. Quando primo modo opinio solummodo probabilis est, non est tuta intensive, & damnationi subjacet; secus quando est probabilis secundo modo. Porro Sententia nostra est hujusmodi. Nam licèt directè ab aliquibus impugnetur; ab eisdem tamen censetur probabilis; adeoque tuta est intensive. Sic responderi posset ex doctrina Cardenas in sua Crisi supra proscriptas a laudato Innocentio propositiones *Dissert.* 2. *cap.* 8. *n.* 514., *& seq.* Verùm impræsentiarum hac non indigemus doctrina, quæ aliàs multùm laboris exquirit, ut dilucide explicetur.

Quare dicimus, opinionem nostram nequaquam in pura sistere probabilitate, sed veritatem attingere; cum illi certitudo Juris patrocinetur; proindeque certo innititur principio, & ex eo tanquam certa conclusio deducitur. Contradictio autem per adversam Sententiam est extrinseca, quæ intrinsecam alterius firmitatem non aufert; sed solummodo quoad nos aliqualiter obvolvit, quatenus nequit dici vera universaliter. Et sane ex eodem principio demonstrativo ab aliquibus demonstrativa deducitur conclusio: perpensa siquidem principii vi, illud infallibiliter aptatur illationi; ab aliis verò solùm probabiliter: quia vis principii nec satis perpenditur, nec rectè applicatur. Hinc est, quod apud Theologos quædam sunt propositiones de Fide quoad se, secus quoad nos; quia licèt inter revelata contineantur, universaliter tamen non admittuntur ut revelatæ.

153. URGEBIS. Opinio illa nullimode tuta dici potest, cui potest subesse falsum, nullumque reddere Sacramentum: sed nostra opinio talis censeri debet; ergo. Evincitur minor propositio. Ex Dialecticæ regulis, ex duabus propositionibus contradictoriis una debet esse vera, altera falsa; cumque Adversantium Sententia esse nequeat falsa, est enim impossibile frustrari Sacramentum per usum illius, nostra tuta esse nequaquam valet; proindeque reprobanda, ne frustretur Sacramentum.

RESP. Instantia non modicam involvit difficultatem, verùm a quampluribus solvenda est; urget namque in intentione virtuali quoad Sacramenta, in contritione imperfecta quoad Pœnitentiam, & hujusmodi. Ceterom opinio nostra nequit esse falsa; quia servat naturam contractus, & consona est regulis Juris. Porro si in esse contractus, tuta est, tuta itidem erit in esse Sacramenti; quoniam in Conjugio Christus validum contractum elevavit; unde si constet de validitate contractus, validitas Sacramenti in aperto est. In opposita Sententia equidem impossibilile est, quod frustretur Sacramentum; cum hæc eligat perfectius; sicut qui eligit pro Baptismo formalem intentionem, pro Pœnitentia perfectam contritionem. Sed non inde colligere fas est, in nostra opinione subesse periculum frustrationis Sacramenti; cum hæc eligat perfectum in conspectu perfectioris, seu tutum in conspectu tutioris. Contradictio non versatur circa rei essentiam, sed circa majorem, minoremve ejusdem perfectionem; quod Sacramentum non vitiat, ut in intentione virtuali, & formali videre est.

Tutum eligibile in conspectu tutioris.

154 INSTABIS. Christus illum elevavit contractum ad esse Sacramenti, qui statim suum sortitur effectum: est enim contractus in actuali traditione consistens: sed contractus in nostro casu est validus sub conditione, per quam illico non sortitur effectum, nec actualem traditionem; ergo.

RESP. Christus elevavit contractum civilem, prout humanis deservit commutationibus, & obligationibus; hujusmodi autem contractus admittit conditionem, statimque suum effectum sortitur, purificata conditione, importatque actualem traditionem, quia a tempore impletæ conditionis transit immediate in absolutum, ac si nulla fuisset apposita conditio.

Matrimonium veram habet rationem contractus.

155 REPLICABIS. Contractus debet esse proportionatus ad Sacramenti naturam; sed natura Sacramenti suspensionem omnem, omnemque conditionem de futuro excludit; unde non valet Baptismus sub conditione de futuro collatus: v. g. *Baptizo te, si cras pœnitueris*, nisi renovetur ablutio; ergo.

RESP. Hoc est speciale, propriumque in Sacramento Conjugii, quod contractus naturam sequatur. Porro contractus natura est, ut si fiat sub conditione de præsenti, sine novo consensu, impleta conditione, transeat in absolutum. Sicut quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii; hinc fit, quod possit præmitti confessio, ferri Sententia, & protrahi executio pœnæ.

Conjugium sequitur naturam cōtractus.

156 SUBSUMES. Pro eo tempore, quo validus est nuptialis contractus, subsistit Sacramentum: sed absque novo consensu, impleta licèt conditione, Sacramentum nequit subsistere; ergo. Prob. min. Essentiale est Sacramento, ut sit signum sensibile, physice existens, dum ponitur: atqui sine novo consensu nil physice sensibile habetur, dum adimpletur conditio: consensus namque & verba præteriere, & conditio ad Sacramentum non spectat; ergo.

RESP. Quamvis Sacramenta alia a Conjugio, quando perficiuntur, actu aliquod sensibile, & physicum, velint; Sacramentum tamen Matrimonii hoc non requirit, cum Christus elevaverit contractum in Sacramentum, seu hoc instituerit Sacramentum per modum contractus, e cujus natura est, ut non semper exigat, dum perficitur, aliquod sensibile, & physicum, sed sufficit, quod illum virtualiter perseveret.

Discrimen Conjugium inter, & alia Sacramenta.

157 SUBDES. Conjugium est novæ

legis

legia Sacramentum physice productivum Gratiæ: sed ad physicam causalitatem necessaria est physica existentia causæ; ergo necesse est, quod, dum perficitur, physice existat. Sed sine novo consensu nil physicum est invenire; ergo.

Contractus quando perficitur.

RESP. Ad physicam cansalitatem ea existentia sufficit, quæ ad perfectionem contractus deservit, utpote Conjugium, ut sæpe dictum est, naturam contractus sortitur; in contractu autem de præsenti conditionato sat est, ut pro tempore, quo conditio verificatur, adsit perseverantia virtualis illius consensus, qui fuit ab initio expressus.

158 OBJIC. II. Sponsalia, purificata conditione, absque novo consensu transire nequeunt in Conjugium. Porro contractus conjugalis de præsenti sub conditione celebratus non aliam vim habet, quàm Sponsalium, ut dicitur Cap. *Super eo de conditionib. apposit.* — Nequaquam est nostræ defini-„ tioni adversum, cum hujusmodi consensus „ non sit de præsenti habendus, licèt per „ verba de præsenti evidentiùs exprimatur — Cap. *Per tuas* eodem tit. declaratur, contractum Viri, & Mulieris, per mutuum consensum de præsenti sub conditione consensus Patris, vim solam Sponsalium habere; adeoque potuisset Vir recedere, nisi thori cohabitatio accessisset. Hanc doctrinam propugnat S. Thomas in *Suppl. quæst.* 47. *art.* 5., ubi agens de conditionibus Conjugii habet de conditionato contingenti — Aut est con-„ tingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio „ Parentum, & tunc idem est judicium de „ tali consensu, sicut de consensu, qui fit „ per verba de futuro; unde non facit Ma-„ trimonium — Et ratio occurrit manifesta. Nam conditio neque est præsens in se, neque in sua causa, si semel est contingens; adeoque nequit certitudinem dare contractui.

Consensus de præsenti in duplici differentia.

RESP. In hoc plausibili argumento latet æquivocatio. Verba expressiva consensus de præsenti sunt in duplici genere; alia a contrahentibus assumuntur firma voluntate ex nunc contrahendi sub conditione; assumuntur alia animo contrahendi de futuro, quando conditio fuerit adimpleta: vulgarem namque habemus loquendi modum, per verba de præsenti significare id, quod erit de futuro, v. g. *Si obtinuero Petri hæreditatem, vendo tibi domum*. Qui primo modo contrahit, verum apponit consensum conditionatum de præsenti; & conditione impleta, contractus evadit absolutus, & perfectus. Qui verò secundo modo, non consentit de præsenti, sed satis innuit velle de futuro contrahere. Itaque Jura laudata, sicut & Angelicus, sermonem habent de mutuo consensu, præstito quidem de præsenti, sed juxta secundam intelligentiam mox enucleatam; ideoque contractus ille non alius est a Sponsalibus. Sed nos propugnamus contractum secundùm priorem considerationem; unde, purificata conditione, remanet Conjugium ita firmum, absolutumque, ac si ab initio nulla adfuisset conditio.

Dici etiam posset, contractus per mutuum consensum de præsenti, sub conditione de futuro, vero animo se obligandi celebratos, sumi posse dupliciter: prævie ad adimpletionem conditionis: & post ejusdem complementum. Prævie ad adimpletionem conditionis possunt resilire contrahentes, nec cogi possunt ad servandum contractum; unde meritò a Juribus, & a D. Thoma Sponsalia nuncupantur, quia in hoc iisdem æquiparantur. Secus accidit, secuto conditionis eventu. Propterea optime dixit Urbanus III. Cap. *Super eo*, quod cogendus non erat ad contrahendum, qui contraxerat sub conditione: *si Pater consenserit*, conditione nondum impleta. Caput *Per tuas* abs re affertur. Etenim ibidem Vir aperte fatetur, se Sponsalia, non Conjugium contraxisse; adeoque dubio-procul novus apponendus est consensus, ut Matrimonium habeatur. Attendi itaque debet animus contrahendi sub conditione: nempe an animus sit contrahendi de præsenti sub conditione de futuro: an talis sit, ut innuat nunc non contrahere, sed hoc velle tempore conditionis impletæ; quibus inspectis, evanescit instantia ex D. Thoma assumpta.

159 OBJIC. III. Consensus ab intrinseco insufficiens ad Conjugium, quandiu non transit ad esse perfectum, semper est ejusdem virtutis: sed per adventum conditionis consensus, qui erat insufficiens, intrinsece non perficitur, vel quia jam præteriit, vel quia interior actus animæ est, qui per adventum rei extrancæ nequit perfici; ergo novus exigitur consensus.

Conditionis eventus præexistentē explicat virtutem.

RESP. Primus consensus est plane ab intrinseco sufficiens, posita conditione: quia hac stante, simpliciter contrahentes obligat; quapropter conditionis eventus nec novum facit consensum, nec priorem perficit intrinsece, sed illud apponit, quod intendebat, ut suum sortiretur effectum. Aliqualiter explicari posset exemplo causæ completæ, & ex intrinsecis expeditæ ad agendum, sed impeditæ; hæc enim, sublato impedimento, nulla alia desiderata virtute, effectum producit.

160 OBJIC. IV. Contractus Conjugii exigit purum de præsenti consensum, atque ab eo regulatur: quod si purus non sit, dicetur alterius naturæ contractus: Conjugium namque consistit in actuali traditione, sed ille primus consensus, utpote conditionatus, non est purus; ergo novus requiritur.

Consensus conditionatus virtualiter perseverat;

RESP. Cum impræsentiarum ille prior consensus supponatur non retractatus ante conditionis eventum, plane fit, ipsum virtualiter perseverare, atque pro instanti adimpletæ conditionis fore præsentem, atque absolutum evadere, atque ita purum haberi effectum, ac si ab initio nulla fuisset apposita conditio; proindeque absque alio effectum sortitur actualis traditionis, ligaminis, atque obligationis. Hæc quippe natura est contractus conditionati, ut in absolutum transeat, purificata præcisa conditione.

161 OBJIC. V. Conjugium ob vinculi perpetuitatem consensum exigit perfectissimum, maximeque liberum: sed consensus conditionatus non est hujusmodi; ergo non sufficit.

RESP. Consensus, impleta conditione, perfectissimus, & plene liber, efficitur; sup-

Consensus conditionatus, impleta conditione, perfectissimus.

ponimus namque, quod ubi de præsenti Conjugium injerunt, nulla coactio, nullusve metus intervenerit, sed quod ultro invicem consenserint contrahentes.

162 OBJIC. VI. Ideo novus non exigitur consensus, quia per eventum conditionis transit secundùm Leges in absolutum, qui erat conditionatus: sed hoc non evincitur; ergo. Leges volunt, quod hujusmodi contractus conditionati solùm vim habeant obligandi ad contrahendum, ratione cujus a Judice compelli possunt, ut contrahant; nolunt tamen quod proprium effectum completi contractus, v. g. emptionis, sortiantur. Quare si Petrus dicat: emo ex nunc agrum tuum, si ex India pecunia mihi advenerit, & Paulus respondeat: vendo tibi ex nunc agrum meum, si tibi advenerit pecunia; purificata conditione, nequaquam contractus evadit completus in esse emptionis, sed tantummodo consurgit obligatio ad emptionem, & venditionem.

Lex favet conditionato contractui.

RESP. Argumentum est contra mentem, & verba Legis. Nam lex *Potior* superiùs relata dicit ita transire contractum in absolutum, ac si ab initio nulla adfuisset conditio: porro si ab initio nulla apposita fuisset conditio, dubio procul contractus fuisset completus, absolutusque in esse contractus, & non tantùm in esse promissionis obligatoriæ ad emendum; ergo similiter sentiendum est etsi contractus modo dicto sit condionatus.

163 OBJIC. VII. Impleta conditione, Pars quælibet resilire potest, tum quia præeligere valet oppositam Sententiam, tum quia compelli nequit ad Conjugium: atqui si contractus absque novo consensu foret completus, nulla Pars recedere posset; ergo.

Impleta conditione firmatur Conjugium.

RESP. Quando primo modo superiùs *num.* 158. explicato per verba de præsenti contractus fuit initus, neutra Pars recedere valet; quia firmatum est Conjugium. Et adest punctualis decisio in Cap. *super eo de condit. apposit.*, si semel responsio Pontificis formaliter correspondeat interrogatis. Seiscitatus namque fuerat, an qui consenserat de præsenti, si Pater ejus præstaret consensum, compelli posset ad consummandum Matrimonium; & respondit, ante Patris consensum non esse cogendum. Proinde ex vi legitimæ illationis inferri debet, quod, accedente Patris consensu, potuerit compelli. Sed in aperto est, quod nequaquam compelli potuisset ad consummandum, nisi perfectus, absolutusque fuisset contractus Conjugii, & sola adfuisset obligatio ad contrahendum; ergo supponit Pontifex, priorem consensum conditionatum, impleta conditione, transire in absolutum.

Nec urget, quod dicatur, qui sic contraxit, alteram adoptare posse Sententiam. Etenim notanda est doctrina, quam Cardenas in sua Crisi *Dissert.* 2. *cap.* 8. *n.* 516. prosequitur, nempe naturam Conjugii, eo quod omnimodam dicit perpetuitatem, atque indissolubilitatem, exigere, ut contrahentes seriò, & ea animo hanc summam intendant firmitatem; ideirco ablegent oportet quamcunque probabilem Sententiam, quæ quomodocunque perpetuæ cohabitationi opponatur; adeoque qui seriò, & ea animo de præsenti ex nunc contrahit sub conditione, ea impleta, nullimode alteram potest adoptare Sententiam.

164 OBJIC. VIII. Conjugium perfectum spirituale per solemnem Religiosam Professionem, ea consuetudine, quæ optima Legum interpres est, per primum consensum sub conditione positum non subsistit, nisi ea impleta, novus exhibeatur consensus; ergo pariter corporale Conjugium. Et ratio utrobique præsto est. Nam promissio ponit de præsenti obligationem, sed executionem suspendere valet, ideo conditionem admittit. Professio autem in ipsa executione per traditionem de præsenti consistit; adeoque non admittit suspensionem per conditionem de futuro. Quod enim sub rathiabitionis spe fit, licèt voce tunc fiat, fit tamen revera ut dependens a conditione, ita ut possit ratum haberi, vel irritari; unde cum in nullius sit potestate suspendere effectum Sacramenti in tempus futuræ rathiabitionis, & consequenter exponere Sacramentum nullitati, si irritetur, clare fit, Conjugium nullum esse sub spe rathiabitionis; quod si esse dicatur, injuria fit Sacramento.

Natura contractus in Conjugio.

RESP. Quidquid sit de solemni Religiosa Professione, hoc ipso enim quod per legitimam consuetudinem sub illis formulis non accepietur, firmatur regula in contrarium: Conjugium corporale ex certa Christi lege constitutum est per modum contractus civilis, cujus natura est, ut suspensivam admittat conditionem. Conjugium consistit in actuali executione traditionis, dum completur, & absolutum evadit; & hoc habet in nostro casu, impleta conditione.

Nec probroso discrimini exponitur Sacramentum; quoniam, ut sæpius dictum est, ad regulas humani, civilisque contractus est institutum.

165 OBJIC. IX. Nec valet, nec subsistit Conjugium, nisi coram Parocho, & Testibus, conditio verificetur, ubi Tridentinum adoptatum est: quia hujusmodi assistentia pertinet ad formam conjugalis contractus; sed si novus non esset necessarius consensus, haud necessaria foret illorum assistentia; ergo non subsistit, nisi renovetur consensus.

An debeat conditio verificari coram Parocho, & Testibus.

RESP. Hac super re duplex est opinio. Negat prima, fore necessarium, conditionem verificari coram Parocho, & Testibus, vel quod eisdem certò innotescat illius complementum. Et primò quidem, quia Concilii mens ea est, ne occulte contrahens transire possit ad alias nuptias; sed hoc ipso, quod ab initio coram Parocho, & Testibus exhibitus fuit consensus, jam hujusmodi periculum evanescit: Ecclesia siquidem nusquam aliud Conjugium permitteret; ergo. II. Parochi, & Testium præsentia est tantummodo necessaria ad testificandum de veritate contractus per mutuum consensum de præsenti celebrati, non autem ad omnes etsi necessarias circumstantias comprobandas. Hinc potest Parochus, illicite quidem, sed tamen valide, assistere Conjugio Affinium, ignorata dispensatione, vel Matrimonio inter ab-

sentes

sentes celebrato, etiamsi ei non constet de facultate Procuratoris &c. III. Si tempore suspensæ conditionis maritaliter cohabitent, in utroque Foro valet Conjugium, etsi hæc cohabitatio Parocho non innotescat; tunc enim censetur, renunciasse conditioni.

Opinio altera sequenda docet, complementum conditionis innotescere debere Parocho, & Testibus. Quia horum præsentia est necessaria, ut essentialis, & constitutiva, solemnitati Conjugii in esse perfecto, & absoluto. Ut enim vidimus, contractus ille non est perfectus, absolutusque nisi per conditionis eventum; propterea ipsis palam fieri debet conditionis complementum, ut substantialis habeatur forma, & de ea possint testimonium reddere; quod non contingeret, si ipsos lateret. In casibus autem primæ opinionis nihil adest suspendens de præsenti perfectionem contractus; siquidem supponitur facultas in Procuratore, & dispensatio inter Affines, quamvis occulta sint Parocho, & Testibus, unde Testea fiunt de vero Conjugio in re absoluto.

CONTROVERSIA X.

AN CONDITIO PERPETUI VOTI CASTITATIS ANTE COHABITATIONEM IN PACTUM DEDUCTA, IRRITET CONJUGIUM.

Quæstio instituitur de conditione perpetui voti Castitatis; eadem nihilominus versatur difficultas circa conditionem voti Religionis. Quare quod dicitur de uno, intelligendum venit de altero.

DICENDUM est, conditionem perpetui voti castitatis ante cohabitationem, etiam in pactum deductam, non irritare Conjugium.

166 PROB. I. Si Contrahentes castitatis voto essent adstricti, legitime contraherent Matrimonium, & etiam licite: ut in Conjugio Deiparæ contigit; sed quod deducatur in pactum, non immutat nec voti, nec Conjugii naturam; ergo illa conditio etiam in pactum deducta non irritat Conjugium. Et sane ratio videtur evidens. Nam quod secundùm se non destruit naturam contractus, neque destruit per reflexam illius volitionem, & pactum; sicut quod secundùm se est licitum, per reflexam volitionem, & pactum, nullimode illicitum efficitur: quia pactum cadit super illud, quod licitum est, & substantiam contractus non impedit.

Votum naturam Conjugii non vitiat.

167 PROB. II. Dubio-procul substantia Conjugii consistit in radicali jure cohabitationis thori; actualis enim cohabitatio, vel proxima facultas ad cohabitandum non est de illius essentia, ut Fides docet; ideo ab instanti celebrati Conjugii possunt Nupti ex mutuo consensu perpetuam vovere castitatem. Sed conditio illa etiam in pactum deducta proximam tantummodo aufert cohabitandi potestatem, ablegatque jus proximum, servato jure radicali, immo hoc præsupponitur, quoniam volunt de facto se mutuo tradere in actu primo, sed sub conditione non transeundi ad actum secundum; ergo non irritat Conjugium.

Jus radicale cohabitationis thori ad essentiã spectat.

168 PROB. III. Ex D. Thoma *in Suppl. quæst.* 48. *art.* 1. *in corp.* — Matrimonium „ non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis — Et Ibid. *ad* 4. — Initiatum Matrimonium respondet consummato, sicut habitus, vel potentia, actui, qui est operatio — Itidem *art.* 2. *ad* 5. — Ipsa unio „ est signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, & non operatio unitorum — Ex quibus sequens instituitur argumentum. Quotiescunque actus primus sejungi potest a secundo, unus sine alio valet subsistere, itidemque primum intendi sine secundo: sed substantia Conjugii ex laudata doctrina consistit in actu primo separabili a secundo; ergo substantia Conjugii intendi potest, voluntarie rejecta carnali conjunctione; ergo in pactum deduci potest. Nam per aliam volitionem inducentem obligationem velle nolitionem actus secundi non destruit actum primum, ut in aperto est; porro obligatio firmata per pactum, est de non ponendo actum secundum. Clariùs elucidatur. Possibilitas actus optime componitur cum impossibilitate futuritionis ejusdem actus; unde in Prædestinato damnatio possibilis est, & est impossibilis futura damnatio, seu futuritio damnationis. Et hæc duo non opponuntur; quia possibilitas attenditur penes actum primum, liberum, & completum: futuritio autem penes actum secundum. Sicut in præmotio ad materiale peccati, juxta Thomistarum Sententiam, est possibilis evitatio peccati, & est impossibilis futura peccati evitatio; & quia præmotio afficit actum secundum, ideo impossibilem efficit futuritionem, non destruendo ejusdem possibilitatem. Consimiliter pactum de nunquam cohabitando carnaliter afficit futuritionem, non destruendo possibilitatem; adeoque Conjugii substantiam indemnem relinquit.

Actus secundus a primo separabilis.

169 PROB. IV. Ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 7. *vers.* 5. possunt Conjuges, mutuo consensu, a carnalibus abstinere, ut orationi vacent: *nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; ergo etiam possunt contrahentes deducere in pactum temporariam continentiam, salvo Conjugio, ut rebus incumbant divinis, immo etiam possunt statim a contracto Conjugio ad perpetuam continentiam se obligare; ergo similiter poterunt antecedenter, salvâ Matrimonii substantiâ eandem in pactum adducere. Nam Conjugium licèt potestatem tribuat ad thorum, non tamen obligat nisi ad placitum contrahentium; ergo ex obligatoria conventione hoc placitum absque destructione substantiæ abdicare possunt. Res clarescet exemplo. Contractus Societatis juxta plurimorum Doctorum Sententiam subsistit etiam accedente pacto assecurationis capitalis, immo etiam rationabilis partis fructuum, vi duplicis formalis, vel virtualis contractus; quia verò unus non destruit naturam alterius respectu diversi subjecti, neque destruit respectu ejusdem; & quia unus contractus successive superadditus alium non vitiat, neque

Conjugium non obligat ad thorum, nisi ad placitum contrahentium.

vitiat,

vitiat, si uterque insimul habeatur. Natura contractus Societatis exigit æqualitatem periculi capitalis; & tamen per alium contractum, quo redimitur periculum capitalis per venditionem incerti lucri, quod est fructus contractus Societatis, securus evadit. Ita proportione servata, Conjugium consistit in mutuo jure ad thorum, cujus usus est, ut sic dicamus, fructus; possunt Conjuges mutuo reflexo consensu, seu per alium contractum recusare jus executivum istius fructus, atque sese inhabiles reddere ad executionem usus ejusmodi, seu hujusce fructus consecutionem.

170 PROB. V. Juxta Philosophorum effatum posterius absque priori esse nequit, bene verò e contra prius sine posteriori subsistit; sed respectus ad thorum est posterior ad vinculum conjugale: est enim -- Comes, „ & non effectus Conjugii, officium, & non „ vinculum -- ut docet ex principiis Augustini Hugo a S. Victore *lib. de incorrupta Deipara Virginitate*; poterit ergo stare conjugale vinculum absque illo respectu, seu consensu. Doctrina Augustini est, essentialem Conjugii finem esse tantummodo naturalem in diverso sexu societatem. Nam *lib. de bono conjugali cap.* 1. postquam ostendit, creatum hominem, ut societatis vinculo vitam agat, primamque societatem fuisse virum inter, & mulierem, habet -- Consequens est connexio „ societatis in filiis, qui unus honestus fru„ ctus est, non conjunctionis maris, & fœ„ minæ, sed concubitus; poterat enim esse „ in utroque sexu, etiam sine tali commix„ tione alterius regentis, alterius obsequen„ tis amicabilis quædam, & germana co„ njunctio -- Idem repetit *Cap.* 3. explicans, quale sit bonum Conjugii -- Quid mihi non „ videtur propter solam filiorum procrea„ tionem, sed propter ipsam etiam natura„ lem in diverso sexu societatem -- Et hoc fuit dictum Quintiliani *Declam.* 368., Taciti *lib.* 4., Spartiani *in Vita Imperatoris Ælii veri.* -- Matrimonia a natura sunt inventa, ut im„ becilior sexus præsidium mutua societate „ sortiatur. Uxor enim dignitatis nomen „ est, non voluptatis --. Itaque finis præcipuus Matrimonii est, ut adversùs pericula, & calamitates, societas vitæ utriusque sexus obsequiis, præsidio, & solatiis juvetur.

Mutua societas finis Conjugii.

Hinc fit, quod Conjugium absque ullo respectu ad maritale commercium fuerit definitum per ordinem ad hanc societatem. Sic Magister 4. *Dist.* 27. -- Matrimonium est „ viri, mulierisque conjunctio inter le„ gitimas personas vitam insolubilem reti„ nens -- Et §. *Nuptiæ Instit. de Patria potest.* „ Viri, & mulieris conjunctio individuam vi„ tæ consuetudinem tenens -- *In Decretis* Co„ njunctio maris, & fœminæ inter personas „ legitimas individuam vitæ consuetudinem retinens -- In his essentia Conjugii salvatur absque ullo prorsus respectu, & consensu ad thorum.

Conjugium definitur sine ordine ad thorum.

Et sane ex quo circa rem potissimùm perpetuam detur respectu fundi directum dominium, quod est circa proprietatem, & dominium utile, quod versatur circa usumfructum, potest institui contractus circa directum, nulla habita ratione de dominio utili; sed dubio-procul in Conjugio duplex datur dominium, directum, quod circa corpora versatur, ut docet Apostolus 1. *ad Corinth.* 7., & utile circa usum thori; ergo celebrari valet contractus quoad primum, excluso secundo.

Quibus adde, quod ex Conjugio duæ dimanant obligationes; prima negativa de non cognoscenda aliena; positiva altera, de usu corporis, si exigatur. Prima consequitur infallibiliter Conjugium; secus altera: nam frangens fidem jus amittit ad thorum: & ex mutuo consensu abdicari potest. Ergo in prima totum bonum fidei servari potest; secunda excludi valet per pactum, salvo jure directo, quod est absolutum.

ADVERSANTIUM MOTIVA DISSOLVUNTUR.

171 OBJIC. I. Catholicus Conjugium contrahens, juxta intentionem Auctoris Conjugii contrahere debet: sed Conjugium ad prolis procreationem institutum est; ergo in contractu excludi non valet maritale commercium; ergo sub præsenti providentia apponi nequit, salvâ Conjugii substantiâ, conditio abdicativa juris cohabitandi. Minorem probat Thomas Hurtadus Scripturis, Patribus, & præcipue ex Augustino, Thoma, & Cajetano.

RESP. Argumentum hoc apud Adversarios tam celebre pluribus corruit. Et primò in ipsos regeritur. Quia neque valide contraheretur Conjugium ab habentibus simplex votum castitatis, isti namque habent impedimentum contrarium fini institutionis. Nec etiam, contracto Conjugio, possent, mutuo consensu, in perpetuum a maritali commercio abstinere; hoc quippe fini, & institutioni adversaretur. Quod si dicatur hoc posse fieri; quia unusquisque juri suo cedit. Nos similiter dicimus, illud fieri posse; cum unusquisque velit in instanti celebrationis contractus juri suo cedere, & hanc cessionem pacto firmare.

II. Haud est necesse ad salvandam essentiam Conjugii, quod omnis finis intendatur; sed sufficit intentio primarii. Hic porro est naturalis in utroque sexu societas, quæ negative se habet ad filiorum procreationem; & propterea ex mutuo consensu excludi valet ordo ad conjugale commercium.

Non omnis finis Conjugii intendi debet.

III. Conjugium est ordinatum ad procreationem, ut dicit dominium tam directum, quàm utile; ex causa verò potest valide in pactum deduci dominium directum, in quo absolute vinculi essentia servatur, excludendo utile dominium.

IV. In ipso utili dominio radicalis potestas a proxima, itidem radicale a jure proximo discriminantur: sed ex rationabili motivo potest contrahens, pacto, abdicare, & excludere jus proximum, existente radicali; ergo.

V. In ipso utili dominio datur possibilitas actus, ejusdemque futuritio, si juxta insti-

institutionem exigatur: atqui futuritio potest fieri impossibilis, salva possibilitate actus; ergo. Argumentum itaque verificatur in contractu prout communiter, & ut in plurimum celebratur; secus in casu particulari, atque rarò contingenti.

172 OBJIC. II. Conjugii essentia sita est in facultate petendi, reddendique debitum: sed per obligationem se mutuò non cognoscendi in pactum deductam privatur quis jure prædicto; ergo destruitur Conjugii essentia.

RESP. Ex argumento inferri deberet, Conjugium scienter celebratum ab his, qui perpetuo castitatis vinculo sunt obstricti, nullum fore; vi siquidem voti nequeunt petere, aut reddere debitum. Hinc dicimus I. Essentia Conjugii consistit in directo personarum dominio; secus in dominio utili, cujus est prædicta facultas. II. Consistit in radicali potentia, & possibilitate actus; non verò in proxima, & futuritionis. Obligatio autem in pactum deducta adversatur obligationi futuritionis. III. Jus petendi, atque reddendi debitum non est absolutum, nec necessarium. Quia tale jus solùm involvit obligationem reddendi, si petatur, & petendi, si nupti velint; non est enim de substantia absoluta executio actus. Per pactum verò a se abdicant voluntariam petitionem; adeoque non adest contrarietas circa idem.

Jus radicale de essentia Conjugii.

173 OBJIC. III. Quamvis obligatio orta a virtute Religionis non opponatur substantiæ Conjugii, ea tamen, quæ oritur ex justitia, oppositionem importat: quia directè adversatur obligationi, quæ est ex justitia in Conjugio, quod dicit jus se cognoscendi; sicut non censetur Simonia aliquod temporale pro spirituali ex gratitudine conferre: benè verò si deducatur in pactum. Sed obligatio ex pacto se abstinendi a carnali commercio est obligatio ex justitia; ergo opponitur substantiæ Conjugii.

RESP. Perperàm dicitur, obligationem ortam ex Religione Conjugium non dissolvere, si semel substantiæ adversetur Conjugii; unde votum solemne dirimit: quia substantiæ contrariatur; simplex verò non destruit: quia non substantiæ, sed solummodo usui opponitur. Ita similiter obligatio ex justitia, quæ cum substantia non componitur, solvit Conjugium; secus quæ usum impedit. Obligatio in pactum relata, usui, non substantiæ, contraria est, ut vidimus.

Quid opponatur substantiæ Conjugii.

174 OBJIC. IV. Ita se habent ad Conjugii substantiam pactiones obligatoriæ ad non usum, sicut pactiones obligatoriæ ad non servandam fidem, ad evitandam prolis generationem. In utroque namque casu pactiones non radicalem potentiam, sed proximam afficiunt; siquidem in hoc contractu: *Contraho, si tui copiam facias Petro*, ponitur proxima obligatio ad frangendam fidem, salva radicali obligatione ad eam observandam. Sed pactiones hujusmodi juxta commune placitum irritum reddunt Conjugium; ergo & illæ.

RESP. Adversus secundas pactiones stat Decretum Gregorii IX. Cap. *Finali de condition. apposit.*; secus adversùs primas. Sic brevibus posset responderi ad argumentum. Verùm dicimus, pactiones secundi generis apponi posse ut afficientes secundùm se Matrimonium, & ut obligationes illius; posse etiam apponi ut afficientes tantummodo usum, ejusdemque obligationem. Si primo modo apponantur, solvunt Conjugium, & radicali obligationi adversantur; & in hoc sensu adoptanda est communis Sententia. Si verò secundo modo apponantur, non irritant Conjugium, ut bene docet N. Gabriel. Pactiones autem in nostro casu secundi generis sunt; quare essentiam Conjugii non vitiant. Deinde apertum est discrimen primas inter, & secundas pactiones. Secundæ pactiones versantur circa proprietates necessarias, absolutas, quæque impediri non possunt. *Contraho tecum, si tui copiam feceris Petro*, respicit fidem: *Contraho tecum, si prolem evites*, bonum respicit generationis: *Contraho tecum, solummodo ad Patris usque adventum*, ad perpetuitatem spectat; quæ omnia impediti nequaquam possunt; ideirco, inito Conjugio, nequeunt, mutuo consensu, dissolvere vinculum, suique copiam aliis facere. Secus accidit in primis pactionibus: Nam jus cohabitationis non est absolutum, sed conditionatum. Hinc per adulterium amittitur, & mutuo consensu possunt post celebratum Conjugium se eo jure spoliare: Unde mirum non est, quod possint illud in pactum deducere.

Pactiones in Conjugio dupliciter possunt apponi.

175 OBJIC. V. Sententia nostra directè adversatur menti Angelici Doctoris, qui *in Suppl. quæst.* 47. *art.* 5. loquendo de conditionibus, habet -- Conditio apposita,
„ aut est de præsenti, aut de futuro. Si de
„ præsenti, & non est contraria Matrimo-
„ nio, sive sit honesta, sive non honesta,
„ stat Matrimonium, stante conditione, &
„ ea non stante, non stat -- Sentit itaque, omnem conditionem Matrimonio contrariam illud solvere. Et *quæst. seq. art.* 1. *ad* 3. ait --
„ Illa conditio explicata non solùm actui,
„ sed potestati contrariatur copulæ carnalis;
„ & ideo est contraria Matrimonio -- Porro conditio illa non alia erat, nisi quæ a nobis propugnatur, ut compossibilis cum valore Conjugii: videlicet -- Consentio in te, ut
„ non cognoscas me --

RESP. Nequaquam nobis adversatur Angelicus; cum in iisdem laudatis locis substantiam Conjugii in potentia radicali constituat, & pactum, de quo in conclusione, operationem respicit, proximamque expeditam potentiam. Primus itaque locus intelligitur de contrarietate dominii directi, vel de ea inferente, de conditione scilicet non translativa dominii corporum. Locus alter intelligitur similiter de contrarietate potentiæ proximæ; & conditio huic opposita irritat contractum, quando una Pars contrahens tantummodo ponit eam exceptionem, alterâ reclamante, utpote quæ absque ulla utilis dominii exceptione vult contrahere. In *art.* 2. *quæst.* 48. sibi objicit quarto loco, quod Conjugium unionem Christi cum Ecclesia significat, & consequenter Conjugium contrahi non posse ob turpem causam; cui reponit --
„ Quod

Mens Angelici aperitur.

„ Quod ipsa unio est signum conjunctionis „ Christi, & Ecclesiæ, & non operatio oni„ torum ; & ideo ratio non sequitur — Unio itaque substantiam facit Conjngii ; hæc verò per consensum translativum corporum efficitur ; pactum autem, de quo impræsentiarum, afficit potentiam proxime expeditam ad operationem, & eam impedit, ligatque.

176 OBJIC. VI. Ut aliquid sit contrarium, irritansque Conjugium, sat est, quod negative opponatur fini illius, etsi positive, & contrarie, non adversetur; ideoque naturalis impotentia ad cohabitationem thori illud irritat. Sed pactio perpetuæ continentiæ saltem negative fini Conjugii opponitur; ergo est irritativa. Dictum est *saltem negative*; siquidem obligatio ad non cohabitandum contrariatur positive obligationi ad cohabitandum, ut in aperto est.

Oppositio negativa duplex.

RESP. Opponi negative fini Conjugii stat dupliciter; primò ita ut negatio physicam actus possibilitatem, & naturalem, supponat, & solummodo neget executionem ad finem consequendum necessariam; secundo modo, ita quod negatio non supponat possibilitatem physicam, naturalemque, ideoque negative dicatur opponi, quia non datur potentia in actum. Secondæ conditionis est oppositio per impotentiam naturalem. Cum verò oppositio est juxta primam considerationem non irritat Conjugium. Siquidem Contrahentes scienter cum voto castitatis legitime Matrimonium ineunt; & tamen habent impedimentum fini Conjugii negative contrarium, immo etiam positive, quia uterque adstringitur ad non petendum, reddendumve debitum; ergo similiter non irritabitur Conjugium, si, expressa pactione, conveniant ad votum servandum, & ad illam servandam obligationem; proindeque neque irritabitur pactum immediatum, cum hoc non aliud habet objectum, nisi id, quod per prævium illud votum intendebatur.

Adversariorum plausibilis Sententia est, votum valere, si quis vero animo vovendi, & se obligandi, seu promittendi, voveat, cum animo tamen illud non adimplendi: eo quod voti essentia in illa prima formalitate consistit, cum secunda ad executionem spectet; ergo subsistet Conjugium, quoties verificabitur promissio translativa dominii corporum, & obligativa radicaliter, etiamsi adsit animus pactione firmatus illo jure nusquam utendi, cum hoc ad lineam spectet executivam. Est quidem discrimen votum inter, & Conjugium: quod executio in voto est debita, nec solo voventis arbitrio prætermitti potest: sed in Conjugio executio non est debita absolute, ideo mutuo consensu valet ablegari; quare in voto animus ille reprobatur, laudatur verò in Conjugio.

177 OBJIC. VII. Obligatio vitandi prolem, inito Conjugio, ejusdem substantiæ contrariatur: sed obligatio se non cognoscendi, est virtualis obligatio vitandi prolem; ergo.

RESP. Latet æquivocatio in argumento. Prima propositio vera est in eo, qui contrahit, volens habere maritale commercium, prolis tamen exclusa generatione; secus si contrahens ex honesto fine a cohabitatione thori velit abstinere. Obligatio igitur vitandi prolem, orta ex obligatione non utendi jure conjugali, ut est in contrahentibus castitatis vinculo, seu pactione adstrictis, non est contraria substantiæ Conjugii; adeoque non refragatur, immo perficit Matrimonium, dicente Augustino *lib. 1. de Nupt., & Concupisc. cap. 11.* — Absit, ut inter illos vincu„ lum conjugale rumpatur, immo firmius „ erit, quo magis ea pacta inierint, quæ „ charità, concordiisque servanda sunt, non „ voluntariis corporum nexibus, sed volun„ tariis affectibus animorum — Itaque cum dicitur, obligationem vitandi prolem substantiæ Conjugii esse adversam, hoc debet intelligi, existente usu thori; secus si maritale commercium non habeatur.

Vitatio prolis non semper adversa Conjugio.

178 OBJIC. VIII. Consensus in conjugalem societatem est consensus essentialiter in tria bona Conjugii, nempe, indissolubilitatem, fidem, prolemque suscipiendam: sed pactum se non cognoscendi tertio bono Conjugii adversatur; ergo, qui sic suum assensum determinat, clare ostendit, se verum nolle inire Matrimonium, sicut si in pactum deduceret fidei violationem, vel ipsius dissolutionem; qui enim bona Conjugii refugit, itidem ipsum Conjugium refugit.

RESP. Utique consensus in societatem Conjugii est similiter consensus in bona ejusdem; sed in potestate, & radicali aptitudine. Pactum castitatis repugnat tertio bono quoad actum futuritionis; secus quoad aptitudinem, & possibilitatem. Aliàs pactum impediendi præcise futuritionem prolis non innuit animum non contrahendi, sicut hoc non innuit votum priùs emissum; pactum siquidem non immutat Conjugii substantiam, cum idem habeat objectum voti præcedentis ad Conjugium, quod ad lineam executivam pertinet. Placet tamen iterum advertere discrimen, quod intercedit inter conditiones frangendi fidem, perpetuitatem, procurationem sterilitatis, & conditionem se non cognoscendi. Fides namque, perpetuitas, jus suscipiendi prolem, sunt absolute bona consequentia Conjugium, quæ impediri non possunt; jus verò se cognoscendi, ex mutuo consensu, sicut etiam ex crimine, impediri valet. Quapropter primæ conditiones in pactum deductæ, possunt irritum reddere Conjugium, sicut & Sponsalia, si apponantur, ut adimplendæ post Conjugium; secus conditio altera.

Quæ conditiones contrariæ Conjugio.

179 OBJIC. IX. Sicut de ratione donationis, causâ mortis, est, quod revocari possit, ita de ratione Conjugii est jus, & exigentia cohabitationis thori: sed si donationi prædictæ addatur conditio, ut sit irrevocabilis, jam transit in alium contractum, & prior corruit; ergo si Conjugio adjiciatur conditio de non cohabitando, non amplius erit contractus Conjugii, sed alterius generis.

RESP. Perperàm applicatur Juris civilis doctrina. I. Si quis causâ mortis, servatis juribus, donationem faciat, deinde Sacramento, vel promissione, se adstringat ad illam non revocandam, adhuc donatio illa censetur,

Irrevocatio unde habeatur.

tur causâ mortis, & non tranſit in donationem inter vivos; quia irrevocatio non habetur ex intrinſecis donationis, ſed ex alio ſuperaddito contractui; ſicut videre eſt in contractu ſocietatis, ubi per alium contractum aſſecuratur capitale. II. In conjugali contractu radicale jus, non autem executio eſt de illius ſubſtantia.

180 OBJIC. X. Ideo pactum illud non eſt irritativum, quia proximam tantummodo obligationem afficit, ligatque, non autem radicalem: ſed etiam ligamen ſolius proximæ potentiæ irritat Conjugium, ut palam fit in eo, qui perpetuam habet impotentiam ab extrinſeco, ratione maleficii, ubi radicalis viget potentia, proximâ ſolummodo impeditâ; ergo.

RESP. Illa impotentia, liberâ contrahentium voluntate, auferri non poteſt; adeoque ſpeciem induit violentiæ. Pactum verò ex mutuo conſenſu appoſitum voluntarium eſt; adeoque ſubſtantiam non afficit.

181 OBJIC. XI. Pactum ſe non cognoſcendi opponitur Conjugio, ſicut opponitur impedimentum dirimens: utrumque ſiquidem inhabilem reddit perſonam: illud ad jus petendi, iſtud ad contrahendum; ſed impedimentum dirimens, ſi ſubſequatur, non ſolvit Conjugium, ſecus ſi antecedat; ergo pariter pactum illud, ſi ſubſequatur, non deſtruet Conjugii ſubſtantiam, ſecus ſi præcedat; unde corruit recantatum exemplum de continentiæ voto, quod Conjuges poſt Matrimonium valent elicere.

RESP. Major propoſitio falsò aſſeritur. Impedimentum ſiquidem dirimens abſolute opponitur ſubſtantiæ Conjugii, & inhabilem conſtituit ad translationem dominii; quam non impedit pactum, cujus objectum, ut ſæpenumero innuimus, eſt ſola uſus executio, & futuritio. Dirimens impedimentum ſi ſubſequatur, nec ſolvit Conjugium, nec impedit cohabitationem thori; quam tamen votum, & pactum impediunt. Unde & ipſi Adverſarii circa hoc ſolvere debent paritatem. Porro repetitur exemplum de voto; quia clare oſtenditur per illud, ſicut per pactum, impediri jus proximum, & actus futuritionem, ſalvâ Conjugii ſubſtantiâ.

Impedimentū dirimens circa ſubſtantiā verſatur.

182 OBJIC. XII. Analogantur corporale Conjugium, & ſpirituale: ſed nullum eſt ſpirituale Conjugium Profeſſionis Religioſæ, ſi profitens veram habet voluntatem vovendi, & promittendi, ſed nequaquam ſe obligandi, ſecus ſi ſolùm haberet animum vota non adimplendi; ergo nullum plane eſt corporale Conjugium, ſi quis velit ſeriò contrahere, & promittere, ſed non ſe obligare ad cohabitationem, ſecus autem ſi ſolummodo haberet animum non cohabitandi; unde vis tota, & robor hujus, & ſimilium conditionum, conſiſtit in ratione obligationis.

RESP. Nonnulli hoc argumento noſtram Sententiam roboratam volunt, quatenus Cap. *Inſinuante, qui Clerici vel voventes* admittitur validum votum Monachale ſub conditione manendi in domo cum omni propria ſubſtantia; & tamen abdicatio proprietatis eſt de eſſentia voti paupertatis. Itaque in ſpirituali Conjugio eſt eſſentialis voluntas ſe obligandi, ſecus voluntas exequendi, atque adimplendi promiſſa. Sic in corporali Conjugio eſt eſſentialis voluntas ſe radicaliter obligandi, ſed non voluntas exequendi, adimplendique; pactum verò, de quo in noſtra Aſſertione, hujus quidem lineæ eſt, non autem prioris. Dicitur enim: *Contrahimus, ſed ſub conditione, ut nos mutuò non cognoſcamus*; non dicitur: *ut non habeamus poſſibilitatem ad nos cognoſcendos*. Et quamvis abſolute majus aliquid ſit obligatio, quàm ſimplex voluntas, tamen eadem ſubſiſtit ratio; quia objectum ſimplicis voluntatis, & pacti illius obligantis, idem eſt, videlicet ſecundariæ, non primariæ lineæ. Et ſane, ſi animum habeo nubendi, ſed non transferendi corporis dominium, etſi in pactum non deducatur, nullum efficitur Matrimonium: quia lineam reſpicit primordialem; ſi verò animum habeo transferendi dominium, ſed quia voto ligatus, non eſt mihi voluntas uſquam illo dominio utendi, Matrimonium utique validum erit: quia hoc ad ſecundariam lineam pertinet. Cur ergo, ſi voluntas iſta deducatur in pactum, irritum faciet Conjugium, cum obligatio orta ex conventione idem ſortiatur objectum lineæ ſecundariæ, atque executivæ? Stat itaque obligatio juſtitiæ ad poſſe petere, & ad jus poſſibilis cohabitationis ex capite conjugalis cohabitationis exorta; ſtat itidem obligatio juſtitiæ ad nuſquam cohabitandum, ſeu ad nunquam utendum poſſibilitate, orta ex pacto; non enim circa diverſa repugnant obligationes ex juſtitia a diverſis principiis emanatæ. Quamvis multiplicatio præceptorum non multiplicet obligationes, ſi tamen diverſis ſub motivis multiplicentur, multiplicantur obligationes; unde fit, quod una eademque omiſſio ad plures peccatorum ſpecies pertineat, ut de actibus humanis traditur. Ita non eſt cenſendum inconveniens, quod in eodem contractu circa diverſos reſpectus occurrant motiva obligantia in linea juſtitiæ.

Executio voti non ſpectat ad eſſentiam.

CONTROVERSIA XI.

AN CONSENSUS GRAVI METU INJUSTE INCUSSO EXTORTUS IRRITUM REDDAT JURE NATURÆ MATRIMONIUM.

Coactio per vim, & metum, illata opponitur libertati, quæ potiſſimùm ad electionem perpetui ſtatus neceſſaria eſt; ideo ad examen revocandum eſt, qualis coactio libertatem auferat ad valorem Conjugii requiſitam.

183 Supponimus communem metus definitionem a Juriſtis traditam, atque a Theologis adoptatam, videlicet — Metus „ eſt inſtantis, vel futuri periculi causâ, „ mentis trepidatio — Primaria diſtinctione dividitur in metum gravem cadentem in Virum conſtantem; & in levem, qui eſſe poteſt Viri inconſtantis. Uterque oriri valet

Definitio, & diviſio metus.

a causa necessaria, ut a morte instante, a naufragio, a bello, a peste, & hujusmodi; & a causa libera, ab homine v. g. minante alteri necem, nisi nubat. Metus, qui est a causa libera, juste incuti potest, ut cum Judex Criminoso ultimum minatur supplicium; & injuste, ut cum Latro vitam auferre intentat, nisi Viator eroget pecuniam.

Quantum ad rem nostram, metus injuste valet incuti ad extorquendum Conjugium: & tunc per se ad hoc ordinatur; vel potest ad aliom finem incuti, pro quo declinando Matrimonium eligitur: & tunc per accidens respicit conjugalem contractum. Impræsentiarum de his agendum est. Quoniam verò resolutiones a notione primæ divisionis dependent, ideo brevi calamo conditiones gravis metus innuere operæ pretium erit.

Quinque assignari solent conditiones ad gravem metum constituendum necessariæ.

Conditiones ad metum gravem.

Prima est, quod malum intentatum sit grave. Non enim est constantis Viri, levibus moveri; & tunc grave censetur, non solùm quando individuæ personæ, quod minatur, incommodum natum est afferre, sed etiam ubi imminet malum iis, qui cum ipso unam personam ratione conjunctionis videntur efficere, ut sunt Uxor, Parentes, Filii ex legitimo Matrimonio usque ad quartum gradum, Frater, ceterique collaterales Consanguinei, & Affines, ad quos referuntur ii, qui arctissimo amicitiæ vinculo conjuncti sunt. Secunda est, ut quis prudenter judicet sibi tale malum imminere. Si enim imprudens est, levibus concutietur conjecturis. Tertia, ut incutiens malum potens sit illud exequi. Quarta, ut metum incutiens sollitus sit exequi, quod minatur. Quinta demum ut patiens non possit facili negotio intentato malo obsistere.

Quid sit malum grave.

Grave malum revocari solet ad malum in corpore, in bonis famæ, in bonis fortunæ, in bonis spiritualibus per majorem excommunicationem. Hoc tamen grave malum non intelligitur absolute, sed comparative. Nam quod grave erit respectu unius, tale non erit respectu alterius; quod enim sufficiet ad terrendum senem, puerum, fœminam, non erit sufficiens ad terrendum militem, virum equestrem &c. Non est tamen Viri constantis eligere peccatum ad aliquod ex præcitatis malis evitandum; quia peccatum est summum malum, cui nequit fieri comparatio, etsi tantummodo sit veniale. His positis

DICENDUM est, Conjugium contractum ex metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum, non esse irritum Jure naturæ.

Metus gravis non tollit voluntarium simpliciter.

184 PROB. I. Quoties contrahens de re sua consensu simpliciter voluntario disponit, toties contractus jure naturæ est validus; siquidem ex natura rei nil aliud exquiritur, nisi dominium rei, quæ traditur, & voluntarietas in traditione. Contrahens Conjugium ex metu gravi de re sua disponit: cum sit Dominus sui corporis; & consensu simpliciter voluntario disponit: quoniam metus gravis non tollit voluntarium simpliciter, utpote qui non tollit intrinseca liberi arbitrii constitutiva, & cum ipso potest quis velle absolute id, ad quod cogitur. Et sane metus gravis ejusdem rationis, ejusdemque efficaciæ est quoad libertatem lædendam, sive juste, sive injuste incutiatur: sive a libera, sive a naturali causa proveniat; sed juste, & a naturali causa incussus, ut omnibus in aperto est, non tollit voluntarium simpliciter; ergo similiter si ex causa libera, & injuste incutiatur. Conjugium itaque contractum ex metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum nullatenus irritum est Jure naturæ.

Metus non adversatur substantiæ Conjugii.

185 PROB. II. Quod ex natura rei non opponitur substantiæ Conjugii, quod vinculum perpetuum dicit, non efficit illud Jure naturæ irritum: sed metus gravis non adversatur substantiæ Conjugii; ergo. Prob. min. Nam licèt coactio, sub qua quis passive solummodo se habet, perpetuitati opponatur, cum nihil violentum perpetuum; coactio tamen, sub qua quis active operando libere eligit, non contrariatur perpetuitati: quia hanc ultro amplectitur; ergo. Porro active se gerere, qui metum patitur, ex eo innotescit, quod sibi imminens incommodum ficte exteriùs contrahendo evadere posset, ut plerique Doctores relati a P. Viva *Prop. 29. Innoc. XI. num.* 12. docent; adeoque si interiùs consentit, jam in aperto est, hoc medium præ alio libere eligere ad intentatum malum evitandum.

Baptismus metu susceptus valet.

186 PROB. III. Non minùs Conjugium inducit vinculum perpetuum, quàm Baptismus: sed Baptismus susceptus ab eo, qui interiorem habet voluntatem illum suscipiendi, subsistit, & valet, etsi gravis metus cum gravi injuria patientis ad hunc finem incutiatur; ergo etiam Sacramentum Conjugii valebit.

187 PROB. IV. Ideo Jure naturæ irritum efficeretur Matrimonium in casu conclusionis; quia metum patienti gravis irrogatur injuria, quæ reparari nequaquam potest, nisi ad priorem libertatem reducatur patiens, ita ut a conjugali vinculo remaneat absolutus. Porro propter hoc motivum, Conjugium non redditur nullum; & facilè evincitur. Siquidem, si Judex abutendo allegatis, & probatis, injustæ mortis Sententiam alicui comminaretur ob privatum finem intentum, gravissimam sane irrogaret injuriam: & tamen si patiens ad effugiendum supremum fatum, cum filia Judicis contraheret, valeret utique Conjugium; non itaque gravissima injuria reddit nullum.

Gravis metus non impedit finem Conjugii.

188 PROB. V. Si Matrimonium ex metu gravi contractum esset Jure naturæ irritum, hoc potissimùm foret, quia fines ipsius impediuntur, cum non habeatur animorum conjunctio in mutuo amore radicata. Hoc perperàm affertur. Siquidem cum aliqua licèt diminutione ex parte objecti plena adinveniri potest deliberatio consensus dilectivi: ut cum quis vel deformem, vel rixosam, aut vetulam, propter divitias ducit Uxorem; non enim est tota plenitudo dilectionis ex parte objecti. Hoc itidem accidit, si gravis metus interveniat: fertur contrahens in Conjugium, quatenus grave malum, quod timet, vitatur: quæ consideratio est ratio imminuens ex parte objecti; ea nihilominus

nus ftante, & movente, in Conjugem plena fertur deliberatione, proindeque electione absolute dilectiva. Hoc explicari valet exemplo attritionis, quæ abfolute peccata deteftatur fecundùm omnem malitiam, quamvis ex motivo gehennæ fugiendæ oriatur.

189 Poffet roborari Affertio exemplo folemnis Religiofæ Profeffionis ex gravi metu elicitæ, quæ Jure naturæ non eft invalida; & tamen non folùm involvit perpetuitatem, fed alia infimul graviffima onera. Quoniam verò objectionum diffolutione firmior Sententia noftra evadet; ideo alio non indigemus fubfidio. Non inficias imus, oppofitam opinionem celebres habere Patronos, qui ipfam momentis, & auctoritate, probabilem reddunt.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

190 OBJIC. I. Sicut Deus non nifi bonum acceptat, ita non nifi bonum conjungit; fed Deus coacta Sacrificia renuit; ergo coacta non jungit Conjugia. Et utriufque ratio præftò eft; quia nullum bonum nifi voluntarium.

RESP. Deus utique coacta non approbat Sacrificia, cum Sacrificans prorfus paffive fe habet; fecus cum active Sacrificium peragitur. Non execratur Deus thuris oblationem, fi violenter, coacta nempe manu, illud Idolo fuerit incenfum; bene verò fi voluntas confenferit. Voluntas namque coacta vera voluntas eft l. *Si mulier §. penult. ff. quod metus causâ*. Et ratio affertur Cap. *Merito 15. q. 1. ex Aug. q. 24. in fum.* Peccata per metum commiffa non funt peccata nolentium; quia licèt peccans nollet peccare, cum peccatum fecundùm fe fpectatum difpliceat, attamen hìc, & nunc, libere adoptatur, ut congruum medium ad præcavendum quod imminet malum. Ita in noftro cafu.

Voluntas coacta vera voluntas eft.

191 OBJIC. II. Tota Conjugii obligatio oritur ex natura rei a contrahentis arbitrio: cum electio ftatus cuilibet libere competat; fed neceffitas compellens naturaliter voluntati repugnat; ergo Conjugium initum voluntarie, fed neceffitate impellente, erit illegitimum.

RESP. Neceffitas dupliciter repugnare dicitur voluntati; vel ita quod compulfio tantummodo fit injuriofa; vel ita quod impediat confenfum elicere. Quando prima adeft compulfio, Conjugium intelligitur illegitimum quoad licitum, faltem ex parte compellentis; quando fecunda intervenit, Conjugium eft abfolute illegitimum, invalidumque. Verum falsò afferitur, metum gravem illud irritum facere; fiquidem confenfus in Matrimonium eft ab intrinfeco cum plena omnium circumftantiarum cognitione, quæ perfectum voluntarium fimpliciter conftituit.

Neceffitas dupliciter voluntati repugnat.

192 OBJIC. III. Ita fe habet metus ad conjugalem contrahendam obligationem, ficut ad ejufdem adimplementum. fed ex natura rei nulla urget obligatio executionis, imminente metu cadente in Virum conftantem, v. g. fub periculo mortis; ergo nulla itidem contrahitur obligatio in cafu metus conjugalis.

RESP. Paritas non evincit. Plura namque executionem impediunt, quæ ejufdem productioni officere non valent; ut videre eft in votis, legibus, & juramentis. Executio ad actum fecundum fpectat, productio ad actum primum. faciliùs autem, & frequentiùs, ftat actus primus fine fecundo; pluraque infuper ad hunc, quàm ad alium requiruntur. Ut obligationem contrahat, qui metum patitur, fat eft, quod abfolute volens contrahat; ut verò ad adimplementum teneatur, requiritur, quod grave incommodum non occurrat, cum nemo unus adftringatur ad id exequendum, unde grave damnum timet.

Plura ad actum fecundum, quàm ad primum.

193 OBJIC. IV. Sicut Jure naturæ facienti injuriam fraus patrocinari non debet, ita patienti non debet nocere: fed injuria metu illata noceret, fi caufa foret, atque conjugalis obligationis fundamentum; ergo dicendum eft, Iure naturæ nullum fore Conjugium metu gravi contractum.

RESP. Fraus utique nemini patrocinatur; quia nemo impune alteri irrogat injuriam. Nam juxta Juris difpofitionem fraudulentus non confequitur, quod intendit, cum repellatur a confecutione boni intentati; tenetur itidem reparare damna, quæ inde alius paffus eft. Injuriam patiens non debet juxta æquitatis leges detrimentum pati; verùm fæpe irreparabiliter metus nocet. Nemo debet injuriam pati, nec cuiquam hæc nocere debet; fed patiens ipfe nocumentum eligit. Porro in cafu patiens ipfe fundamentum conjugalis obligationis, nempe confenfum, eligit.

Fraus nemini patrocinatur.

194 OBJIC. V. Quamvis metus ad alios fines incuffus non impediat voluntarii fubftantiam, huic tamen adverfatur, fi ad extorquendum Conjugium fuerit incuffus. Etenim in aliis cafibus voluntas non determinatur a metu ad hoc eligendum medium, fed fub illo metu ipfa hoc ultro eligit; in noftro cafu vi metus determinatur voluntas ad hoc medium, unde fuppofita voluntate evitandi malum, neceffitatur ad propofitum medium adoptandum, proindeque vere læditur libertas, minuiturque. Sed jus, immo voluntas evitandi malum, eft juxta naturæ principia; ergo nullum fpectato naturæ Jure effe deberet Conjugium vi metus electum.

RESP. Inftantia utique momentum perpendit, quod a Iure infpectum fuit, ut nullum redderet Matrimonium gravi metu contractum; tamen non eft fufficiens ad illud irritum declarandum Jure naturæ. Major namque, & minor illa determinatio, cum fit accidentaria, fpeciem non mutat; & aliàs non impedit, quin confenfus fit fimpliciter voluntarius; quod fane evincitur, ex quo internum confenfum apponat, cum cæteriùs tantùm ad imminens malum evitandum potuiffet metum patiens contrahere; ficut fi medium electum foret peccaminofum, electio ipfa peccatum involveret, quod nullum effet fine voluntario.

Voluntarius confenfus eft metu componitur.

195 OBJIC. VI. Naturali Jure Conjugium perfectiffimam importat duorum

unionem mutuo amore firmatam; ſed contractos gravi metu initus hanc unionem non connotat: nemo enim per amorem perfecte ei unitur, cui invitus adhæret; ergo naturali Jure Conjugium gravem metum excludit.

Metus non impedit translationem dominii.

RESP. Conjugium conſiderari debet ſecundùm eſſentialia, & ſecundùm connaturalia. Primo modo importat translationem dominii; ſecundo modo importat eandem translationem cum ſuis perfectionibus. Voluntarium ſimpliciter eſt ſufficiens, jure naturæ ſpectato, ad transferendum dominium inter Conjoges; ſecus ad transferendum illud connaturaliter, ſeu perfecte. Falsò tamen aſſeritur, vi coactionis impediri perfectam unionem; cum voluntas poſſit abſolute ferri in objectum, cui unitur. Hinc ſtat, quod timore pœnæ peccator ſimpliciter deteſtetur delectabile, quod eſt in peccato, & quamcumque inſimul formalitatem, quæ ſecundùm ſe non habet oppoſitionem cum pœna. Et ratio utrobique eadem eſt; quia, ſtante, licèt imminuta, ratione motiva ad electionem, voluntas toto conatu fertur in rem electam ſecundùm ſe.

196 OBJIC. VII. Contractui, qui perpetuam inducit obligationem, Jure naturæ repugnat coactio: violentia namque tollit perpetuitatem; ſed Conjugium eſſentialiter importat vinculum quovis tempore indiſſolubile; ergo Jure naturæ eidem repugnat coactio. Quod dicebat S. Thomas *in Suppl. quæſt.* 47. *art.* 3. *ad* 2. -- Ad Matri„ monium non ſufficit quodcunque volun„ tarium, ſed voluntarium complete; quia „ debet eſſe perpetuum; & ideo per violen„ tum mixtum impeditur — Et *in* 4. *Diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. -- Dicendum „ quod vinculum Matrimonii perpetuum eſt; „ unde illud quod perpetuitati repugnat, „ tollit Matrimonium. Metus autem, qui „ cadit in conſtantem Virum, perpetuita„ tem contractus tollit; quia poteſt peti re„ ſtitutio in integrum; & ideo hæc coactio „ tollit Matrimonium, & non alia --

Coactio adverſatur connaturalitati Conjugii.

RESP. Argumentum habet inſtantiam in Conjugio inito ex metu juſte incuſſo. Coactio itaque adverſatur connaturalitati ſtatus perpetui; ſecus eſſentiæ. Quare Matrimonium voluntarie eligitur; ſicut videre eſt in perpetuo carcere, aut exilio, ex optione electo potius quàm ignominioſam mortem ſubire. Quia tamen connaturalitas ſtatus plurimùm ad bonum commune deſervit; ideo ratio in argumento producta juſtiſſimum cenſetur fundamentum Conjugia hujuſmodi irritandi; ad quod attendebat S. Thomas aſſignans cauſam, ob quam Eccleſia decrevit reſtitutionem in integrum.

197 OBJIC. VIII. Jus naturæ dictat, omnem injuriam in eodem genere bonorum, in quo eſt illata, reparandam eſſe: ſed injuria Matrimonio illata per metum, non aliter reparari valet, niſi per diſſolutionem; ergo cum Matrimonium ſemel valide celebratum ſit indiſſolubile, plane fit, prævie nullum eſſe cenſendum.

Non omnis injuria reparari poteſt.

RESP. Plures ſunt injuriæ, quæ in eodem genere boni ſunt irreparabiles; ut mutilationes, homicidia, ſtuprationes, & hujuſmodi. Et loquendo de metu, ſi quis graviter perteritus ſuſcipiat Baptiſmum, utique graviſſimam patitur injuriam: cum Baptiſmus perpetuum vinculum inducat; & tamen illa injuria nequit reparari. Hoc idem evenit in noſtro caſu. Aliàs non eſt cenſendum irritum Conjugium; quia ut ſæpe dictum eſt, ad valide contrahendum ſufficit voluntarium ſimpliciter, quod etiam in caſu adinvenitur.

198 OBJIC. IX. Majorem exquirit libertatem contractus conjugalis, quàm contractus lucrativi in bonis fortunæ. Hujuſmodi contractus gravi metu initi Jure naturæ cenſentur irriti; quia donationes, cum ſint puræ liberalitatis, plenam volunt libertatem: qui enim donat, vult rem in nullo caſu ad ſe reverti, ut habetur l. *Donationes, de Donat.* Hinc eſt, quod l. 28. *Tit.* 11. *p.* 3. præſcribitur, ut qui alium gravi metu ad contrahendum adegit, teneatur acquiſitum per talem contractum reſtituere; quod clare innuit non eſſe translatum dominium. Similiter itaque dicendum eſt de contractu conjugali.

Contractus metu initi reſcindi poſſunt.

RESP. Perperàm dicitur, hujuſmodi contractus nullos eſſe Jure naturæ; immo neque ipſo facto ſunt nulli humano Jure. Quia tamen a metu aliqualiter vitiantur, reſcindi a Judice poſſunt; & irriti quandoque dicuntur, quia de facili irritabiles. Et quamvis qui rem aliquam per metum graviter incuſſum ſibi acquiſivit, illam teneatur reddere, non inde colligere fas eſt, dominium non fore translatum; non enim dominium eſſentialiter importat jus utendi pro libito re ſua, ut videre eſt in re fideicommiſſaria, quæ alienari non poteſt. Quoniam verò dominium non eſt undequaque perfectum; ideo ſtat cum obligatione reſtitutionis.

199 OBJIC. X. Conjugium, quod non eſt abſolute indiſſolubile, nequit validum affirmari Jure naturæ: cum ex eodem Jure perpetuum vinculum importet; ſed metu gravi contractum non eſt abſolute indiſſolubile: quoniam per leges Eccleſiæ diſſolvitur; ergo.

Matrimonium ab Eccleſia nuſquam diſſolvitur.

RESP. In argumento latet æquivocatio. Conjugium legitime celebratum non eſt a Jure Eccleſiaſtico ſolubile; ſed dicitur, quod diſſolvi poſſit, ex quo impediri valet, ne fiat, inhabiles reddendo perſonas ad contrahendum. Hoc modo Eccleſia nullum effecit Conjugium clandeſtinum; non quidem diſſolvendo priora, ſed apponendo formam, ſub qua impoſterum celebrandum eſt Matrimonium, qua deficiente, ipſo facto irrita cenſentur. Ita impræſentiarum decrevit Eccleſia, perſonam gravi metu coactam inhabilem eſſe ad contrahendum, ſeu, quod in idem redit, declaravit, conſenſum ſub gravi metu elicitum non eſſe legitimum.

Ex hac doctrina enervatur aliud Adverſantium momentum; videlicet, legem naturalem ſcriptam eſſe in cordibus noſtris, atque eſſe æternam, adeoque nullimode deſtrui poſſe per Jus humanum. Enervatur, inquam, quia humanum Jus non agit in deſtructionem legis naturæ, ſed conditiones ponit neceſſarias pro valore civilis contractus,

qui

qui est legitima Conjugii materia. Etenim, ut sæpe dictum est, Conjugium spectat ad legem naturæ, prout est in officium naturæ: ad legem civilem, prout tendit in bonum Reipublicæ: ad legem divinam, prout est Sacramentum. Quare licèt spectatis iis, quæ Juris naturæ sunt, Conjugium tum clandestinum, tum ex metu gravi initum, sit legitimum; tamen attendendo ad Ecclesiasticam legem nullum est. Plura siquidem sunt ordinis naturæ, quæ diriguntur, perficiunturque a lege humana, quæ inter est conjugalis contractus.

200 OBJIC. XI. Si Conjugium ex gravi metu initum secundùm naturæ Jura validum foret, apud Infideles esset indissolubile: hoc falsum est, ut *Disp. IV.* vidimus; ergo Jure naturæ est invalidum; cum lex Ecclesiastica non afficiat Infideles.

RESP. Apud Ethnicos sicut validum censetur clandestinum Conjugium: ita etsi contractum ex metu gravi, dummodo Principum Jura non aliud decreverint; adeoque est indissolubile. Et quamvis dissolvi possit per conversionem unius ad Fidem; solvitur tamen a Supremo Legislatore, a Deo nempe, ob bonum Fidei.

Apud Infideles Conjugiu validum.

201 OBJIC. XII. Ex communi effato Conjugium metu gravi contractum Invalidum est; sed non est invalidum Jure Ecclesiastico: nullum namque peculiare Decretum afferri potest, quo Ecclesia illud nullum reddat, & ante quodlibet Decretum ex Traditione censebatur nullum; ergo. Si quæ Jura adduci valent Ecclesiastica, hæc sunt Juris naturalis declaratoria: dicunt siquidem, nullum esse, quia Conjugium perficitur consensu: proindeque arbitrantur, sufficientem consensum deficere; consensus porro Juris naturalis est; adeoque Jure naturæ essentialis intervenit defectus.

RESP. Solutio hujus Argumenti constabit ex dicendis sequenti Controversia.

CONTROVERSIA XII.

AN CONJUGIUM METU GRAVI INITUM, IPSO FACTO, JURE ECCLESIASTICO, SIT NULLUM.

DICENDUM est, ipso facto nullum esse, jure Ecclesiastico, Conjugium gravi metu contractum.

202 PROB. I. ex Alexandro III. Cap. *Cum locum, De Sponsal.*, & *Matrim.* -- „ Cum locum non habeat consensus, ubi „ metus, vel coactio, intercedit, necesse „ est, ut ubi assensus cujusquam requiritur, „ coactionis materia repellatur. Matrimo„ nium autem solo consensu contrahitur: & „ ubi de ipso quæritur, plena debet securi„ tate ille gaudere, cujus est animus Inda„ gandus, ne per timorem dicat sibi place„ re, quod odit, & sequatur exitus, qui „ de invitis solet nuptiis provenire. Quo circa „ mandamus &c. -- Notandum quod ubi asserit Pontifex, locum non habere consensum, quando metus intervenit, non loqui-

Cum gravi metu fiat consensus.

A tur de consensu absoluto; universaliter quippe falsum est, sub gravi metu ipsum non dari; immo Ecclesia illum supponit, ut declarat S. Thomas 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3., & *in Suppl. quæst.* 47. *art.* 3., ubi rem declarat dicendo -- Unde Ecclesia præsumit eum „ consensisse, sed judicat, consensum illum „ extortum non esse sufficientem ad facien„ dum Matrimonium --

Laudatus Pontifex Cap. *Significavit, de eo, qui duxit* concedit accedere ad secundam, qui coactus primam duxerat -- Mandamus quatenus si constiterit, quod eidem „ tanta vis illata fuerit, quod non sponte in „ primam consenserit, nec, post præstitum

B „ juramentum, ipsam carnaliter cognoverit, „ propter hoc non dimittas, quin ad aliam, „ quam postea in Uxorem accepit, rever„ tendi liberam tribuas facultatem -- Cum supponat Pontifex Virum coactè consensisse, invalidum declarat Matrimonium.

Consultus idem Pontifex de Nuptiis a Viro coactè initis cum puella, cum qua inventus fuerat post Sponsalia celebrata, & copulam habitam cum alia, respondit Cap. *Veniens, de Sponsal.* -- Si inveneris, quod pri„ mam post fidem præstitam cognovit, ipsum „ cum ea facias remanere; alioquin secun„ dæ, nisi metu coactus, qui posset in Vi-

C „ rum constantem cadere, eam desponsave„ rit, adhærere facias ut Uxori --

Ejusdem labii est Honorius III. Cap. *Consultationi, de Sponsal.*, & *Matrim.* sermonem habens de Mulieribus, quæ accepta benedictione aufugiunt adhuc integræ, asserentes se nusquam consensisse veraciter, sed metu illato compulsas verba protulisse consensus, licèt animo dissentirent -- Non sta„ tim, *inquit Pontifex*, est audientia dene„ ganda: sed de illato metu est eum dili„ gentia inquirendum; & si talis metus in„ veniatur illatus, qui cadere potuit in con„ stantem Virum, erunt non immeritò au-

D „ diendæ --

203 PROB. II. Corporale Conjugium, ut sæpe innuimus, cum spirituali per Religiosam Professionem celebrato analogatur: sed Religiosa Professio ex gravi metu emissa irrita est juxta Ecclesiastici Juris Sanctiones Cap. *Perlatum, de his, qua vi*; ergo etiam nullum est corporale Connubium. Utrobique æqualis ratio adinvenitur in his, quæ Juris naturæ sunt: utrobique perpetuum vinculum; adeoque eadem Ecclesiastici Juris dispositio; unde sicut in spirituali Conjugio plena libertas desideratur, ita in corporali.

Professio Religiosa metu gravi emissa est irrita.

E 204 PROB. III. Non minùs solicita est Ecclesia in præcavendis malis, quæ ex spiritualibus contractibus, seu cum iisdem connexis, quàm Respublica quoad politicos contractus; sed hæc irritandos decernit politicos contractus aliàs jure naturæ validos, ex gravi metu celebratos l. *Si mulier* 21. §. *fin. Quod metus causa*, & l. ultima *C. de his, qua vi*, ubi donationes, venditiones, & hujusmodi, quæ per vim extortæ sunt, præcipitur infirmari; ergo Ecclesia eos impedire debuit, nullosque declarare a principio; quia conjugalis contractus semel validus indissolubilis est.

205 PROB.

Ecclesia de Sacramentorum veneratione sollicita.

205 PROB. IV. Ecclesia ex data sibi potestate in ædificationem disposuit in Sacramentorum administratione ritus quosdam, vel ad majorem suscipientium utilitatem, vel ad majorem Sacramentorum venerationem, ex Trident. *Sess.* 21. *cap.* 2.: sed Conjugium est Sacramentum significativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ prorsus libera fuit; ergo Ecclesia meritò decernere debuit, nullum fore Conjugium, nisi prorsus libere contractum.

DISSOLVUNTUR OBJECTA.

206 OBJIC. I. Majori efficacià lex naturalis ad commune bonum ordinatur, quàm lex humana: sed non obstante quod contractus conjugalis ex gravi metu injuste incusso, jure naturæ, bono communi adversetur, adhuc, spectata naturæ lege, irritus esse nequit; ergo non obstante quod tale Conjugium vergat in damnum commune, nequit ab humano Jure irritari; & quidem ex eodem principio, nempe, quia lex humana nequit impedire voluntarium simpliciter.

RESP. Dubio-procul naturalis lex ad commune bonum ordinatur, nec rationem legis haberet, nisi ad illud tenderet. Ceterum nulla assignari valet lex naturæ positiva circa valorem Matrimonii gravi metu celebrati; sed Jus naturæ tantummodo præscribit, sufficere ad legitimum contractum voluntarium simpliciter, quod metu compulsus habere potest. Quoniam verò Jus idem præcipit, nemini faciendum esse injuriam; hinc fit, illicitos Jure naturæ censeri hujusmodi contractus. Unde Ecclesia irritans Conjugium ex metu initum nullam naturalem legem abrogat, nec voluntarium simpliciter tullit; sed conditionem apponit, sub qua idem voluntarium insufficiens efficitur materia Conjugii; quo pacto loquimur de clandestino Matrimonio. Jus namque naturæ positive non præceptivum, sed sumptum præcise negative quoad directionem humano Juri subditur; quà positâ, aliqua evadunt illicita, invalida alia.

Jus naturæ ab humano dirigibile.

207 OBJIC. II. Sicut Conjugium est Sacramentum per modum contractus, ita Pœnitentia est Sacramentum per modum judicii: sed Ecclesia irritare non valet Sacramentum Pœnitentiæ ex gravi metu administratum; ergo neque Conjugium. Et sane si Sacerdos ex gravi metu injuste incusso dispositum absolvat pœnitentem, Sacramentum perficit; quia Ministri intentio est simpliciter voluntaria, licèt involuntaria secundùm quid; & Ecclesia nullatenus illud irritare potest, sicut contingit in Baptismo, qui ex gravi metu susceptus, aut administratus non frustratur, quamvis careat sui status connaturalitate. Ex quo igitur Jure naturæ valet Connubium gravi metu contractum, non potest ab Ecclesia irritari, aut inhabilem reddendo personam ad contrahendum, aut insufficientem, illegitimumque efficiendo materiam.

Discrimen Conjugium inter, & alia Sacramenta.

RESP. Quædam Sacramenta, ut suo apte loco vidimus, fuere a Christo instituta formâ, & materiâ omnino determinatis, taliter ut nil quoad ea valeat disponere Ecclesia; Conjugium verò institutum fuit solummodo quoad determinationem contractus legitimi. Quoniam verò contractus quoad esse legitimum regulatur a lege, hinc fit, dispositione legis hujusmodi, contractum, qui antea erat legitimus, nullum evadere. De hac re in Sacramento reconciliationis exemplum occurrit. Christus elevavit, seu instituit pro Ministro hujus Sacramenti legitimum Judicem; porro ad Ecclesiam spectat legitimum designare, jurisdictionem conferendo.

208 OBJIC. III. Nequit Ecclesia sua lege cogere ad peccatum. Si irritaret Conjugium ex metu gravi initum, cogeret ad peccatum. Siquidem vel coactus, interiùs non consentiret: & foret mendax; vel consentiret: & sacrilegus evaderet, quia materiam, & formam apponeret materiæ ineptæ, sicut si Sacerdos indispositum vellet absolvere, aut conficere Eucharistiam in cervisia, coactus ex gravi metu injuste incusso. Nequit itaque Ecclesia Conjugium ex gravi metu initum sua lege facere nullum.

Coactus non peccat proferendo verba consensus.

RESP. Coactus eo in casu utroque modo potest se gerere. Potest interiùs non consentire, & solùm exteriùs proferre verba consensus, subintellecta conditione ad evitandum malum, vel si debeo; & tunc non est mendax; quia ex circumstantiis satis advertere potest cogens sibi non irrogari injuriam, cum alter illi per verum consensum correspondere non teneatur. Nec sacrilegus dicendus est; quia non est injurius Sacramento; nullam enim apposuit materiam, & formam. Potest etiam interiùs consentire, quin sit sacrilegus; quia ipse irritum non facit Sacramentum, sed consensum apponit ad mortem evitandam, quem consensum irritavit Ecclesia, nullum efficiens contractum ex metu initum; unde contrahens non apposuit veram materiam, veramque formam, quæ in libero consensu consistit, nec intendit Sacramentum facere. Si enim sciens consensum illum non esse aptum, nihilotamen minus intenderet facere Sacramentum, tunc irrisor esset, graviter peccaret; sicut qui vellet consecrare cervisiam intendens facere Sacramentum, sciens esse materiam prorsus ineptam. Non ergo in patiente metum intervenit peccatum; aliàs deberet potius subire mortem, & non esset Vir constans. Qui verò timorem incutit dubio-procul gravis criminis reus est.

209 DICES. Ecclesia approbare nequit simulatam Sacramentorum administrationem. Porro simulatio Sacramenti ex metu gravi prorsus illicita est juxta Propositionem 29. ab Innocentio XI. proscriptam videlicet -- Urgens metus gravis est causa „ justa Sacramentorum administrationem simulandi -- Et sane Conjugium ex metu celebratum a simulatione non valet excusari; quoniam, ubi in facie Ecclesiæ metum patiens externum profert consensum, sive cum animo, sive absque illo, simulat Conjugii Sacramentum efficere. Ultrò conceduntur

cedunt Auctores, simulatam esse absolutionem, adeoque lethaliter peccaminosam, quam ficte ex gravi metu impertitur Sacerdos. Quidquid autem in casu absolutionis occurrit, in casu Matrimonii invenire est. Etenim sicut consensus sub gravi metu non est valida, & propria materia, & forma Conjugii, ita nec absolutionis verba absque intentione, seu ficte prolata sunt propria Sacramenti reconciliationis forma; & sicut Christus nisi legitimum consensum elevavit, ita nisi veram formam absolutionis: ubi elevavit verba, nil addidit præter elevationem, similiter ubi elevavit contractum, nil addidit præter elevationem. Quare dicendum videtur, Ecclesiam non irritasse Conjugium gravi metu contractum.

Conjugium inter, & Pœnitentiam discrimen.

RESP. In casu absolutionis directe expostulatur Sacramentum, cui fictam apponere formam sacrilegum est; ideoque in casu fictæ absolutionis nulla suppetit excusatio a simulatione. In casu verò Conjugii directe exquiritur contractus, ad quem si sit legitimus, consequitur Sacramentum. Contrahens igitur ex metu fingit contractum, qui hoc ipso quod non est legitimus, non censetur Sacramenti materia; quare nec fingit, nec significat, se ponere requisitam Sacramenti materiam. Si directe postularetur Sacramentum, Sacramentumque facere intenderet, eadem plane ratio foret, neque a sacrilega simulatione posset expurgari; unde sicut in primo casu Sacerdos in persona Christi falsum proferret judicium, ita in secundo in persona ejusdem falsum Conjugium efficeret.

210 OBJIC. IV. Ecclesia dissolvere nequit Jus naturæ præscribens teneri, qui metum incutit, ad nutum innocentis Partem alteram ducere uxorem: cum prædictum Jus decernat, in eodem ordine reparandam esse injuriam; sed Jus hujusmodi, irritato contractu, nullum foret, cum ex contractu nullo nulla oriatur obligatio; ergo hunc nec irritavit, nec irritare potuit Ecclesia.

Incutiens metum tenetur ad contrahendum.

RESP. Indubie tenetur incutiens metum, si unus sit ex contrahentibus, ducere deceptum Conjugem, si iste velit; & quidem non tantùm ubi damnum aliquod aliunde ei illatum est, sed ex vi illatæ injuriæ, ne ex delicto commodum reportet. Nec expectanda est Judicis Sententia. Non enim tenetur ratione pœnæ pro delicto, sed vi naturalis obligationis; quod colligitur ex Cap. 1. *De eo, qui duxit*, & ex l. *Fin. Tit. 2. p. 4.*, ubi innocenti datur optio, & reo declaratur obligatio, quæ ex qualitate injuriæ, quæ gravissima est, exoritur. Matrimonium enim perpetuam involvens vitæ societatem res maximi momenti meritò censetur. Hinc fit, cogentem, prudentis arbitrio, expectare debere, an innocens inire velit Conjugium; hic tamen resilire potest, etiam altero invito, cum nullius criminis sit reus.

211 OBJIC. V. Tantundem in meticuloso operatur levis metus, in filio metus reverentialis, blanditiæ in filia, importunæ preces in amico, quantùm in Viro forti gravis metus operatur: hæc namque omnia A & molestant animum, eumque flectunt ad amplectendum, quæ non placent; sed priores species metus, Jure Ecclesiastico, Conjugium non irritant: aliàs pleraque Conjugia claudicarent, & dubietates undique emergerent, cum nullum ferme celebretur Matrimonium, in quo non aliquid occurrat hujusmodi; ergo.

Notio levis metus.

RESP. Ut plana evadat solutio, notes velim, quod metus, qui levis censetur respectu unius, gravis esse potest respectu alterius, & absolute, omnibusque inspectis levis esse potest. Dein metus reverentialis in filio, in uxore, in subdito &c., alius est B simplex: ut pudor quidam, & verecundia ad denegandum, quod Superioribus arridet; alius verò mixtus: ut cum ex denegato consensu Parentes, & Superiores, graviter indignantur, atque in indignatione perseverant, vel minis, verbis, vel factis, aspere cum renuentibus se habent. Blanditiæ itidem & ordinariæ, & excessivæ esse possunt. Preces similiter dicuntur importunæ, vel quia aliquoties repetitæ, vel quia instantissimæ, & a Superioribus adhibitæ. Itaque metus absolute levis, reverentialis, blanditiæ, preces in priori sensu usurpatæ non idem operantur, ac metus gravis injuste incussus; C cum prædicta facili negotio depellantur. Unde Conjugium non irritant; & quamvis aliqualiter libertatem minuere videantur, nihilominus compossibilia sunt cum mutuo dilectivo consensu ad contrahendum requisito. Hinc a Jure non inspiciuntur; & meritò sana. Hæc namque in humanis quotidie occurrunt; unde si dissolverent contractus, omnia perturbarentur.

Si verò prædicta aliter intelligas, gravi metui injusto æquiparantur, irritantque Conjugium. Profectò durum nimis est filio, uxori, subdito, sustinere Parentes, Maritum, Superiores, indignatos, male tractan- D tes; & blanditiæ, precesque importunæ a Superiori, secus ab æquali, vel inferiori, adhibitæ gravissimam inferunt molestiam, atque Conjugium dissolvunt ex Regul. 4. *ff. de Regul. juris* — Velle non creditur, qui „ obsequitur imperio Patris, vel Domini — Hæc tamen intelligenda sunt, quando metus ex prænarratis proveniens dat causam contractui; non verò ubi sub primordiis occasionaliter movet, indeque voluntas libere, & absque vi operatur.

212 OBJIC. VI. Æque lædit libertatem metus gravis a naturali, vel libera causa, juste, vel injuste ad alios fines illatus, E ac lædat metus injuste incussus ad extorquendum Conjugium: utrobique enim violentia, & coactio interveniunt; sed ille non irritat Conjugium; ergo neque iste.

Metus a causa necessaria non irritat Conjugium.

RESP. Quamvis, spectato metu in ordine ad libertatem, nullum in prædictis intervenire discrimen videatur, si tamen momenta perpendantur, quibus Ecclesia Conjugium in secundo casu irritavit, plana occurrit disparitas. Quando metus a causa necessaria incutitur, puta a peste, naufragio, infirmitate, & hujusmodi, contractus omnino ab intrinseco eligitur, & metus ipse ab

ab intrinseco oritur ; nullus enim est , qui vim inferat, nullus, qui injuriam faciat ; unde valet Conjugium , nec ab Ecclesia irritatur , nec finis Conjugii periclitatur , cum ex deliberatione eligatur Matrimonium .

Quando metus juste infertur a causa libera, sive ad extorquendum Conjugium, sive non , validum esse censetur ; quia revera sic contrahens non dicitur cogi ab extrinseco , nec injuriam pati , sed a se ipso cogitur , sibique metum facit ratione delicti ; habetur namque Cap. *Si mulier de eo , quod metus causa* — Tunc sibi metum ipsa infert — quod firmatur praxi utriusque Fori pœnis, & censuris cogentis ad hujusmodi nuptias . Itidem ubi metus injuste a causa libera est, non quidem ad extorquendum contractum , sed ad alios fines, non irritatur . Nam electio Conjugii ultrò a contrahente adoptatur, & non ab aggressore causatur · siquidem metus ille occasionaliter se habet , & ad Conjugium per accidens movet ; proinde voluntarie a contrahente assumitur ad imminens malum evitandum . Plura hac super re omittimus , cum facilè apud morales Theologos occurrant .

CONTROVERSIA XIII.

AN CONSENSUS EX ERRORE CIRCA PERSONAM APPOSITUS IRRITET OMNI JURE CONJUGIUM .

213 IN celebrandis Nuptiis intervenire potest error: vel circa personam, ut cum quis intendit cum una contrahere , & supponitur alia : vel circa conditionem , ut cum pro libera subrogatur Serva : vel circa qualitatem intrinsecam , ut cum loco Virginis , nobilis , pulchræ , exhibetur ignobilis , corrupta , turpis ; demum circa extrinsecam qualitatem , ut cum pauper , vel sine dote adinvenitur , quæ dives , vel dotata , credebatur . Error itidem alius est antecedens , quem Juristæ dantem causam contractui nuncupant , quia causam tribuit , ut contractus fiat , siquidem absque eo nullatenus haberetur ; concomitans alter , qui incidens vocatur , quique non movet , sed ita concomitatur , ut adhuc fieret contractus, etsi detegeretur . Porro error , de quo impræsentiarum , potest esse vincibilis , & ut ajunt crassus , & prudens ; sicut etiam invincibilis . Nunc primùm ad examen reducitur error circa Personam .

Error explicatur .

DICENDUM, consensum ex errore appositum , seu errorem circa substantiam , seu personam , omni Jure , irritare Conjugium .

214 PROB. I. Ex D. Thoma *in Suppl. quæst.* 51. *art.* 1. — Consensus aliquid voluntarium nominat . Sed error impedit voluntarium ; quia voluntarium secundùm Philosophum , & Gregorium Nyssenum , & Damascenum , est , cujus principium est in aliquo sciente singularia , in quibus est actus — Sed qui errat circa Personam non habet voluntarium , cum non habeat scientiam , approbat enim falsa pro veris : & aliàs voluntarium , omni Jure spectato , est essentiale ad valorem Conjugii ; ergo error circa Personam irritat , omni Jure , Conjugium .

Error opponitur voluntario .

215 PROB. II. Consensus est Matrimonio essentialis : sed l. *Si per errorem ff. de jurisdict. omn. judic.* nihil est — tam contrarium consensui , quàm error — ergo error circa Personam Matrimonium impedit .

216 PROB. III. Ex Eugenio IV. *in Instruct. Armenorum* . Consensus legitimus est efficiens causa Conjugii : sed error circa Personam est incompossibilis cum legitimo consensu , hic quippe est determinatus , & qui consentit contrahere v. g. cum Berta , non consentit contrahere cum Joanna ; ergo .

Consensus ab errore destruitur .

217 PROB. IV. Quoties primarium , & essentiale objectum consensus deficit , toties necessariò ipse deficit consensus : sed ubi est error circa Personam, primarium , & essentiale objectum consensus deficit ; ergo . Primarium, & essentiale objectum non aliud est nisi ipsa individua Persona : nam Conjugium est conjugalis unio ad individuam vitæ societatem ; ergo ubi datur error circa Personam consensus desideratur ; proindeque ex natura rei nullus est contractus .

Objectum consensus determinatum .

218 PROB. V. Sicut in emptione , & venditione , materia , cujus dominium transfertur , est res venalis , sic in Conjugio res , cujus transfertur dominium sunt Personæ contrahentium: sed in emptione , & venditione , si unum pro alio subrogetur , puta aurichalcum pro auro , pro gemma vitrum , corruit ex toto contractus ; ergo ubi una Persona pro alia supponitur, nullum erit Conjugium . Gregorius IX Cap. *Ex parte de confess.* declarat , errorem facti nemini præjudicare — Cum igitur negotio nondum finito nemini noceat error facti , mandamus , quatenus si de hujusmodi potueris errore docere , provideas , ut nullum sibi super hoc præjudicium generetur — Porro error Personæ est error facti ; adeoque deceptio præjudicare non debet . Et sane compertum est , eum , qui Clericum percutit, putans ex errore Laicum esse , Canonis excommunicatione non innodari : sicut & illum , qui crederet Episcopum, hominem aliàs Laicum, ab eoque Sacris foret inauguratus , nullam plane Ordinationem accipere . Ita in nostro casu .

Error facti nemini præjudicat .

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA .

219 OBJIC. I. Conjugalis contractus Jacob cum Lia subrogata Rachelis loco , fuit ex errore Personæ : sed validus fuit hujusmodi contractus ; ergo Conjugium ex errore Personæ validum censendum est.

RESP. Conjugalis contractus Jacob cum Lia duplicem habuit statum ; primum sub primordiis , stante errore ; secundum , detecta fraude , ob quam cum Labano conquestus est . Si spectetur sub primo statu nullum fuit Conjugium ; postea verò legitimus , quia accedente novo consensu sciens , & volens cum ipsa contraxit . Unde exemplum nostræ patrocinatur Sententiæ . Audiatur S. Th. *in Suppl. quæst.* 51. *art.* 1. *ad* 4. — Matrimonium

Conjugium Jacob cum Lia primò nullum .

„ nium

„ nium quod fuit inter Liam, & Jacob, „ non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui „ ex errore contigit, sed ex consensu, qui „ postmodum accessit --

220 OBJIC. II. Sicut institutio testamentaria determinatum respicit hæredem, sic conjugalis contractus determinatam Personam: sed illa non infringitur ex errore Personæ, ut plane innotescit ex benedictione Isaac filio Jacob impertita, fraudolenter pro Esau substituto; ergo.

Isaac, cognita fraude, ratam habuit benedictionē.

RESP. Contendunt nonnulli cum Abulensi *quæst. 7. in Cap. 27. Gen.*, Isaacum intentionem habuisse largiendi benedictionem præsenti filio, quicunque ille foret. Ceterum non satis hoc cohærere videtur cum solicita inquisitione, quam ipse adhibuit, ne Jacob pro Esau benediceret. Verior Sententia adopranda, est illa Augustini. Asserit S. Doctor *lib. 16. de Civit. Dei cap. 27.*, Isaacum, errore cognito, mysterium revelante Numine, datam confirmasse benedictionem -- Et alium pro alio benedixisse cognoscens „ miratur, & quis nam ille sit, percunctatur, nec tamen se deceptum esse conqueritur; immo confestim, revelato sibi intus „ in corde magno Sacramento, devitat Indignationem, confirmat benedictionem. „ Quis ergo, inquit, venatus est mihi venationem, & intulit mihi, & manducavi de „ omnibus, antequam tu venires, & benedixi eum, & sit benedictus -- Ejusdem labii est Theodoretus *quæst. 79. in Gen.*

221 OBJIC. III. Quod bonis Matrimonii non adversatur, illud non impedit: sed error Personæ est hujusmodi, cum æqualiter illa habeantur, sive per unam, sive per aliam Personam; ergo.

Error adversatur consensui.

RESP. Licèt secundùm se error Personæ nec Matrimonio, nec bonis ejus, adversetur; opponitur tamen fundamento, nempe consensui, ad constituendum contractum, efficiendumque vinculum necessario.

222 OBJIC. IV. Ob mutuam dominii translationem æquiparatur conjugalis contractus contractui venditionis, & emptionis: sed in venditione error Personæ non viriat contractum, ut si quis credens Petro equum vendere vendat Joanni; ergo etiam in Conjugio.

Quidam contractus personam respiciunt.

RESP. In humanis contractibus quædam sunt per se inspecta, & propter se quæsita; quædam verò non per se, sed per accidens. Error, qui versatur circa ea, quæ per se sunt inspecta, censetur circa substantiam, & contractum invalidat; secus error circa ea, quæ per accidens considerantur. Hæc quidem possunt quandoque ex intentione contrahentis per se quæri; & tunc error etiam circa illa irritat contractum. In commutationibus rerum venalium ex vi contractus Persona emens, aut vendens, per accidens venit, nec momenti est, an sit Petrus, aut Joannes. Ceterum in humano commercio sunt quidam contractus, qui determinate Personam respiciunt, ut donatio, testamentaria institutio, & hujusmodi. Conjugium itaque ex natura contractus, & ex contrahentis intentione, determinatam hanc respicit Personam; quapropter error circa illam dissolvit Conjugium, seu impedit, ne validus habeatur contractus.

223 OBJIC. V. Ejusdem institutionis est Sacramentum Conjugii, ac reliqua Sacramenta: sed in reliquis Sacramentis error Personæ non officit: ut si Sacerdos baptizaret, absolveret, ungeret &c. Petrum, quem judicat Joannem; ergo etiam valide celebratur Conjugium, ubi quis intendens ducere Franciscam ducit Mariam; cum utrobique particula *Te* sit de substantia.

Contrahens conjugiū alligat intentionem personæ.

RESP. Argumentum solutum habes ex Angelico *loco supra cit. ad 3.* -- Dicendum „ quod character Baptismi non causatur ex „ intentione baptizantis directe, sed ex elemento materiali exteriùs adhibito. Intentio autem operatur solùm, ut dirigens „ elementum materiale ad effectum proprium; sed vinculum conjugale ex ipso „ consensu causatur directe, & ideo non est „ simile -- Intentio itaque Ministri Sacramentorum ex communi operandi modo fertur ad Personam præsentem, quæcunque sit; quod si quis Sacerdos taliter suam alligaret intentionem, ut Petrum v.g., & non alium, vellet absolvere, nulla esset absolutio, si præsens foret Joannes. Cum autem contrahens Conjugium hoc modo se habeat; ideo, variatâ Personâ, nullum evadit.

224 OBJIC. VI. Qui per ignorantiam, & errorem, peccat, vere criminis reus habetur: sed, stante naturali Jure, voluntarium ad peccandum sufficiens sufficit itidem ad valorem Conjugii; ergo error Personæ, saltem quando est vincibilis, non impedit Matrimonium.

Non omne voluntarium sufficit adConjugium.

RESP. Non omne voluntarium ad peccatum sufficiens sufficit ad Conjugium. Ad illud sat est voluntarium interpretativum, imputativum, & virtuale. Ad Conjugium requiritur formale, expressum, & explicitum; quia consensus esse debet realis, verus, & expressus. Igitur error vincibilis Matrimonium irritum reddit.

225 DICES. Actualis interpretativus consensus ad Conjugium deservire posse videtur; formali enim æquiparatur, & pluries ab Ecclesia approbatur. Sed consensus hujusmodi stat cum errore circa Personam; ut cum quis ducit Bertam, quam credit Mariam, paratus tamen eandem ducere, si errorem dignosceret; ergo.

RESP. Falsum est, interpretativum consensum ad mentem Adversariorum sufficere. Ecclesia semper formalem supponit consensum, quamvis ex circumstantiis adfuisse interpretetur. Ceterum error concomitans, de quo objectio, licèt non faciat positive involuntarium; facit tamen non voluntarium; non enim datur actualiter consensus, sed daretur, si objectum illud aliàs ignotum innotesceret.

CONTROVERSIA XIV.

AN CONSENSUS EX ERRORE CIRCA QUALITATEM PERSONÆ DANS CAUSAM CONTRACTUI IRRITET MATRIMONIUM.

226 SI error circa qualitatem Personæ sit pure concomitans, dubio-procul Matrimonium non irritat; consensus siquidem ad illud requisitus minime vitiatur, cum sic contrahens absolute consentiat. Si verò vellet quis contrahere sub conditione, puta, si sit nobilis, Virgo &c., ea deficiente, nullus esset conjugalis contractus; siquidem contractus initus sub conditione de præsenti, eâ non purificatâ, corruit, ut supra demonstratum est. Quare Controversia devolvitur ad casum, quo quis contrahit v. g. cum corrupta, quam Virginem judicabat, paratus non contrahere, si vitium dignosceret; quo pacto dicitur, errorem dare causam contractui.

DICENDUM itaque, consensum ex errore circa qualitatem Personæ appositum dantem causam contractui non irritare Conjugium.

Voluntarium simpliciter sufficiens ad Conjugium.

227 PROB. I. Voluntarium simpliciter in substantiam Conjugii, sufficit ex natura rei ad illius valorem: sed error circa qualitatem Personæ dans causam contractui suum habet voluntarium simpliciter in substantiam; ergo. Absolute contrahens, vult hanc determinatam Personam ducere, quam Virginem putat; & quamvis aliquid involuntarii ibi interveniat, hoc tamen voluntarium absolutum, & liberum nequaquam tollere potest; ergo.

Qualitas accidentalis est.

228 PROB. II. Quoties objectum primarium, & essentiale intentionis contrahentis subsistit, toties Conjugium validum censendum est; ab objecto siquidem primario rerum existentia dependet: nam objectum illud est intrinsecum specificativum. Sed sub errore circa qualitatem integrum perseverat objectum primarium, nempe ipsa Persona, cum qua intendit contrahere: qualitas namque ad accidentalia spectat; ergo.

Accidentalia non irritant Sacramenta.

229 PROB. III. Sacramentum Conjugii ejusdem est intentionis quoad valorem, ac reliqua sunt Sacramenta; sed, positis essentialibus, hæc subsistunt cum errore accidentalis ritus, cum falsa cognitione accidentalis qualitatis: ut si quis baptizet in aqua naturali non benedicta, quam benedictam supponit, vel consecret in fermentato, quod azymum putat, aliàs non baptizaturus, nec consecraturus, si rem probe nosset; ergo etiam in nostro casu validum erit Matrimonium; cum qualitas Virginitatis sit prorsus accidentalis.

230 PROB. IV. Contractus conjugalis a Deo fuit institutus, atque a natura ordinatus ad commune bonum, ac pacem fovendam, rectumque filiorum educationem; sed si error qualitatis irritaret Conjugium, hujusmodi non forent Nuptiæ; ergo. Tunc innumeræ exorirentur dubietates, lites, atque dissidia; cum nullum celebretur Conjugium, in quo aliquæ qualitates non spectentur, & aliàs sæpenumero ipsæ falaciis, & deceptionibus subsunt. Si error circa illas Conjugium irritaret, singulis fere momentis Conjugum querelæ haberentur, qui utique noluissent contrahere, si scivissent v. g. Uxorem non bene morigeratam, imprudentem, infirma valetudine laborantem, & centena alia, quæ & facilè deperduntur, si habeantur, & non raro simulantur, ut alliciant; ergo.

Qualitates sæpe fallunt.

Error circa causam motivam non vitiat contractum.

231 PROB. V. In reliquis contractibus error circa causam motivam, & finalem extrinsecam, non vitiat absolutum consensum in rem, quæ cadit sub contractu: sed error circa qualitatem versatur circa causam motivam, & finalem extrinsecam; ergo. Hoc cernere est in actibus moralibus, qui, permanente eorundem essentia, quoad accidentalia possunt deficere. Exemplum habes ex S. Thoma *quæst.* 51. *art.* 2. in eo, qui Patrem percuteret baculo ferreo putans esse ligneum; ignorantia circa qualitatem baculi non aufert essentialem percussionis malitiam. Verùm fingatur casus in qualitate motiva. Percutit quis hominem injuste, quem putat furem, vel lenonem; error hujusmodi essentialem malitiam peccati non tollit. Movetur quis ad Sacri auditionem, quia laudabilis vitæ credit Sacerdotem, aliàs non auditurus, si oppositum nosset; error qualitatis dat causam actui, & tamen actus ille, deficientibus accidentalibus qualitatibus, subsistit quoad essentialia; unde posset esse adimpletivus præcepti. Quare apte dicebat Angelicus *laudato loco* -- Error non excusat a peccato, „ nisi sit illius circumstantiæ, cujus appositio, vel remotio, facit differentiam liciti, „ vel illiciti in actu -- Porro idem error, qui causando involuntarium excusat a peccato, impedit Matrimonium; hic autem est, qui versatur circa essentiam, secus circa accidentalia -- Oportet, quod error, qui Ma„ trimonium impedit, sit alicujus eorum, „ quæ sunt de essentia Matrimonii -- Sic Angelicus *ibidem*.

DISSOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

232 OBJIC. I. Quod alicui convenit secundùm se, semper illi convenire debet: sed errori secundùm se convenit nullum reddere Conjugium, ut de errore circa Personam dictum est; ergo semper illi convenire debet, etiamsi sit circa qualitates.

Error quomodo invalidat Matrimonium.

RESP. ex D. Thoma ubi supra *ad* 1. -- „ Dicendum quod error non habet ex natu„ ra generis, quod impediat Matrimonium, „ sed ex natura differentiæ adjunctæ, prout „ scilicet est error alicujus eorum, quæ sunt „ de essentia Matrimonii --

233 INSTABIS. Quod convenit generi secundùm se, convenit omni differentiæ contentæ sub illo. Errori autem ex genere convenit, quod impediat Matrimonium; convenit namque illi, quatenus cau-

sat

ſat involuntarium. Porro involuntarium etiam ad circumſtantias quaſcunque extenditur; cum in rem ignoratam non feratur voluntas. Convenit itaque errori circa qualitatem impedire Conjugium.

Cognitâ ſubſtantiâ ignorari poteſt qualitas.

RESP. Dubio-procul quælibet circumſtantia ignorata cauſat involuntarium circa ipſam; ſecus circa totum illud, quod afficit, poteſt ſiquidem ſubſtantia rei eſſe cognita. Si quis erogec eleemoſynam Patri, quem famulum credit, actus hujuſmodi eſt involuntarius, quatenus tendit ad ſubveniendum Genitori; eſt tamen voluntarius circa ſubſtantiam eleemoſynæ.

234 OBJIC. II. Voluntas ſequitur apprehenſionem intellectus, & non vult, niſi quod ille apprehendit: ſed intellectus apprehendit Perſonam nobilem, non verò a nobilitate diſcretam; ergo voluntas vult cum illa nobili contrahere, ſecus cum ignobili.

Voluntas ſequitur ductū intellectus.

RESP. Utique voluntas non aliud vult niſi ab intellectu apprehenſum: verùm id vult, prout eſt apprehenſum. In apprehenſione Perſonæ nobilis duo ſunt; ſubſtantia nempe perſonæ, quæ objectum eſt primarium, & eſſentiale; & nobilitas, quæ eſt accidentaria. Perſona abſolute eſt cognita; ignorata nobilitas. Unde voluntas ſimpliciter volens, fertur in Perſonam; & ſecundùm accidentariam nobilitatem eſt involuntaria.

235 OBJIC. III. Non minùs voluntarium requiritur ad Conjugium, quàm ad actum eleemoſynæ: ſed error circa qualitatem dans cauſam eleemoſynæ nullam abſolute ipſam reddit; ergo. Cum quis ficto pauperi ſubvenit tenetur hic fictus pauper acceptam pecuniam reſtituere, non ob aliud ſane momentum, niſi quia illa elargitio eſt involuntaria, cum intendatur veri, non ficti pauperis levamen; ergo ſimiliter ſi quis Conjugium contrahit cum ignobili, quæ ſe fingit nobilem, Conjugium eſt involuntarium, & nullum.

Ficti pauperes tenentur ad reſtitutionem.

RESP. Quidam contendunt argumentum ſolvere evincendo, non teneri fictum pauperem acceptum reſtituere; quod admitti poſſet, ſi ſermo eſſet de minutis eleemoſynis, quæ pro nihilo reputantur. Ceterum abſolute loquendo, hujuſmodi pauperes Catechiſmus Rom. *p.3. de 7. præcepto num.* 17. furibus accenſet — Furtum præterea facere „ videntur, qui fictis, ſimulatiſque verbis, „ quive fallaci mendicitate pecuniam extor„ quent, quorum eo gravius eſt peccatum, „ quod furtum mendacio cumulant — Omiſſis itaque hiſce ſolutionibus, reſpondeo.

Error in dante eleemoſynam non verſatur circa qualitatem, ſed circa ſubſtantiam. Actus enim ex parte operis reſpicit eſſentialiter pauperem; adeoque, deficiente paupertate, nullus eſt. Itidem ex parte elargientis eleemoſynam, directa, & eſſentialis intentio fertur in pauperem, atque huic dare intendit; quapropter ubi pauper non eſt, non eſt elargitio voluntaria.

236 OBJIC. IV. Non minùs ad qualitatem ſpectat conditio primogeniti, ſeu Regiæ ſtirpis, quàm nobilitas, vel divitiæ: ſed error circa primogenitum, vel Regis filiam indubie Conjugium irritat; ergo etiam error nobilitatis, vel divitiarum, impedit Matrimonium.

Qualitates quædam redundant in perſonam.

RESP. Quædam ſunt qualitates, quæ redundant in ipſam Perſonam; & tunc eſt error Perſonæ, & nullum redditur Matrimonium. Quando quis ſub certa qualitate Perſonæ non communi, ſed particulari, concipit individuam Perſonam, cum qua hic & nunc vult contrahere, & poſtea offeratur alia non habens illam qualitatem; tunc error qualitatis redundat in Perſonam; ut ſi fœmina habens in mente primogenitum Regis, vult cum illo contrahere, & offeratur alius, qui non ſit Regis primogenitus, error talis qualitatis redundat in Perſonam. Et ratio eſt, quia conſentit in Perſonam, quam ſibi in mente proponit, & hæc eſt Perſona Primogeniti Regis, non alia; ergo cum illa vult contrahere. Quando verò quis independenter a qualitate concipit certam Perſonam, & poſtea decipitur, putans ipſam eſſe Regis filium, ſi non ſit; tunc talis error non redundat in Perſonam, nec irritat Matrimonium; quia intendit ſimpliciter contrahere cum Perſona, quam cognoſcit, licèt ad hoc moveatur ex tali qualitate, quam falsò apprehendit. Unde ſi prævie ad cognitionem qualitatis detur cognitio Perſonæ, cum Perſona vult contrahere, & qualitatem habet ut motivam; ſi autem prævie ad cognitionem Perſonæ, & voluntatem cum ea contrahendi, apprehendit qualitatem perſonalem & individuam, & ex ea moveatur ad contrahendum cum illa, ſi vere non detur illa qualitas, quæ ſe offert, error qualitatis refunditur in Perſonam, nullum habetur Conjugium.

237 OBJIC. V. In aliis contractibus error circa qualitatem dans cauſam contractui ipſos irritabiles reddit: quod & in Sponſalibus contigit; ſed conjugalis contractus ſemel appoſitus non eſt irritabilis; ergo ab initio irritus cenſeri debet.

RESP. Major propoſitio non verificatur, niſi ubi Jus clare de hoc diſponit; ut in Sponſalibus habemus. Quoad Conjugium verò nil tale eſt invenire; quare irritum nequaquam aſſerendum eſt.

CONTROVERSIA XV.

AN ERROR CONDITIONIS, SIVE SERVITUTIS, JURE NATURÆ, NULLUM REDDAT CONJUGIUM.

Quinam ſint Servi.

238 POteſt quis conſentire in Matrimonium cum Perſona ad ſervitutem redacta, ſive jure emptionis, ut ſi Parentes, ſolum pretio, ſuos liberos traderent, ſive ex natalibus, ut ſunt filii, quos Vir captivus ſuſcipit ex Uxore itidem captiva. Inquirimus itaque, an ſi quis neſciens conditionem ſervitutis contraheret cum Serva, Jure naturæ validum ſit Conjugium.

DICENDUM, errorem ſervilis condi-

tionis non reddere Jure naturæ Matrimonium nullum.

Error servitutis non versatur circa substantiam Conjugii.

239 PROB. I. Error, qui non versatur circa substantiam Conjugii, ipsum Jure naturæ non irritat: salvatur namque ratio volontarii simpliciter circa substantiam; sed error servitotis est hujusmodi: substantia namque Conjugii consistit in libera, & mutua corporum traditione quoad usum coojugalem, quæ impræsentiarum intervenit, ut infra declarabitor; ergo talis error oon irritat Matrimonium.

Servitus non aufert naturalem libertatem.

240 PROB. II. Sicut inest homini naturalis inclinatio conservandi individoum, ita & conservandi speciem: sed naturali Jure servitus non impedit, quin Servus cibo, somno, aliisque ad sui individui conservationem necessariis utatur: ergo eodem Jure non impedit necessaria ad propagationem; ergo nequit Jure naturæ irritare Conjugium; cum error hujosmodi naturalem non auferat libertatem.

241 PROB. III. Quod contrariatur primariæ intentioni naturæ, nequit illod impedire, quod est juxta primariam ejusdem intentionem; sed servitus contraria est primariæ intentioni naturæ: nam ex S. Gregorio *in Pastorali p. 2. cap. 6.* contra naturam est hominem velle homini dominari; aliàs contractua conjugalia est juxta primariam naturæ inclinatiooem, quæ tendit ad propagationem speciei; ergo Jure naturæ nequit a servili conditione impediri. Sed propagatio habetur per validum Matrimonium; ergo.

Servitus non adversatur bonis Matrimonii.

242 PROB. IV. Quod nec bonis Matrimonii, nec causæ efficienti adversatur, Conjugium noo irritat. Error servitutia non adversator bonia Matrimonii, scilicet sociabili cohabitarioni; aliàs servitus etiam cognita opponeretur, qood nemo asserit. Nec contrariatur causæ efficieoti: cum enim in naturalibus omnes æquales sint, & ad hæc servitus non extendatur, hinc fit, quod, spectatis his, quæ sunt Juris naturæ, remanet sufficiens libertas ad contrahendum Matrimoniom; & legitimus præstari potest consensus. Ignoraotia igitur servitutis non officit valori Conjugii.

ADVERSA REFELLUNTUR ARGUMENTA.

243 OBJIC. I. Error eorum, quæ sont de sobstaotia Conjugii, Jure naturæ illud irritat: sed error servitutis est eorum, quæ sunt de substantia, ut asserit S. Thomas *in Suppl. quæst. 51. art. 2.*, ubi errorem servitotis errori Persooæ comparat; ergo Jure naturæ error hujusmodi solvit Conjugium.

D. Thomas sentit nobiscum.

RESP. Advertit Sylviua, satis probabile videri, S. Thomam ex assompta paritate de errore Personæ sentire irritum esse Jure naturæ Conjugium ex errore servitutia contractum. Ceterum, attentia his, quæ in seqnenti quæstione perpendit, probabilius est, nobiscum sentire.

Itaque S. Doctor non omnimodam propugnat paritatem inter errorem Personæ, & servitutis, sed aliqualem tantummodo admittit, quæ in eo sita est, quod sicut error Personæ voluntarium impedit consensum circa Personam, ita error servitutis; cum hoc tameo discrimine, quod error circa Personam impedit voluntarium consensum circa sobstantiam Matrimonii, error verò servitutia circa qualitatem. Error circa qualitatem eum nonnihil bonis Matrimonii adversetur, quæ suo modo ad Matrimonii substantiam spectant, etiam secundùm quid est contra substantiam Matrimonii; hoc tamen ad illud irritandum noo sufficit.

Discrimen inter errorem personæ, & servitutis.

244 DICES. Naturalia impotentia absolute adversatur substantiæ Conjugii; sed S. Doctor *loc. cit. quæst. 52. art. 2.* vult, quod error servitutia contrariatur Matrimonio, sicut natoralis impotentia; ergo.

Naturalis impotentia aliter a servitute adversatur Conjugio.

RESP. Ex sequenti articulo aperte colligitur, relatam paritatem non esse adæquatam, sed secundùm aliquam proportionem; quatenus utraqoe impotentia impedit conjugale commercium: sed impotentia naturalis pro semper: secus servilis condidio. Unde error servitutia nequit ea Jure naturæ impedire voluntarium simpliciter, sicut impedit naturalis impotentia.

245 INSTABIS. Ex eodem Angelico Doctore *quæst. 52. art. 2. ad 4.* aliter afficiunt Personam qualitatea corporis, aoimi, & fortunæ, ac conditio servitutia; illæ quidqoam de essentia non immutant, secus ista. Sed illarum qualitatum ignorantia facit ex natura rei involuntarium secundùm quid; ergo error istius faciet simpliciter involuntarium.

Voluntarii secundùm quid habet magis, & minus.

RESP. Quo sensu dicat Angelicus, servitutem aliquid de essentia immutare, jam innuimus, scilicet quatenus connaturalem booorum Matrimonii consecutionem, expeditumque usum impedit; & in hoc sensu aliter afficit personam, ac aliæ qualitatea, ita tamen ut ignorantia illiua nequaquam transcendat ordinem involuntarii secundùm quid, quamvis intra lineam voluntarii majorem addat differentiam secundùm magis, & minus.

246 OBJIC. II. Qui est quantùm ad Personam uni totaliter adstrictus, Jure naturæ neqnit se alteri tradere: sed Servus est hujusmodi; ergo nequit se alteri obligare, & tradere per Matrimonium.

Servitus non omnes ligat actiones.

RESP. Nimis probat argumentum. Esset enim irritum Conjngium contractum ab eo, qui novit servilem alterius conditionem; quod falsum esse ad unom omnea ultro concedunt. Itaqne Servus Domino subditur quantùm ad œconomicas, civilesque actionea; secus quantùm ad naturales. Nec Servus discriminatur a Libero in Sacramentorum participatione; æqualiter cum Libero uti valet remediis a natura, & gratia paratis adversùs concupiscentiæ motus. Adest quidem discrimen in eo, quod Liber potest quovis tempore cibum sumere, quiescere, &, si Uxoratus, maritale habere commercium; Servus autem minus expedite prædicta exercere valet.

247 OBJIC. III. Ad Conjuges Jure naturæ spectat potestas, & obligatio susceptam alendi prolem; sed Servitus essentialiter hujusmodi tollit potestatem: cum quid-

quid

quid Servus acquirit, Domino comparetur; ergo.

RESP. Argumentum urget in Servitute cognita. Nam Dominus Connubio Servi adversatur; & tamen neque Ecclesia irritat illud, si stante scientia servitutis fuerit contractum. Itaque sicut Domini sunt quæcunque lucrantur a Servo, ita & ipsa proles; ejus igitur est sicuti Servum ita & prolem alere, atque educare. Si verò alter Conjugum liber est, proles ipsum sequens ab eodem aleuda est.

Dominus prolem servi alere debet.

248 OBJIC. IV. Conjugium naturali Jure dissolvitur; ubi Pars contrahens cum ignorantia gravem patitur injuriam, gravisque damni periculum; sed hoc contingit in Conjugio cum ignorantia servilis conditionis contracto; ergo. Minor propositio facilè constat. Dominus namque mittere potest Servum in remotas regiones, ad quas Uxor vel ob infirmam valetudinem, vel ob periculum salutis æternæ, cum habitatio esse possit inter Infideles, accedere non valeat; quo casu Conjuges injuriam paterentur, cum suo uti jure nequirent.

RESP. D. Thomas ubi supra *quæst.* 52. *art.* 2. *ad* 4. habet — Quod in tali casu di„ citur, quod Dominus cogendus est, ne „ Servum vendat taliter, quod faciat onera „ Matrimonii graviora, præcipue cum non „ desit facultas ubicunque Servum suum ven„ dendi justo pretio — Quoniam verò sæpe contingit, ut Dominus cogi nequeat, casus accensendus est inter infortunia implicite prævisa, & in quolibet Conjugio volita; ut si in perpetuum servitutem alter Conjugum deveniat, si toto vitæ tempore ad triremes damnetur, si subsequatur impotentia, & hujusmodi, quæ quidem non tollunt veram rationem voluntarii in contrahentibus.

Dominus nequit Servo impedire usū Matrimonii.

249 OBJIC. V. Favorabilius est spirituale Conjugium, quo quis se Deo per Religiosam Professionem consecrat, quàm corporale: sed illud Jure naturæ nullum est in Servo contra Domini voluntatem contracto; ergo.

RESP. Discrimen inter utrumque Conjugium in aperto est. In spirituali Conjugio actiones omnes œconomicæ, & civiles, aliàs Jure naturæ Domino debitæ, subduntur Religioni; in corporali verò solummodo se alteri tradit quantùm ad cohabitationem thori, quæ raro contingit; unde Domini jura nequaquam læduntur.

Discrimen inter spirituale, & corporale Conjugium.

CONTROVERSIA XVI.

AN ERROR SERVITUTIS, JURE ECCLESIASTICO, DIRIMAT IPSO FACTO CONJUGIUM.

DICENDUM, quod error servitutis, quamvis Jure naturæ non dirimat Conjugium, ut mox vidimus, illud tamen ipso facto dirimit, Jure Ecclesiastico.

250 PROB. I. Cap. *Ancillam* 32. *q.* 2., ubi ex S. Leone *Epist.* 92. *ad Rusticum Narbonensem* habetur — Ancillam a thoro abji„ cere, & uxorem certæ ingenuitatis acci„ pere, non duplicatio Conjugii, sed pro„ fectus est honestatis — Et Cap. *Non omnis* ibidem — Mulier juncta viro uxor est viri, „ quia nec omnia filius hæres est Patris. „ Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos „ sunt legitima, & inter æquales multò „ priùs hoc ipsum Domino constituente, „ quàm initium Romani Juris extiterit. Ita„ que aliud est Uxor, aliud Concubina, „ sicut aliud ancilla, aliud libera — Et sermo est de ancilla habita ex errore ut libera. Hinc notat Glossula ad primum caput: qui ancillam sic duxit, declaratur non bigamus; & tamen si cum scientia servilis conditionis ancillam duxisset, fuisset irregularis, Cap. *Si quis viduam* dist. 34., ubi contrahens cum vidua, vel ancilla irregularitatis pœnâ notatur. Porro S. Leo hujusce Sanctionis fundamentum desumit ab æqualitatis jure a Deo inter Conjuges constituto, ex quo lex Ecclesiastica dirimendi Conjugia celebrata cum errore servitutis firmata est.

Jus Ecclesiasticum a divino exemplatum.

251 PROB. II. Cap. *Si quis ingenuus* 29. *q.* 2. — Si quis ingenuus homo uxorem an„ cillam alterius acceperit, & æstimat, „ quod ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit „ postea in servitute detecta, si eam a ser„ vitute redimere potest, faciat; si non po„ test, si voluerit, aliam accipiat. Si au„ tem ancillam eam sciverat, & collauda„ verat, prout legitimam eam habeat, simi„ liter & mulier ingenua de Servo alterius „ facere debet — Et seq. Cap. — Si fœmina „ ingenua acceperit Servum, sciens quod „ Servus esset, habeat eum; quia omnes „ unum Patrem habemus in cœlis, una lex „ est viro, & fœminæ — Ergo si erat inscia servitutis, non habebit illum in Conjugem. Propterea Cap. *Cujus rei causa* ibid. Fortunatus Episcopus decrevit, separari Maritum ab Uxore sua, quam Maritus ipse de servili conditione redemerat, donec controversia declararetur; probato autem libertatis statu, jussit Magnus Gregorius restitui Viro tanquam legitimo, imposito præcepto, ne ob motivum servitutis eam amplius repellere auderet.

252 PROB. III. Cap. *Proposuit*, *de Conjugio Servorum* in 6. — Proposuit nobis M. „ mulier, quod cum Vir ejus cum ea diu„ tiùs permansisset, notam ei servilis con„ ditionis objecit, asserens eam ancillam, „ quam liberam esse credebat, cum eam du„ xit in uxorem .... Mandamus quatenus „ si constiterit, quod idem Vir præfatam „ Mulierem, postquam illam audivit esse an„ cillam, carnaliter cognovit, ipsum, mo„ nitione præmissa, compellaris, ut eam „ sicut Uxorem maritali affectione pertractet. „ Si verò aliter fuerit, & Sententiam divor„ tii proferri contingat, Mulieri pecuniam, „ quam præfato Viro pro dote concessit, re„ stitui faciatis —

253 PROB. IV. Cap. *Ad nostram*, *de Conjugio Servorum* in 6. — Ad nostram noveris „ audientiam pervenisse, quod G. Presbyter „ Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus R. „ militem a Muliere quadam propter condi„ tionis

„ tionis separavit errorem; ideoque mandamus, quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius nec facto, nec verbo, consenserit in eandem, propter quod per Cardinalem eundem ab ejus fuerit consortio separatus, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem --

Jus civile cum jure Canonico convenit.

254 Juri Canonico concinit Jus civile irritans Conjugia celebrata ex errore servilis conditionis. Novella 22. *de Nuptiis* cap. 10., & in Authentic. *Coll.* 4. *tit.* 1. *cap.* 11. -- Si „ verò ab initio putaverit aliquis liberæ jungi Personæ, illa verò famula postea declaretur existens, non dicimus solvi Matrimonium, sed ab ipso initio neque Matrimonium fieri secundùm priùs a nobis dictam causam, propter inæqualitatem fortunæ -- Ad hunc sensum intelligendæ sunt leges Codice *de incestis nuptiis*, ubi declaratur, quod non possit esse Matrimonium inter liberum, & ancillam, inter virum clarum, & mulierem abjectam, quando scilicet servilis conditio fuerit ignorata.

Inæqualitas fundamentū decernēdi irritum Conjugium.

Et quidem utrumque Jus eodem momento in eam devenit Sententiam irritandi Conjugium, ignorato servilis conditionis statu; videlicet propter inæqualitatem, quæ inter liberum, & ancillam intervenit. Liber enim plenam libertatem, & exercitium sui alteri tradit; secus ancilla. Quoniam verò cohabitatio thori non est de essentia Matrimonii, potest contrahens juri suo cedere; hinc fit, quod Ecclesia firmum habet, & statuit Conjugium cum notitia servitutis initum.

Placet tamen advertere, locutiones, quibus Jura utuntur hac super re; *Habeat eum. Mandamus. Apostolica auctoritate* &c. sane evincere Decreta illa non esse simplices declarationes divini, aut naturalis Juris, sed Juris Pontificii Sanctiones; idcirco impedimentum conditionis ad Jus simpliciter Ecclesiasticum revocari oportet, singularibus Decretis, diversis temporibus firmatum; quandoque enim contingit non adesse legem aliquam determinatam, sed multiplices decretales Sanctiones, quibus contractus, & hujusmodi regulantur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

255 OBJIC. I. Jus positivum Juri naturæ, a quo dimanat, conformari debet; sed Jure naturæ Servitus ignorata non dirimit Conjugium, cum juxta naturale Jus omnes homines sint æquales: aliàs Servitus est Juris Gentium, & positivi, ut habetur ex Digesto veteri *lib.* 1. *tit.* 1. *lege* 4.; ergo neque Ecclesiasticum Jus potest illud dirimere; debet namque Jus naturale, quod est fundamentum Juris Gentium, & positivi, prævalere.

RESP. Ex D. Th. *in Suppl. quæst.* 52. *art.* 1. *ad* 2. -- Dicendum, quod nihil prohibet, aliquid esse contra naturam quantùm ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam quantùm ad secundam intentionem ejus . . . . Similiter autem dico, quod servitus est contra primam intentionem naturæ, sed non est contra secundam; quia naturalis ratio ad hoc inclinat, & hoc appetit natura, ut quilibet sit bonus. Sed ex quo aliquis peccat, natura etiam inclinat, ut ex peccato pœnam reportet; & sic Servitus in pœnam peccati introducta est. Nec est inconveniens, aliquod naturale per hoc quod est contra naturam, hoc modo impediri; sic enim Matrimonium impeditur per impotentiam coeundi, quæ est contra naturam modo prædicto -- Determinata igitur est Servitus ut pœna peccati a Jure positivo; quod tamen, ne quis sine culpa puniretur, statuit, ut servilis conditio ignorata solvat Conjugium; est enim species pœnæ, quod liber ancillam habeat in uxorem.

Nemo debet pœnam pati sine culpa.

256 OBJIC. II. Sicut homo naturali pondere intendit sui conservationem, ita & conservationem speciei: sed Jus positivum nullimode sancire valet, ne quis necessaria ad sui conservationem assumat; ergo nec prohibere potest, quod necessaria assumantur ad speciei conservationem; ergo Servorum Conjugia proscribere non valet.

Naturalis inclinatio a Jure positivo regulatur.

RESP. Argumentum nimis probat. Siquidem non posset Ecclesia dirimentia decernere impedimenta. Conservatio itaque individui ex naturali inclinatione subditur regulis positivi Juris, sive in ordine ad supernaturalem finem, ob quem statutis diebus abstinentia præcipitur ab Ecclesia, tum in ordine ad conservationem naturæ, unde a Medicis pro conditione locorum, & personarum ciborum qualitas, & quantitas decernuntur. Idem dicendum est de conservatione speciei, servata proportione; potissimùm cum inclinatio conservandi speciem sit quidem in quolibet individuo, sed non pro quolibet, cum aliquibus tantummodo conveniat.

257 OBJIC. III. Ejusdem rationis est error Servi putantis contrahere cum libera, quæ talis non est, ac error liberi contrahentis cum Serva, ignorata servitutis conditione; sed Jus Ecclesiasticum primum Conjugium non dirimit, ut ultro omnes concedunt; ergo neque secundum. Unde Jura, quæ afferuntur, non statuunt universalem legem, sed tantummodo Resolutiones sunt pro particularibus casibus.

Ob inæqualitatem dissolvitur Conjugium.

RESP. Latum intercedit discrimen primum inter, & secundum errorem. In primo casu servatur æqualitas; quoniam tantundem ab ancilla traditur, quantùm traditur a Servo; uterque enim stat sub lege servitutis. In secundo verò casu liber plus tradit, quàm ab ancilla tradatur; proinde injuriam patitur, ob quam Ecclesia Conjugium dirimit. Quare quoties liber nubit cum ancilla ex errore servitutis, semper adest inæqualitas, & injuria, ob quas reparandas Jura, tanquam lex generalis, nullum decernunt hujusmodi contractum.

258 OBJIC. IV. Matrimonium sub errore vincibili, vel concomitante, non est irritum; ergo neque sub errore antecedenti. Utrobique enim contrahens, dum hanc eligit, cedit juri suo, ac si adesset scientia.

RESP.

RESP. Neg. ant. Etenim qualiscunque ignorantia tollit voluntarium, vel saltem facit actum non voluntarium; adeoque tollit consensum directum, & formalem, actualemque animum cedendi juri suo. Matrimonium autem, cum gravissimum onus involvat, petit ex libera, & actuali voluntate procedere, & quod ex animo cedat contrahens juri suo; quod sane cum ignorantia etiam vincibili non verificatur; proindeque non sufficit negative se habere. Hoc casu non datur consensus interpretativus, cum errorem vincere potuerit. Nam ad consensum interpretativum, ut ait S. Thomas 1. 2. *quaest. 6. art.* 3. requiritur, quod quis possit, teneatur, & non faciat; impraesentiarum autem quamvis contrahens possit errorem devincere, & non faciat, attamen ad id non tenetur; quia non adest lex praecipiens Matrimonium contrahendum cum libera. Aliàs consensus interpretativus non est actualiter a voluntate, sed operanti solummodo imputatur.

Ad Conjugium non sufficit consensus interpretativus.

259 OBJIC. V. Si Conjugium ex errore initum esset ipso facto nullum, Pars utraque absque Judicis Sententia resilire posset: cum ex contractu nullo nullum sit vinculum; sed neutra Pars absque Judicis Sententia resilire potest, ut laudatis Juribus satis innotescit, in his namque habetur recursus ad Ecclesiam; ergo.

RESP. Cum Conjugium in facie Ecclesiae fit celebratum, dissolutio scandalum gigneret, si propria auctoritate fieret; ideo ad illud praecavendum, Ecclesiae judicium desideratur. Si tamen nullum subesset scandalum, possent contrahentes, propria auctoritate, separari. Deceptor tamen si subdole servilem conditionem occultavit, tenetur, instante decepta, denuo contrahere, ut illata reparetur injuria; si verò bona fide processerit, non tenetur, nisi alteri irreparabile damnum evenerit.

Quando Judicis sententia desideratur.

260 OBJIC. VI. Ejusdem efficaciae est quoad impediendum Conjugium actualis servitus ignorata, sive perpetuò duratura, sive brevi relaxanda; in impedimentis siquidem eorum coexistentia pro tempore spectatur, quo contractus celebrantur; unde irritum est Conjugium Consanguineorum, sive impedimentum nullimode auferendum sit, sive brevi post celebrationem tollendum per dispensationem. Atqui Servitus ignorata ab initio contractu brevi tollenda non officit Conjugio; ergo neque si perpetuò duratura sit.

RESP. Supponit Argumentum, Servos quandoque consequi libertatem; ut cum Dominus Servae confert dotale Instrumentum, dotis siquidem constitutio non ancillae, sed liberae est; itidem cum Dominus ducit ancillam, vel Domina Servum, cum aequalitatem velit Conjugium, & Dominus contrahens facit sibi sociam uxorem &c. Igitur sunt, qui propugnant, in utroque casu, prout in Argumento, nullum fore Conjugium; quia tempore contractus adest servitus ignorata, quae ex lege Ecclesiastica impedit Matrimonium. Volunt alii, Servitutem mox dissolvendam non officere Conjogiu; quia reputatur, ac si non esset, nec inconvenientia ab Ecclesia spectata locum habent.

Ceterum cum illis sentiendum est, qui affirmant, nullum fore Conjugium, sive servilis conditio ignorata sit perpetua, sive brevi dissolvenda; quia pro eo tempore, pro quo intercreatur Matrimonium, verum adest impedimentum dirimens. Nec momenti est, servitutem brevi fore dissolvendam, adeoque libertatem, quae parùm distat, nihil distare. Nam hoc non valet in essentialibus constitutivis rei; ut in aperto est.

Servitus ignorata sive perpetua, sive mox dissolvenda impedit Conjugium.

261 OBJIC. VII. Momenta omnia, quibus Ecclesia mota est ad irritandum Conjugium ex errore servilis conditionis, urgent casu, quo quis liber contrahat, habens tamen firmam, & deliberatam voluntatem tradendi se, inscia Uxore, in perpetuam servitutem: stat enim inaequalitas status, & cohabitationis thori, stat injuria, stat involuntarium &c., sed dubio-procul non irritatur hujusmodi Conjugium; ergo si Servitus in voto non dirimit, neque dirimere debet Servitus in re.

RESP. Si utrumque Conjugium secundùm se spectetur, utique, cum eadem sint inconvenientia, vel utrumque nullum, vel utrumque validum esse deberet; si verò utrumque consideretur secundùm Juris dispositionem, cum haec non sit utrobique eadem, diversimode loquendum est. De Servitute solummodo excogitata nihil Jura decernunt; bene verò de reali. Cum haec facilius in praxi occurrere possit, & naturali inclinationi repugnare videatur, ut quis se velit tradere in Servum, postquam alteri se tradidit in Conjugem; ideo de primo disposuit Ecclesia, secus de secundo.

De servitute in voto nil disposuit Ecclesia.

Posse, celebrato Conjugio, Virum se tradere in Servum sine Uxoris licentia, docet S. Thomas *in Suppl. quaest.* 52. *art.* 3. quia — Vir subditur Uxori solùm in his, „ quae ad actum naturae pertinent, in quibus „ sunt aequales, ad quem servitutis subjectio „ se non extendit; & ideo Vir, nolente „ Uxore, potest se alteri in Servum dare. „ Non tamen ex hoc Matrimonium dissolve„ tur; quia nullum impedimentum Matri„ monio superveniens potest dissolvere ipsum — Non idem tamen de Uxore dicendum est, quae non solùm Viro subditur quoad actum naturae, sed etiam in aliis oeconomicis actionibus.

CONTROVERSIA XVII.

AN CONSENSUS CLANDESTINUS ANTE TRIDENTINUM FUERIT SUFFICIENS AD VALIDUM MATRIMONIUM.

262 IDem est inquirere, an consensus clandestinus sufficiat ad validum Matrimonium, & an Matrimonium clandestinum validum sit; consensus namque constituit Conjugium. Porro illud clandestine factum dicitur, quod fit secretò, & sine Arbitris; ex quo verò Matrimonium non fit in facie Ecclesiae, clandestinum nuncupatur. Toties clandestinum dicitur Matrimonium, quot publicae prae-

Clandestinum Conjugium triplici differentia.

prætermittuntur manifestationes ab Ecclesia exquisitæ; & istæ ad tres reducuntur, testificationis nempe, promulgationis, & velationis. Clandestinum est Conjugium, defectu testificationis, quando deest Parochi, & Testium præsentia; defectu promulgationis, quando præscriptæ denunciationes prætermissæ fuere; defectu velationis, quando benedictiones omittuntur. Quod propriè clandestinum Conjugium constituit, atque nominat, est defectus testificationis.

DICENDUM, Conjugium clandestinum ante Tridentinam Synodum fuisse validum.

263 PROB. I. Ex Tridentino *Sess.* 24. *cap. 1. de Reformat. Matrimonii* ubi sic legitur -- Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant -- Atqui Ecclesia ante Tridentinum nullibi hujusmodi Conjugia irrita fecit; nullum quippe extat vel Apostolicæ Sedis, vel Œcumenici Concilii Decretum ea irritans; ergo.

Clandestina Conjugia ess valida.

264 PROB. II. ex ratione adoptata a Sacris Canonibus, quos in præcedentibus sæpenumero attulimus. Quoties essentialia constitutiva alicujus contractus adinveniuntur, toties contractus & jure, & meritò validus censendus est: sed essentialia constitutiva contractus conjugalis sunt contrahentes, eorumque liber consensus, qui utique in clandestinis Conjugiis adfuisse supponitur; ergo hæc indubie valida erant. Vidimus namque, potissimùm *Contr. III.*, ubi de valore nuptiarum filiorum, deficiente Parentum consensu, quod Sacri Canones pro validitate Matrimonii non aliud exigebant, quàm mutuum contrahentium consensum.

265 PROB. III. Inter absurda, quæ ex clandestinis Nuptiis suboriebantur, illud maximi momenti erat, quod deperditi homines post primam clancuò acceptam Uxorem, ad alias transibant Nuptias; sed habemus ex Canonibus Cap. *Ex parte, de Sponf.*, *& Matrim.*, Cap. *Ex litteris, de Divortio*, Cap. *Dixit* 32. *q.* 1. Romanos Pontifices in præcitato casu Viros illos coegisse ad priorem redire, irritas declarando subsequentes Nuptias; ergo sentiebant, clandestina Conjugia fore valida. Et apte quidem; non enim absurda oriebantur ex natura contractus, sed ex pravo hominum affectu, ut plerumque evenire solet.

Absurda ex Conjugio clandestino.

266 PROB. IV. Sacramenta, ut alibi vidimus, tribus conficiuntur, materiâ, scilicet, formâ, atque Ministri intentione: sed in Matrimonio clandestino nil ex his desideratur, cum Ministri sint contrahentes, & per consensum materiam, & formam mutuo exhibeant; ergo. Argumentum habes ex D. Thoma *in Suppl. quæst.* 45. *art.* 5. -- Ubicunque est debita materia, & debita forma Sacramenti, ibi est Sacramentum; sed in occulto Matrimonio servatur debita materia, quæ ibi sunt legitimæ personæ ad contrahendum, & debita forma, quia ibi sunt verba de præsenti consensum exprimentia; ergo est ibi verum Matrimonium --

In clandestinis nil desideratur ad valorem.

267 PROB. V. ex eodem Angelico; qui scribens ante Tridentini Sanctionem rem plane probat -- Sicut in aliis Sacramentis quædam sunt de essentia Sacramenti, quibus omissis, non est Sacramentum: quædam autem ad solemnitatem Sacramenti pertinent, quibus omissis, verum perficitur Sacramentum, quamvis peccet, qui omittit; ita etiam consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum Matrimonium facit; quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut Matrimonium convenientiùs fiat: unde si omittantur, verum est Matrimonium, quamvis peccent, nisi per aliquam legitimam causam excusentur -- Quid clariùs?

Consensus de essentia conjugii.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

268 OBJIC. I. Hormisdas in suo Decreto relato 30. q. 5. execratur Nuptias sine benedictione celebratas -- Nullus Fidelis cujuscunque conditionis sit, occulte Nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino -- Sed Nuptiæ clandestinæ non sunt a Sacerdote benedictæ; ergo.

RESP. Argumentum evincit, quovis tempore clandestina Conjugia fuisse prohibita. Hoc ipsum fatetur Tridentinum Concilium subjungens -- Nihilominus Sancta Dei Ecclesia illa semper detestata est, & prohibuit -- Et sane Synodus Forojuliensis an. 791. celebrata decrevit, ut nemini liceret furtim raptimque contrahere. Concilium Londinense an. 1175. *Can.* 18. clandestina Matrimonia prohibuit. Lateranense IV. an. 1215. *Can.* 51. eadem vetavit. Salmurense an. 1253. *Can.* 27. idem sensit. Arelatense sub Florentio Archipræsule an. 1260. *Can.* 4. excommunicationis pœnâ contrahentes mulctavit. Bituricense an. 1286. *Can.* 2. non solùm excommunicatione percellit clandestinè contrahentes, sed etiam cooperatores, & scienter præsentes; idemque decernit sub eadem pœna Concilium Compendii Rhemensis Provinciæ an. 1303. celebratum. An. 1310. Coloniense a præcitatis non discrepat. Londinense aliud circa annum 1342. *Can.* 11. ferit anathemate clam nubentes. Andegavense an. 1448. *Can.* 18. Fidelium communiune privat hujusmodi Conjugia celebrantes, & etiam procurantes; hique eâdem pœnâ plectuntur a Toletano an. 1473. *Can.* 17.

Clandestina Conjugia semper prohibita fuerunt.

Nullum tamen afferri momentum potest sive ex Conciliis, sive ex Pontificibus, quibus ante Tridentinum irrita fuerint clandestina Matrimonia. Hocque plane fit ex tot renovatis Decretis; Sacra enim Ecclesiæ Decreta non verebantur infringere pravi homines; si verò nullæ fuissent hujusmodi Nuptiæ, rarò Ecclesiæ Sanctiones fuissent violatæ, reclamantibus Consanguineis, ne hæreditaria jura ad illegitimos devolverentur.

Quare

Quare meritò execravit Hormisdas Nuptias clam celebratas, utpote illicitas; eas tamen irritas non affirmavit.

269 OBJIC. II. Contractus omnimode prohibitus, nullus meritò censendus est: quod enim aliquando valet, non est penitus interdictum; sed Conjugium clam celebratum omnimode prohibitum fuit ab Innocentio III. Cap. 3. *de Clandest. Despons.* -- „ Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina Conjugia penitus inhibemus; prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat -- ergo.

RESP. Quod penitus inhibetur, absolute, & efficaci voluntate vetatur. Ceterum si nil aliud addatur in prohibitione, nequaquam intelligitur nullitas actus. Conjugium clandestinum utique penitus fuit interdictum, & ideo absolute, & efficaciter vetitum; non tamen unquam fuit ante Tridentinum Concilium Irritum, & nullum declaratum.

270 OBJIC. III. Conjugia, quæ ut fornicationes, & adulteria habentur, irrita sunt, & nulla: sed Evaristus Cap. *Aliter* 30. q. 5. asserit, prædicta Conjugia clandestina esse adulteria, & fornicationes; ergo.

RESP. Evaristus conjugale commercium in clandestino Matrimonio nuncupat adulterium, sive quia plerumque clam contrahentes concupiscentiæ affectu moventur, sive quia adulteria inde proveniunt, nam prioris Conjugii prætest transeunt ad alias Nuptias, quæ indubie adulterinæ sunt. Hanc esse Pontificis mentem clare evincitur ex Concilio Coloniensi sub Paulo III. congregato, ubi *part. 7. cap.* 43. habetur -- „ Optandum, ut Canon Evaristi Pontificis, „ Concilio Generali renovetur, tollanturque illa clandestina Matrimonia, quæ invitis Parentibus, ac Propinquis, Veneris „ potius, quàm Dei causâ contrahuntur..... „ Interea verò, donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non Irrita, prohibita saltem „ sint --

Conjugia clandestina quomodo vocentur adulteria.

271 OBJIC. IV. Non minoris efficaciæ dicendæ sunt Leges Civiles, quàm Canonicæ: sed illæ irritum reddebant Conjugium clandestinum, ut jam vidimus *Controv. IV. num.* 61. agentes de Filiorum Connubiis contractis, invitis Parentibus; ergo etiam istæ.

RESP. Jam demonstratum est, Leges Civiles quædam irritasse Connubia quoad effectus civiles hæreditatis bonorum, & hujusmodi; quod si quid aliud intendebant, dirigendæ erant ad regulas Sacrorum Canonum.

272 Notandum est pro coronide præsentis Controversiæ, quod quamvis clandestina Conjugia sub reatu pœnæ æternæ essent vetita, nihilominus, ut affirmat S. Thomas supra laudatus, aliquando justa adesse potuit causa excusans Contrahentes a crimine. Porro causa reputari poterat sufficiens, cum Minor clam contrahebat præscius, quod vel Nuptiæ Interdicerentur, vel proponerentur indecoræ, aliàs ipse laudabiles eligebat. Item cum jamjam moriturus ad legitimandam prolem quis ducebat Concubinam. Demum cum in Urbis excidio, clam contrahebat quis Conjugium, sciens se inde incolumem evasurum. Hæc apud Sylvium.

Ob justam causam aliquando excusabantur a crimine.

CONTROVERSIA XVIII.

AN CONSENSUS CLANDESTINUS SUFFICIAT POST TRIDENTINUM AD VALIDUM MATRIMONIUM.

273 TRidentini Patres sequens edidere Decretum *sess.* 24. *cap.* 1. *de Matrimonio* -- Qui aliter „ quàm præsente Parocho, vel „ alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Or„ dinarii licentia, & duobus, vel tribus Te„ stibus Matrimonium contrahere attenta„ bunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahen„ dum omnino inhabiles reddit, & hujus„ modi contractus irritos, & nullos esse „ decernit, prout eos in præsenti Decreto „ irritos facit, & annullat -- Hoc Decreto, ut in aperto est, declarantur irrita clandestina Matrimonia.

Mirum est, quot adversùs Decretum hujusmodi criminose evomant Novatores, contendentes, haud esse e re Ecclesiastica irritare Conjugia aliàs valida. Verùm cum fuse superiùs *Disp. V. Contr. I.* demonstratum sit adesse in Ecclesia potestatem constituendi impedimenta dirimentia Conjugium, non est opus exactum impræsentiarum suscipere hujus veritatis examen. Ne tamen abs re Controversiam instituisse videamur, eam fas est enucleare. Itaque

DICENDUM, consensum clandestinum post Tridentinum non sufficere ad validum Matrimonium; adeoque potuisse Ecclesiam illud irritare.

PROBATUR EX NONNULLIS GENERALIBUS PRINCIPIIS.

274 PROB. I. In iis, quæ ad Fidem, & ad mores, spectant, Ecclesia, quæ est columna veritatis, quamque audire præcepit Christus, nequaquam errare potest: sed Tridentina Synodus, ubi Decretum illud condidit ad mores pertinens, Universalis Ecclesiæ prærogativâ & jure, & meritò gaudebat; ergo errare non potuit, potissimùm accedente Pontificis confirmatione. Porro si non potuit errare, jam plane fit, vere irrita esse clandestina Conjugia.

Ecclesia errare nequit.

275 PROB. II. Non major requiritur potestas ad decernendum impedimentum clandestini Conjugii, quàm ad reliqua constituenda impedimenta: cum utrobique personæ reddantur inhabiles, contractus irritetur, nullumque efficiatur Sacramentum; sed ab initio legis gratiæ Ecclesia donata fuit hac potestate constituendi reliqua impedimenta dirimentia Matrimonium, nullis tunc temporis refragantibus, nisi postmodum Hæreticis; ergo jure potuit inter impedimenta di-

Jus in Ecclesia constituendi impedimenta.

C 2 rimen-

rimentia etiam clandestinum consensum annumerare.

Potestas civilis non major Ecclesiastica.

276 PROB. III. Æqualis saltem auctoritatis est Ecclesia circa Matrimonia, ac sit civilis Magistratus: atqui per Novatores Magistratus civilis rite, & valide, filiorum Conjugia sine Parentum consensu irritavit; ergo etiam Ecclesia, quæ publice celebrata non sunt, nulla facere potest. Et sane si illud potuit Magistratus, quia filii sunt partes Reipublicæ, cur idem non poterit Ecclesia, cum Fideles sint ejusdem filii?

Potestas Ecclesiæ in jus naturale.

277 PROB. IV. Sicut per Etherodoxos non habet Ecclesia potestatem supra jus supernaturale, ut illud immutet, ita nec Ecclesia, nec Magistratus civilis supra jus naturale: sed hoc non obstante civilis Magistratus irritavit Minorum contractus sine Curatorum placito celebratos, & Ecclesia irritas fecit Simoniacas beneficiorum commutationes, Cap. *Cum olim*, Cap. *Quæsitum, de rerum permutatione*; ergo etsi Conjugium in Lege nova ad jus naturale, & supernaturale spectet, poterit Ecclesia Clandestinas Nuptias nullas efficere, absque eo quod sive naturale, sive supernaturale jus lædatur.

Bono Fidelium consulere debet Ecclesia.

278 PROB. V. Sicut Jure gentium e civili Republica est modum sancire sive circa dotes, sive circa hæreditates in Conjugiis: bonum siquidem politicum ad civile pertinet Forum; sic Jure divino spectat ad Ecclesiam dirigere Conjugia, ut ad Ordinem sacrum elevata. Sed potest civilis Respublica, ultro fatentibus Novatoribus, disponere de dotibus, & hæreditatibus, hasque irritas reddere, si in ejusdem damnum cedere censeantur; ergo poterit itidem Ecclesia disponere de valore Conjugii, modum ea celebrandi perscribendo, si in bonum Fidelium, Sacramentique venerationem cedere opportune judicaverit.

PROBATUR EX MOMENTIS IN CONCILIO TRIDENTINO PERPENSIS.

PLura momenta in Tridentinis congressibus hac super re in favorem Ecclesiæ producta fuere. Nos eadem impræsentiarum breviter percurremus. Igitur

279 PROB. VI. Potuit Ecclesia rite dirimere Conjugia jam valide contracta inter Infidelem, & Fidelem, in favorem susceptæ Fidei, ea collata a Deo, atque ab Apostolo Paulo manifestata potestate; ergo fortiori titulo in favorem Sacramentorum, animarumque utilitatem poterit impedimenta apponere, ne valida habeantur Conjugia.

280 PROB. VII. Non minùs Pœnitentia Sacramentum est, ac Matrimonium: sed Ecclesia potuit irritam facere, & fecit absolutionem, quæ a Sacerdote impertitur, qui non sit Pœnitentis Pastor; ergo.

281 PROB. VIII. Priusquam Conjugium in Sacramentum elevaretur, e potestate Reipublicæ erat, opportuna ad ipsum spectantia disponere: sed abs re diceretur, quod elevatio in Sacramentum talem potestatem minuerit, abstuleritve; ergo.

282 PROB. IX. Ecclesia potest absolute reddere inhabiles personas ad quomodocunque contrahendum, ut videre est in aliis impedimentis, quæ Juris Ecclesiastici sunt, puta, in impedimento voti solemnis, quo stante nullimode valet Conjugium; ergo multo magis poterit decernere inhabiles ad contrahendum determinato modo, ut impræsentiarum. Etenim personas reddit inhabiles non ad contrahendum, sed solummodo ad contrahendum hoc modo, nempe, clandestine.

283 PROB. X. Potest Ecclesia conjugale vinculum, quod in Matrimonio rato invenire est, per solemnem Religiosam Professionem dissolvere; ergo potiori jure impedire poterit, ne vinculum consurgat, apponendo impedimentum, ne illud resultet.

284 PROB. XI. Sicut homo ut animal politicum, & sociabile subditur politicæ potestati in ordine ad bonum publicum, ita ut Fidelis Ecclesiasticæ subordinatur potestati, in ordine ad bonum spirituale: sed ex primo apte colligitur potestas in Republica circa civiles Subditorum contractus; ergo ea secundo itidem colligi valet potestas circa Sacramenta; ergo etiam circa Matrimonia.

285 Hæc potissimùm momenta in Conciliaribus congressibus perpensa fuere a Patribus, quæ licèt ejusdem ponderis non omnia habeantur, potestatem nihilominus satis innuunt in Ecclesia pro irritandis clandestinis Conjugiis.

Æquitatis, immo necessitatis, motiva irritandi clandestina Conjugia in laudato Tridentino Conventu ea præcipue fuerunt, quæ Cardinalis Lotharingus expendit. Primò dissidia, & rixæ, quæ inter Parentes excitabantur ex iis clandestinis Nuptiis, & dissolvebant benevolentiam, animorumque unionem, quæ ea Matrimonio intendebantur. Secundum motivum fuit violatio conjugalis fidei; cum sæpe dimitterentur Uxores clandestine assumptæ, aliæque publice ducerentur; cum enim prioris contractus nullus adesset Testis, a fœdifrago denegabantur Nuptiæ, quæ in occulto fuerant contractæ. Accedit damnum innocentis prolis, quæ sæpenumero ut adulterina rejiciebatur, & ex legitimo commercio nata erat. Injuria quoque Sacramenti; cum gravi crimine sordesceret anima vetitum contrahendo Conjugium, quod aliàs Sacramentalem gratiam causaret. Expensa itidem fuere civilia incommoda ex clandestinis obvenientia. Quibus permoti Patres, postquam diu, multumque concertatum est, devenere tandem ad Decretum efformandum, quo irrita haberentur clandestina Matrimonia.

CONTRARIA ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

286 OBJIC. I. Ecclesia nequit naturæ Jura invertere: sed Conjugium Jure naturæ, solo interveniente clandestino consensu, validum est; ergo Ecclesia illud irritare non valet.

RESP.

RESP. Quandiu legitimus perseverat consensus, toties validum est Jure naturæ Conjugium; secus si Illegitimus evadat. Porro clandestinus consensus potestate Ecclesiæ insufficiens effectus est; cum hujusmodi personas inhabiles ad clandestine contrahendum reddiderit; quo pacto civilis potestas prodigos voluit inhabiles ad civiles contractus, tametsi quilibet naturali Jure sit bonorum suorum dominus.

Clandestinus consensus non est legitimus.

287 OBJIC. II. Materiam Sacramentorum valori accommodam immutare nequit Ecclesia: atqui clandestinus consensus ad tempora usque Tridentini fuit materia valori Matrimonii accommoda; ergo.

RESP. Materia apta pro Sacramento Conjugii est consensus legitimus contrahentium, nec Ecclesia materiam hanc immutare valet; sicut materia apta pro Eucharistiæ Sacramento est vinum de vite, quam Ecclesia nequit variare. Quia tamen ipsa potestatem habet efficiendi, ut hujusmodi contractus legitimus non sit; meritò efficere potest, ut Conjugium hoc contractu celebratum irritum sit. Et sicut, quia, hominum industriâ, potest contingere, ut hoc vinum, per distilationem, vini naturam amittat: & consecratio in tali liquore nulla foret, quio diceretur hominum arte immutatam Eucharistiæ materiam; ita legitimus consensus est materia pro Conjugio a Deo instituta, secus consensus, qui revera legitimus non est.

Sacramentorum materia invariabilis.

288 OBJIC. III. Extrinseca solemnitas in civilibus contractibus pro Foro externo requisita, si non apponatur, non eos irritos facit: atqui solemnitas a Sancta Synodo decreta, est extrinseca, & pro Ecclesiæ Foro; ergo ejusdem defectus non efficit nullum Conjugium in Foro conscientiæ.

RESP. Apud Theologos prima propositio graves patitur difficultates; veruntamen quidquid hac super re dicatur, falsò asseritur, solemnitatem a Tridentino requisitam extrinsecam esse, atque solummodo pro Foro Ecclesiæ. Est enim forma constitutiva, atque intrinseca; cum, eâ deficiente, revera coram Deo personæ inhabiles sint ad contrahendum; Ecclesia siquidem ea Sanctione ad Forum conscientiæ primò respexit. Aliàs natura Conjugii exigit, quod prædictæ solemnitatis defectus irritet Conjugium non tantùm in externo, quàm in Foro interno; etenim Matrimonium cum sit essentialiter indissolubile, absonum est, quod, remanente interiori vinculo, exteriùs dissolvatur.

Solemnitas a Synodo requisita essentialis.

289 OBJIC. IV. Ecclesia adversùs finem Conjugii a divina ordinatione institutum nequaquam valet disponere: sed irritando clandestina Conjugia sibi jus arrogat adversùs finem a Deo institutum; ergo. Minor in aperto est. Duplex namque est finis Conjugii; prolis nempe procreatio, *Gen. 2.*, & concupiscentiæ tranquillitas, *I. ad Corinth. 7.* Porro finis hujusmodi humanæ infirmitati apprime opportunus est, qui tamen irritando clandestinas Nuptias vel tollitur, vel saltem graviter læditur. Nam cum aliàs potuissent Juvenes per occulta Conjugia sibi consulere, coguntur diu uri, ut Nuptias solemniter celebratas expectent, quæ plerunque ad plures annos protrahuntur.

A RESP. Ecclesia contra finem Conjugii, etiam secundarium, nihil intentavit, sed rectam illius ordinavit assecutionem. Plerunque qui clam contrahere volunt, non quidem sincero animo leniendi concupiscentiam moventur, sed ex inordinatis animi motibus, quibus expletis, novisque exurgentibus, aliò se convertunt, gravissimâ prioris Uxoris injuriâ. Quapropter ad hanc effrænem coercendam libidinem necesse fuit, certam nubendi regulam decernere. Hæc autem nullam præsefert difficultatem, eum obvie occurrat; de facili namque Parochus, & Testes adiri possunt. Quod si quandoque rerum circumstantiæ aliquam temporis moram involvant, cupienti
B nubere præsto erunt divina auxilia ad incontinentiæ discrimen evitandum.

Nubendi regula laudabilis.

290 OBJIC. V. Ecclesia Fideles privare nequit Jure libertatis a Christo concessæ ad nubendum: sed hanc libertatem tollit irritatio clandestini Conjugii; ergo.

RESP. A Jure divino concessa est libertas nubendi in Domino; hoc autem postulat tum personas habiles, tum legitimum consensum, tum subordinationem ad leges eorum, qui Dei vices gerunt. Hæc nullimode adinveniuntur in clandestinis Conjugiis; propterea non sunt juxta libertatem a Christo
C Fidelibus concessam.

Libertas nubendi subordinata legi.

291 OBJIC. VI. Ecclesia immutare nequit significationem Conjugio intrinsecam, quæ in eo sita est, ut referat unionem Christi, cum anima per charitatem, & Verbi cum humanitate per ejus assumptionem; sed irritatio Conjugii clandestini utramque destruit significationem: cum sive una, sive altera unio absoluta fuerit solo consensu animæ, & Christi, sicut & activa Verbi assumptione, & passiva humanitatis; ergo.

RESP. Significatio nullatenus est imminuta. In publicis namque Nuptiis integra omnino perseverat, fortiùsque elucescit, nec non major habetur de legitimo contractu
D certitudo, quoties juxta Ecclesiæ regulas celebretur Sacramentum. Nec Verbum divinum ita clanculo humanitatem assumpsit, ut Angelorum ministerium non intervenerit, sive annunciando adventum, sive nativitatem cantibus celebrando; unde etiam Pastoribus veritas desponsationis Verbi cum humanitate fuit evulgata. Desponsatio similiter interior animæ ad Christum testes habet Angelos, non quidem essentialiter, sed ad solemnitatem. Bene itaque subsistit significa-
E tio in Conjugio, etsi Ecclesia solemnitatem exigat essentialiter.

Significatio in Conjugio non evertitur.

292 OBJIC. VII. Fidei articuli longa quavis temporis successione nusquam mutationem lubeunt: sed ultra quindecim Secula de Fide creditum est, Matrimonium inter Fideles rite celebratum esse Sacramentum, etiamsi nulla alia præter mutuum consensum adesset solemnitas; ergo iste Fidei Canon irritari non potuit, itaut nunc credendum sit, Matrimonium duos inter Fideles initum clandestine non esse Sacramentum.

RESP. Articulus Fidei hac super re in eo versatur, quod Conjugium a contrahentibus Fidelibus celebratum rationem habeat

 Sacra-

De fide est Conjugium inter Fideles esse Sacramentum.

Sacramenti ; hoc quovis tempore, & usque ad consummationem Seculi absque ulla mutatione verum erit. Attamen Conjugium rite neutiquam celebratur, nisi interveniat legitimus consensus ; qui talis utique non est, quando essentialis forma ab Ecclesia instituta non servatur. Ante Tridentinum Conjugium clandestinum fuit Sacramentum, non quia clandestinum, sed quia legitime celebratum : consensus namque clam appositus legitimus censebatur ; impræsentiarum verò, cum invalidus reputetur, sub ipso non stat ratio Sacramenti.

293 OBJIC. VIII. Sicut ubique terrarum una est Ecclesia, ita ubique eadem sunt Sacramenta, & essentialis eorundem forma : & sicut non est in potestate hominum efficere, quod Ecclesia ubique non sit una, ita nulla est humana potestas, quæ efficere possit, quod ubique eadem non sint Sacramenta ; sed consensus clandestinus pluribus in locis, puta apud Polonos, Germanos, aliasque Nationes, pro legitimo Conjugio rite deservit ; ergo etiam ubique.

Conjugium ubique unum est.

RESP. Quamvis hoc Argumentum fucum faciat Acatholicis, nihilominus cum æquivocatione laboret, nullius est momenti. Identitas Sacramenti Conjugii ubique una est, eademque ; hæc quippe innititur identitati legitimi consensus contrahentium ; non enim ex quocunque consensu habetur. Ubi Tridentinum adoptatum est, clandestinus consensus non est legitimus : ubi verò non est publicatum, aut non receptum, legitimus censetur, atque ut legitimus ab Ecclesia toleratur ; quare cum ubique apud Fideles aliqua detur forma præstandi legitimum consensum, ubique itidem servatur identitas Sacramenti. Dicimus apud Fideles. Nam si sermo habeatur de Infidelibus sub Principum Christianorum Ditione existentibus legitimum est Conjugium initum, non servata Tridentini Sanctione ; Lex siquidem Ecclesiastica non nisi baptizatos afficit. Num verò peccent contrahentes absque Tridentini forma, ubi non est promulgatum, vel non receptum, pendet resolutio ex regulis, quæ traduntur de Legibus.

294 OBJIC. IX. Lex contra bonos mores non obligat, immo in Republica sive civili, sive Ecclesiastica non datur hac super re potestas. Lex irritativa Conjugii clandestini est contra bonos mores ; ea siquidem urgente, quis in gravi vitæ periculo constitutus, deficientibus Parocho, & Testibus, non posset ducere mulierem ad legitimandam prolem, ad consulendum honori fœminæ, ad succurrendum propriæ saluti periclitanti ob inordinatum affectum erga Concubinam ; ergo.

RESP. Argumentum æque se habet in omnibus impedimentis dirimentibus. Si quis enim in mortis periculo constitutus foret Concubinæ Consanguineus, quibuscunque sive famæ, sive æternæ salutis urgentibus momentis, eam in Uxorem assumere non posset, etsi Parochum, & Testes paratos haberet. Latum igitur intercedit discrimen inter Legem pure præceptivam, & irritativam. Prima, si sit Juris humani, pro casu necessitatis interpretationem patitur ; nam Lex humana, ubi periculum occurrit gravis damni, vel salutis, non obligat. Altera verò nusquam admittit interpretationem ; quia personas contrahentes efficit inhabiles ; per Decretum namque annullans inducitur forma substantialis rei, sine qua rea nequit habere esse, & Legislator, si consultus foret, non consentiret in oppositum, nisi vellet vel Jus immutare, vel in eo dispensare. Ob allatum discrimen licèt ante Tridentinum illicita essent clandestina Conjugia, utpote prohibita ; attamen in casu necessitatis licita erant, ut vidimus ex D. Thoma. Similiter invincibilis ignorantia Legis excusabat a crimine. Nunc verò eadem ignorantia, quamvis a peccato immunem reddat, non tamen efficit actum validum ; cum ignorantia non ponat habilitatem demptam a Lege Cap. 1. *De concessione præbendæ* in 6. Exemplum habea in solemni Religiosorum Professione emissa cum ignorantia invincibili ætatis a Tridentino requisitæ. Parocho igitur desiderato, nullum effici potest Conjugium ; quia ejus præsentia exigitur ut forma, & hæc specifice, & proprie apponenda est, nec ullimode suppleri valet.

Discrimen inter legem præceptivã, & irritativã.

295 OBJIC. X. Lex, quæ conscientias adigit ad perplexitates, nec justa, nec valida censenda est. Lex irritativa Conjugii clandestini est hujusmodi. Siquidem sæpissime contingit, ut homines a loco, ubi Tridentinum promulgatum est, ad alium transeunt, ubi non est receptum, ut in Mercatoribus videre est : & non rarò Parochi, & Ecclesiarum Antistites ab Hæreticis invasoribus expulsi fuerunt, ut nullus adsit, qui sacra peragat ; in hisce casibus, si quis clandestine contraheret, continuis angeretur scrupulis, vel cogeretur Nuptias differre, imminente quandoque spirituali, & temporali damno, aut etiam cum vitæ periculo, ut si quis captivus apud Barbaros oblatam renueret Uxorem. Hæc porro nimium catholicam lædunt libertatem.

In contracti. b. consuetudo loci servanda.

RESP. Hisce perplexitatibus, atque gravaminibus satis provisum est per Juris regulas, quibus prædicta omnia evanescunt. Apud Theologos, Canonistas, atque Jurisperitos, solemne est, Peregrinos, & Incolas teneri Legibus, legitimisque consuetudinibus locorum quantùm ad contractus, eorumque requisitas solemnitates. Ratione namque contractus quilibet sortitur Forum loci, in quo contrahit ; aliàs in contractibus omnia essent litibus involuta. Dubitationes igitur, quæ in dictis contractibus emergunt, juxta leges, & locorum consuetudines resolvuntur. Hinc Peregrinus, qui aliàs in loco nativitatis non subditur Legi Tridentini, nubere volens eo loci, ubi Tridentina Constitutio viget, debet coram Parocho, & Testibus, Nuptias celebrare. aliter nullum erit Conjugium ; ex adverso si Peregrinus discedat a regione, quæ Tridentinam Sanctionem adoptavit, & aliò migret, ubi ipsa nullam vim obtinuit, valide nuberet sine Parocho, & Testibus, dummodo per fraudem illuc non accessisset, quia urgente Jure communi Ecclesiæ fraus illi non patrocinaretur.

Hac

Hac super re nonnulli Doctores referunt declarationem Cardinalium. Invaliditatem Conjugii ob fraudolentam habitationis mutationem approbavit Urbanus VIII. suo Brevi ad instantiam Archiepiscopi Coloniensis an. 1627. die 14. Augusti. Quapropter, seclusa fraude, valide contrahunt Christiani Mercatores in Terris Infidelium, absque Parocho, & Testibus, etiamsi incolatum habeant, ubi Tridentina Decreta observantur. Idem sentiendum de captivis apud Gentiles, & de his, qui morantur, ubi non sunt Parochi, utpote ab Hæreticis ejecti. Quare ex Ecclesiæ Decreto nullum sequitur Christianæ libertatis gravamen.

296 OBJIC. XI. Ne Lex laqueus sit animarum, dilucide debet materiam decernere: atqui Constitutio Tridentini æquivocam, & subobscuram, relinquit materiam, ubi Parochi præsentiam absolute requirit; ergo. Ostenditur minor propositio. In eadem Parœcia quandoque plures adsunt Parochi: quandoque contrahentes diversis subduntur Pastoribus: non rarò unus ex contrahentibus diversis anni temporibus diversas inhabitat Parochias: sunt etiam, qui nullum habent incolatum: & alia hujusmodi; in hisce porro casibus incertum est quid agendum; unde illaqueantur conscientiæ.

RESP. Tridentinum Decretum tum ex contextu, tum ex consonantia ad alias regulas abunde innotescit.

Clara Tridentini doctrina ex contexto.

Ex contextu habemus I., Parochum debere esse proprium. Tridentinum namque loquitur de eo, cui competit proclamationes facere, benedicere Nuptias, licentiam impertiri Sacerdoti, ut ipsius vices gerat; quæ sane ad proprium Parochum spectare in aperto est. II. Necessarium esse Parochum domicilii, illum verò originis nequaquam sufficere. Siquidem nomine Parochi absolute venit ille, qui est contrahentis Pastor, qui utique ille non est, qui baptizavit, sed ille sub cujus spirituali directione commoratur; ideoque Cap. *Cum nullus, de temp. Ordinan.* volens Jus explicare, ad Sacramentum Ordinis suscipiendum sufficere Episcopum Originis, id expressit. III. Ubi in eadem Parochia duo sunt Pastores, ex his quilibet deservire potest ad intentum; cum uterque sit verus Pastor. Nec alterius licentia exposcitur; cum par in parem non habeat imperium, Cap. *Cum inn otuit, de Electione*. IV. Cum quis æqualiter, vel fere æqualiter duobus in locis habitat, cum utrobique Parocho subdatur, quemlibet ex duobus avocare potest ad assistendum Conjugio, Cap. 2. *De Sepultura* in 6. V. Qui in uno loco habet domicilium, & aliò se transfert animo ibi commorandi pro majori parte anni, licèt ad pristinam habitationem sit reversurus, ut essent Scholares ad Universitatem accedentes studiorum causâ, Solicitatores causarum in Curia existentes, Mercenarii apud Heros laborantes, & hujusmodi, potest contrahere coram Parocho habitationis. Ad hunc siquidem effectum, sicut ad cetera Sacramenta suscipienda, sufficienter per habitationem constituuntur de grege illius Pastoris, ut colligere est ex Cap. *In nostra, de Sepulturis*. Diximus *animo ibi commorandi pro majori parte anni*.

A Si enim ad modicum temporis, puta recreationis gratiâ, quis ad locum aliquem se conferat, nequit cum præsentia Parochi loci illius valide inire Matrimonium; quia tunc nec domicilium, aut quasi domicilium acquirit, adeoque non fit de Parœcia. Alia quidem Sacramenta magis necessaria ibi recipere potest, ex concessione Eugenii IV.

Ex consonantia ad alias regulas itidem elucescit quæcumque obscuritas Tridentinæ Sanctionis. Habemus itaque I. Sat esse Parochum sive maris, sive fœminæ ad legitime contrahendum. Quia ex Cap. *Præterea de Officio Judic. Deleg.*, cui aliqua conceditur

Clara itidem ex consonantia ad alias regulas.

B jurisdictio, ea conceduntur, sine quibus jurisdictio nulla foret: sed jurisdictio v. g. Parocho maris concessa nulla foret, si eum cum fœmina alterius Parœciæ conjungere nequiret; ergo extendatur oportet etiam ad mulierem, Conjugii enim contractus essentialiter est inter duos; idcirco Tridentinum in singulari, Parochi mentionem facit, quia perinde est sive sit maris, sive fœminæ. II. Parochus extra propriam Diœcesim valide, liciteque privato Subditorum suorum Conjugio assistere potest. Siquidem etiam in aliena Diœcesi verus est eorundem Pastor; aliàs dum assistit nullam exercet jurisdictionem, sed tantummodo partes agit Testis præ-

C cipui; & si quam exerceret jurisdictionem, non esset contentiosa, quæ in alieno Territorio reprobatur. Nequit tamen ibidem proclamationes facere, aut Nuptias benedicere; hæc namque sine solemnitate exerceri non valent; & ideo Episcopus etiam Ordines conferre nequit in aliena jurisdictione. III. Vagorum Conjugio Parochus quilibet potest interesse. Cum enim non habeant certum domicilium, sortiuntur Forum, ubi commorantur, ibique Sacramenta recipere, legesque observare tenentur; & hoc nonnulli propugnant, etiamsi unus solummodo ex

D contrahentibus incerta sede vagetur, de qua judicent alii. Peccat tamen lethaliter Parochus, qui absque licentia Diœcesani Episcopi, & absque prævia diligenti inquisitione de personarum idoneitate, vagos conjungit; similiter reus criminis censendus est, qui sine prælaudatis conditionibus Conjugio Alienigenarum assistere audet; stat namque identitas rationis, & finis, nisi in casu, quo ille adveniissent ea ætate, qua incapaces erant contrahendi.

297 OBJIC. XII. Non videtur Lex justa æquitatis lancem constituta, quæ gentes circa materiam aliàs onerosam in gravem

E molestiam inducit; hujusmodi est Tridentini Decretum; tenentur siquidem inquirere, num Parochus sit suspensus, vel excommunicatus, si verum habeat titulum, vel larvatum &c. Contingit namque non rarò, Parochos censurâ fore notatos, vel a suis Episcopis gravari præceptis, quibus a suorum munerum exercitio impediuntur; ergo.

RESP. Molestia, de qua in argumento, per alias quoque materias divagatur; quapropter sicut Leges circa alia a Matrimonio ob hoc non sunt amandandæ, ita nec Lex Tridentini. Circa Parochi qualitates

brevi

brevi calamo sequentia notamus.

Parochus assistens potest esse non Sacerdos.

I. Sacerdotium in Parocho sive ad valide, sive ad licite contrahendum, non est necessarium; & idem dictum volumus de Episcopo, & Generali Vicario. Ratio est, quia Concilium Parochi conditionem exquirit, de Sacerdotio verò altum est silentium; aliàs apprime noverat, non Sacerdotem Parochiale beneficium obtinere posse, cum onere suscipiendi Ordines intra annum. Est simile in Cap. *Utriusque sexus*, ubi Episcopus electus, vel Parochus non Sacerdos copiam facit subdito confitendi alieno Sacerdoti; & Cap. *Nuper*, *de Sent. Excommunic.*, Parochus non Sacerdos impertitur absolutionem ab excommunicatione non reservata. Et sane ad mentem Concilii Sacerdotalis dignitas nil deservit; cum assistentia ad Matrimonium non sit administratio Sacramenti. Et quamvis Sacerdotalem characterem exigat in assistente per deputationem: *vel alio Sacerdote de licentia* &c. terminus ille *alio* non est per similia, sed per dissimilia, quod sæpe contingit, ut videre est in duplici Canone supralaudato. Cum enim Concilium velit, assistentem aliqua fulgentem qualitate, ideo in non Parocho deputato vult Sacerdotii conditionem ad supplendam Pastoris qualificationem, quæ aliàs est in Parocho non Sacerdote.

Quod si dicatur, in materia Sacramentorum opinionem sequendam esse tutiorem. Respondetur Tridentini silentium in re adeo gravi nostram tutissimam reddere Sententiam; quemadmodum quia in deputato non expressit conditionem Confessarii, ideo dubio-procul Sacerdos ad Confessiones non approbatus designari potest. Addas velim, Sanctionem Innocentianam de tutiori sequenda versari circa materiam, aut formam, vel circa jurisdictionem intra lineam Sacramentalem; porro præscripta Parochi assistentia nil horum importat, sed est præcise velut conditio, sine qua non est legitimus contractus.

Parochus excommunicatus est vere Parochus.

II. Ad valorem Matrimonii non requiritur, ut Parochus non sit excommunicatus denunciatus (de tolerato enim non occurrit difficultas post celebrem, & notam Martini V. constitutionem) nam quandiu Parochiale retinet beneficium vere Parochus est, & valide acta Ordinis peragit, sicut & cetera, quæ usum jurisdictionis non involvunt; porro Conjugio assistere non importat usum jurisdictionis, aut actum Ordinis, unde fit, Parochum, vel Sacerdotem deputatum, si irretiti excommunicatione assistant contrahentibus, non incurrere irregularitatem; aliunde valet testimonium Testis excommunicati, si non repellatur. Propter hæc eadem momenta propugnant nonnulli, posse Parochum censurâ innodatum licentiam impertiri Sacerdoti itidem excommunicato assistendi; quia dare alteri facultatem, prout in casu, non censetur actus jurisdictionis, sed simplex deputatio, & subrogatio alterius. Num verò etiam licite assistat, alii alia dicunt, & utrinque sunt Doctores.

Sufficit titulus coloratus, & error communis.

III. Ad valorem Conjugii sufficit in assistente titulus coloratus, & error communis, quo verus Parochus credatur, quamvis sive invalide collatum titulum susceperit; sive per Judicis Sententiam fuerit privatus, dummodo actu beneficium retineat; quia Ecclesia ad plurima evitanda inconvenientia in his, similibusque casibus supplet inhabilitatem. Nonnulli contendunt, sufficere errorem communem, etsi nullus adsit titulus coloratus; verùm requiri hunc titulum verior propugnat Sententia.

Qui præter Parochum possint assistere.

IV. Præter Parochum potest pro tota Diœcesi assistere Episcopus, ejusve Generalis Vicarius, Capitulum, seu Vicarius Capitularis, Sede vacante, cum ipsi jus administrandi Diœcesim competat, Archiepiscopus actu visitans in Diœcesi Suffraganeorum, Cardinales in Ecclesia Titulari, Legati Pontificii in suæ Legationis districtu, omnes demum habentes jurisdictionem quasi Episcopalem relate ad suos Subditos.

Quæ licentia in Delegato.

V. Ut Sacerdos Parochi vices gerat, haud opus est licentia scriptis commendata, aut peculiariter ad hunc finem concessa. Etenim sat est, generalis concessio ad parochialia munia exercenda, seu ad ministranda Sacramenta. Volunt aliqui licentiam metu, vel dolo, extortam opportunam fore, cum nulla dominii intercedat translatio, sed sola testificatio qualificata; nec renuunt tacitam licentiam de præsenti, ut si Parochus videat Sacerdotem, qui assistere velit Conjugio, & non prohibeat. Reprobatur tamen tacita per ratihabitionem de futuro; & semper requiritur, quod innotescat, cum acceptari debeat. Ex quibus compertum quisque habere potest, Tridentinum Decretum non eas involvere angustias, quas fingit objectio.

SYNOPSIS

DE PROCLAMATIONIBUS, ET VELATIONIBUS MATRIMONII.

PRæter Matrimonium clandestinum, quod vere, & proprie tale censendum est, dicitur etiam in lata quadam significatione clandestinum Matrimonium, quod absque Proclamationibus, aut Velationibus celebratur, ut supra innuimus *num.* 258. De Matrimonio vere, & proprie clandestino in superioribus duabus Controversiis locuti sumus; superest itaque modò ut aliqua synoptice prælibemus de reliquis Conjugiis, quæ improprie dicuntur clandestine contracta, seu de Proclamationibus, & Velationibus Matrimonii. Et primò

DE PROCLAMATIONIBUS.

Proclamationes antiquitus in usu.

298 PROCLAMATIONES, quæ & denunciationes nominantur, prioribus Ecclesiæ Seculis præmissas Conjugio vult Jueninus *in suo Comment. Hist. Dogmatic. q. 5. cap. 2.*, cum dixerit Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem* — unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsi- gna-

„ gnatum Angeli renunciant, Pater ratò „ habet — Porro Angeli non alii sunt impræsentiarum ab Episcopis, qui in populorum frequentia futurum Matrimonium denunciabant; quod comprobat ex S. Ignatio ad Polycarpum, ubi innuit, Nuptias absque Episcopi arbitrio non fore celebrandas. Disciplina hujusmodi optimo sane consilio invaluit, sive ut impedimenta, si quæ forent, palam fierent, sive ut execrarentur Conjugia Fidelium cum infidelibus.

Proclamationes apud Germanos antiquitus fuerunt in usu.

Has Proclamationes antiquitùs fuisse in usu apud Germanos dicendum est. Contendit namque laudatus Jueninus earum usum apud Gallos quovis tempore viguisse; siquidem eas vocant *Ban* a voce *Banna*, quæ in Germania, unde Galli originem traxerunt, publicam denunciationem significat, idemque vocabulum retinuerunt, non ob aliud, ait Jueninus — Nisi quod statim ab eorum „ sub Clodovæo conversione in eum sensum „ ab Ecclesiæ Francicæ Præpositis usurpata „ sit — adeoque priùs in Germania fieri fuerunt.

Usus Proclamationū antiquatus.

De Proclamationibus habemus Canonem 11. Concilii Londinensis anno 1200. celebrati, ubi prohibetur, ne contrahantur Matrimonia, sine trina denunciatione publice habita in Ecclesia. Innocentius III. solemni Decreto Proclamationes præcepit in Lateranensi Synodo *Act.* 13., & 24., quod licèt ubique fuerit promulgatum, paulatim tamen quibusdam in Regionibus, & potissimùm in Hispania abrogatum fuit. Hujusmodi tamen abusus a Tridentino sublatus est *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.*

Ubi nam fieri debent.

299 Proclamationes fieri debent in Parochia utriusque Conjugis a proprio Parocho, vel ab alio de ipsius licentia; non tamen est necesse, ut Sacerdotali charactere sit insignitus. Porro Parochia contrahentium illa censenda est, ubi diuturnam habuerunt habitationem, non illa, ubi recenter commorantur; servanda tamen est locorum consuetudo, sicut & Episcoporum mandata. Haberi debent Proclamationes vel tribus continuis Festis diebus, ut tribus diebus Pentecostes, vel tribus diebus Dominicis, etsi unus, alterve Festus dies intercedat. Habita tertia Proclamatione, si post duos menses differatur Matrimonium, ex regulis Romani Ritualis repetantur oportet; potuit siquidem tunc temporis impedimentum suboriri — Si „ verò infra duos menses post factas denun„ ciationes Matrimonium non contrahatur, „ denunciationes repetantur, nisi aliter Epi„ scopo videatur —

Absque Episcopi licentia non est eo die, quo ultima facta est Proclamatio, Conjugium celebrandum, nisi Parochus ea super re Populum prævie admonuerit, vel nisi pridie ad initium Quadragesimæ, seu Adventus facta fuerit.

Proclamationes habendæ dum populi frequentia occurrit.

Proclamationes inter Missarum solemnia habendæ sunt, propter majorem Populi frequentiam. Quoniam verò Patrum Tridentini mens eò tendit, ut Populus certior fiat de futuro Conjugio, inde colligunt Auctores nonnulli, eas haberi posse etiam in alia Ecclesiastica functione, si quandoque, magno Populi interventu, feriatis diebus habeatur.

Ubi ante Matrimonium justam ob causam præmissæ non fuerint, habendæ sunt ante consummationem. Sic Tridentinum *laudato loco* — Quod si aliquando probabilis fuerit „ suspicio, Matrimonium malitiose impediri „ posse, si tot præcesserint Denunciationes; „ tunc vel una tantùm fiat, vel saltem Pa„ rocho, & duobus, vel tribus Testibus præ„ sentibus, Matrimonium celebretur: deinde „ ante illius consummationem Denunciatio„ nes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint „ impedimenta, faciliùs detegantur, nisi „ Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut „ prædictæ Denunciationes remittantur —

Parum prætermissio graviter culpabilis.

300 Prætermissio Proclamationum, re ipsa spectata, lethale crimen est. Nam sive Lateranense, sive Tridentinum in re maximi momenti expresse præceptivis verbis utuntur; cum grave occurrat periculum nullitatis Conjugii; & gravibus pœnis Parochi mulctantur, prætermissis denunciationibus, Conjugio assistentes, immo in Galliis ex Lingonensi Synodo an. 1404. celebrata tum contrahentes, tum interessentes excommunicantur, & quoad effectus civiles irritæ censentur Nuptiæ ex art. 40. Comitiorum Blesensium. Sunt, qui volunt, unius Proclamationis omissionem esse lethaliter culpabilem; quod alii negant, potissimùm cum ob præmissam diligentem inquisitionem, morali certitudine, nullum subesse impedimentum apparet.

Maritale commercium criminosum, si sine denunciationibus habeatur.

Maritale commercium, non præmissis Proclamationibus, cum præmitti deberent, toties quoties est lethaliter peccaminosum, etsi in aperto foret, nullum subesse impedimentum; violatur quippe Lex negativa, quæ quovis tempore obligat; ut in simili habemus de comedente sæpe carnes die Veneris. Et sane lex prohibens actum ob periculum damni secuturi, id intendit præcavere, quod plerunque occurrit; adeoque etsi quandoque damnum non habeatur, non officit ejusdem universalitati. Sunt, qui oppositum propugnant, stante certitudine nullius impedimenti; verùm hi falso innituntur principio.

Valet Conjugiū sine Proclāationibus.

Proclamationum omissio nequaquam Conjugium irritat. Non enim Lateranense Concilium, aut Tridentinum irritativâ utuntur formulâ, ut hoc postremum facit quoad Conjugium sine Parocho, & Testibus celebratum; qua de re a Gerbasio declaratio Cardinalium refertur.

Qui dispensare possunt.

301 Concedit Tridentinum Episcopis facultatem dispensandi etiam in omnibus Publicationibus. Nomine Episcopi venit etiam Generalis ejusdem Vicarius, nisi expressam habeat exceptionem, quo casu intelligenda esset Declaratio, Sacræ Congregationis Cardinalium relata ab Enriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *n.* 5., qua negatur Vicario Generali hujusmodi potestas. De ea tamen declaratione dubitat Leander *Disp.* 7. *q.* 57. Præter Episcopum, ejusque Vicarium dispensare valent Abbates, vel Priores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes; respectu namque suorum Subditorum sunt Ordinarii; & aliàs dispensatio non est actus Ordinis. Contendunt aliqui, Priores Ordinis S. Joannis in Ecclesiis sibi subditis in Hispaniis, & Magistrum

scholæ

scholæ Salmanticæ cum Scholaribus in sua matricula exscriptis dispensare posse. Illud indubium est, eos, qui dispensare valent, posse itidem suam auctoritatem delegare; cum talis facultas jure ordinario ipsis competat.

Quando omitti possunt proclamationes?

Si prudenter timeatur malitiose apponendum esse impedimentum, ex quo Proclamationes habeantur, subsitque periculum in mora, fas est Parocho, non præmissis Denunciationibus, assistere Conjugio. Si verò nullum immineat periculum, pateatque aditus ad Episcopum, tunc nec celebrari, nec consummari potest Conjugium sine Episcopi dispensatione; adeoque puniendus foret assistens Parochus; Lateranense siquidem negat Parocho etiam ex justa causa potestatem dispensandi. Alii tamen sentiunt, eo in casu posse Parochum assistere Matrimonio, licèt consummari nequeat sine Episcopi dispensatione; quod colligi posse videtur ex Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1., ubi pro maritali commercio innuitur necessaria Episcopi dispensatio, secus pro celebratione. Porro quidquid dicitur impræsentiarum de causa suspicionis malitiose impediendi Conjugium, dictum volumus, quando aliæ occurrunt dispensandi causæ; exemplum namque, quod in cit. Tridentini capite refertur, non est exclusivum, sed tantummodo appositum ut præcipuum.

Dispensatio causam requirit.

Ex laudatis Conciliis ad dispensationem justa requiritur causa, & sine gravi momento dispensans Episcopus mortaliter delinqueret; non enim prudenter potestate data in ædificationem uteretur. Non tamen opus est judicialis disquisitio per examen Testium, sed sufficit prudens cognitio causæ, sicut in aliis momentosis rebus prudentes viri agere consuescunt; quare Episcopus extra propriam Diœcesim valet dispensare. In Galliis verò, quoniam datur Appellatio ab abusu, Episcopi adhibere solent cautiones in scriptis expositas, ut casu Appellationis valeant rationem reddere.

Causæ pro dispensatione in duplici genere.

Causæ porro, quæ hac super re occurrere possunt, in duplici serie recensentur; quædam sufficientes creduntur ad Proclamationes prorsus omittendas, quædam verò ad eas posthabendas. Primi generis sunt infamia Conjugum; ut cum diu existimati Conjuges volunt revera contrahere, tunc dispensandum est in Proclamationibus, ne detecto crimine infames reddantur. Disparitas ætatis, conditionis, divitiarum; nam ex Denunciationibus pudore suffunderentur contrahentes. Periculum proprium, nempe periculum concubinatus: alienum itidem, ut si scandalum ex dilatione timeatur, sicut etiam si Meretrix vellet contrahere, & dubium occurrat, vel quod ipsa, vel Sponsus nolint in proposito perseverare. Expetitio dispensationis a Principibus Viris facta; hoc quippe in Ecclesiæ bonum cedit; bonum namque est, ipsam Magnates habere benevolos. Tempus instans feriandi a Nuptiarum solemniis, si necessitas urgeat; quo casu, ut innuit Tridentinum, ad consummationem Sacerdotalis benedictio præmittenda est. Alterius generis sunt prudens suspicio malitiosi impedimenti, quod apponi possit; quæ si quovis tempore timeatur, sufficiet ad omnes omittendas Denunciationes. Accedit legitimatio prolis, instante mortis periculo, sicut & securitas moriendi sine conscientiæ angustiis. Aliæ occurrere possunt causæ ex peculiari, vel communi, contrahentium circumstantiis, de quibus plura apud Morales Theologos.

Non semper dispensandū etiam stante causa.

Porro stante causa sufficienti, non semper tenetur Episcopus dispensationem impertiri, sed quandoque eam poterit denegare, cum prudenter judicaverit, causam leviter communi, vel particulari bono deservire, quamvis ad dispensandum, accedente Episcopi indulgentia, sufficere possit. Ubi verò causa est gravis, multùmque communi, vel particulari bono deserviens, graviter delinquit denegando dispensationem Episcopus, & contrahentes absque noxa celebrare possunt Conjugium, sicut & Parochus, atque Testes assistere; quod æque intelligitur, quando adiri nequit Episcopus, si secundùm prudentum æstimationem revera gravis intersit causa.

Quæ impedimenti notitia obliget ad illius manifestationem.

302 Si impedimentum sive dirimens, sive impediens, publicum fuerit, tenetur quilibet illud denunciare, nisi quis certò sciat jam fuisse delatum. Urget obligatio Denunciationis, etiamsi quis noverit, obtentam fuisse in Foro conscientiæ dispensationem; fieri namque debet satis Foro exteriori.

Si fuerit occultum, sciens, & potens illud juridice probare, tenetur Superiori manifestare; publica enim Proclamatio juridicæ æquivalet interrogationi, cui obtemperandum est, nisi grave damnum, aut scandalum timeatur; utrumque tamen facilè per secretam Denunciationem evitari potest; quo casu Superior ut Pater Christianâ prudentiâ poterit Conjugium impedire.

Si impedimentum occultum fuerit, sciens, sed non valens illud per Testes probare, debet nihilominus illud Superiori detegere; potissimùm quia ex matrimoniali contractu cum impedimento præsertim dirimente læditur commune bonum, & particulare tertii; cum fiat injuria Sacramento; damnificentur filii, qui erunt illegitimi; jurgiis, atque dissidiis exponantur Consanguinei, si fortè impedimentum detegatur. Hæc sane momenta evincunt, teneri ad talem Denunciationem, licèt notitia sub secreto fuerit communicata, immo juramento firmata, vel solummodo habeatur ex auditu a persona fide digna; talis quippe Denunciatio sat est, ut prudens Superior diligenter de veritate sciscitetur. Si verò impedimentum innotescat a persona, cui fidendum prudenter non sit, & impedimentum infamiam involvat, occultandum est; cum nullius sit utilitatis hujusmodi manifestatio. Secus dicendum si nullum occurrat dedecoris periculum; proderit siquidem ad præmittendam diligentiam, sub qua veritas magis elucescet.

Revelanti impedimentum non incumbit probare; sed e re Superioris est veritatem inquirere; aliàs non agitur de punitione Rei, pro qua non sufficit fides unius, sed agitur de peccato præcavendo.

Si quis ex contrahentibus, vel uterque con-

conscius sit impedimenti, quod infamiam ingereret, tenetur illud revelare, si nolit a Matrimonio desistere. Siquidem injuste contractum intentaret, quem nequit celebrare; ubi enim agitur de animæ periculo, potest juramentum exigi, etsi Judex nihil probaverit.

De Parocho, & Episcopo.

303 Parochus, cui revelatum fuit impedimentum, tenetur Conjugium impedire, Cap. *Final. de Clandest. Desp.* Ad ipsum tamen non spectat cognitio de veritate impedimenti, sed casum deferre debet ad Episcopum; sicut etiam in casu, quo Parochus ipse sciat extrasacramentaliter impedimentum. Quod si ipsemet Episcopus impedimentum noverit, debet Matrimonium impedire, vel deferendo causam ad Apostolicum Nuncium, vel ad suum Vicarium, licèt proprius Judex sit; in gravi enim causa potest Superior testificari coram Judicibus ab ipso constitutis; vel potest ipse munus Judicis insimul, & Testis exercere, cum casus sit Parti judicandæ favorabilis, nec agatur de crimine puniendo, proindeque cessat ratio Juris prohibentis, ne quis sit in eadem causa Judex, & Testis.

Quæ scientia requiritur a probandum impedimentū.

304 Ut Episcopus de veritate impedimenti rectè judicet, sufficit unus Testis fide dignus sub juramento, ex certa scientia testificans, etiamsi jurata Sponsalia præcesserint. Ut enim superiùs dictum est, minor probatio requiritur ad periculum animæ evitandum, quàm ad reum puniendum, plurisque interest, ut Invalidum non habeatur Conjugium, quàm quod repellantur volentes sive invalide, sive illicite inire contractum. Ubi tamen impedimentum fuerit Consanguinitatis, admittitur etiam Testis ex auditu, si certum designet gradum, interposito juramento se illud audivisse a duobus Majoribus fide dignis.

DE VELATIONIBUS.

Velationes quid sint.

305 VELATIONES vulgò sic dictæ, proprio nomine appellantur Benedictiones. Hæ porro nihil aliud intelliguntur, nisi preces, & ceremoniæ ab Ecclesia præscriptæ, & adhiberi solitæ in solemnitate Nuptiarum. Deserviunt ut in Matrimonio Conjuges feliciter procedant ab Ecclesia benedicti.

306 Tertulliani ævo usum benedicendi Nuptias jam invaluisse compertum est; sic enim ipse scribit de Nuptiis sine Sacerdotali Benedictione celebratis, Lib. *De Pudicitia* -- „ Penes nos occultæ quoque conjunctiones, „ idest non priùs apud Ecclesiam professæ, „ juxta Mœchiam, & Fornicationem judi„cari periclitantur -- Et Lib. 2. *ad Uxorem* cap. 9. habet -- Unde sufficiamus ad enar„randam felicitatem ejus Matrimonii, quod „ Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, „ & obsignat Benedictio, Angeli renun„ciant -- idest Sacerdotes. S. Ambrosius *Epist.* 20. earum necessitatem commemorat dicens -- Conjugium velamine Sacerdotali, „ & Benedictione, sanctificari oportet -- Callistus Papa *Epist.* 1. *ad Episcopos Galliæ* contrahentes absque Sacerdotis Benedictione infames proclamat, ita ut testificari adversùs Sacerdotes nequeant. Concilium Carthaginense IV. *cap.* 13. præcipit, Sponsos esse a Sacerdote benedicendos; hortaturque, ut pro reverentia, quam par est illi Benedictioni exhibere, eadem nocte in Virginitate permaneant. De his habemus Decretum *in cap.* 40. *quæst.* 3., quod renovavit Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 1. *De Reform. Matrim.*

Earum contemptus est peccatum lethale.

307 Hussitæ quamquam Matrimonii Sacramentum adoptarent, ejus Benedictiones nihili faciebant. Verùm laudabiles sunt, & sanctæ; & qui eas contemnit, a lethali crimine nequit excusari. Equidem de essentia Sacramenti Matrimonii non sunt, ut satis ostendimus superiùs *Disp. II. Controv. Unica*, præcipue in responsionibus ad Objectiones; nihilotamen minus quoddam Sacramentale sunt, & vim sortiuntur cujusdam sanctificationis. Martinus V. in Concilio Constantiensi statuit, suspectum de hæresi alios inter articulos interrogandum de isto, nempe -- „ An credat, quod Christianus contemnens „ susceptionem solemnizationis Matrimonii „ peccet mortaliter -- Et Tridentinum *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim. Can. XI.* eas damnantem anathematizat -- Si quis dixerit, pro„hibitionem solemnitatis Nuptiarum certis „ anni temporibus, superstitionem esse ty„rannicam ab Ethnicorum superstitione pro„fectam, aut Benedictiones, & alias ce„remonias, quibus Ecclesia in illis utitur, „ damnaverit; anathema sit --

Qui has Benedictiones omittit, si contemptus absit, & scandalum, non videtur lethaliter peccare, nec infert Sacramento injuriam, quod sine his subsistit. In hoc sensu intelligendus est Nicolaus Papa Cap. *Nostrates* 30. quæst. 5., ubi recensens ea, quæ in Matrimonio requiruntur, asserit, non esse peccatum eas prætermittere. Tunc igitur solummodo venialis culpa, aut nulla, accedente aliqua causa, interveniet.

308 Non est de præcepto, ut statim habeantur Velationes post contractum Matrimonium. Hortatur tamen Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.* -- ut Conjuges ante „ Benedictionem Sacerdotalem in Templo „ suscipiendam, in eadem domo non coha„bitent --

Ante Velationes Matrimonium consummare est peccatum veniale, aut nullum.

Plures, & graves Doctores dicunt, non esse per se peccatum mortale, sed veniale, ante Benedictiones Matrimonium consummare; & aliqui propugnant, nullum esse peccatum. Sunt præterea, qui volunt, Episcopum non posse sub pœna Excommunicationis præcipere, quod Matrimonium ante prædictas Velationes non consummetur, & quod si illam injunxerit, non obligabit. Attamen in aliqua Diœcesi lata est Excommunicationis Sententia contra eos, qui ante Benedictionem Ecclesiæ sub aliquo loco, vel tecto, jugiter simul commorantur.

309 Ut nonnullis Sacris temporibus Fideles magis vacare possint orationibus, jejuniis, aliisque pietatis, & pœnitentiæ operibus, Ecclesia certis anni temporibus prohibere solevit non solùm Nuptiarum Benedictiones solemnes, verùm etiam quamcunque

Quibusdam temporibus prohibita est Solemnitas Matrimonii.

Matrimonii Solemnitatem, ut Sponsam traducere, nuptialia convivia, choreas, musicam, aliaque lætitiæ signa publica facere. Quoad hæc tempora determinata, varia fuit & multiplex Juris antiqui dispositio, prout constat ex *Can.* 8., 10., *&* 11. *cauf.* 33. *quæst.* 4., & *c. Capellanus* 14. *de Feriis*. Hodie Jus antiquum restrictum est per Tridentinum Concilium *Sess.* 24. *De Reform. Matrim. cap.* 10. tenore sequenti -- Ab Adventu Do-
„ mini Nostri Jesu Christi usque in diem
„ Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum
„ usque in Octavam Paschatis inclusive an-
„ tiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones
„ diligenter ab omnibus observari Sancta Sy-
„ nodus præcipit; in aliis verò temporibus
„ Nuptias solemniter celebrari permittit --
Eadem Tridentina Synodus super hac re *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim. Can. XI.* habet -- Si quis dixerit, probitionem solemnita-
„ tis Nuptiarum certis anni temporibus, su-
„ perstitionem esse tyrannicam ab Ethnico-
„ rum superstitione profectam; anathema sit--

In pluribus Diœcesibus usus obtinuit, quod prædictis a Tridentino statutis temporibus etiam sine Solemnitate Nuptias celebrare non liceat, nisi Episcopus dispenset, aut nisi necessitas urgeat, v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem, vel si statim discessurus ad bellum vult ducere Concubinam, & in similibus casibus. Præscindendo tamen a consuetudine particularium Diœcesum, cui parendum est, possunt utique Matrimonia licite celebrari sine prædictis solemnitatibus, etiam sine dispensatione, quibusvis anni temporibus. Abbas *in c. Capellanus de Feriis num.* 4. cum Glossa communiter recepta *in eod. cap. Capellanus* 4. *de Feriis*, *V. Quocunque*. Et ex eodem Tridentino satis compertum est; nam de solis Nuptiis solemnibus loquitur; immo & Jura ipsa antiqua de eisdem solis disponunt. Hoc pacto intelligendum est Rituale Romanum Tit. *De Sacramento Matrimonii*, ubi expressis jam temporibus sacris, quibus prohibentur Nuptiæ cum solemnitate, subdit -- Matrimonium autem omni tempore con-
„ trahi potest -- idest sine solemnitate.

Jus benedicendi Nuptias ad proprium Parochum spectat.

310 Jus benedicendi Nuptias competit proprio Sponsorum Parocho, sicuti jus ipsis assistendi, non obstante quacunque contraria consuetudine, aut privilegio. Patet ex sæpe laudato Concilio *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* -- Statuit, Benedictionem
„ a proprio Parocho fieri --

Poterit tamen Parochus proprius, vel Ordinarius alteri licentiam concedere; subdit enim Tridentinum -- neque a quoquam,
„ nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario,
„ licentiam ad prædictam Benedictionem
„ faciendam alii Sacerdoti concedi posse,
„ quacunque consuetudine etiam immemo-
„ rabili, quæ potius corruptela dicenda est,
„ vel privilegio non obstante &c. --

Quomodo possit licentia concedi benedicendi Nuptias.

Hæc autem licentia ab Ordinario, vel Parocho, potest concedi, vel verbo, vel scripto, aut alio signo: & specialiter, vel generaliter, concessione videlicet generali peragendi munia Parochialia; nam Tridentinum non exprimit, esse concedendam aut verbis, aut scriptis, aut speciali mandato. Is itaque, cui ab Ordinario, vel Parocho generaliter, & sine exceptione, concessa est Animarum cura, vel Sacramentorum administratio, poterit Matrimonia benedicere, & eisdem assistere.

Cui possit concedi.

Nullimode tamen potest Parochus, aut Ordinarius hanc licentiam concedere Diacono, vel Subdiacono, aut alteri Clerico non Sacerdoti. Nam Concilium expresse statuit, quod Delegatus sit Sacerdos -- alii Sacerdoti
„ concedi posse -- Et hoc roboratur ex communi Ecclesiæ praxi, quæ est optima legum Interpres *l.* 37. *ff. de Legibus*. Valet tamen licentia Sacerdoti simplici, & non est necesse, quod sit Curatus; quia Tridentinum unice requirit Sacerdotem, & quilibet Sacerdos etiam simplex non Curatus, vere est Sacerdos.

DICES. Potest ipse Parochus licèt non Sacerdos Matrimonia celebrare, illis assistendo, & ea benedicendo; ergo etiam poterit non Sacerdoti licentiam hujusmodi concedere.

Aliqui volunt, etiam Parochum debere esse Sacerdotem; & suam deducunt opinionem ex particula *alius* a Concilio apposita --
„ alii Sacerdoti -- quæ particula est repetitiva similium *l. Si fugitivi*, *C. de Servis fugitivis*. Nihilominus cum communi Sententia dicendum est ut supra *num.* 297., non requiri Parochum Sacerdotem. Concilium illâ particulâ utitur; quia Parochi ordinarie solent esse Sacerdotes. Particula *alius* non semper est repetitiva similium; quod satis constat in illa Lucæ 23. vers. 32. *Ducebantur & alii duo nequam cum eo*, ubi sermo est de Christo, & tamen Christus non intelligitur & ipse nequam. Quando Jura declarant, vel materia subjecta, aut ratio suadet, non esse particulam *alius* accipiendam pro repetitiva similium, tunc ut talis non est accipienda; hoc autem contingit in casu. Tridentinum expresse requirit Sacerdotem pro Delegato; Parochum verò non exprimit debere esse Sacerdotem, sed unice vult Parochum. Porro Parochus potest esse etiam non Sacerdos, dummodo ad Parochialem Ecclesiam sit assumptus *c. Licèt Canon*, *c. Statutum de Elect.* in 6. Munia quidem Parochialia, quæ pendent ab Ordine Sacerdotali nequit Parochus non Sacerdos exercere, potest tamen reliqua adimplere, quæ ad talem Ordinem non spectant, ut sunt Velationes, & assistentia Matrimonii. Itaque Parochus non Sacerdos poterit Nuptias benedicere, & alteri non Sacerdoti licentiam ad hoc concedere non valet.

Pœna benedicenti sine licentia Parochi.

Pœnam suspensionis incurrit quicunque conferre præsumit has Velationes, qui non sit proprius Sponsorum Parochus, aut licentiam non habuerit ab eo, vel ab Ordinario. Sic statutum est in Tridentino *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. -- Si quis Parochus,
„ vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive
„ Secularis sit, etiamsi id sibi ex privile-
„ gio, vel immemorabili consuetudine licere
„ contendat, alterius Parochiæ Sponsos sine
„ illorum Parochi licentia Matrimonio co-
„ njungere, aut benedicere ausus fuerit,
„ ipso jure tamdiu suspensus maneat, quam-
„ diu

„ diu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo Benedictio suscipienda erat, absolvatur --

311 Secundæ Nuptiæ ex Jure communi non sunt benedicendæ sive ambo Conjuges, sive alteruter solummodo, in priori Matrimonio Benedictionem jam susceperint, *cap.* 1. *Vir* -- Vir autem, vel Mulier ad Bi„ gamiam transiens, non debet a Presbytero „ benedici --

Secundæ Nuptiæ ex Jure nunquam sunt benedicendæ.

Plures Doctores perscrutantur hujus Legis rationem, & varii varie loquuntur. Unam desumunt aliqui alias inter rationes ex eodem capite, nempe -- quia, „ cum alia vice benedicti sint, eorum Be„ nedictio iterari non debet -- Hoc tamen ita intelligendum non est, quod absolute Matrimonialis Benedictio non sit iterabilis, & per repetitionem vilescat, ut quidam dicunt. Nam Sacramenta omnia, quæ characterem non imprimunt, possunt repeti, & illorum Benedictio iterari, ut patet in aliis Benedictionibus; adeoque similiter possent, quin vilescant, repeti in secundis Nuptiis Benedictiones, quamvis jam habitæ in primis; & sane, ut infra dicemus, ex consuetudine iterantur. Sic igitur Jus definivit, quia prima Benedictio, licet secundùm se sit iterabilis, est tamen sufficiens, & non indiget iterari in secundis Nuptiis cum duret prima; & hoc quidem etiam in casu, quo unus tantùm ex Sponsis jam primò eam acceperit, communis enim esset, si repeteretur, utrique secunda Benedictio. Optima est ratio, quam refert D. Thomas 4. *Dist.* 42. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. -- Secundum Matrimonium, „ quamvis in se consideratum sit perfectum „ Sacramentum, tamen consideratum in or„ dine ad primum, habet aliquid de defectu „ Sacramenti, quia non habet plenam signi„ ficationem, cum non sit una unius, sicut „ est in Matrimonio Christi, & Ecclesiæ; „ & ratione hujus defectus Benedictio a se„ cundis Nuptiis subtrahitur --

Plures volunt, quod Sacerdos benedicens secundas Nuptias, de Jure incurrat suspensionem; quod deducunt ex *cap.* 1. *Tit.* 21. -- Capellanum, quem Benedictionem cum „ secunda consiliterat celebrasse, ab Officio, „ Beneficioque, suspensum litterarum tua„ rum testimonio ad Sedem Apostolicam „ nullatenus destinare postponas -- Nihilominus communior, & probabilior Sententia cum Abbate *in cit. cap.* 1. *num.* 5. docet, suspensionem non incurrere talem Sacerdotem, bene verò aliam mitiorem pœnam arbitrio Ordinarii imponendam. Et sane debet pœna commensurari delicto; & hoc in præsenti non fieret, nam Benedictio secundarum Nuptiarum, intellige sine scandalo, delictum est modicum in Jure, Suspensio autem ab Officio, & Beneficio, est gravissima pœna. Quod dicitur in laudato capite intelligendum venit de benedicente absque licentia proprii Parochi; quam pœnam etiam statuit Tridentinum in simili, ut supra vidimus.

Ex consuetudine quando benedicendæ sint secundæ Nuptiæ.

De consuetudine, aut specialibus mandatis, in pluribus Diœcesibus etiam secundæ Nuptiæ benedicuntur, si Sponsa adhuc nunquam fuit benedicta, etiamsi Vir aliam duxerit Uxorem, & fuerit benedictus. In hac consuetudine videtur deficere ratio D. Thomæ supra laudata, in qua dicitur, secundum Matrimonium non habere plenam significationem, & ratione hujus defectus ab eo subtrahi Benedictionem. Verùm enim verò Matrimonium secundum quamvis plenam non habeat significationem, aliquam habet significationem; & hoc sufficit juxta rationem D. Thomæ, quod possit benedictionem accipere. Suam explicat doctrinam Angelicus subjungens *loco cit.* -- Benedictio a secundis „ Nuptiis subtrahitur. Sed hoc est intelli„ gendum, quando secundæ Nuptiæ sunt se„ cundæ & ex parte Viri, & ex parte Mu„ lieris, vel ex parte Mulieris tantùm. Si „ enim Virgo contrahit cum Viro, qui ha„ buit aliam Uxorem, nihilominus Nuptiæ „ benedicuntur; salvatur enim aliquo modo „ significatio etiam in ordine ad primas Nu„ ptias, quia Christus, etsi unam Ecclesiam „ Sponsam habeat, habet tamen plures Per„ sonas desponsatas in una Ecclesia -- Nulla tamen est consuetudo benedicendi secundas Nuptias, si Sponsa jam in primo Matrimonio benedicta secundò nubit. Ratio semper urget D. Thomæ *ibidem* -- Anima non po„ test esse Sponsa alterius, quàm Christi: „ quia aliàs cum Dæmone fornicatur, nec „ est ibi Matrimonium spirituale; & pro„ pter hoc quando Mulier secundò nubit, „ Nuptiæ non benedicuntur propter defe„ ctum Sacramenti -- Hac super re inspicere oportet Ritualia Diœcesana, & sequenda est consuetudo cujuscunque Diœcesis. Rituale Romanum *Tit. De Sacramento Matrim.* hæc habet -- Caveat Parochus, ne quando „ Conjuges in primis Nuptiis Benedictio„ nem acceperint, eos in secundis benedi„ cat, sive mulier, sive etiam vir, ad se„ cundas Nuptias transeat. Sed ubi ea viget „ consuetudo, ut, si mulier nemini un„ quam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem „ habuerit, Nuptiæ benedicantur, ea ser„ vanda est. Sed Viduæ Nuptias non be„ nedicat, etiamsi ejus Vir nunquam Uxo„ rem duxerit -- Similia habet Rituale Mediolanensis Ecclesiæ a Sancto Carolo institutum.

§ § § §
§ § §
§ §
§

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE IMPEDIMENTIS SACRAMENTI MATRIMONII EX PARTE PERSONÆ.

1 SUb initio præcedentis Disputationis omnia impedimenta dirimentia ad duo veluti fundamentalia capita reduximus, nempe ad consensum contrahentium, & ad Personarum idoneitatem. Quæ ad caput primum spectant jam expendimus in eadem Disputatione præcedenti; in præsenti igitur remanet persolvendum de ceteris, de iis scilicet, quæ attinent ad Personarum idoneitatem. In his enucleandis difficultatibus studiose Polemicas seligimus, at verò Scholasticas omittimus, & Morales synoptice pertractabimus.

Quid sentiant Etherodoxi de impedimentis ex parte Personæ. Itaque Etherodoxi duo absolute adoptant impedimenta ex parte Personæ, impotentiam scilicet, & ligamen: duo alia cum limitatione admittunt, nempe Consanguinitatem, & Affinitatem, in gradibus tamen in Levitico olim vetitis, secus in reliquis; cetera autem impedimenta reprobant; unde audacter dicebat Lutherus Serm. *De Matrimonio* — Duas de viginti causas in Jure effinxit Papa, quibus omnibus Matrimonium „ vel dissipet, vel impediat; quas tamen „ fere omnes & rejicio, & condemno — Adversùs impedimentum Voti plura maledica ore evomont; verùm de eo superiùs disimus, nempe *Disp. V. Contr. IV.*, nonnulla dicturi sumus ubi de impedimento Ordinis, & sequenti Tomo, ubi de Consiliis Evangelicis; adeoque impræsentiarum eo supersedemus.

SYNOPSIS

DE COGNATIONIBUS, ET AFFINITATE.

2 *Dividitur Cognatio.* UT diluc ide hac in re procedamus, notandum est, Cognationem in triplicem partiri differentiam; in naturalem nempe, & dicitur Consanguinitas, ceu sanguinis unitas; in spiritualem, quæ a Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 2. Compaternitas nuncupatur; demum in legalem, quæ nominatur adoptio, utpote ab adoptione emanata. De qualibet agendum est in præsentia, deinde erit sermo de Affinitate. Et primò

DE COGNATIONE NATURALI.

3 *Definitur Consanguinitas.* COgnatio naturalis, seu Consanguinitas definitur: Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. *Vinculum*; quia Consanguinei, utpote ab eodem sanguine orti,

A majori dilectionis, & familiaritatis nexu connectuntur. *Personarum*, idest, rationalium Creaturarum; utpote quæ solummodo veri amoris capaces sunt. *Ab eodem stipite descendentium*, proximo videlicet, ex cujus origine similitudo, amor, & familiaritas inter Consanguineos conservatur. *Carnali propagatione contractum*, ut innuatur ex carnali propagatione haberi Consanguinitatis vinculum; ex aliis namque propagationibus illud non oritur, ut videre est in Angelis a Deo creatis; & in Eva relate ad Adam.

B 4 *Quotuplex linea Consanguinitatis.* Consanguinitas lineam, & gradus, habet. Linea est ordinata Personarum collectio ab uno stipite descendentium; quæ duplex est, recta nempe, & transversalis, seu obliqua.

Linea recta est eorum collectio, quorum unus ab alio descendit, ut filius a Patre. In duas secatur partes, scilicet ascendentium, & descendentium. Prima a Genitis progreditur ad Progenitores, ut a filio ad Patrem, a Patre ad Avum; progreditur altera a Progenitoribus ad genitos, ut a Patre ad filium, a filio ad nepotem.

C Linea obliqua non est nisi collectio descendentium ab eodem stipite, licèt unus ab alio non proveniat; ut fratres, & Consanguinei. Dividitur & ipsa in duas partes; in æqualem scilicet, & inæqualem. Illa est Personarum æqualiter distantium ab eodem stipite, ut duæ Sorores; hæc est inæqualiter distantium ab uno stipite, ut Patruus, & Nepos. Stipes illa dicitur Persona, a qua Consanguinei originem trahunt, ut stipes Fratrum est Pater, Nepotum est Avus.

5 *Gradus Consanguinitatis.* Gradus nihil aliud est, quàm major, vel minor distantia unius Personæ ab alia juxta lineam Consanguinitatis. In linea

D recta in graduum supputatione Jus Civile, & Canonicum, conveniunt; discrepant verò in linea obliqua. Civile in computatione ad singulorum gradus attendit, quoniam verò unusquisque suum habet gradum, hinc fit, quod si duo sint Fratres, duplici inter se distant gradu, si tres triplici, quadruplici si quatuor. Canonicum verò attendit ad distantiam, qua plures ab uno elongantur, vel ad unum accedunt; & quia duo Fratres unâ distantiâ a Patre distant, uno itidem gradu distant inter se. Hæc porro sup-

E putatio adoptanda est; etenim a Jure Canonico Catholicorum Conjugium dirigitur.

6 *Regula pro gradibus dignoscendis.* Pro dignoscendâ graduum distantiâ triplex assignatur regula. Ea est prima pro linea recta, ut tot gradibus unus a stipite distet, quot mediant generationes; propterea quia Patrem inter, & Filium, una intercedit, duæ inter Avum, & Nepotem, & tres inter Proavum, & Pronepotem, ideo Filius gradu uno a Patre, Nepos duobus ab Avo, tribus a Proavo Pronepos.

Re-

Regula alia est pro linea obliqua. Tot gradibus plures inter se distant, vel junguntur, quot a communi stipite distant, vel accedont, & quia duo Fratres uno distant a Patre, & gradu duplici Nepotes, ideo inter duos Fratres unus intercedit distantiæ gradus, inter duos Nepotes duplex.

Tertia regula pro linea transversali inæquali hujusmodi est. Tot gradibus plures inter se distant, quot remotior a communi stipite elongatur; quapropter cum Nepos ab Avo distet duobus gradibus, ideo Patruus, idest Frater Avi duplici distat gradu a Nepote. Hæc habemus ex D. Th. *in Suppl. quæst.* 54. *art.* 1., *&* 2., & ex Jure Canonico 35. *q.* 5. Cap. *Ad Sedem Apostolicam*.

7 Beza inter Calvini Discipulos Princeps lib. *De repudiis, & divortiis* contumeliose insurgit adversùs Canonicam computationem, cujus regulas ineptas, atque absurdas impudentissime nuncupat, nobisque affingit, quæ a Catholicorum doctrina prorsus aliena sunt. Quoniam verò contumelias referre non vacat, quæ contra præcitatas regulas perperàm excogitavit, audiamus.

8 Igitur contra primam Regulam supputandi gradus scribit -- Hæc Regula etsi „ nihil efficit a veritate alienum, tamen non „ recte concepta est; relinquit enim suspen„ sum animum, cur demenda sit una, & „ quænam sit demenda --

Verùm prævie hac de re locutus est S. Thomas loco superiùs laudatu. Una itaque demenda est Persona, eaque prima, quia gradus distantiam importat unius ab alio; adeoque unus dari necesse est, a quo inicietur. Cum autem id, a quo initium, primum sit, una & prima Persona demenda est; prima enim gradum non facit, cum a seipsa non distet, sicut punctum, a quo incipit linea, utique linea non est.

9 Insurgit contra secundam, falsamque ex communi Sententia pronunciat -- Na„ tura enim ipsa ostendit, tot esse oportere „ gradus, quot sunt generationes, nec posse „ perveniri a Fratre ad Fratrem, nisi tran„ situ per Patrem communem facto -- Certum quippe est, Filium propinquiorem videri Patri, quàm Fratri: hinc major amor, & obligatio Filii ad Patrem; cumque Filius uno distet gradu a Patre, fas est plusquam uno gradu a Fratre distare.

Confictum transitum Fratris ad Fratrem per communem Patrem introducit, vel nobis affingit Beza. Distantia Fratris a Fratre non datur per mediatum, vel immediatum unius ab alio descensum; talis distantiæ modus in recta linea contingit. Uterque Frater in Patre conjungitur, nec Frater ad Fratrem aliam habet habitudinem, nisi quatenus unum est cum Patre, quia ab eo procedit uterque. Quare haud cognosci potest distantia Fratris a Fratre, nisi in ordine ad Patrem; cumque habitudo hujusmodi in utroque sit unius gradus, sit oportet unius gradus distantia Fratris a Fratre. Quod autem unus Frater uno distet gradu a Patre, & Frater alter uno itidem gradu distet, haud facit, vel quod ambo, vel quod unus duplici distet gradu, nec facit quod Fratres distent inter se duplici gradu. Unus itaque idem gradus distantiæ a Patre in utroque Fratre numeratur, non multiplicatur.

Rationi respondet Angelicus *in Suppl. quæst.* 54. *art.* 2. *ad* 5. -- Consanguinitas di„ citur major, vel minor, uno modo inten„ sive ex ipsa natura Consanguinitatis: alio „ modo quasi dimensive, & sic quantitas „ Consanguinitatis mensuratur ex Personis, „ inter quas Consanguinitatis propagatio pro„ cedit; & hoc secundo modo gradus Con„ sanguinitatis distinguitur -- Igitur intensive major est, & propinquior Consanguinitas in Filio ad Patrem; quia est per colligationem geniti a Progenitore, accipientis a dante, effectus a causa; hinc strinctior amor, atque obligatio. Hoc autem modo non est Consanguinitas Fratris ad Fratrem; cum unus non sit effectus alterius, sed uterque unius communis causæ effectus. Dimensive verò æqualiter distant, ac inter se; quoniam in utroque respectu idem medium reperitur. Clarescet exemplo duarum partium unitarum per continuationem, & duarum unitarum per contiguitatem. In linea dimensiva æqualiter distant; primæ tamen fortiùs sunt colligatæ.

10 Adversùs tertiam Regulam furit Beza -- Hæc verò Regula tam crassum, & „ pudendum errorem prodit, ut vel sola ma„ nifeste ostendat, istos Antichristos vere „ fuisse vertiginis spiritu mancipatos, ut Do„ minus per eos ulcisceretur in universo „ Mundo suæ veritatis contemptum &c. -- Porro quodnam est tam informe Monstrum a nobis in medium productum? Non aliud sane nisi quod una Persona æqualiter distet a pluribus inæqualiter distantibus. Sit v. g. Jacob stipes, ex dextera parte Judas, Onan, Assur, Melchisedech, ex sinistra Joseph, Manasses, Uri, Bersabea; ex vi traditæ supputationis Melchisedech in quarto gradu ab omnibus sinistræ partis distat, cujus Personæ aliàs inæqualiter distant inter se.

Verùm hoc Monstrum devorandum est a Beza spectata linea transversali æquali. Etiam in hac quartus lateris dexteri æqualiter distat ab omnibus Personis, quæ in sinistro sunt. Quoniam verò Beza ad regulas Juris civilis confugiet, operæ pretium erit ostendere sic fore gradus computandos, nec aliter posse fieri.

Personæ unius lateris non habent habitudinem ad Personas lateris alterius, nisi ratione stipitis, in quo uniuntur: quatuor Personæ sinistri lateris non respiciunt postremam lateris dexteri, nisi quatenus omnes quatuor uniuntur in stipite; sed Melchisedech quarto distat gradu a stipite Jacob; ergo necessariò quarto distat gradu ab omnibus alterius lateris. Quod autem Personæ sinistri lateris inter se inæqualiter distent, non oritur ex habitudine ad Personas lateris dexteri, sed ex processione unius ab altero; adeoque inæqualitas inter ipsas nequaquam deservit ad immutandam distantiam cum Personis lateris alterius.

11 Notandum verò occurrit discrimen gradum inter remotiorem, atque propinquiorem in supputatione. Cum assumitur remo-

tior,

tior, puta, Melchisedech, attenditur ipsius distantia a stipite, in quo Personæ secundi lateris uniuntur; cumque remotior quarto distet gradu a stipite, eodem necesse est a collateralibus distare. Cum autem assumitur propinquior, attenditur distantia stipitis (in quo Melchisedech intelligitur) a Personis sinistri lateris: atqui Jacob stipes inæqualiter distat a Personis illius lateris; ergo Melchisedech inæqualiter distat a collateralibus. Hoc autem in aperto est. Etenim assumendo propinquiorem, si attendimus ipsius distantiam a stipite, fas est aliquam admittere Personam unius lateris propinquiorem esse suo collaterali, quàm stipiti; quod fieri nequaquam potest, cum non nisi ratione stipitis collaterales conjungantur. Quod clariùs elucidetur, si attendamus distantiam Judæ a Jacob stipite, in quo Personæ omnes sinistri lateris intelliguntur. Nunc sic: Judas a Jacob uno distat gradu; ergo uno gradu distat ab Uri, & reliquis; sed Uri a stipite distat tertio gradu; ergo una Persona collateralis magis ad alteram collateralem accedit, quàm ad stipitem, quod tamen impossibile est cum Uri non nisi per Jacob uniatur cum Juda.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

12 Spiritualis Cognatio est Personarum propinquitas orta ex susceptione, vel collatione Sacramenti Baptismatis, aut Confirmationis. Impedit, & dirimit Connubium Ecclesiastico Jure, ut ex Trident. *Sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrimonii.* S. Thomas congruam affert rationem *in Suppl. quæst. 56. art. 2.* cur in duobus hisce tantummodo Sacramentis contrahatur Cognatio -- Duplex est carnalis nativitas. Prima in „ utero, in quo adhuc id, quod natum est, „ est adeo debile, quod non possit extra poni „ sine periculo; & huic nativitati assimilatur „ regeneratio per Baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra „ uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex „ utero, quando jam, quod natum erat, „ in utero tantùm roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ „ nata sunt corrumpere; & huic assimilatur „ Confirmatio, per quam homo roboratus „ exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi. Et ideo congrue per utrumque istorum Sacramentorum contrahitur „ cognatio spiritualis --

In Baptismo, & Confirmatione contrahitur Cognatio.

13 Personæ Cognationem contrahentes in Baptismate describuntur ex laudato Trident. -- Statuit ut unus tantùm sive Vir, „ sive Mulier, juxta Canonum instituta, vel „ ad summum unus, & una, baptizatum „ de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantùm spiritualis Cognatio contrahatur -- In Confirmatione Confirmans & Confirmatus, illiusque Pater, & Mater, seut & tenens -- Ea quoque Cognatio, *sic* „ *laudata Synodus*, quæ ex Confirmatione „ contrahitur, Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, non „ egrediatur: omnibus inter alias Personas „ hujus spiritualis Cognationis impedimentis omnino sublatis -- Unde Baptizatus ducere potest filias Patrini, ac Matrinæ, nec non Baptizantis, & duo Conjugati possunt esse susceptores filii alieni in Baptismo absque eo quod ullum incurrant impedimentum quoad petendum debitum, immo absque noxa, cum nullibi prohibitum habeatur.

Inter quos contrahatur.

14 Ut prædicta Cognatio contrahatur intercedat oportet verus Baptismus, aut Confirmatio, proindeque non habetur Cognatio, si puer domi baptizatus sit, & solemnitates in Ecclesia publice suppleantur: si validus Baptismus iteretur; cum tunc revera nullum fiat Sacramentum. Si verò ex dubio rebaptizetur, tunc contrahitur Cognatio; cum Ecclesia tunc baptizari præsumat. Fas est itidem, quod baptizans, confirmans, & susceptores sint baptizati, & confirmati; quare Infidelis baptizans, utpote Ecclesiæ legibus minime subjectus, nullam contrahit Cognationem; hinc ad Fidem conversus posset sive cum Baptizato, sive cum Patre, ejusdemque Matre nubere. Citato loco mandat Sancta Synodus ut unus tantummodo, vel una, vel unus, & una suscipiat de lavacro, & quidem per designationem Parentum, vel eorum, quibus incumbit baptizati cura; unde ob hujusce conditionis defectum inferunt quidam Theologi, neminem incurrere impedimentum, si plures non deputati baptizatum susciperent, reclamantibus aliis, qui volunt, omnes contrahere Cognationes, si omnes insimul susciperent, si verò successive non nisi duo, qui primò tangerent infantem.

15 Necesse est, Patrinos puerum tenere dum aquâ abluitur, vel Chrismate inungitur, vel ut immediate suscipiant Baptizatum per imersionem, vel e fonte levent si per infusionem regeneretur puer. Physicus contactus necessarius est, ut verificetur puerum teneri; idcirco non sufficit digito tangere, vel ostendere. Non est opus, aliquid respondere. Ætas quæcunque post rationis usum sat est ad munus Patrini. Requiritur tamen intentio proprium munus exequendi juxta mentem Ecclesiæ; & sine hac nullum consurgit impedimentum. Requiritur itidem quod solemniter conferatur Baptismus; est enim ceremonia ab Ecclesia ordinata, unde absque crimine in privata Sacramenti collatione prætermittitur. Baptizans verò, privatè etiam in casu necessitatis contrahit Cognationem; cum verum conferat Sacramentum, & sacramentalis producatur effectus.

16 Parentes proprium filium extra necessitatis casum baptizantes, scienterque id exequentes, privantur usu Conjugii, ita ut qui baptizat, nequit debitum petere, quamvis reddere teneatur, non enim absque culpa Pars altera gravari debet. Si verò, urgente necessitate, filium regeneret, nullum contrahit impedimentum; hoc siquidem ei apponeretur tanquam pœna: pœna autem nulli debetur, ex quo præceptum adimpleat; porro in prædicto casu urgeret præceptum baptizandi periclitantem puerum. Nec est simile

simile de alio baptizante ex eodem necessitatis motivo; siquidem spiritualis cognatio non illi apponitur ut pœna, sed ut amor, & charitas ad alios extendatur. Olim disputabatur utrum ea aliis Sacramentis, & potissimùm ex Pœnitentiæ Sacramento spiritualis Cognatio oriretur, sed ea Tridentino abunde constat, ex solo Baptismate, & Confirmatione haberi.

DE COGNATIONE LEGALI.

Quid sit legalis Cognatio.

17 Cognatio legalis est propinquitas Personarum ex adoptione proveniens. Adoptio est legitima extraneæ Personæ in filium, vel nepotem assumptio. *Legitima*, videlicet, secundùm leges; *extranea Persona*, quæ scilicet, non sit in potestate adoptantis sive sit Consanguinea, sive non; *in filium*, *vel nepotem*, non in Fratrem, aut alium gradum, quia adoptio subrogatur successioni naturali. Duplex est adoptio; perfecta, & communis. Exquirit prima Personam, quæ sui sit juris, & rescripto Principis transit sub potestate adoptantis, sicut ceteri legitimi filii. Hæc etiam dicitur arrogatio; quia adoptans a Principe rogatur, an velit talem assumere, & adoptatus similiter rogatur, an velit assumi. Adoptio communis, quæ etiam simplex, & imperfecta nominatur, est, quæ vulgari locutione appellatur adoptio, & non transit per eam in familiam adoptantis persona adoptata, nec requirit rescriptum Principis, sed sufficit cujuslibet Magistratus. Adoptans per arrogationem debet habere quadraginta annos completos, nec potest testamento privare adoptatum quarta parte, qui etiam succedit *ab intestato*; in quo convenit cum adoptato simpliciter. Secundùm legum Statuta requiruntur in adoptante adoptione communi sex conditiones. Prima, ut sit masculus; fœmina enim non adoptat, nisi ex privilegio, cum sub sua potestate filios non contineat. Altera, ut sit sui juris excedens viginti quinque annos; quia oportet, ut bona sua valeat administrare. Tertia, ut non sit naturaliter impotens ad propagationem; quia alios assumit in defectum filiorum, quos naturaliter gignere posset. Quidam volunt, ut non sit incapax, seu impotens etiam ex defectu. Quarta, debet excedere decem, & octo annos, adoptatum, qui debet esse ætatis septem annorum; ut ratione ætatis possit illius esse filius. Quinta, Personæ debent esse præsentes; quia inter absentes non fiunt generationes. Sexta, requiritur auctoritas publica, nec sufficit publicitas facti; ut possint dirimi lites occasione distribuendi bona.

Cognationis legalis species.

18 Ex utraque adoptione triplex oritur Cognationis species. Prima, lineæ rectæ ascendentium, & descendentium; versaturque inter adoptatum, & adoptantem. Altera lineæ transversalis; interceditque inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis. Tertia affinitatis; respicitque adoptantem, & Uxorem adoptati, & e contra. Nulla ex illis Cognationibus impedit Conjugium Jure naturali, vel divino; omnes tamen humano impediunt Jure. De duabus primis habetur expressio Cap. unico, *De cognat. leg.*, Cap. *Per adoptionem* 30. *q.* 3. Tertia verò impedit ex immemorabili Ecclesiæ consuetudine. Ratio hocce instituendi impedimentum proportionaliter eadem est, quæ pro Consanguinitate affertur, singularis nempe amor, familiaritas, specialis reverentia &c.

19 Cum solùm positivo Jure hoc impedimentum habeatur, non nisi in Jure expressos comprehendit; adeoque non extenditur in linea recta ultra primum gradum. Sed quia *l. Si Pater-familias ff. de adoptionibus* omnes censentur adoptari, qui sunt sub potestate adoptati tempore, quo adoptatur; ideo ad illos etiam extenditur, non autem ad alios. Hinc fit, valere Conjugium. I. Inter adoptantem, & filiam adoptati non existentem sub ejus potestate, vel post adoptionem natam. II. Inter adoptantem, & filiam filiæ adoptivæ; quia fœmina non habet patriam potestatem. III. Inter adoptantem, & filios illegitimos adoptati, & e contra, similiter inter filium adoptatum, & filias adoptatas ejusdem Patris; quia ad solos filios naturales hoc impedimentum extenditur. IV. Inter Parentes adoptati, & adoptantem, ac Parentes ejus; cum de istis nihil agatur in Jure. Species, quæ lineæ transversæ inducta est ad evitandum incontinentiæ periculum ortum ex familiari consuetudine cohabitationis domesticæ adoptati cum filiis adoptantis, cessat, quando tollitur patria potestas, vel per emancipationem filiorum, vel per mortem Patris adoptantis; hinc filia adoptiva post mortem Patris potest ducere filium adoptantis, Cap. unico *De cognat. leg.*, Cap. *Per adoptionem* 35. *q.* 3. Quia verò prima, & tertia species inducta est ob debitum reverentiæ, quæ semper durat, perpetua est, nisi dispensatio intercedat.

Secundùm veriorem Sententiam sola adoptio arrogativa, sive perfecta inducit impedimentum. Nam Jura dicunt induci Cognationem per adoptionem simpliciter talem; hæc autem est sola perfecta, nam alia imperfecta est potiùs quædam sola dispositio, quæ non participat formæ naturam. Insuper Cognatio legalis inducta est ad similitudinem naturalis; hæc autem postulat, ut filii sint sub Patris potestate, proinde illa solùm inducere debet impedimentum, per quam adoptatus constituitur sub potestate adoptantis, quod sola adoptio perfecta facit, sicut sola affert periculum incontinentiæ, ex quo constituat adoptatum in familiam adoptantis.

DE AFFINITATE.

Affinitas exponitur.

20 Affinitas est Personarum propinquitas ex conjunctione carnalis copulæ exorta; cum enim per ipsam masculus, & fœmina fiant una caro, Consanguinei unius alterius Consanguinei evadunt; hæc porro resultans Consanguinitas nuncupatur Affinitas. Copula, unde ipsa dimanat, apta esse debet ad generationem, atque Conjugii consummationem. Stipes sunt personæ illæ, quæ sese maritaliter cognoscunt; ipsæ namque

quæ sunt Affinitatis principium. In eo gradu habetur Affinitas, in quo est Consanguinitas cum cognita. Consanguinei Viri, & ex adverso, non fiunt affines Consanguineorum Mulieris, sed tantummodo Vir cum Consanguineis Mulieris, & e contra; proinde duo Fratres duabus copulari possunt Sororibus &c. Non solùm autem ex licito, sed ex illicito quoque concubitu oritur Affinitas ex Tridenr. *sess.* 24. *cap.* 4.

21 Affinitas sive ex uno, sive ex capite altero, exorta, dirimens constituit impedimentum, ut legere est in toto Tit. *De consanguin.*, *& affinit.* Omnesque rationes, quæ pro Consanguinitate referuntur, Affinitati accomodat S. Thomas *in Suppl. quæst.* 55. *art.* 2. Ex Jure antiquo ad septimum usque gradum extendebatur, Cap. *Æqualiter* 35. q. 3. Utraque tamen Cap. *Non debet*, *De consang.*, *& affinit.* ad quartum gradum fuerat coarctata. Verùm nuperrime ex Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 4. ex copulâ fornicariâ revocata est ad secundum gradum; cum plerunque occulta sit, unde sæpenumero contingebat irrita celebrari Matrimonia, atque in eis perseverare. Quoniam verò ex hac non oritur amor ille, & reverentiæ causa, quæ ex licito concubitu habetur, hinc fit, nullum ex ipsa oriri impedimentum dirimens Jure naturæ. Affinitas quoque ex maritali consortio dimanans non dirimit naturali lege Conjugium Leviri cum Glore, ut compertum est ex diligenti inquisitione omnium fere Reipublicæ Christianæ Doctorum præmissâ a Clemente VII., ut legitimam declararet dispensationem a Julio II. concessam Henrico VIII. Anglorum Regi, ut nuberet cum Catharina, quæ fuerat Fratris Uxor. Hoc aliis roborari posset exemplis, & consone quidem ad Scripturas, ubi describitur Conjugium Jacob cum Lia, & Rachele, *Gen.* 29., & *Deut.* 27., ubi præcipiebatur, ut Frater nuberet cum Uxore Fratris sui, qui absque liberis decesserat; quod sane fieri non potuisset, si in primo gradu transversali Affinitas Jure naturæ Matrimonium dirimeret.

Constituit impedimentum dirimens.

22 Affinitas in linea recta non dirimere Jure naturæ Conjugium, ut inter Privignum, & Novercam, Privignam & Vitricum, Socrum inter & Nurum, sicut inter Socrum & Generum, propugnant nonnulli magni nominis Doctores, gravissimâ tamen interveniente causâ; cum ex Affinitate non tanta habeatur indecentia, quanta est inter Consanguineos lineæ rectæ, puta inter Patrem, & Filiam. Unde Concilium Agathense *Can.* 6., & Arelatense *Can.* 10. prohibet Conjugium Privigni cum Noverca; si verò ante hujusmodi prohibitionem initum fuerit, decernit, legitimum esse censendum; quæ declaratio nullius esset momenti, si natura Jure nullum foret. Et sane Matrimonii substantiæ, aut bonis ejus, nequaquam adversatur; cum tales Affines sibi mutuò debitum reddere, fidem servare, prolem rite, sancteque, instituere possint; aliàs non talis adinvenitur superioritas, & inferioritas, quæ tantam gignat reverentiam, sicut inter Consanguineos.

Affinitas in linea recta an dirimat Jure naturæ Conjugium.

Alii verò Clarissimi Doctores oppositum volunt, contendentes, Jure naturæ dirimere Matrimonium. Amos namque 2. *vers.* 7. ut scelus reputavit gravissimum, quod *filius, ac Pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum*; & 1. ad Corinth. 5. Apostolus acriter reprehendit incestuosum cum Noverca; Levitici itidem 20. pariter redarguitur Connubium cum Noverca, & cum Nuru, atque mortis pœnâ mulctantur contrahentes. Referunt quoque Cap. *Si vir* 35. *q.* 3. ex Augustino *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 61., qui tantam deberi affirmat reverentiam Uxori Patris, ac ipsi Patri. Demum Cap *De propinquis* 35. *q.* 3. dicitur, eodem modo abstinendum ab Affinibus, ac a Consanguineis. Momenta utrinque gravissima sunt. Docti illa perpendant, eligantque meliora. Vide tamen quæ dicenda sunt infra *Contr. III. num.* 60.

CONTROVERSIA I.

AN OMNES COGNATIONIS GRADUS PROHIBITI LEVIT. 18. NATURALEM CONTINEANT JUSTITIAM, ITA UT OMNIA PRÆCEPTA LEVITICI OBLIGENT CHRISTIANOS.

HISTORICA NOTIO.

Cognationis gradus innuimus jam superiùs *num.* 5., ubi & pro dignoscenda ipsorum distantia assignavimus regulas, quas a contumeliis Bezæ vindicavimus. Pro præsenti congruum est primò quærere, in quibus gradibus fuerit prohibitum Consanguineis nubere inter se.

23 Ab Orbe condito ad hæc usque tempora non una fuit Lex, aut Consuetudo. In Lege naturæ progeniti ex Adam cum Sororibus nupserunt, & nati ex filiis ejusdem, summa illa cogente necessitate Generis propagandi, Consanguineas duxerunt. Patrui, & Avunculi juncti sunt Neptibus; ut evincitur exemplo Abrahæ sese excusantis apud Abimelech *Gen.* 20. Amitæ cum Nepotibus inierunt Connubia *Numeror.* 26.

24 In Lege scripta Moyses *Levit.* 18. *vers.* 7. a legitimo Matrimonio proscripsit primum, & secundum gradum in linea recta, Patris nempe cum filia, & nepte, Matris cum filio, & nepote: in linea transversali Conjugium cum Sorore sive ex uno, sive ex utroque Parente, sicut & nepotis cum Amita, vel Matertera *vers.* 9., *& seqq.*

Quibus lex Moysis quoad consanguinitatem.

Ex identitate rationis vult S. Hieronymus, apud Hebræos irrita fuisse Connubia collateralis lineæ respectu Descendentium, ita quod Patrui, & Avunculi Neptes seu ex Fratre, seu ex Sorore docere nequirent. Verùm cum hac de re nihil habeatur in lege, pluribus hujusmodi extensio non arridet.

S. Ambrosius *Epistolarum lib.* 6. *Epist.* 48. *ad Paternum* dicit vetitum divina lege Conjugium Fratrum patruelium, qui sunt in quarto gradu; quod sane a veritate alienum est.

est. Crederem tamen, nomine legis divinæ intelligere S. Doctorem, non expressam Moysis legem, sed naturalem æquitatem homini a Deo impressam, quæ videtur innuere, hujusmodi Conjugia reprobanda. Hoc consonat rationi, qua urget Paternum contendentem, Conjugium, de quo ipse consulebat, non esse Moysis scripto vetitum; cui reponit Ambrosius, interdictum fore Jure naturæ, interdictum lege, quæ scripta est in cordibus. Negat *in eadem Epistola* S. Doctor, in Levitico esse expresse prohibitas Nuptias Patris cum filia. Verùm vel aliter intelligit versiculum septimum, vel impressionis menda est Patrem pro Patruo exscribens.

Quid eadem lex quoad affinitatem.

Quantùm ad affinitatem Lex Moysis laudato loco Levitici *vers.* 8. prohibuit Nuptias Filii cum Noverca, Patris cum Nuru *vers.* 15., Patris cum Privigna, vel cum ejus filia *vers.* 17.; & hæc quoad lineam rectam. Ex transversali vetuit Nuptias cum uxore Fratris *vers.* 16., & cum Sorore uxoris, Ipsa vivente, *vers.* 18., sicut & cum Sorore Patrui *vers.* 14.

Quid in lege Gratiæ.

25 In Lege Gratiæ primis quatuor Ecclesiæ Seculis licebant Nuptiæ Consobrinos Inter, & Consobrinas, nec non inter filios, filiasque Fratrum, atque Sororum; quod evincitur clare ex Augustino *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 16. -- Experti autem sumus in Con„nubiis Consobrinarum etiam nostris tem„poribus propter gradum propinquitatis fra„terno gradui proximum; quamrarò per „mores fiebat, quod fieri per leges licebat, „quia id nec divina prohibuit, & nondum „prohibuerat lex humana. Veruntamen fa„ctum etiam licitum, propter vicinitatem „horrebatur illiciti, & quod fiebat cum „Consobrina, pene cum Sorore fieri vide„batur -- Licitæ igitur putabantur hujusmodi Nuptiæ, sed rarò habebantur. Porro quamvis licerent prædicta Conjugia, reprobata tamen erant etiam apud Gentiles illa descendentium in linea collaterali, Avunculi scilicet cum Nepte, Amitæ cum Nepotibus, ut legere est in Svetonio *in Vita Claudii Imp. cap.* 26., ubi refertur Senatus Decretum pro Claodio emanatum, ut Agrippinam Fratris sui Filiam ducere posset.

Desinente Seculo IV., Theodosius Senior Nuptias prohibuit in secundo gradu collateralis lineæ rectæ, videlicet, inter filios, & filias Fratrum, & Sororum. Hujus meminit S. Ambrosius *laudata Epistola ad Paternum* -- „Theodosius Imperator etiam Fratres Pa„trueles, & Consobrinos vetuit inter se Co„njugii convenire nomine, & severissimam „pœnam statuit, si quis temerare ausus esset „Fratrum pia pignora --

Ineunte Seculo V. legem Theodosii abrogarunt Arcadius, & Honorius Impp., ut habetur *in Cod. Just. lib.* 5. *art.* 4. *de Nuptiis* -- Celebrandis inter Consobrinos Matrimo„niis licentia legis hujus salubritate indulta „est, ut revocata prisci Juris authoritate, „restinctisque calumniarum fomentis, Ma„trimonium inter Consobrinos habeatur le„gitimum, sive ex duobus Fratribus, sive „ex duabus Sororibus, sive ex Fratre, & „Sorore nati, & ex Matrimonio editi legi„timi, & suis partibus Successores habean„tur -- Attamen hujusmodi abrogatio vim non obtinuit. Etenim Concilium Agathense anno 506. celebratum censuit incestuosum -- „Si quis Consobrinæ suæ se sociaverit -- Et S. Gregorius Seculo VI. monitum voluit Augustinum Anglorum Episcopum illius legis nullam habendam esse rationem.

Seculo VI. cœpit consuetudo, quæ ad Seculum usque XI. perduravit, ut non valerent Conjugia intra septimum gradum. Consuetudinis hujus testem habemus S. Gregorium Magnum *lib.* 12. *Epist.* 22. *ad Felicem Episcopum Messanensem* -- Progeniem verò „suam unumquemque de his, qui fideliter „edocti sunt, & jam firma radice plantati „stant inconvulsi, usque ad septimam obser„vare decernimus generationem -- Epistolam hanc confictam volunt nonnulli. Ejusdem tamen consuetudinis momentum habemus ex Gregorio III., qui florebat anno 731. *Epist.* 1. *ad Bonifacium* -- Progeniem verò „suam unumquemque usque ad septimam „generationem observare decrevimus --

Pro Anglis ad Fidem conversis S. Gregorius dispensavit, ut extra quartum gradum valerent Nuptiæ; & pro Germanis dispensavit Gregorius II. *Epist.* 13. *ad Bonifacium*. Sed Gregorius III. ejusdem Successor dispensationem revocavit *Epist.* 1. *ad Bonifacium*.

A Seculo XIII. Consanguinitatis, & Affinitatis gradus ad quartum solummodo redacti fuere ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi anno 1215. celebrato *Can.* 50. Sanctio hujusmodi nunc quoque viget.

Græcorum supputatio secundùm Jus civile.

26 Prædicta apud Latinos solemnia sunt. Ceterum apud Græcos non eadem est supputandi ratio; siquidem Regulam Juris civilis adoptantes computant gradus Personarum numero.

Primis itaque rei Christianæ temporibus usque ad Theodosium Seniorem non excludebant nisi secundum gradum, atque Consanguineorum Conjugia permittebant. A Theodosio verò ad Seculum usque XI. tertium gradum, sextam videlicet Personam, inter exclusas a Matrimonio connumeraverunt. Sed Michael, qui Ecclesiæ CP. præerat anno 1050., septimam exclusit Personam, octavæ Nuptias permittens. Praxim hujusmodi improbavit Innocentius IV. Seculo XIII. *in Epist. ad Ottonem Cardinalem Tusculanum in Regno Cypri Legatum pro componenda controversia Græcos inter Episcopos Regni illius, & Archiepiscopum Nicosiensem Latinum*, referens Decretum Lateranensis Concilii superiùs citati. Porro Pontifex adversùs Græcos urgebat; quia hi permittebant Nuptias in quarto gradu, non quidem quoad septimam, bene verò quoad octavam Personam. Etenim secundùm Jus civile duplex Persona duplicem gradum constituit, sed unum tantummodo secundùm Jus Canonicum: unde prima, & secunda Persona primum Canonicum gradum faciunt, tertia & quarta secundum, tertium quinta & sexta, septima demum & octava quartum; cumque Græci concederent octavæ Nuptias, a Canonicis Sanctionibus discrepabant. Hujusmodi Græcorum praxim eradicare non potuit Innocentius. Contendunt

dunt namque Illi, Pontificis Decretum non fuisse promulgatum; adeoque non obligare.

In affinitate ex Matrimonio eandem Juris civilis regulam sequuntur, & Nuptias septimæ Personæ concedunt, quas sextæ denegant, idest inter Affines tertio Canonico gradu. Constituunt itidem Affines inter se Consanguineos Mariti, & Consanguineos Uxoris; cum nos velimus solùm Affines Consanguineos Mariti cum Uxore, & Consanguineos Uxoris cum Marito. Cur autem Græci septimum civilem gradum remittant in Affinitate, secus in Consanguinitate, ex Blastrasio legitur *in Nomocanone*, videlicet; ubi fortior est unio, ibi longiori intervallo dissolvitur: sed fortior est in Consanguinitate, quàm in Affinitate; ergo prima ad septimum usque gradum producitur, non autem altera. Quoad aliud de Affinitate, quod alterum est, in quo a nobis discrepant, rationem affert præcitatus Auctor; quia nempe Consanguinei Viri sunt unum in Uxore, cum qua Vir est una caro: Consanguinei Uxoris sunt unum in Viro, eum quo similiter Uxor est una caro; ergo utrinque Consanguinei sunt unum in uno, idest in Uxore, & Marito, qui unum sunt; ergo juxta regulas Dialecticæ sunt unum inter se. Habent deinde regulas, sub quibus licitæ, vel illicitæ inter Consanguineos ex Affinitate censentur Nuptiæ, de quibus Arcudius *in sua Concordia lib. 7. de Matrim. cap.* 30.

27 Adversùs hosce Consanguinitatis gradus insurrexerunt Novatores. Joannes Wiclephus *lib* 4. *Trialogi cap.* 20. sequentia habet — Non delector in multitudine causarum divortii, eum multæ sint infundabiliter humanitùs ordinatæ, ut patet specialiter de Cognatione. Nam tempore primi hominis Fratres, & Sorores fuerunt ex ordinatione divina totaliter conjugati; & tempore Patriarcharum, ut Abraham, Isaac, & aliorum, satis propinqui cognati. Nec superest ratio, quare non sic liceret hodie, nisi humana ordinatio, quæ dicit, non solùm ex cognatione, sed ex affinitate amorem inter homines dilatari; sed causa hæc hominum nimis debilis est —

Novatores quid sentiant.

Martinus Lutherus anno 1520. lib. *de Captivit. Babylonica in cap. de Matrim.* scripsit — In gradibus affinitatis, & consanguinitatis nulla alia attendi debent, & possunt, quàm quæ in Levitico cap. 18. scripta sunt, quæ & servari debent — Et *in Serm. de Matrimonio* — Consobrini inter se lege sociari possunt, divina, & christiana potestate — Addit *ad cap.* 2. *Genefeos* — Loth fuit filius fratris Abrahæ, utriusque Soror fuit Sara, & Melcha. Jam duo fratres Abraham, & Nachor, duas Sorores germani fratris filias duxerunt. Ex his concludi potest, quod nec abrogatum est, nec quisquam inhibere queat, quominus fratris filiam ducere liceat, quia Abraham, & Nachor fecerunt, qui in Scripturis laudantur, & sanctiores quàm nos fuerunt — Demum *ad cap.* 36. *Genefeos* probat, & confirmat, Matrimonium, quod quidam cum propria filia, quam ex propria Matre, incesto Connubio, licèt inscius susceperat, contraxit.

A

B

C

D

Bucerus anno 1530. *ad cap.* 19. *Matthæi* docebat — Consobrinis, & Fratruelibus Connubium inter se contrahere licet, quidquid leges contra Pontificiæ statuerint —

Calvinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 19. §. *ultimo* reprehendit Ecclesiam, quod gradus Cognationis constituerit præter aliarum Gentium, & ipsius Moysis politiam.

Quid senserit Beza supra innuimus. Alios Sectarios referre non vacat; eorum errores sufficit brevibus narrare. Quidam volunt, præcepta Levitici *cap.* 18. naturalem continere justitiam; alii dicunt, esse immutabilia, atque ab humana potestate indispensabilia; sunt, qui volunt, neminem posse novos addere gradus; nonnulli ea a Christianis necessariò observanda deprædicant; contendunt alii, ex quo prohibitum est v. g. Conjugium Nepotis cum Amita, prohibitum itidem esse Conjugium Patrui cum Nepte ex Fratre, aut Sorore; demum affirmant pauci, potuisse Pontifices quosdam gradus impedientes Matrimonia statuere, salva tamen libertate conscientiæ. His positis

ADVERSUS NOVATORES FIRMATUR VERITAS.

DICENDUM, non omnes gradus in Levit. *cap.* 18. prohibitos naturalem justitiam continere, adeoque non omnia præcepta Levitici Christianos obligare.

28 PROB. I. Naturalia præcepta, pro omni statu, & quovis tempore obligant: sed præcepta Leviticæ circa gradus prohibitos non semper obligaverunt; ergo nequaquam naturalem continent justitiam. Minor propositio evincitur I. Jacob *Gen.* 29. duas duxit Sorores, Liam nempe, & Rachelem: porro duas ducere Uxores vetitum est laudato Levitici loco *vers.* 18.; ergo quovis tempore talia præcepta non obligabant. II. Judas *Gen.* 38. Uxorem defuncti primogeniti filii sui dedit secundogenito, promisitque tertio: sed hoc *vers.* 16. prohibetur; ergo. III. Amram filius Caath filii Levi accepit Uxorem Jochabed natam in Ægypto ex Levi *Numeror.* 26., proindeque Sororem Caath, & Amitam ipsius Amram: sed hoc reprobatum habemus *vers.* 12.; ergo.

Præcepta naturalia semper obligant.

Hujusmodi autem Patriarchas peccasse, Calvinus, & Beza, jure affirmare non possunt. Etenim etsi quandoque Viros Sanctitate celebres in crimen aliquod prolabi contingat, perseverantia tamen in peccato usque ad obitum, pugnat cum Sanctitate: hi verò Sancti Patriarchæ usque ad extremum vitæ perseveraverunt in celebratis Conjugiis; adeoque si illa Conjugia illegitima fuissent, in peccatorum sordibus semper permansissent. Addas velim, quod Jacob proficiscens in Mesopotamiam, ubi Uxores duxit, singularem a Domino promissionem in prolis multiplicationem, insimul & benedictionem obtinuit: *Et benedicentur in Te, & in semine tuo omnes tribus terræ.* Gen. 28. Affirmare autem, Deum speciali benedictione futuras illegitimas

mas Nuptias approbasse, iniquum est. Simile ratiocinium potest efformari de Juda, cujus successioni promissus fuit Messias tanquam singulare privilegium, *Gen.* 49. Est & aliud momentum, quatenus filii ex præcitatis progeniti ut legitimi semper habiti fuere, nec usquam in Scripturis ut spurii notati.

Confugere ad dispensationem a Deo factam ob aliquod mysterium, sicut cum Jacob *ibidem* admittitur dispensatio in pluralitate Uxorum, arbitrarium prorsus est. Siquidem dispensatio illa aliàs occulta scandalum apud Gentes illas rem prorsus insuetam conspicientes peperisset; hoc porro non evenit; quoniam Laban & filias obtulit, & Jacob adoptavit Uxores, nemine stupente, aut refragante. Nec momentum aderat dispensationis instituendæ in lege naturali. Siquidem, ut Dei Populus propagaretur (quod fuit motivum dispensationis in Polygamia) haud opus erat naturale præceptum violare; cum aliæ mulieres nullo affinitatis vinculo colligatæ passim occurrerent. Hinc Judas, dum Uxorem defuncti filii tradidit secundo, altum de dispensatione silentium habet, atque tantummodo inditam a natura inclinationem propagandi seipsum caussatus est, videlicet ut semen fratris suscitaretur.

29 PROB. II. Deus *Deut.* 25. præceptive disponit, ut si quis absque liberis vitâ functus sit, superstes Frater ducat illius Uxorem, ejusque suscitet semen. Rem sub præcepto mandavit, ut in aperto est; porro dispensatio pro aliquo casu solùm ab obligatione absolvit. Et sane in Deuteronomio Lex statuitur jubens, Uxorem defuncti Fratris esse ducendam; sed Lex hujusmodi nil præcipit contra Jus naturæ: fieri enim nequaquam potest, ut Auctor naturæ adversùs naturam agat; ergo Fratris Uxorem ducere nequaquam dici debet contra Jus naturæ. Atqui Lex Levitica *vers.* 16. vetat Nuptias cum Uxore Fratris; ergo Levitica præcepta Jus naturale non involvunt.

Ut hocce argumentum fortiùs urgeat, declarandum est, legem Deuteronomii loqui primò de germano Fratre, indeque ad alios propinquos extendi. Et quidem evincitur I. ex contextu: *Quando habitaverint Fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, Uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui* vers. 5. Fratres autem, qui in eadem domu commorantur plerumque sunt germani Fratres, & quando alii propinqui insimul habitant, Fratres nuncupantur germani. II. Lex illa Deuteronomii a Sadducæis usurpata fuit, ut Christum tentarent quoad mortuorum resurrectionem; sermonem namque instituentes de muliere, quæ nupsit septem Fratribus, cui in resurrectione adjudicanda foret, aperte intelligendi sunt de Fratribus germanis. Siquidem non solùm laudato Matthæi loco dicuntur Fratres, sed etiam Marc. 12. *vers.* 19. & Luc. 20. *vers.* 28. Porro si Fratrum nomine propinqui deberent intelligi, indubie aliquis ex Evangelistis hoc explicasset, & Fratres propinquorum nomine appellasset; quod non legitur; ergo. III. Ex historia Ruth. *Cap.* 1. clare evincitur, latam fore Legem primariò germanos Fratres afficientem. Etenim Noëmi Viduas Nurus suas hortatur, ut non expectent Fratres defunctorum virorum, ut nubant; *Revertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? Non ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis. Revertimini filiæ meæ, & abite; jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali*, vers. 11., & seq. Hic plane sermo est de germanis Fratribus; de his nempe, qui ex eodem materno utero nascuntur. Nomen itaque Fratris cogimur intelligere non de propinquis, sed de Fratribus, qui tales sunt juxta communem hominum sensum. Quod fatetur Ipsemet Beza *lib. de Repudiis* stans adversùs Calvinum aliter sentientem *in Comment. ad cap.* 18. *Levit.*

Prohiberi autem in Levitico ducere Uxorem Fratris, quod subsumptum est in argumento, nemo sapiens inficiatur, cum in omnibus Scripturæ Codicibus sive Hebraicis, sive Græcis, sive Latinis id habeatur. Et quidem prohibetur ducere Uxorem Fratris absolute, & non verò, ut quidam perperàm interpretatur, Fratris viventis: Siquidem frustra hoc fuisset ibidem appositum; cum manifestum sit adulterium copula cum Uxore Fratris viventis, & aliàs in eodem capite expresse Mœchia sit vetita. Si quis detorqueret Scripturam ad Uxorem repudiatam, jam omnia Levitica præcepta confunderentur; cum omnibus prædicta expositio aptari posset.

Non itaque laudata præcepta naturalem continent justitiam. Hoc invicte propugnandum est; etiamsi admittatur, Legem Deuteronomii versari quidem circa germanum Fratrem, sed fore exceptivam Legis latæ in Levitico. Nam vel illa exceptio erat naturalis; vel judicialis. Si naturalis; obligaret pro omni statu, adeoque etiam nunc vigeret; proindeque Fratres innupti ducere deberent Uxorem defuncti Fratris absque liberis; quod ad unum omnes admittere refugiunt, & potissimum Patroni Schismatis Anglicani. Si verò exceptio dicatur judicialis; lex similiter ad eundem ordinem spectaret; talis namque est exceptio, qualis lex. Itaque non est ab intrinseco malum nubere cum Sorore defuncti Fratris, nec tantummodò licet, urgente summa necessitate, ad hanc siquidem non attendit Lex Deuteronomii, sed quandam pietatem erga Fratrem respexit; quare ea inter recenseri posset, quæ repugnantiam quandam velut negativam, seu præcisivam, & fundamentalem dicunt, unde mala sunt, si debitas non connotent circumstantias. Nequeunt itaque Levitica præcepta Christianos afficere quoad omnes gradus ibidem vetitos; adeoque concessiones ab Ecclesia factæ validæ, & licitæ jure habendæ sunt.

Ee 2 SECTA-

SECTARIORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

30 OBJIC. I. Conjunctio conjugalis facta inter Gentes, quam abominatur Deus, naturali justitiæ repugnat: sed Nuptias a Gentibus celebratas in gradibus in Levitico prohibitis abominatur Deus; ergo naturali repugnant justitiæ; ergo omnes gradus Leviticâ Lege prohibiti naturalem continent æquitatem, non enim præcepta judicialia ligabant Gentes. Minor ostenditur ex laudato Levitici capite vers. 26., & seq. *Custodite legitima mea, atque judicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena, quàm colonus, qui peregrinantur apud vos. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos.* Et vers. 24. *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum.* Et cap. 20. vers. 22. pœnæ in easdem Gentes comminantur ob violatam Levitici legem: *Custodite leges meas, atque judicia, & facite ea; ne & vos evomat terra. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eos.* Utrobique verba sunt universalia: *In omnibus his. Omnia hæc*; adeoque non possunt intelligi de quibusdam tantùm sceleribus, ob quæ puniri debeant, sed meritò dici debet puniendos ob violationem graduum prohibitorum; unde asserendum est, ipsos naturalem continere justitiam.

Verba universalia sæpe distributive intelligenda.

RESP. Verba utique universalia sunt; verùm nequaquam supponunt distributive pro omnibus gradibus, ita ut Gentes abominabiles dicantur, ex quo in quolibet gradu contraxerint; sed tum ob violatos gradus Jure naturæ prohibitos, tum ob gravissima scelera, potissimùm ob Idololatriæ, Bestialitatis, & Sodomiæ peccata ibidem recensita. Et sane pœna illa: *Ne & vos evomat terra*, licèt omnibus criminibus apponatur, attamen indubie non omnia peccata eâ pœnâ puniebantur, sed Idololatria, aliaque graviora.

31 DICES. Quoties a Legislatore eadem assignatur ratio prohibitionis, toties ejusdem ordinis sunt omnia, quæ a lege prohibentur: sed Deus pro omnibus gradibus, quos vetat, eandem assignat rationem, ideo in principio generaliter dicit: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat*: & ad singulos gradus subditur: *Quia turpitudo est*; ergo singuli gradus prohibiti ad eundem ordinem spectant. Sed aliqui dubio-procul spectant ad Jus naturæ, ut Patrem inter, & filiam; ergo & ceteri omnes.

Malitia duplex.

RESP. Duplex distinguitur a Theologis malitia; radicalis una, formalis altera. Illa quandam involvit disconvenientiam ad aliquam perfectionem, ratione cujus fundat congruentiam, & quasi exigentiam, ut prohibeatur; quandiu tamen non prohibetur, non est formaliter mala. Formalis autem malitia actualem dicit deordinationem ad legem prohibentem. Turpitudo itidem alia est radicalis, alia formalis. Prima in omnibus gradibus Cognationis adinvenitur; cum natura dictet, quandam Cognatis deberi reverentiam. Formalis est in omnibus gradibus actu prohibitis. Quoniam verò leges prohibentes, quædam sunt naturales, quædam positivæ; propterea formalis turpitudo non una est. Quare non omnes Levitici gradus, sed aliqui tantummodo, naturali Juri adversantur. Itaque Legislator illâ causali *Quia turpitudo est* solùm radicalem innuit rationem, congruentiam prohibitionis fundantem; & per actualem prohibitionem constituit formalem. Et quamvis in gradu quolibet aliqualis habeatur disconvenientia, in uno tamen major est, minor in alio juxta majorem, minoremve propinquitatem; quod satis itidem explicatur, dum dicitur: *Turpitudo enim Patris tui est; Turpitudo tua est; Turpitudo fratris tui est* &c.

32 INSTABIS. Illa causalis in gradu primo lineæ rectæ: *Quia turpitudo Patris tui est*, ad formalem justitiam naturalis ordinis pertinet, & a lege naturæ Connubium Patris cum filia execratur: sed eadem urget ratio in aliis gradibus; ergo. Minor propositio duplici clarescet exemplo. Prohibet Lex Levitici, Nepotem ducere Amitam, & Materteram, non verò Patruum, & Avunculum ducere Neptem; quia Amita, & Matertera non habent patriam potestatem in Nepotem, sicut habent in Neptem Patruus, & Avunculus. Est naturaliter indecens, ut Superior naturali auctoritate, fiat naturali subordinatione subjectus ei, cui præest; idcirco nequit Amita cum Nepote contrahere, Vir namque est caput Mulieris; Patruus verò semper præeminet, unde Neptem potest ducere. Exemplum aliud est in gradu lineæ transversæ, & affinitatis. Quia turpius erat, quod una Mulier duos haberet Maritos, quàm quod unus Vir duas haberet Uxores, hinc factum est, quod aliter prohiberetur duas ducere Sorores, aliter ducere Sororem Fratris defuncti.

RESP. Hoc argumentum nostram firmat Sententiam. Si enim Levitica prohibitio in omnibus gradibus naturalem involveret justitiam: ubi foret æqualitas gradus, esset etiam æqualitas naturalis justitiæ, cum æqualitas Cognationis haberetur; & tamen Lex Levitici intra eundem gradum, unum prohibet extremum, secus aliud, ut in exemplo videre est. Amita, & Patruus cum Nepte ad eundem prorsus gradum pertinent, sicut etiam Frater, & Soror; & tamen Lex Levitici vetat, Amitam Nepoti copulari, Fratrem Uxorem defuncti Fratris ducere, quin extendatur ad Patruum respectu Neptis, & ad Fratrem respectu Sororis Uxoris defunctæ, cum aliàs in utroque extremo Amitæ, & Patrui &c. eadem inveniatur substantialis turpitudo ob æqualitatem Cognationis. Quare discrimen illud assignatum, extrinsecum prorsus est gradui, sexum afficiens, vel aliquam personæ contrahentis conditionem; proindeque haud valet turpitudinem constituere Conjugium Jure naturali dirimentem.

Prohibitio nō respicit semper æqualitatem gradus.

33 OBJIC. II. Quod apud Gentes execratur, Jure naturæ invalidum est: sed Conjugium Privigni cum Noverca execrabile

erat

erat apud Gentes, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 5. vers. 1., & seq. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ut uxorem Patris sui aliquis habeat*; ergo hujusmodi Conjugium naturæ legibus refragatur. Sed hoc est vetitum in Levitico; ergo Lex Levitici naturalem continet justitiam.

RESP. Probabile est, primum gradum affinitatis in linea recta Jure naturali adversari Conjugio. Prescindendo tamen ab hac probabilitate dicimus, quod Paulus sermonem habet de Conjugio Privigni cum Noverca, vivente Patre (quod sane natura refugit) ut colligitur ex eodem Apostolo 2. ad Corinth. 7. vers. 12. *Scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram*. Hic mentionem facit de eo, qui passus est injuriam, nempe de Patre, adeoque dicendum est ipsum fore vivum. Nisi dicere velis, Privignum nequaquam Conjugium cum Noverca iniisse, sed cum ea illicitum habuisse commercium.

34 OBJIC. III. Diebus Joannis Baptistæ Levitica Lex ut judicialis non obligabat; quia *Lex & Propheta usque ad Joannem*, Luc. 16. Sed tunc temporis Conjugium cum Uxore Fratris nullum erat: non quidem Lege Evangelica, quæ hac super re nihil præceperat; ergo Lege naturæ, ad quam attendebat Præcursor Herodem reprehendens habentem Fratris sui Uxorem.

RESP. Ex communi Interpretum placito, Herodes, vivente Philippo ejus Fratre, hujus Uxore abutebatur; unde meritò adversùs eum insurrexit Joannes. Omissâ tamen hâc Sententiâ, falsò astruitur, Leviticam Legem ævo Joannis cessasse; vigebat namque tunc, atque Herodem, ceterosque de Hebraica Gente obligabat; Lex enim Moysis per Christi mortem evacuata est. Dicitur quidem *Lex & Propheta usque ad Joannem*; quia hic postremus fuit veteris legis Propheta; proindeque reprehensibilis erat Herodes, quia in Leviticum peccabat.

Herodes cur a Joanne reprehensus.

35 OBJIC. IV. Deus singulis præceptis de gradibus adjecit pœnas, easque gravissimas *Levit.* 18., & 20., puta interfectionis, ablegationis a Populo, & hujusmodi; ergo cum aliqui gradus naturalem involvant malitiam, non abs re dicetur, omnes eandem importare.

RESP. Oppositum ex hoc argumento abunde evincitur. Etenim inter appositas pœnas latum intercedit discrimen. Conjugium siquidem in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, sicut & in primo consanguinitatis lineæ transversæ punitur pœnâ mortis; Conjugium verò in secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis transversæ punitur carentiâ prolis, quæ indubie minor est pœna. Urget & aliud momentum adversùs Kemnitium. Non enim colligere fas est ex inflictis pœnis, illa præcepta esse naturalia; similes namque appositas legimus præceptis judicialibus, & ceremonialibus, ut videre est in transgressore Circumcisionis *Gen.* 17., in comedente fermentatum diebus azymorum *Exod.* 12.

Crimina diversa diversimode puniuntur.

36 OBJIC. V. Decalogi præcepta naturalem continent justitiam: sed Levitica præcepta ad Decalogum referri auctor est S. Augustinus *q.* 65. *in Leviticum*; ergo.

RESP. S. Doctor adulteria in Levitico prohibita dicit ad Decalogum etiam reduci — Ecce ubi rursus prohibet adulterium, quod „ cum aliena uxore committitur, quod etiam „ in Decalogo prohibetur; unde apparet illa „ ita prohibita, ut etiam mortuis viris suis „ non ducant uxores, quarum prohibet tur„ pitudinem revelare — Non igitur omnia Levitici præcepta refert ad Decalogum, sed tantùm adulterium, quod utique naturali Juri adversatur.

Adulterium est contra jus naturæ.

37 OBJIC. VI. Præcepta nullimode ab Ecclesia dispensabilia, sunt Juris naturalis: sed in gradibus in Levitico prohibitis nequit Ecclesia dispensare, ut propugnant Major 4. *Dist.* 40. *quæst.* 3., Silvester verbo *Papa* §. 17., Waldensis *Tom.* 2. *de Sacramentis cap.* 134., quibus concinunt Doctores ab Henrico VIII. consulti, contendentes, Pontificem haud potuisse dispensare, ut defuncti Fratris Uxorem duceret; ergo.

RESP. Pauci utique Theologi ex inadvertentia ad loca Levitici insimul, & Deuteronomii, in eam devenere Sententiam, ut in gradibus in Levitico exscriptis non possit Ecclesia dispensare. Verùm hoc Catholicam veritatem non ferit. Divinum namque lumen non privatis quibusdam Doctoribus, sed Ecclesiæ affulget ad accuratam Scripturarum intelligentiam; adeoque nihili facienda est eorum doctrina, quæ Ecclesiæ declarationibus adversatur. Qui verò pro Henrico steterunt, noverunt ad aulicam auram aflectere Sententias, nullâ Scripturarum, Traditionum, Sacrorumque Canonum, habita ratione. Novimus enim ea lege Cranmerum Archiepiscopum Cantuariensem creatum, ut divortium Regis latâ Sententiâ approbaret. Quo jure igitur his fidendum?

Sententia paucorum nequaquam prævalet Ecclesiæ doctrinæ.

CONTROVERSIA II.

AN CONJUGIUM IN PRIMO CONSANGUINITATIS GRADU LINEÆ RECTÆ IRRITUM SIT NATURÆ JURE.

38 Difficile sane est ostendere, aliquos Consanguinitatis gradus naturæ Jure Conjugium dirimere; siquidem nec ex Scripturis hoc evinci potest, nec naturali ratione immediate probari. Illicitum quidem illicò colligitur; non tamen omne illicitum censetur irritum; cum Nuptiæ in quibusdam gradibus prohibitis contractæ, si quædam occurrant circumstantiæ, licitæ eodem Jure habeantur. Nihilominus cum omnibus Catholicis.

DICENDUM, Conjugium in primo Consanguinitatis gradu lineæ rectæ irritum fore naturæ Jure.

39 PROB. I. In prima Conjugii institutione dictum est: *Relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ*. Gen. 2. vers. 24.: sed hoc innuit, ex sui institu-

Conjugium in sua institutione excludit Patrem, & Matrem.

stitutione, adeoque ex naturali lege, ineundum esse Conjugium cum persona a Patre, & Matre discreta; ergo uterque Parens inhabilis est ad contrahendum cum Filiis.

40 PROB. II. Juxta naturæ leges tenentur Filii Patrem, Matremque, singulari reverentia prosequi: sed jura Conjugii singularem hanc reverentiam non patiuntur, ut ad unum omnes facilè conjicere possunt: & aliàs thori cohabitatio essentialiter aliquam involvit turpitudinem; ergo si Conjugii munia inter eos naturaliter incompossibilia sunt, dicendum meritò est, inter eosdem repugnare naturaliter Matrimonium.

Leges Conjugii repugnant Parentes inter, & filios

41 PROB. III. Conditio Conjugii non solùm importat essentialiter æqualitatem societatis in procreanda, educandaque prole, sed etiam in œconomica domestica gubernatione: sed conditio Filii essentialem dicit subjectionem ad Patrem, & Matrem in prædicta œconomica gubernatione; ergo ex contradictoriis conditionibus inhabiles sint oportet ad conjugalem contractum. Hoc clariùs evincitur in Conjugio Filii, & Matris, quæ Filio subjici deberet.

Conditio Conjugii dicit æqualitatem.

42 PROB. IV. Quod ingenitæ animalium inclinationi repugnat, fortiùs adversatur rationali naturæ: atqui conjunctio cum Matribus ad procreandum ingenitæ inclinationi brutorum repugnat: unde Equi, & Cameli ad congressum cum Matribus compelli nequeunt, ut Plinius testatur *lib.* 8. *Naturalis Hist. cap.* 42., & Aristoteles *lib.* 9. *de Hist. animalium cap.* 50., qui refert, quod Camelus morsu interfecit eum, qui matri obtectæ, ut jungeretur, curavit, & Equus præcipitem se dedit, postquam id simile egisse persensit; ergo.

Bruta commercium cum matre refugiunt.

43 PROB. V. In perscrutatione rerum, quæ adversùs naturam pugnant, standum est judicio Sapientùm, qui solo naturæ lumine ad veritatis indagationem procedunt. Hi porro Parentum Conjugia cum filiis execrantur. Unde Aristoteles 2. *Politic.* Uxorum communionem reprobat; cum fieri posset, ut Parentes cum filiis nuberent. Quare barbaræ Nationes tales Nuptias refugiunt, si Persas excipias, de quibus habet Sextus Empir. Pyrr. *lib.* 3. *cap.* 24. -- Persæ „ verò, & inter eos potissimùm, qui sapientiam profiteri videntur, Magi cum matribus Matrimonia contrahunt -- Hinc illud Catulli *Epig.* 91.

Nam Magus ex matre, & gnato nascatur oportet.

Persæ ob Conjugium cum matribus execrabiles.

Hujusmodi tamen flagitium totius humani generis animadversionem provocavit.

44 PROB. VI. Ex Patribus, quotum unam, aliamve dabimus auctoritatem, cum in re adeo nota versemur. Igitur S. Ambrosius *Epist.* 66. *ad Paternum* scribit -- Nec „ Pater filiam suam accipiat Uxorem, interdictum est Jure naturæ, lege, quæ est in „ cordibus singulorum, interdictum est in„ violabili præscriptione pietatis, titulo ne„ cessitudinis -- S. Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 43. sermonem habens de filiabus Loth, quæ cum ebrio Patre concubuere, ut humani generis conservationem quærerent, ait -- „ Potius quidem nunquam esse Matres, quàm „ sic uti Patre debuerunt -- Ex his satis innuitur, tale commercium naturæ legibus repugnasse. Ejusdem labii sunt reliqui Patres.

ADVERSANTIUM MOMENTA DISSOLVUNTUR.

45 OBJIC. I. Non major est Patris, Filiique conjunctio, quàm Adami, & Evæ, quæ erat os ex ossibus ejus: sed validum fuit eorum Conjugium, immo futurorum exemplar; ergo inter alios Progenitores, & Filios validum erit Conjugium. Porro conjunctionem illam non repugnare naturæ satis innuit Creator Deus, qui Evam aliter efformare potuisset.

RESP. Productio Evæ ex Adami costa nullam intulit Consanguinitatem: cum nec per aliquam Adæ actionem, nec per generationem facta fuerit; propterea nullam involvit turpitudinem, quam induble importat maritalis conjunctio Progenitorum cum Filiis.

Adam, & Eva nõ erant Consanguinei.

46 OBJIC. II. Filiæ Loth, aliàs ad dictamen rationis enutritæ, sibi fas esse copulam cum Patre crediderunt, ne, Universo Orbe conflagrato, ipsis vitio verteretur, si totum humanum Genus periret; sed si naturæ lumine nullum foret Conjugium Filiorum cum Parentibus, in eam devenire Sententiam nequaquam potuissent; ergo.

RESP. Argumentum in Adversarios regeritur. Siquidem Patris concubitum Filiæ furatæ sunt, ipsum inebriantes, ut ab ebrio consequerentur quod, vigilante, nullimode consequi potuissent, ut ait S. Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 43. -- Ab illo autem „ opere ita Patrem abhorrere sentiebant, ut „ id se impleturas esse non crederent, nisi „ ejus ignorantiam procurarent. Namque, „ ut scriptum est, inebriaverunt eum, & „ se nescienti miscuerunt -- Unde plane fit, ipsas novisse, concubitum Patris cum Filia naturæ legibus adversari. Sunt nonnulli ex Patribus, qui eas a crimine excusant, causantes in ipsis amorem perielitantis posteritatis. Verum enim verò, ut supra notavimus ex Augustino -- Potius quidem nunquam „ esse Matres, quàm sic uti Patre debuerunt --

Filiæ Loth de concubitu cum Patre inexcusabiles.

47 OBJIC. III. Nisi id, quod opponitur fini, & bonis Matrimonii, impedit Jure naturali ejusdem valorem; atqui Cognatio primi gradus lineæ rectæ nec opponitur fini, nec bonis Conjugii: cum per hujusmodi Conjugia & procreari, & educari possint Filii; ergo nequaquam naturæ legibus adversari censendum est.

RESP. Quamvis tale Conjugium fini primario Matrimonii non obsistat simpliciter, cum ex Parentis, Filiique concubitu proles generari, atque educari possit; adversatur tamen quoad modum, quia summâ id fieret indecentiâ. Carnalis siquidem copula turpitudinem quandam secum affert; ideoque Patrem inter, & Filiam quædam irreverentia intercederet; quod naturali rationi refragatur.

Quomodo Parentum Conjugia cum filiis naturæ adversantur.

48 OBJIC. IV. Quod ad majorem Co-

Conjugii firmitatem deſervit, nequit naturæ legibus repugnare; ſed potiſſima conjunctio, quæ Filios inter, & Parentes invenitur, mire deſervit ad Conjugii firmitatem: etenim firmiora ſunt vincula ea voluntate inſimul, & natura, quàm ea ſola voluntate, & eo validiora, quo utraque conjunctio ſpecialior eſt; ergo.

RESP. Conjunctio unius generis vinculum alterius generis perſæpe impedire ſolet; v. g. conjunctio identitatis conjunctionem impedit ſimilitudinis. Quare nil mirum ſi ſumma conjunctio naturalis, & affectiva, in linea recta, vinculum aliud ex Connubio impediat.

49 OBJIC. V. Conjugalis contractus ea dilectione oritur, & dilectionem inſert; ſed, ut legere eſt Eccleſiaſtici 13. verſ. 19., *omne animal diligit ſimile ſibi*; ergo ubi major ſimilitudo, ibi major itidem diſpoſitio ad contractum conjugalem. Cumque inter Parentes, & filios maxima intercedat ſimilitudo, jam inde maxima habetur diſpoſitio ad Matrimonium.

Non omnis dilectio deſervit ad Conjugium.

RESP. Affectio dilectiva diverſimode verſatur inter Conjuges, ac inter Parentes, Filioſque. Illa eſt affectio cujuſdam ſocialis æqualitatis; altera eſt affectio cujuſdam reverentialis ſubjectionis. Ex prima oritur contractus conjugalis; ſecunda repugnantiam involvit ad talem contractum, cum recta ratio illi adverſetur. Textus Eccleſiaſtici intelligitur de ſimili in ſpecie.

50 OBJIC. VI. Parentes, & Filii, qui ratione filiationis eidem ſubjecti ſunt, fiunt æquales ratione contractus, ut in aperto eſt: immo quandoque Filius ratione dignitatis, puta Epiſcopalis, aut judicialis, ſuperior Patre evadit; ergo quamvis ſit Filius Parentibus ſubjectus ratione filiationis, æqualis, aut ſuperior evader ratione Conjugii.

RESP. Inter Filios, & Parentes, dantur utique contractus de rebus, quarum dominium habent, niſi Lex obſtet. Porro contractus conjugalis impeditur a lege Conjugii. Hæc quippe inter Conjuges æqualitatem exquirit ad mutua obſequia; aliàs Filii, urgente naturæ præcepto, quoad hæc Parentibus ſubjiciuntur.

51 OBJIC. VII. Si momenta pro noſtra Sententia evincerent, probarent itidem Conjugium Jure naturæ irritum in omnibus gradibus lineæ rectæ aſcendentium, & deſcendentium: in omnibus enim urgent eadem inconvenientia; ſed hoc arduum videtur, atque contra Eccleſiæ praxim; ergo neque in primo gradu irritum erit.

Num in omnibus gradibus lineæ rectæ ſint irrita Conjugia.

RESP. Sunt equidem boni nominis Doctores, qui invicte propugnant, omnia Conjugia lineæ rectæ aſcendentium, & deſcendentium irrita eſſe Jure naturæ. Contendunt namque, producta momenta eodem modo urgere in uno gradu, ac in omnibus; quoniam ſicut eſt impoſſibile, filium eſſe abſque Patre, ſic eſſe Neptem abſque Avo, & juxta naturæ leges filius nequit eſſe a Patre, quin ſit ab Avo; adeoque eandem vim habent in ratione principii, ſecundùm quam relata argumenta, licèt major, minorve detur ſanguinis participatio. Sunt & alii, qui negant, prædicta Connubia in omnibus gradibus irrita fore, propter diſtantiam commixtionis ſanguinis. Porro quænam ex his Sententiis ſit eligenda, judicent alii.

CONTROVERSIA III.

AN CONJUGIUM IN PRIMO GRADU LINEÆ TRANSVERSÆ SIT JURE NATURÆ IRRITUM.

DICENDUM, Conjugium in primo gradu lineæ tranſverſæ irritum fore Jure naturæ.

52 PROB. I. Conjugium, a quo natura abhorret, eidem adverſari meritò cenſendum eſt: ſed natura abhorret a Conjugio Fratrem inter, & Sororem; ergo Jure naturæ irritum eſt. Major in aperto eſt. Etenim natura ab eo non abhorret, ad quod homo naturaliter adſtringitur: ſed legitimi Conjuges naturali lege tenentur ad mutuam thori cohabitationem; ergo ab hac abhorrere non debet natura; ergo ſi Fratrem inter, & Sororem abhorret, hujuſmodi cohabitatio ſit oportet illegitima, atque nulla. Propoſitio altera, circa quam diſſidium eſſe poſſet, evincitur. Inter Noachidarum, ideſt, filiorum Noe præcepta, quæ Juris naturalis præſcripta, quibus homines adſtringuntur univerſi, commemorant, quartum eſt *De revelatione turpitudinum*, quo declaratur etiam a Gentibus pene omnibus abominandum Conjugium cum Sororibus tam uterinis, quàm germanis; unde Plato *lib. 7. de Legibus* talia Connubia vocat *nequaquam ſancta, ſed Deo inviſa*: Diodorus Siculus *lib. 1.* Ægyptios notat *præter communem aliorum hominum morem* cum Sororibus inire conſueviſſe: & Philo Judæus *lib. de Legibus Specialibus ad VI., & VII. Decalogi præceptum* ſcribit — Deinde præcipitur, ne Sororem quidem eſſe ducendam. Honeſtum ſane præceptum, atque aptum continentiæ. Quamvis Athenienſis Solon hoc obſervat in uterinis tantùm Sororibus eodem Patre prognatis relinqui liberum. Contra Lacedæmoniorum Legiſlator uterinis non interdicit Connubio, ſed ſolis eodem Patre genitis. At Ægyptius ridens utrioſque ſimplicitatem, & ſemiperfecta placita; laxavit libidinem, & auxit in corporibus, animiſque inſanabile malum intemperantiæ, permiſsâ licentiâ ducendi Sorores, ſive per alterutrum Parentem, ſive per utrumque cognatas, majores pariter & minores, æqualeſque, ne gemellis quidem exceptis, quas natura ipſo natali ſejunxit, intemperantia verò ſocietate copulavit inſatiabili, & male copulata junctura. Quas leges abominatus Moſes, ut alieniſſimas a bene conſtituta Republica, & incitantes ad omnem turpitudinem, modis omnibus prohibuit congreſſum cum Sororibus, utrumque ſive alterum tantùm Parentem communem habentibus —

Gentes plerumque refugiunt Conjugia inter Fratres, & Sorores.

Apud Perſas, approbante Cambyſe Sororum

rorum Conjugia, dixerunt Jurisconsulti — „ Nullam se invenire legem, quæ Sororem „ Fratri nubere sinat — Græci commiationem cum Matre, Filia, vel Sorore, non illicitam modò, sed nefariam habuere, ut legitur ex Ocello Leucano Pythagorico Philosopho *cap.* 4. — Oporter etiam instituere „ hujusmodi mores, qui in Græcis Civitatibus legitimi, ac recepti sunt, nimirum „ neutiquam cum Matre, Filia, aut Sorore „ concumbere — Et Euripides *in Andromache* — Hujusmodi est omne barbaricum genus. „ Pater enim Filiæ, & Filius Matri miscetur, Soror itidem Fratri — Demum Simplicius *Commentar. ad Epictéti cap.* 47. — Jam „ cum lex, & consuetudo Sororis, & Fratris consuetudine interdicat; appetitiones „ non secus ac ab ipsius naturæ imperio suppressæ, jam prorsus sunt immobiles, nisi „ fortè aliquos furoris intemperies, & diræ „ scelerum ultrices agitarint — Si ergo naturæ legibus talia Conjugia adversantur, si ejuratur, ut scelus, Persarum consuetudo nubendi cum Matre, Filia, aut Sorore, si non nisi barbaræ Gentes in tantum nefas prolapsæ sunt, jam in aperto est, tales Nuptias fore contra dictamen rationis.

53 PROB. II. Abraham, sive cum in Ægyptum concessit, ut vitæ subsidia quæreret, *Gen.* 12., sive cum in Palæstina peregrinaretur inter Geraritas, *Gen.* 20., Saræ laudabiliter, prudenterque, suasor fuit, ut Uxorem se non esse simularet, sed Sororem suam diceret, ut mortem effugeret, timebat enim, ne Ægyptii, aut Geraritæ Speciosæ Uxoris amore capti ipsum interficerent. Suasio hæc inanis fuisset, si Jure naturæ fraterna Conjugia non fuissent reprobata; etenim etsi Abraham Sororem diceret Saram, Uxor nihilominus credita fuisset. Erat pulchra nimis, ut notat Scriptura; unde fraterna jura de facili in conjugalia transiissent. Et profectò Rex Geraræ Abimelech, dum Isaac Patrem imitatus dixit Rebeccam Sororem, videns eos jocantes: Gen. 26. vers. 9. *Accersito eo, ait: Perspicuum est quod Uxor tua sit; cur mentitus es, eam Sororem tuam esse?* Quibus clare innuit, nullum esse Conjugium Fratrem inter, & Sororem. Aliàs si illicitum tantummodo fuisset existimatum, ut quidam autumant, evidentiori vitæ discrimini obnoxii fuissent, quatenus in pœnam illiciti Connubii occidi potuissent.

54 PROB. III. Innocentius III. in Cap. *Gaudemus, de Divortiis* definitive resolvens quæstionem, num Pagani conjuncti in secundo, aut remotiori gradu, ad Fidem conversi possint habitas retinere Uxores, respondit affirmative; ergo sentit, quod si in primo contraxissent, essent separandi.

Nec momenti est, si dicatur, hac super re non fuisse interrogatum; adeoque nullum dedisse responsum. Etenim facta interrogatio pro secundo, aliove remotiori gradu, supponit, nullum subesse dubitandi locum pro primo. Et meritò sane; omnium quippe Gentium consensio execrans hujusmodi Conjugia, ut superiùs vidimus, abunde manifestat, naturæ dictamini taliter adversari, ut abs re sit ultra de hoc sciscitari.

55 PROB. IV. Ex quo Filius est una caro immediata cum Patre, Jure naturæ nullum est inter eos Conjugium: sed æquali Jure Frater, & Soror, sunt una caro in eodem Patre; ergo æquali Jure nullum erit Conjugium. Etenim licèt Frater, & Soror, non sint una caro per dependentiam unius ab alio, sunt tamen una caro immediata inter se in uno eodemque Patre propter immediatam participationem ab eodem principio, cum filius sit pars Patris; qua ratione probatur esse in primo gradu.

Frater, & Soror sunt una caro in Patre.

56 PROB. V. Actus conjugalis ob turpitudinem, quam secum affert, adversatur pudori, & reverentiæ, quæ sanguine in primo gradu conjunctis debetur; ergo.

OPPOSITIS ARGUMENTIS FIT SATIS.

57 OBJIC. I. Quod Jure naturæ irritum est, nusquam validum effici potest: sed fraternum Conjugium sub Mundi primordiis validum fuit, validumque foret, si, exceptis Fratre, & Sorore, totum humanum Genus periret; ergo.

RESP. Quædam adinveniuntur Jure naturæ irrita simpliciter, si casum extremæ necessitatis excipias. Rem alienam, invito Domino, usurpare, illicitum plane apud omnes censetur; & tamen si summa occurrat necessitas, fas est, nemine refragante, eam accipere, eamque consummare. Privatum homicidium ubique Gentium execratur; si verò adsit inevitabilis necessitas justæ defensionis omni culpâ caret. Hujus generis est fraternum Conjugium; & ideo validum, licitumque fuit sub initio Mundi; sed nullatenus ipso jam florescente, ut apte discurrit S. Augustinus *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 16.

Jus naturæ, stante summa necessitate, quandoque variatur.

Quoad casum de universali hominum excidio, sunt, qui volunt adhuc irritum fraternum Conjugium, ex quo credi posset rerum omnium finem adesse. Si verò de hoc solida non occurrant momenta, jam redit casus extremæ necessitatis mox relatæ.

58 OBJIC. II. Fraternum Conjugium populo Dei non insolens prorsus fuisse in aperto est ex facto Thamar inter, & Amnonem Fratrem; illa namque, ut Fratrem, qui Sororem deperibat, ab intentato stupro averteret, dixit: *Noli, frater mi, noli opprimere me .... quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*. 2. Reg. 13. vers. 12. Sed Thamar ad hoc consilium non devenisset, nisi ab usu fraternorum Conjugiorum edocta; ergo. Porro seriò talia protulisse puellam palam fit ex querimonia adversùs Amnon instituta, cum ab eo fuit expulsa vers. 16. *Majus est hoc malum, quod nunc agis adversùm me, quàm quod ante fecisti, expellens me*.

RESP. Cum ex Levitica Lege fraternum Conjugium vetitum esset, non poterat Thamar illud intentare aliorum exemplo illecta, sed horrore criminis turbata in ea verba prolapsa est, ut Fratrem ab incestu repelleret; & ex erronea opinione minus malum credidit post deflorationem cum Fratre

Thamar ex errore fraternum Conjugium inire volebat.

nubere,

nubere, quàm cum illo dedecore vitam agere. Quare ex facto Thamar nullum rationabile argumentum valet institui.

59 OBJIC. III. Abraham, ut colligitur *Gen.* 20. Saram Sororem suam duxit Uxorem: sed si naturæ legibus repugnaret hujusmodi Conjugium, nequaquam a probatissimo Patriarcha initum fuisset; ergo.

Hebræi propinquos dicebant Fratres, & Sorores.

RESP. Apud Hebræos, qui erant ex eadem stirpe propinqui, Fratres, & Sorores dicebantur. Audiatur Augustinus *lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 19. — Uxorem suam dixit Sororem nihil mentitus. Erat enim & hoc, „ quia propinqua erat sanguine. Sicut etiam Loth eadem propinquitate, cum Fratris ejus esset filius, Frater ejus est dictus. Itaque Uxorem tacuit, non negavit — Et *lib.* 22. *contra Faustum Manichæum cap.* 35. — „ Cum igitur Abraham eo tempore viveret in rebus humanis, quo quidem jam Fratres ex utroque, aut ex altero, vel altera, Parente natos necti Conjugio non licebat, Filios autem Fratrum, aliosque longinquiore gradu generis Consanguineos, nullâ lege, nullâ potestate prohibita consuetudo jungebat: quid mirum si Sororem suam, idest ex Patris sui sanguine procreatam habebat Uxorem? Nam hoc ipse reddenti sibi eam Regi dixit: De Patre esse Sororem, non de Matre. Ubi certe ut Sororem mentiretur, nullo jam timore cogebatur, quando jam ille Uxorem ejus esse didicerat; & eam divinitùs territus cum honore reddebat. Fratres autem, sive Sorores generali nomine Consanguineos. vel Consanguineas solere apud Veteres appellari Scriptura testatur. Nam & Tobias dicit Deo, cum oraret, antequam misceretur Uxori: Et nunc Domine, tu scis, quoniam non luxuriæ causâ accipio Sororem meam; cum esset illa non ex concubitu ejusdem Patris, nec ex eodem Matris utero, sed ex eadem stirpe cognationis exorta. Et Loth Frater Abrahæ dicitur, cum Patruus ejus esset Abraham. Ea qua vocabuli consuetudine etiam Fratres Domini vocantur in Evangelio, non utique quo Maria pepererat, sed ex ejus consanguinitate omnes propinqui — Sara itaque erat vere Soror Abrahæ secundùm Hebraicæ Gentis consuetudinem, qua Consanguinei nuncupabantur Fratres. Porro Sara, sicut & Loth, fuerunt progeniti ab Aram, qui Frater erat ipsius Abrahæ; adeoque non carnaliter Soror, sed Neptis.

60 OBJIC. IV. Non minor est conjunctio Fratrem inter, & Sororem, quàm inter Privignum, & Novercam; sed horum Conjugium naturæ legibus non adversatur: cum 3. *Reg.* 2. Adonias Novercam suam Abisag in Uxorem a Salomone petierit, nec a Sapientissimo Rege rem naturæ legibus adversantem exquisivisse credendum est; ergo.

RESP. Adonias non expostulasset Abisag, si fuisset Noverca; quoniam hoc aperte in Levitico vetitum erat, nec prohibitionem poterat ignorare Princeps vitam agens apud Patrem, cui solemne erat scrutari mandata Dei. Itaque non constat, Abisag fuisse Davidis Uxorem. Compertum utique est, non fuisse ab eo cognitam, atque ad ipsum calefaciendum assumptam. Ceterum ex hoc argumento robur additur Sententiæ nostræ. Siquidem Salomon, ex quo Adonias petierit Abisag, ipsum morti tradidit; & in Levitico *cap.* 20. pœnâ capitis mulctantur tum Privignus contrahens cum Noverca, tum Vitricus cum Privigna, tum Frater cum Sorore; quod satis innuit, talia Conjugia Jure naturæ fore irrita. Unde de Antiocho Sotere, qui Stratonicem Novercam deperibat, dicitur execrando exemplo illam a Patre in Uxorem accepisse. Vide supra in Synopsi de Affinitate *num.* 22.

Execrandũ Conjugium Privigni cũ Noverca.

61 OBJIC. V. Si fraterna Conjugia irrita forent Jure naturæ, frustra Epaonense Concilium præciperet dissolvenda hujusmodi Conjugia apud infideles inita, positâ eorundem conversione: sed hoc sancitur *Can.* 30.; ergo.

RESP. Nihil de fraternis Conjugiis, aut de Infidelibus in laudata Synodo legere est; sed citatus Canon execratur — Qui relictam Fratris, quæ pene priùs Soror extiterat, carnali conjunctione violaverit. Si quis Frater germanam Uxoris suæ accipiat &c. — unde perperàm affertur pro opposita Sententia.

62 OBJIC. VI. Quod est irritum Jure naturæ, ab Ecclesia nusquam dispensari potest, sed per Martinum V. dispensatum est, ut Frater Sororem duceret, ut refert Silvester; ergo.

RESP. Argumentum hocce adversùs Apostolicæ Sedis dignitatem extollit Beza, atque scelestissimum factum deprædicat, pro quo magnam pecuniæ vim accepisse Pontificem mendaciter affirmat. Verùm fontem adeamus, unde Silvester Historiam exscripsit; is est S. Antoninus 3. *p. Summæ tit.* 1. *cap.* 11., qui clare describit non quidem dispensatum fuisse, ut Soror germana in Uxorem assumeretur, sed Soror ejus, quam antea Vir fornicarie cognoverat; quoniam verò crimen occultum erat, & scandalum imminebat gravissimum, ideo præmissâ matura plurium Theologorum discussione, prudenti dispensatione, concessit Pontifex, ut Matrimonium celebraretur. Legimus apud Paulum Æmilium, sub temporibus Ludovici XI. Francorum Regis Comitem Armeniacum falso diplomate Sororem germanam sibi Matrimonio copulasse; quo audito Rex Pontificem hac super re percunctatus est; hinc deprehensa falsitate concessionis, Prothonotarius morti adjudicatus fuit. Nullum igitur afferri potest momentum, quo probetur in casu dispensatio.

63 OBJIC. VII. Quod naturali lumini adversatur, Gentibus ipsis innotescit; cum super omnes signatum sit lumen rationis. Porro apud Persas, Ægyptiosque, fraterni Conjugii consuetudo invaluerat; quod satis comprobatur ex Saliano Anno 50. ante Christum *num.* 3., qui refert ex Dione Ptolomæum Auletem mandasse Cleopatræ, ut more Majorum cum Fratre nuberet — Meminit testamenti Auletis Dio *lib.* 42. in hæc verba. Post hæc Cæsar in concionem cum Ptolomæo, & Cleopatra progressus,

 „ Patris

„ Patris eorum testamentum de scripto recitavit, quo præcipiebatur, ut more Majorum apud Ægyptios inter se quidem illi Matrimonio jungerentur (Frater scilicet cum Sorore, qui mos maxime valuit apud Persas) Regnumque tenerent --

Et S. Augustinus dicit, fraternum Conjugium factum *damnabilius*, *Religione prohibente*; non igitur lege naturæ.

Concinit etiam S. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. *ad* 3., ubi solummodo Nuptias Patris, & Matris cum Filiis, & Filiabus admittit refragari naturæ.

Natura lumen in Gentibus obscuratum.

RESP. Non omnes naturæ lumine recte utuntur, & non apud Gentiles tantùm, sed etiam inter Christianos plura patrantur naturali dictamini repugnantia, puta adulteria, furta, homicidia, & hujusmodi; unde nil mirum, si Persæ, & Ægyptii fraternum Conjugium adoptaverint. Id tamen execratum vidimus superiùs *num.* 52.

Augustinus nullimode suppetias fert Adversantibus. Nam quod erat damnabile lege naturæ, dicit *damnabilius Religione prohibente*; quod ultro admittimus. Etenim sicut homicidium apud barbaras Gentes minorem habet deformitatem, quàm apud Catholicos: ita & fraternum Conjugium; unde sanctitas Catholicæ Religionis illud damnabilius reddit.

Ad id, quod additur ex S. Thoma, dicimus, utique nonnullos velle, S. Doctorem nobis adversari; & quidem eo loci id innuere videtur. Ceterum ex corpore articuli aliter sentire in aperto est. Habet enim -- Naturaliter homo debet quandam honorificentiam Parentibus; & per consequens aliis Consanguineis, qui ex eisdem Parentibus de propinquo originem trahunt -- Et isti sunt filii. Ex hoc principio sequentem infert illationem -- Manifestum est secundùm prædicta, quod in actibus venereis maxime consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria; unde de his homines verecundantur; & ideo congruum est, quod commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem -- En quod eandem illationis rationem ad Fratres, atque Sorores, qui sunt de propinquo a Parentibus progeniti, extendit; adeoque ab eis Nuptias excludit, sicut a Parentibus cum filiis. Et sane non minor est Cognatio Fratris ad Sororem, quàm Privigni ad Novercam: sed ex Angelico horum Conjugium irritum est Jure naturæ, sicut paternum Conjugium, dicens *in cap.* 5. *prioris ad Corinthios* -- Uxor Patris repellitur a Matrimonio, sicut persona Patris, vel Matris &c. -- referens naturalem rationem in Levitico exscriptam; ergo itidem repellere debet personam Fratris.

Itaque irrita sunt naturali Jure Conjugia Matris cum Filio, Patris cum Filia, Fratris cum Sorore, etiam ex uno tantummodo Parente, Privigni cum Noverca, Vitrici cum Privigna.

CONTROVERSIA IV.

AN ECCLESIA RITE POTUERIT CERTOS CONSANGUINITATIS, ET AFFINITATIS GRADUS DETERMINARE CONSTITUENTES IMPEDIMENTUM DIRIMENS MATRIMONIUM.

64 QUamvis a primis rei Christianæ Seculis ad tempora usque Innocentii III., videlicet, ad annum 1215. variæ fuerint Ecclesiasticæ Sanctiones quoad contrahendum Matrimonium inter Consanguineos, ut in superioribus innuimus; tamen in Concilio Lateranensi IV. *Can.* 50. sub eodem Innocentio III. sancitum est, ne in posterum ultra quartum sive Consanguinitatis, sive Affinitatis gradum extendatur impedimentum dirimens Matrimonium -- Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum, Statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ea his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo..., Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum Consanguinitatis, & Affinitatis gradum de cetero non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio observari -- Sic laudatus Canon.

Rerum mutatio quandoque laudabilis.

Novatores non nisi Levitici præcepta adoptantes, contendunt, non esse Pontificii Juris quidquam decernere circa Matrimonii impedimenta, atque tanquam sacrilegas improbant Sanctiones hac super re emanatas. Verùm Catholice sentiendo.

DICENDUM, Ecclesiam rite potuisse certos Consanguinitatis, & Affinitatis gradus determinare, constituentes impedimentum dirimens Matrimonium.

65 PROB. I. ex S. Bonaventura 4. *dist.* 40. *quæst* 3. Justitia Evangelii, cujus explicatio, atque propagatio Ecclesiæ demandata est, superabundare debet justitiæ legis Mosaicæ: sed justitia Mosaicæ legis Levit. 18. supra legem naturæ quosdam addidit Consanguinitatis gradus, dirimentes Conjugia; ergo justitia Evangelii potuit, & debuit per suos Ministros supra Mosaicam legem alios superaddere gradus. Quod enim Moyses supra naturæ legem sanxit, cum ad Conjugiorum reverentiam esset ordinatum, majorem referebat perfectionem Mosaicæ legis; cum igitur Lex Evangelica longe perfectior sit Mosaicâ, jam plane fit, rite ab Ecclesia additos fuisse Consanguinitatis gradus.

Evangelica Lex perfectior Mosaica.

66 PROB. II. ex eodem S. Doctore, Christus majorem, ampliorem que potestatem circa spiritualia Petro, ejusque Successoribus contulit, quàm Reges habeant circa temporalia: sed olim datum erat Regibus rite decernere gradus Conjugiorum; ergo potiori jure Petrus, ejusque Successores valent Consanguinitatis gradus quoad Matrimonium determinare.

Ecclesiæ potestas circa spiritualia.

67 PROB. III. Petrus, ejusque Successo-

Ministri Ecclesiæ sunt Dispensatores Dei.

cessores constituti sunt in Ecclesia fideles Dispeosatores mysteriorum Dei : sed fidelis Dispensator potestatem habet distribuendi bona familiæ ad illius otilitatem juxta rationes temporum ; ergo Parrus , ejusque Successores jus hsbent pro remporum discrimine dispensandi bona Sacrameotorum Fidelibus ; adeoqoe ipsis datum cit dispoocre de modo utiliori celebrandi Conjugia has ioter , illaive Personas ; proindeque etiam data est eis potestas assignandi gradus Consanguinitatis pro ineundo Connubio .

68 PROB. IV. Ad Hebræos 7. vers. 12. *Translato Sacerdotio , necesse est , ut & legis translatio fiat* . Porro Lex Sacerdotii antiquæ legis constituebat , ut intra propriam Tribum , & inter Consanguineos Nuptiæ celebrarentur , iis solummodo exceptis , qui iotra eandem commorabantur familiam , lex enim erat carnalis , & per generationem fiebat divini cultus propagatio ; atqui Sacerdotium Christi , sicoti & Fideles , per gratiam, qoæ carnalia refugit , propagantur ; ergo in hoc Sacerdotio adinveniri debet Lex , & Potestas legislativa disponendi de Nuptiis inter Consanguineos , ut a carnalibus amoveantur Fideles , atque in spiritualibus proficiant .

Lex Gratiæ ad spiritualia ordinatur.

69 PROB. V. Sicut io temporali Republica corporales dantur necessitates , & morbi ; ita io Republica Christiana dantur spirituales infirmitates , quas inter potissimùm viget concupiscentiæ morbus ; sed ob infirmam corporum valetudioem fas est, quod in illa detur, præter virtutem medicamioum, facultas medendi , eamque juxta morborum Indigentiam applicandi ; ergo in hac præter virtutem curativam morbi concupiscentiæ , a oatura, & a Deo institutam per Conjugium , detur oportet facultas disponens de usu hujusmodi medicaminis ad majorem contrahentium utilitatem . Porro determinatio graduum pro incundo Matrimonio spectat ad majorem contrahentium utilitatem . Conjugium siquidem officeret potiùs , quàm prodesset ; quoniam oocens evaderet Consanguineorum conversatio . Si enim pro libito licereot Conjugia , tum propter naturalem amorem inter eos , qui sanguine conjuncti sunt , tum propter familiarem vitæ consuetudinem, concupisceotiæ affectus faciliùs incenderetur , atque temere inirentur Nuptiæ .

Determinatio graduum utilis contrahentibus.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR .

70 OBJIC. I. -- Romanus Pontifex non „ est supra Christum : cum ipse „ etiam non nisi Vicarium ejus se faciat ; at „ Christus oon venit leges politicas consti- „ tuere , sed verbum Dei annunciare ; ergo „ nec Romanus Pontifex debet , aut potest „ ejusmodi leges ferre -- Sic ratiocinatur Brentius *ad cap. 18. Levit.*

RESP. Christus etsi politicas non coodiderit leges , jus tamen legislativum ipsi apprime competebat ; & hoc jus in bonum Fidelium , & relate ad vitam æternam , Ecclesiæ suæ concessit . Nec leges hujusmodi simpliciter politicæ censendæ sunt . Spectant namque ad spiritualem ordinem ; cum Conjugium in Sacramentum elevatum sit . Et sicut in reliquis Sacramentis quædam Christus disposuit , aliaqoe ordinanda tradidit Ecclesiæ ; ita & in hoc Sacramento dicendum est cootigisse .

Leges Conjugii spirituales.

71 OBJIC. II. Meliùs novit Deus , quæ sint Personæ aptæ ad contrahendum , qoàm homo quilibet : sed noo prohibuit Deus Conjogium uisi ad secundum usqoe gradum lineæ inæqualis ; ergo temere ab hominibus prohibeontur Conjugia in ulterioribus gradibus . Ita Lutherus *de Captivit. Babyl. de Matrim.* , & Bucerus *in cap. 19. Matth.*

RESP. Argumentum nobis arridet . Deus siquidem Sapieotissimus, tum circa gradus , tum circa alia , pro statuum discrimine , diversa coostituit . Quædam decrevit pro statu legis naturæ , alia pro statu legis scriptæ , demum pro lege Gratiæ ea per Ecclesiæ Ministros decreta voluit , quæ oobilitati legis , atque Fidelium utilitati aptiùs congruereot . Porro hæc sunt impedimenta ab Ecclesia apposita pro contrahendo Matrimonio inter Consanguioeos usque ad quartum gradum .

Non eadem pro omni statu decreta.

72 OBJIC. III. Vera Ecclesia tantummodo vocem sui Pastoris , Summique Legislatoris audit : sed divinus Legislator , qui omnea prospicit casus , non tot gradus constituit Levit. 18. ; ergo vera Ecclesia hos solùm adoptat , nam alios addere , vel minuere , est superbe sapere , & nimiâ arrogantiâ sibi divinas Leges subdere , easque obtruncare , derogare , atque examinare . Illæ autem leges ceremonialibus non accensentur , sed simpliciter divinæ sunt , Conjugia pro quolibet statu associantes ; & primitiva Ecclesia ut divinas venerata est , teste Callisto 35. q. 2. Cap. *Conjunctiones* -- Conjunctionea „ Consanguineorum fieri prohibeatur . Quare ? Quia has divinæ, Seculique prohibent „ Leges . Leges ergo divinæ hoc agentes , „ & eos , qui ex eis prodeunt , non solùm „ ejiciunt , sed etiam maledictos appellaot . „ Nos verò &c. -- Idem sentit Zacharias 30. q. 3. Cap. *Pitacium* , ubi ait : eos , qui contra leges divinas Levitici Matrimonia contrahunt , in sempiternæ damnationis via esse : Cap. *Nolite* dist. 11. Julius docet , eos , qui doctrinam libris Canonicis pugnantem probant , doctrinâ peregrinâ falli , ac decipi . Et Cap. *Quis nesciat* , sicut & Cap. *Neque* dist. 9. ex Augustino habetur , ut omnino Sacræ Scripturæ Canonicæ veteris , & novi Testamenti inhæreamus , nec ullo pacto ab ea desciscamus , aut de eorum , quæ in ea continentur rectitudine disputemus . Hæc mordaciter urget Gentiletus *in examine Canonis 3. Tridentini Sess. 24.*

RESP. Equidem Romana Ecclesia vera est Christi Sponsa ; quia perfecte Sponsi vocem audit , cum & vocem Pastorum , quos audire præcipit Christus , excipiat . Utique Deus omnes prospexit casus , atque de illis accommodate ad naturam status legis disposuit. Pro veteri Lege singularia præscripsit ; pro nova , utpote Lex libertatis , quia charitatis , Ecclesiæ mandavit , ut quoad peculiaria , quæ congrua viderentur , disponeret .

Perperàm deinde Gentiletus affirmat ,

Gentiletus Canonibus abutitur.

Leges Levitici quoad omnes gradus non fuisse ceremoniales; omnibusque textibus in sui patrocinium abutitur. Etenim Callixtus laudato Canone dicit -- Conjunctiones Con„ sanguineorum fieri prohibere, quando has „ & Divinæ, & Seculi prohibent Leges -- qui loquendi modus alium sane sensum reddit ab illo quem Gentiletus affingit. Hic universaliter gradus lege divina prohibitos definit; Ille nequaquam, sed distributive dicit, non esse faciendas conjunctiones, quas Divina, & Civilis Lex prohibet.

Zacharias determinate sermonem habet de primo gradu lineæ rectæ, & transversalis ex Levitica lege prohibito; unde fortiori argumento evincit, non fore legitimum Conjugium cum filia spirituali, & qui sic contrahunt, asserit esse in via damnationis.

Julius verò peregrinas eas nuncupat doctrinas, quæ ab Apostolorum, Apostolicorumque Virorum Statutis declinant, subdens: *Canones habetis. His fruimini*. Ex quibus Catholica Veritas comprobatur.

Augustinus demum in Cap. *Quis nesciat* docet, Sacras Scripturas Episcoporum scriptis esse proferendas; de primis namque haud fas est disputationem instituere, an aliquid falsi contineat, secus de aliis. Et in Cap. *Neque* docet, hominum scriptis eam præstari non posse auctoritatem, quæ Canonicis Litteris debetur; prima siquidem improbari possunt, cum Canonicæ Scripturæ prorsus sint venerandæ. Cumque in his habeamus concessam Ecclesiæ potestatem in ædificationem, recte infertur, potuisse Ecclesiam gradus Conjugiorum statuere.

73 OBJIC. IV. Haud legitima censeri debet Lex, quæ ridiculæ, & puerili causæ innititur: sed Constitutio de gradibus in Lateranensi efformata ridiculam prorsus, & puerilem profert causam: quia scilicet quatuor sunt humores in humano corpore, ex quibus velut ex quatuor elementis constat; ergo. Sic Beza *lib. de Repudiis*.

RESP. Non unum fuit momentum, quod Patres movit, sive ut ultra gradus Levitici alios statuerent, sive ut eos ad quartum solummodo gradum coarctarent. Ratio primi, eaque potissima fuit, quæ reverentiam docet deberi Consanguineis. Deinde ut occasio tolleretur frequentandi incestus, tum ob domesticam in una domo cohabitantium Consanguineorum consuetudinem, tum ob eorundem familiarem insimul convictum. Præterea ut moderatus Conjugii usus haberetur; qui sane excederet, si naturali ponderi conjugalis superadderetur affectus.

Ratio coarctandi gradus ad quartum tantummodo, fuit occasio plurium Conjugiorum, quæ inter Consanguineos sine dispensatione contrahebantur ex ignorantia Consanguinitatis, hinc, habitâ rerum notitià, lites, & scandala oriebantur, quæ ut tollerentur, prudenti consilio sancita est graduum limitatio; quare apte dicebat S. Thomas *in Suppl. quæst.* 54. *art.* 4. *ad* 5. — Non „ est eadem causa secundùm diversa tem„ pora gradus Consanguinitatis prohibendi; „ unde quod alio tempore utiliter concedi„ tur, alio salubriter prohibetur -- Cumque quarto loco sibi objecisset Hæreticorum argumentum, respondet -- Tales rationes assigna„ tæ magis dantur per modum adaptationis, „ & congruentiæ, quàm per modum causæ, „ & necessitatis -- Et in corpore articuli hanc congruentiam egregie explicat.

Quæ ad dispensationem spectant, mutari possunt.

74 OBJIC. V. Non est e re Ecclesiastica solvere, coarctare, vel extendere Consanguinitatis vinculum, utpote positive Juris naturalis; sed vinculum hujusmodi, si primum excipias gradum, potestatem, jusque tribuit Conjugii inter Consanguineos: datur namque in omnibus naturalis inclinatio ad perpetuitatem gentis suæ; ergo Ecclesia nullo gaudet jure prohibendi contractus conjugales inter Consanguineos.

RESP. Ecclesia, lege datâ, non facit, quosdam non esse Consanguineos, bene verò ut Consanguinei inepti sint ad contrahendum. Consanguinitas non aufert capacitatem ad nubendum, sed Jus præcipiens nullum dicit conjugale commercium inter eos, qui sanguine conjuncti sunt. Cumque aliàs ex prædicto commercio irrogetur irreverentia sanguini, Ecclesia optimo jure coarctavit eorundem Conjugium intra certos Consanguinitatis gradus. Inclinatio autem ad propagationem familiæ subditur dictamini rationis; adeoque subditur regulæ, quæ commune bonum, atque naturalem reverentiam cuique debitam respicit.

Inclinatio ad propagationem rationalis.

75 OBJIC. VI. Capacitas Jure divino ad Baptismum, nulla positiva Sanctione valet impediri; ergo capacitas ad Conjugium in gradibus Jure divino non prohibitis nequaquam ab Ecclesia limitari potest.

RESP. Capacitas divino Jure ad Sacrum regenerationis lavacrum est positiva, & præceptiva; quapropter positiva lege impediri non potest. Capacitas verò ad Conjugium inter Consanguineos negativa est: idest non apponit impedimentum, sed non præcipit; adeoque capacitas hujusmodi per Ecclesiæ præceptum regulari potest. Præterea Baptismus est simpliciter Sacramentum; Conjugium autem de primaria institutione est in officium naturæ, & formam habet humani contractus, qui legibus humanis dirigitur; unde magis subjacet dispositioni Ecclesiæ Matrimonium, quàm Baptismus. Quare Deus non conjungit, quos solvit Ecclesia.

Discrimen Baptismum inter, & Conjugium.

SYNOPSIS

DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS.

76 PUblica honestas, seu secundùm Juristas Justitia publicæ honestatis, est propinquitas orta ex Sponsalibus per verba de futuro celebratis, vel ex Matrimonio rato. Hæc Conjugium dirimit Ecclesiastico Jure, Cap. *Si quis Uxorem*, Cap. *Si quis dispensaverit dist.* 27. *q.* 2. Et meritò quidem. Nam decentia, & decor, satis suadent, ne quis contrahat Matrimonium cum Consanguineis illius, cum qua priùs fuit desponsatus.

77 Pu-

Publica honestas ex Sponsalibus.

77 Publica hooestas orta ex Sponsalibus hoc fundst impedimentum, quando Sponsalia sunt valida, sed primum gradum non excedit; unde solum intercedit inter Sponsum, Matrem, Sororem, & Filiam Sponsæ, & ex opposito. Hæc habemus ex Tridentino *sess. 24. cap. 3.* -- Justitiæ pu„ blicæ honestatis impedimentum, ubi Spon„ salia, quacunque ratione valida non erunt, „ Sancta Synodus porsus tollit; ubi autem „ valida fuerint, primum gradum non exce„ dant, quoniam in ulterioribus gradibus „ jam non potest hujusmodi prohibitio ab„ sque dispendio observari --

Porro hoc impedimentum perpetuum est; propterea sive per mortem, sive mutuo consensu, aliâve causâ, dissolvantur Sponsalia, Sponsi inhabiles sunt ad contrahendum cum præcitatis; quia licèt sint sui juris ut Sponsalia dissolvant, auferre tamen nequeunt impedimentum, quod statuit Ecclesia, quodque ex certis Sponsalibus contractum est.

Non habetur tamen, si Sponsalia sint cum incerta Persona, puta, cum una ex filiabus v. g. Pauli; debent namque iniri cum Persona determinata, ex Cap. unico *De Sponf.* in 6. Insuper absoluta esse debent; quapropter valet Conjugium cum una celebratum, pendente conditione cum ejusdem Sorore, quamvis grave crimen committatur.

Publica honestas ex Matrimonio rato.

78 Publica honestas orta ex Conjugio rato, Matrimooium dirimit ad quartum usque gradum, servato hac super re Jure antiquo, Cap. *Non debet, de Consanguinit., & Affinit.* cum de hoc nihil immutatum habeamus ex Tridentino, atque ad omnem tollendam dubitationem, quæ suboriri usquam potuisset, id declaratum legimus a Pio V. *in Constit.*, quæ incipit: *Ad Romanum*, ubi -- Idcirco „ motu proprio, aucturiate Apostolica, te„ nore præsentium declaramus, & defini„ mus, Decretum Concilii hujusmodi om„ nino intelligendum esse, & procedere in „ Sponsalibus de futuro dumtaxat, non au„ tem in Matrimonio sic, ut præfertur, „ contracto, sed in eo durare adhuc impe„ dimentum in omnibus illis casibus, & gra„ dibus, quibus de Jure veteri ante prædi„ ctum Decretum Concilii introductum erat, „ & ita ab omnibus judicari debere manda„ mus, atque statuimus --.

Non solùm autem Conjugium ratum, quod validum sit, sed etiam ex quocumque capite invalidum, dummodo tale non censeatur defectu consensus, vel in præjudicium cedat priorum Sponsalium, subsequens dirimit Connubium. Et quamvis defectus consensus sit interior, sive in Sponsalibus, sive in Conjugio, non inducit impedimentum, etsi exteriùs validi habeantur hujusmodi contractus. Hinc quia error Personæ, metus, defectus ætatis, nulla efficiunt Sponsalia, sicut nullum est Conjugium, ubi consensus desideratur; ideo in hisce casibus publicæ honestatis impedimentum non dimanat. Ex opposito, cum defectus valoris Matrimonii clandestini non sit ex defectu legitimi consensus, sed ex carentia debitæ solemnitatis, apte dicitur clandestinum Conjugium hujusmodi importare impedimentum; non enim ad tollendum impedimentum sat est illegitimum fore consensum, alioquin in omni casu, quo nullum sit Conjugium, non haberetur justitia publicæ honestatis, quod omni Juri refragatur, utpote semper consensus censetur illegitimus, quoties invalidum habetur Matrimonium. Impedimentum hoc ex Matrimonio rato perpetuum est. Qui cum secundâ contrahit Sponsalia in præjudicium priorum Sponsalium, nullum habet impedimentum; cum secunda nulla fuerint, perseverat namque prior obligatio.

CONTROVERSIA V.

AN CONJUGIUM FIDELIUM CUM INFIDELIBUS, ET JUDÆIS, QUOVIS TEMPORE, JURE NATURALI, DIVINO, ET ECCLESIASTICO FUERIT ILLICITUM.

Cultus disparitas.

79 INter impedimenta Matrimonium dirimentia unum est cultus disparitas, quæ est diversæ Religionis professio. Propter multiplices Sectas multipliciter attendi potest. Aliquæ enim nec in re, nec in typo Christum suscepere, ut Idololatræ; aliæ solummodo in typo Christum veneratæ sunt, ut Gens Judæorum; Christum aliæ in re adoptarunt, quem postmodum per apostasiam impie deseruerunt, quod Hæreticis convenire præterit neminem; sunt demum Catholici, qui Christum sequentes ab eo nusquam defecerunt. Porro conjugalis contractus celebrari potest inter Sectas quamvis diversas, ejusdem tamen rationis, ut sunt Gentiles; & contrahi valet inter Sectas diversæ rationis, ut Gentiles inter, & Hæreticos, vel inter Gentiles, & Catholicos, vel demum inter Catholicos, & Hæreticos. Ulteriùs Conjugium inter hujusmodi Personas considerari potest ut licitum, & ut validum. Omnia successive absolventur. Impræsentiarum inquirimus: an Conjugium Fidelium cum Infidelibus, & Judæis, quovis tempore, Jure naturali, Divino, & Ecclesiastico, fuerit illicitum.

80 Supponimus inter Infideles etiam diversæ Sectæ validum fore, & licitum Jure naturæ Conjugium ad invicem celebratum.

Inter Infideles valide, & licite Nuptiæ.

I. Quia Lex propagandi humanum Genus omnibus universaliter data est ab Auctore naturæ. Lex autem hujusmodi est de propagando humano genere per legitimum Conjugium; Fornicatio enim naturæ legibus repugnat, ut adversùs Maimonidem, aliosque Hebræorum Magistros probat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 2., & Gentes fere omnes noverunt; unde Chrysippus relatus a Grotio *Annot. in cap.* 5. *S. Matth.* notat, extra Civitates Meretrices fuisse constitutas -- „ Primùm Meretrices extra Urbes, & larvas „ sibi imponentes, volentibus sui faciebant „ copiam; postea inverecundiores abjecere „ larvas. Attamen legibus non sinentibus „ eas in Urbes ingredi, extra eas se tene„ bant -- Hujus consuetudinis vestigia etiam apud

apud Peruanos, & Tartaros reperta sunt.

II. Inter Gentiles licent, & subsistunt amicitiæ, & politicæ communicationis fœdera: sed ad hoc maxime deservit conjugalis contractus; ergo.

III. Evangelii prædicatio, quæ universis facta est in destructionem cujuscumque erroris, nusquam monogoma Conjugia inter quoscunque Gentiles celebrata execravit, prohibuitve; si verò vel illicita, vel invalida fuissent, dubio-procul adversùs ea insurrexissent Apostolici Viri; propterea Cap. *Si quis* 28. q. dicitur, Baptismo crimina, non Conjugia solvi.

81 Diximus licita, & valida fore Jure naturæ. Fieri enim potest, ut Principes unius Gentis prohibeant, vel etiam conjugales contractus irritent cum Personis Sectæ alterius; & tunc non solùm illicitæ, sed & irritæ erunt hujusmodi Nuptiæ; cum apud Gentes solam naturalis, & civilis contractus naturam retineant, adeoque subdantur dispositioni civilis potestatis, quæ etiam Ethnicis Principibus cujuscunque generis legitime competit. His suppositis

DICENDUM, Conjugium Fidelium cum Infidelibus, & Judæis, quovis tempore, Jure naturali, Divino, & Ecclesiastico, fuisse illicitum.

82 PROB. I. Quod naturali, Divina, & Ecclesiastica Lege vetitum est, meritò censetur illicitum: sed Conjugium Fidelium cum Infidelibus, vel Judæis, prædictis vetitum est legibus; ergo. Minor evincitur. Jus naturæ, Divinum, & Ecclesiasticum, præcipit evitanda potissimùm animæ pericula. Porro Conjugium hujusmodi secum involvit periculum subversionis Conjugis Fidelis. Etenim admonemur Ecclesiastici 13. vers. 1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicabitur superbo, induet superbiam.* Et si, Paulo teste 1. ad Corinth. 15. vers. 33. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, inquit Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem cap. 3.*, quanto magis convictus, & individuus usus. Et sane quo pacto Deo inservire posset Mulier fidelis — habens, *ut ait laudatus Auctor*, in latere diaboli servum,

Jus quodlibet præcipit vitanda animæ pericula.

„ procuratorem Domini sui, ad impedienda „ Fidelium studia, & officia. Ut si statio „ facienda est, Maritus de die condicat ad „ balnea. Si jejunia observanda sunt, Maritus eâdem die convivium exerceat. Si „ procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio advenit. Quis enim sinat „ Conjugem suam visitandorum fratrum gratiâ, vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? &c. —

83 PROB. II. Deut. 7. Prohibuit Deus Populo suo Conjugia cum Infidelibus miscere, vers. 3., & seq. *Nec sociabis cum eis Conjugia. Filiam tuam non dabis Filio ejus, nec Filiam illius accipies Filio tuo; quia seducet Filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis*; quod repetit 3. Reg. 11. vers. 2. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Et lib. 1. Esdræ cap. 9. iteratur prohibitio. Porro Populus Christianus se habet impræsentiarum ad Judæos, & Infideles, sicut se habebat Hebræa Gens ad alias Gentes; unde eodem plane modo vetita sunt Fidelium Conjugia cum Judæis, & Gentibus. Quæ enim ad mores pertinent, non intelliguntur revocata, nisi certa Christi Lege innotescat: nulla autem lex hujusmodi proferri valet; adeoque urget eadem prohibitio sub Lege Gratiæ; Conjugium namque cum Infidelibus mores respicit.

Jus divinum de evitando Infidelis Conjugio nunc obligat.

84 PROB. III. Apostolus 2. *ad Corinth. 6.* prohibet potissime familiare commercium cum Gentibus: *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*: sed Conjugium est commercium omnium maximum, maximeque familiare; ergo omnino prohibetur. Argumentum est S. Hieronymi *lib. 1. adversùs Jovinianum*, & *Epist. ad Gerontium*.

85 PROB. IV. Commixtio membrorum Christi cum membris Diaboli, ex qua fiunt una caro, abominabilis plane est, atque Christiano homini prorsus indigna. Sic enim contrahentibus apte accommodari posset Apostoli increpatio loco supralaudato: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Qui consensus Templo Dei cum Idolis? Vos enim estis Templum Dei vivi.* Sed Conjugium commixtionem hujusmodi importat; severe igitur prohibetur Fideles inter, & Infideles.

Commixtio abominabilis fugienda.

86 PROB. V. Conversatio, quæ manifestum involvit periculum subversionis filiorum, nequit non esse illicita. Hujusmodi esset conjugalis conversatio Fidelis cum Infideli; unusquisque namque studeret ad suam legem filios instituere; cumque aliàs natura ad malum sit proclivis, filii ad pravam sectam declinarent. Exponeretur itidem irrisioni majestas Mysteriorum Dei. Plura namque Christianæ Legis mysteria humanam excedunt intelligentiam, plura mysticis peraguntur ceremoniis, quarum sensum percipere non valet Gentilis; propterea Sacra objicerentur periculo contemptus; atque irrisionibus. Unde primis rei Christianæ Seculis Patres fuere soliciti, ne coram Gentibus divina mysteria celebrarentur.

Conversatio Fidelis cum Infideli periculosa.

87 PROB. VI. ex Patribus, qui in eandem confluunt Sententiam. Et omisso Tertulliano, cujus sensa jam superiùs *num. 82.* attulimus, S. Cyprianus Lib. *de Lapsis* inter gravissima scelera recenset Conjugia Fidelium cum Infidelibus, utpote quæ ad Tyrannorum persecutionem ansam præbuere — Sed cladis „ causa cognoscitur ... Jungere cum Infidelibus vinculum Matrimonii, prostituere „ cum Gentilibus membra Christi —

Prædicta Conjugia a Patribus execrata.

S. Ambrosius Lib. 1. *de Abraham* cap. 9. — Cave Christiane, Gentili, aut Judæo, „ filiam tuam tradere: cave Gentilem, aut „ Judæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam a tua fide, „ Uxorem accersas tibi —

S. Hieronymus Lib. 1. *Adversùs Jovinianum* — At nunc pleræque contemnentes „ Apostoli jussionem, junguntur Gentilibus, „ & templa Christi Idolis prostituunt —

S. Augustinus Lib. 1. *De adulterinis Conjugiis* cap. 25. ad illa Apostoli verba: *Cui vult*,

vult, nubat tantùm in Domino, habet -- In Domino duobus modis potest intelligi; aut Christiano nubens, aut Christiana permanens. Sed posterior expositio non videtur ita probabilis ut prior. Non enim dubium esse poterat, quin illicitum esset, nubendo apostatare a Fide, immo id tam perspicuum, & notum est omnibus, ut plane supervacaneum videatur de ea re Christianos monere --

88 PROB. VII. Prædicta Conjugia illicita declarantur a Concilio Illiberitano *Can.* 16. vetando Fidelium Nuptias cum Infidelibus, eo tamen discrimine, ut nubentes cum Judæis quinquennali pœnitentia mulctentur, & *Can.* 17. dantes filias Sacerdotibus Idolorum etiam in morte communione privantur -- Si qui fortè Sacerdotibus Idolorum filias suas junxerint, placuit nec in fine dandam esse communionem -- Itidem Chalcedonense *Can.* 14. prohibet Conjugia cum Hæreticis, Judæis, & Paganis. Demum, ut aliquibus placet, prohibet Nicænum *Can.* 67. *ex Arabicis* -- Quæcunque Mulier fidelis Viro infideli nupserit, ipsa quoque ab Ecclesia ejiciatur; quæ si pœnitentiam egerit maleficii, & cum Virum, quem habere non poterat, idest, Infidelem, dimiserit, non est recipienda nisi eo modo, quo recipitur, qui postquam Fidem negavit, ad Fidem revertitur, debetque ipsa Infidelem relinquere --

Ex quibus in aperto est, Conjugiom Fidelium cum Infidelibus omni Jure esse illicitum.

OPPOSITA REFELLUNTUR ARGUMENTA.

89 OBJIC. I. Quod Jure naturæ illicitum est, semper prohibitum fuit; sed in statu Legis naturæ laudabiliter celebrata sunt Conjugia Fidelium cum Infidelibus: ut videre est exemplo Jacob, qui filias Laban duxit, & Moysis, qui Æthyopissæ nupsit; ergo Conjugium Fidelium cum Infidelibus nequaquam Jure naturæ illicitum censendum est.

Illicitum dupliciter dicitur.

RESP. Illicitum dupliciter dicitur. Primò quod ita est ab intrinseco, & essentialiter malum, quod nullâ vestiri possit circumstantiâ, qua licitum fiat; ut blasphemare, pejerare &c. Secundò quod absolute illicitum est, sed accedere potest circumstantia, qua malitiâ expoliatur; sicut rem alienam accipere in extrema necessitate, vel privata auctoritate ad sui defensionem hominem occidere. Hujus generis est Conjugium Fidelium cum Infidelibus; est simpliciter illicitum, sed talis naturæ, ut circumstantiæ accedere possunt, quæ illud licitum reddant. Hæ porro in præcitatis casibus intercessisse meritò dicendum est; quod conversione Infidelium mulierum comprobatur.

90 OBJIC. II. Conjugium Fidelium cum Infidelibus propter perversionis periculum adstruitur illicitum Jure naturæ; sed stante hujusmodi periculo, habemus approbata hujusmodi Connubia, sive in Conjugio Esther cum Assuero, apud quem ob exundantem Idololatriæ praxim maximum aderat subversionis periculum, sive in Conjugio Samsonis cum Philisthæa, a qua fuisse deceptum declarat Scriptura *Judic.* 14.; ergo nullimode Conjugium Fidelium cum Infidelibus Jure naturæ prohibetur.

Stante divina dispensatione fas est cum Infideli nubere.

RESP. Divino consilio factum est, quod prædicta Conjugia celebrarentur. Et quidem illud Estheris, ut Hebræa Gens ab irruente mortis periculo ipsius patrocinio liberaretur; aliud Samsonis, ut de Philisthæis ulcisceretur. Quod similiter censendum est de Conjugio Patriarchæ Joseph cum Ægyptiaca, ut Populus Hebræorum a fame salvaretur, atque in Ægypto propagaretur. Quoniam verò de Salomone nullum occurrit momentum, unde divina dispensatio possit præsumi; ideo dubio-procul contrahendo cum Mulieribus Idololatris peccasse dicendum est. In præcedentibus Conjugiis nullum adfuisse perversionis periculum plane comprobatur, tum ex singulari Dei adjutorio, tum ex illorum eximia constantia in Fide; & quamvis Esther Mosaicis ligaretur Statutis, non ea violavit, Mardochæo legem pro eo casu interpretante.

91 OBJIC. III. Nequit Jure naturæ illicitum censeri, quod servandum præcepit Deus. Porro habemus Deut. 21. vers. 10., & seqq. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos .... & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueris que habere uxorem, introduces eam in domum tuam ... & intrabis ad eam, dormiesque cum illa, & erit uxor tua.* His Nuptiæ cum Infidelibus commendantur; ergo.

Stante spe conversionis valebat Conjugium.

RESP. Testimonium illud intelligitur, juxta D. Thomæ interpretationem *in Suppl. quæst.* 59. *art.* 1. *ad* 2. quando Mulier parata erat Fidem suscipere, atque Idololatriam execrare -- Lex illa vel loquitur de aliis Nationibus, cum quibus poterant inire Conjugia; vel loquitur, quando illa Captiva ad Fidem converti volebat -- Abs re igitur affertur textus Deuteronomii.

92 OBJIC. IV. Quod sola Ecclesiasticâ Lege proscriptum est, haud dici valet illicitum sive naturali, sive Divino Jure; sed Nuptias Fidelium cum Infidelibus solâ Ecclesiastica lege vetatur; ergo. Et sane nullum promi potest testimonium pro Jure sive naturali, sive divino. Prohibitio namque relata Deut. 7., & Esdræ 9., facta Hebræis de non nubendo cum Cananæis, aliisque Gentibus, legalis fuit; proindeque obliterata in Lege Gratiæ. Textus Pauli, qui a plerisque adducitur, de Viduis, ut non nubant, nisi tantùm in Domino, non est ad rem. Siquidem solummodo præcipit nubere ex fine castæ generationis, atque ut in Christi Fide perseverent; ut Græci Patres interpretantur. Textus alter, ubi præcipit Apostolus, ut jugum non ducant Fideles cum Infidelibus, non est de Conjugio. His addas velim utrumque textum, etsi præceptum contineret, nequaquam fore divini, sed humani Juris. Ea namque refert Paulus, non ut Apostolus, sed

ſed ut Paſtor, atque Eccleſiarum Rector; qua ratione etiam Bigamorum ordinationem proſcripſit.

RESP. Hujuſmodi Conjugia eſſe contra Jus naturæ, & divinum, abunde probavimus: & meritò ſane ſic ſentiendum eſt. Nam præceptum Deuteronomii, atque Eſdræ, morali rationi, quæ ſemper permanet, innititur; in familiaribus ſiquidem conſuetudinibus, & potiſſimùm interveniente conjugali vinculo, maxime urget perverſionis periculum, de quo dicitur Pſal. 105. verſ. 35., & ſeq. *Commixti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum*. Paulum dediſſe præceptum, & quidem divinum, evincit, pluribus omiſſis, Auguſtinus ſupra *num.* 84. relatus, ubi optimam Sententiæ ſuæ rationem affert. Huic non refragantur aliorum Patrum ſenſa, immo bene cohærent; ſunt enim inter ſe ſubordinatæ interpretationes. Ultrò concedimus, Paulum, ſicut & reliquos Apoſtolos, quædam condidiſſe ut Paſtores, alia explicuiſſe ut Interpretes, atque Verbi divini Scriptores. Verùm probandum ſupereſt Adverſariis, impræſentiarum locutum non fuiſſe ut Apoſtolum.

Perverſionis periculum irritum ſemper reddit Conjugium.

93 OBJIC. V. S. Auguſtinus in Sacris Litteris apprime eruditus fatetur Lib. 1. *de adulterinis Conjugiis* cap. 25. nullum occurrere in Lege Gratiæ teſtimonium, quo prohibeatur Connubium Fidelium cum Infidelibus -- Non enim tempore revelati Teſtamenti novi, in Evangelio, vel ullis Apoſtolicis Litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit, Fideles Infidelibus jungi. Quamvis Beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat jungere cum Infidelibus vinculum Matrimonii, atque id eſſe dicat proſtituere Gentilibus membra Chriſti -- Et Lib. 1. *De fide, & operibus* cap. 19. -- Noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata, quoniam revera in novo Teſtamento nihil inde præceptum eſt; & ideo aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum eſt. -- ergo.

RESP. Dupliciter intelligi poteſt S. Doctor. Primò, videlicet, nullum dari præceptum prohibens ſimpliciter omnino tale Conjugium, ita quod quacunque ſuperveniente circumſtantia nuſquam liceant Nuptiæ cum Infidelibus. Secundò, nullum dari præceptum in Lege nova illas irritans. In utroque caſu negat, rem prorſus eſſe apertam; in utroque ſenſu fatetur, rem ambiguam fore, proindeque abſtinendum prout in laudato cap. *De adulterinis Conjugiis* advertit, de quo infra iterum ſermo occurret. Ceterum in cit. lib. *cap.* 21. aliter ſentire in aperto eſt -- Nulla de his quæſtio eſt, quæ pertineat ad illam Domini juſſionem, doctrinamque Apoſtolicam, & præceptum Teſtamenti veteris, & novi, quo prohibetur Fidelis cum Infideli Conjugium --

Auguſtinus explicatur.

CONTROVERSIA VI.

AN IRRITUM SIT CONJUGIUM FIDELIS CUM INFIDELI JURE TANTUM ECCLESIASTICO.

CONjugium Fidelium cum Infidelibus illicitum omni Jure ſatis probavimus in ſuperiori Controverſia; modò igitur examinandum ſupereſt, an etiam ſit omni Jure irritum.

DICENDUM, ſolo Eccleſiaſtico Jure irritum eſſe Conjugium Fidelium cum Infidelibus.

94 PROB. ſequenti diſcurſu. Nefas eſt, Sanctiſſimos Viros a Scriptura, vel hominum Traditione commendatos, toto vitæ ſuæ tempore aſſerere fornicarios: ſed tum ante Legem ſcriptam, tum in Lege ſcripta, tum in Lege Gratiæ Viri probatæ ſanctitatis Infidelibus nupſerunt, a quibus niſi per mortem ſejuncti fuere; ergo fateri oportet cultus diſparitatem ſolo Eccleſiaſtico Jure, & quidem poſt multa rei Chriſtianæ Secula, Conjugium dirimere.

Nullo Jure [illegible] Connubii Fidelis cum Infidelibus.

Et ſane in Lege naturæ Jacob duxit filias Laban cultoris Idolorum, Joſeph filiam Puthipharis Ægyptiam, Moyſes filiam Jetro Æthyopiſſam. Horum Conjugia non reprobat Scriptura, nec filii inter nothos recenſiti fuere; immo in ſemine Jacob factam Meſsiæ repromiſſionem legimus.

In lege ſcripta Eſther nupſit Aſſuero, David filiæ Regis Geſſur, Salomon filiæ Pharaonis &c.

In Lege Gratiæ Cæcilia Matrimonium contraxit cum Valeriano, Clotildis cum Clodovæo Ethnico, Monica S. Auguſtini Mater cum Patricio Infideli; quorum Nuptiæ nuſquam irritæ creditæ ſunt, immo Deo placuiſſe palam fit ex Conjugum converſione: Et meritò.

Nam Conjugium ſemper validum cenſetur, quoties ſubſiſtit intrinſecus, primarius, ipſiuſque formalis finis, ut eſt in officium naturæ: atqui, ſtante diſparitate cultus, prædictus finis adinvenitur, nempe procreatio, atque prolis educatio juxta rationis dictamen, propter quod inter Infideles validum contrahitur Connubium; non igitur diſparitas cultus illud naturali lumine irritum reddit. Si quæramus Jus divinum poſitivum, non erit invenire; cumque Gratia ſit perfectiva naturæ, Lex Chriſti non diſſolutionem, ſed perfectionem addidit Conjugio. Hinc S. Paulus 1. *ad Corinth.* 7. abunde innuit, diſparitatem cultus haud fore cum veritate Conjugii impoſſibilem: quatenus vult, non eſſe ſejungendos Conjuges, ſi alter eorum ad Fidem convertatur; & licèt ſermonem inſtituat de Conjugio jam legitime contracto, ſecus de contrahendo, attamen momenta, quæ promit, ad quodcunque extenduntur Conjugium. Affirmat namque per Mulierem Fidelem ſanctificari Virum Infidelem, unde per familiarem Fidelis conſuetudinem ſæpenumero meliora ominari poſſunt. Permittit quidem vinculi ſeparationem; verùm non abſo-

absolute, sed cum Infidelis non vult cohabitare absque Creatoris injuria. Ex his compertum est, Cunjugium Fidelis cum Infideli ad Fidei incrementum posse deservire. Ad privilegium itaque Fidei spectabat, disparitatem cultus non dissolvere Conjugium; adeoque primis Ecclesiæ Seculis nullo Jure tale Connubium irritabatur, licèt postmodum Ecclesiastico more invaluerit, ut cultus disparitas inter impedimenta accenseretur; de quo in solutione argumentorum.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

95 OBJIC. I. Scripturales probationes ad præcedentem Controversiam comprobandam relatæ satis evincunt, Conjugium Fidelis cum Infideli irritum esse; sunt enim locutiones absolutæ, & universales, hujusmodi Conjugium reprobantes. Sed illæ divinum Jus continent, & referunt; ergo Jure Divino hujusmodi Conjugium irritum est.

Malachiæ 2. vers. 11., legitur: *Transgressus est Judas, & abominatio facta est in Israel, & in Jerusalem: quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc* &c. Si ergo Conjugium cum Infideli est abominatio facta in Israel, & contaminatio sanctificationis, dubio-procul erit invalidum. Porro ratio divinæ abominationis est universalis; adeoque ad omnem statum cujuscunque Legis extensa, atque in primo principio luminis naturæ radicatur; contemnitur quippe, ut antecedenter innuit Propheta, per accessum ad filiam Dei alieni, Pater omnium Deus.

Plura illicita, licet valida.

RESP. Scripturæ eo loci relatæ evincunt quidem, Conjugium Fidelis cum Infideli esse illicitum, seclusis circumstantiis: secus esse irritum; plures namque contractus illiciti habentur, qui tamen irriti non sunt. Probandum igitur foret, irritum esse.

Malachiæ textus aperte explicatur de illicito Connubio, quod sane gravissimum involvebat crimen. Postquam enim reversa est Tribus Juda ex Babylonica captivitate, Principes ejus, Sacerdotes, & Levitæ, alienigenas duxere Mulieres, pulchriores, ditiores, abjicientes, quas de Populo Israelitico assumpserant pauperes, infirmas, vetulas, atque deformes; quod sane execrabile nefas fore nemo est, qui non videat.

96 OBJIC. II. Esdras *lib. 1. cap. 9.* jussit separari Viros ab Alienigenis, quas duxerant Hebræi: atqui si illæ Nuptiæ non fuissent irritæ, absque crimine hanc separationem, utpote legitimis Conjugibus injuriosam, præcipere non potuisset: fas enim fuisset propter perpetratum scelus nubendi, ad pœnitentiam illos excitare; ergo. Probantur itidem irrita prædicta Hebræorum Conjugia ex ingenti animi dolore, quo nuncium talium Conjugiorum excepit Esdras lib. 1. cap 9. vers. 3. *Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mærens.*

RESP. Triplex huic Argumento occurrit solutio. Prima docet, datam fuisse Legem, ne Mulieres Cananææ assumerentur; adeoque pro istis tantummodo fuisse irritativam Conjugii, quin inde colligatur, universaliter disparitatem cultus fore impedimentum dirimens Conjugium Jure divino. Verùm cum Esdras Alienigenas a Cananæis non discreverit, hujusmodi solutio non videtur Argumento occurrere. Alia porro opinio propugnat, separationem non quidem quoad vinculum, sed quoad thorum fuisse. Tertia demum ultro admittit in præcitatis Conjugiis dissolutionem quoad vinculum, sed contendit, mandatum illud fuisse legale; proindeque non urgere impræsentiarum. Attamen hæc solutio iis non arridet, qui volunt, nusquam disparitatem cultus fuisse Jure divino impedimentum dirimens Matrimonium, cum in quacunque Lege, ut jam adnotavimus, exempla præsto sint, quibus valida probantur Conjugia Fidelium cum Infidelibus.

Adoptanda igitur est secunda solutio, nisi velimus dicere, illa Conjugia, de quibus Esdras, irrita fuisse, quia Viri Israelitæ alias habebant Uxores Gentis suæ, quas injuste abjecerant: ob quam injustitiam haud uti poterant privilegio simultaneæ Polygamiæ, cum Deus illud non concesserit ad petuntandas Uxores, potissimùm Religionis injuriâ, sed ob propagandum Dei Populum.

97 OBJIC. III. Filii Jacob, ne Dinam Sororem suam concederent in Uxorem Principi Sichem, cultus disparitatem tanquam Conjugii impedimentum adduxerunt Gen. 34. vers. 14. *Non possumus facere, quod petitis, nec dare Sororem nostram homini incircumciso; quod illicitum, & nefarium est apud nos.* Sed cultus disparitas vim eandem habet in omni Lege: ubique enim involvit intrinsecam Religionis diversitatem; ergo semper dicit impedimentum Jure Divino.

RESP. Filii Jacob dolose, ut contextus manifestum facit, Principi Sichem locuti sunt; meditabantur namque vindictam de illata Sorori injuria. Unde non inde colligi valet, disparitatem cultus fuisse dirimens impedimentum. Fuisset quidem illicitum, sed non invalidum tale Conjugium; propterea illud dixerunt illicitum, & nefarium apud ipsos.

98 OBJIC. IV. Extrema, quæ contradictorie, & privative opponuntur, nequeunt uniri inter se: sed conditio Fidelis, & Infidelis contradictorie, immo privative, adversantur; ergo. Minor evincitur ex Apostolo 2. ad Corinth. 6., ubi præscribens non esse ducendum jugum cum Infidelibus, subdit hujus rei rationem: *Quæ societas lucis ad tenebras* &c. Porro tenebræ contradictorie, & privative opponuntur; ergo.

Conjugium cum Infidelibus licitum.

RESP. Apostolus, stante periculo perversionis, prohibet Conjugium cum Infidelibus ut illicitum; sed non irritat. Immo illud permittit, ubi nil tale timetur. Revera Fides, & Infidelitas ita inter se adversantur, ut nequaquam in unum convenire possint; secus persona Fidelis cum Infideli. Equidem dispar hæc conditio quandoque periculum importat deficiendi a Fide; verùm tunc

temporis non licet sive contrahere Matrimonium, seu cohabitare.

99 OBJIC. V. Sicut quod ex natura rei Conjugio repugnat, illud eodem Jure dirimit: ita Jure Divino dirimit, quod eodem Jure repugnat; sed ratio Sacramenti, quæ est intrinseca in statu elevationis, Jure Divino in Conjugio Fidelis cum Infideli repugnat, ob incapacitatem suscipiendi Sacramenta in Infideli; ergo Divino Jure dirimitur.

RESP. Sacramenti ratio superaddita est naturæ Conjugii, ut intelligitur in officium naturæ; quapropter Fidelem inter, & Infidelem subsistere valet, etsi Sacramenti perfectione careat. Unde instantia solummodo evincit, disparitatem cultus repugnare Divino Jure cum natura Sacramenti; secus cum natura Conjugii. Ratio autem Sacramenti est separabilis a natura Conjugii, ubi in subjecto contrahente deest regenerationis lavacrum. Vid. *Disp. I. Contr. V. num. 8.*

Ratio Sacramenti separabilis a Conjugio.

100 OBJIC. VI. Quod directe repugnat essentiali obligationi conjugalis vinculi, illud ex natura rei, & ex Jure Divino dirimit: sed cultus disparitas essentiali obligationi educandi filios ad Dei cultum repugnat; ergo.

RESP. Neutiquam datur in Conjugio Fidelis cum Infideli essentialis, & absoluta repugnantia filios instituendi in obsequium Dei; & licèt quandoque major interveniat difficultas, non tamen absolute repugnat, potissimùm si Fidelis Conjux sollicite muneri suo incumbat; cum aliàs Gentiles temporalibus inhiantes, Conjugis, filiorumque Religioni parùm studeant.

Filii instituendi in Dei obsequium.

101 OBJIC. VII. Juxta Augustini placitum, disciplina, cujus initium in Conciliis, & Patribus, non est invenire, a Christo, aut ab Apostolis, est repetenda. Prohibitio modò irritans Conjugium Fidelis cum Infideli non habet ab Ecclesiasticis monumentis exordium; nullus namque Canon afferri valet. Aliàs sub primordiis nascentis Ecclesiæ prædicta invaluerat disciplina. Siquidem Seculo V. leges Imperiales irrita, ac nulla, prædicta Conjugia declarant, ut legere est Lib. 3. *Codicis Theodosiani tit. 14. de Nuptiis Gentilium leg. 1.*, & Lib. 9. *ejusdem Codicis tit. 4. l. 5.* Medio Seculo III. Cyprianus talia execratur Conjugia. Et Seculo II. ea diris devovet Tertullianus. Demum Apostolus prima Christianæ Religionis ætate præscribit, tantummodo Christiano nubendum. Itaque Lex irritativa revocanda est in Jus Divinum a Christo institutum, atque declaratum.

RESP. Irritatio Conjugii, quæ Fidelem inter, & Infidelem impræsentiarum viget, in legitimam Ecclesiæ consuetudinem revocanda est; nullus namque Canon assignari potest, quo positive ab Ecclesia tale Conjugium irritetur. Et quamvis plures in medium afferantur 28. q. 1., vim tamen irritativam non involvunt; æqualiter enim sermonem habent de Infidelibus, & Hæreticis, cum quibus dubio-procul valide Nuptiæ celebrantur.

Irritatio Conjugii inter Fideles, & Infideles ex Ecclesiæ consuetudine.

Adscribunt alii Concilio Toletano IV. Can. 62., ubi decernitur -- Ut nisi ad Fidem „ Judæus accesserit, separetur ab Uxore -- Idemque reperitur in Concilio Aurelianensi II. A Can. 18. Attamen laudata Concilia de solis Judæis præ ceteris pervicacioribus agunt: atque in determinatis Provinciis; proindeque non valent universalem Ecclesiæ legem statuere.

Basilius *cap. 47. num. 5.* indubie affirmat, Legem hanc irritativam conditam in Nicæno I. Can. 67., ubi præscribit, Mulierem Fidelem Viro Infideli nuptam agere debere pœnitentiam, Virumque dimittere, ut superiùs *num.* 88. innuimus; qui Canon intelligi nequit de sola separatione thori; per talem namque sejunctionem non relinquitur Vir, ut Canon præcipit, cum adhuc vin- B culum perseveret; propterea leges civiles mox citatæ pro adulteris utuntur similibus frasibus.

Verùm incerto innititur fundamento Basilius. Etenim communiùs omnii Canones 20. conditos volunt in Nicæno Erudiri, & Canones 80., quos ex Arabico idiomate latinitati donavit Franciscus Turrianus, ab omnibus non adoptantur. Ceterum separationem illam non possumus intelligere quoad vinculi dissolutionem; cum post Nicænum habeamus laudata Connubia inter Fideles Mulieres, Virosque Ethnicos, & S. Hieronymus *lib. 1. adversus Jovinianum* frequentia C dicit, & S. Augustinus *lib. 9. Confessionum cap. 9.* refert absque nota nuptam Matrem suam cum Patricio Viro Ethnico. Et licèt ab uno, aliove ignorari potuissent Nicæni Canones, abs re utique foret asserere, hujusmodi ignorantiam consedisse in tot, tantisque Viris, Mulieribusque de Christiana Religione maxime sollicitis. Arbitrarium quoque est, affirmare habitam ab Episcopis dispensationem, hocque latuisse Augustinum aliàs Episcopali dignitate insignitum.

Canones Nicæni non sunt viginti.

Quantùm ad civiles leges dicimus, nec statim invaluisse, nec ab omnibus susceptas. Nam, Augustino teste, in Africa, quamvis D tunc temporis Romano Imperio subjectâ, talia Connubia frequentabantur, & Clotildis Christiana Clodovæo Infideli nupta fuit. Tertullianus, & Cyprianus meritò Conjugia Fidelium cum Infidelibus reprobant, utpote inita absque causa, & urgente perversionis periculo: quo casu dubio-procul illicita sunt; nusquam tamen præcitati dicunt, fore dirimenda. Pauli sensa jam supra dedimus *num.* 98.

Circa Seculum XII. consuetudo irritans dicta Conjugia ubique invaluit, accedente pleno Doctorum consensu, præeunte Magistro Sententiarum *lib. 4. dist. 39.* Æquo fere modo se habuit disciplina cum Catechumenis. Ab initio namque non erant irrita E Conjugia Fidelium cum ipsis, immo licita censebantur; cum plerique etiam plurimi in provectam ætatem Baptismi susceptionem differrent. Non est autem credibile, Ecclesiam vetasse Nuptias Baptizatorum cum illis. Nunc autem irrita prorsus sunt, quamvis Catechumeni in voto sint de Ecclesia.

Seculo XII. irritat onjugia Fidelium cum Infidelibus.

Conjugium cum Catechumenis.

CON-

CONTROVERSIA VII.

AN CONJUGIUM CATHOLICI CUM HÆRETICA IRRITUM SIT JURE ECCLESIASTCO.

102 COmmunis Sententia est, Conjugium Catholici cum Hæretica non esse irritum, nec Jure naturali, nec Jure Divino. Et hoc ex præcedentibus abunde compertum est. Non enim major repugnantia invenitur in Conjugio Catholici cum Hæretica, quàm Fidelis cum Infideli: sed hujusmodi Conjugium ex dictis nec naturali, nec Divino Jure irritum censetur; ergo. Difficultas esse posset quoad Jus Ecclesiasticum. Quoniam verò ex Ecclesiasticis monumentis promi nequit specialis textus urgens potius adversùs Hæreticos, quàm adversùs Infideles; hinc satis eruitur, neque Ecclesiastico Jure fore irritum tale Conjugium. Hæc sane vera sunt. Congruit tamen rem clariùs, & specialiùs edissere. Itaque

DICENDUM, Conjugium Catholici cum Hæretica nequaquam irritum fore Jure Ecclesiastico.

Conjugium ratum est legitimum.

103 PROB. I. Conjugium ratum indubie legitimum est: sed ex Cap. *Quanto, de Divortiis* Conjugium initum Catholicum inter, & Hæreticam, utpote inter baptizatos, ratum habetur; ergo est legitimum. Hinc Cap. *Decrevit, de Hæret.* in 6. Mulier nubens cum Hæretico privatur dote, sed non separatur a Viro.

Inter Hæreticum, & Catholicum non est disparitas cultus, quæ sit impedimentum.

104 PROB. II. Impedimentum dirimens, quod Ecclesia statuit, est disparitas cultus, quæ Religionis diversitatem profitetur; sed inter Catholicum, & Hæreticam non datur hujusmodi disparitas cultus: nam Hæreticus ratione Baptismi eandem professus est Religionem, quam Catholicus, ad eamque observandam adstringitur, quamvis actu pluribus adversetur; ergo Hæresis non dirimit Matrimonium, non enim cultus, sed Fidei disparitatem importat.

Per Baptismum homo capax sacramentorum.

105 PROB. III. Ecclesia approbat Hæreticorum Baptisma, atque ab ipsis regeneratos tanquam filios agnoscit: sed per Baptisma homo efficitur capax Sacramentorum Ecclesiæ; ergo ob cultus disparitatem non efficit Ecclesia Hæreticos incapaces Conjugii, inter quos Conjugium ad rationem Sacramenti elevatur, si secundùm Christi institutionem celebretur.

Hæresis non solvit Conjugium.

106 PROB. IV. Si ex duobus Fidelibus, qui contraxerunt, alter fiat Hæreticus, aut si ex duobus Hæreticis alter convertatur ad Fidem, non dissolvitur Conjugium: sed disparitas cultus in Infidelitate consistens tribuit capacitatem dissolvendi Conjugium, si uni ex Conjugibus superveniat mutatio Religiosi cultus per susceptionem Catholicæ Fidei; ergo non eadem urget ratio in disparitate cultus inter Fidelem & Infidelem, ac inter Catholicum & Hæreticum.

107 PROB. V. Ecclesia constituendo disparitatem cultus, tanquam dirimens impedimentum, præcavere intendit incommoda, atque inconvenientia tum Conjugii in officium naturæ, tum in esse Sacramenti; sed si Ecclesiæ Sanctione Hæresis solveret Conjugium, gravia insurgerent inconvenientia: cum Hæresis facilè obtegatur, & occulte serpat, etiam in Provinciis Catholicorum, unde contingeret, ut post multum temporis, detecta Hæresi, Conjuges deberent sejungi cum magno damno prolis; ergo.

Ecclesia intendit præcavere damna Fidelium.

ADVERSANTIUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

108 OBJIC. I. Decreta Concilii Generalis ad totam Ecclesiam extenduntur: atqui Synodus VI. Generalis Can. 72. Nuptias Catholici cum Hæretica irritas declarat -- Non licere, Orthodoxum cum Hæ„ retica conjungi, nec Orthodoxam cum „ Hæretico. sed & si quid hujusmodi appa„ ruerit, irritas Nuptias existimari, & nefa„ rium Conjugium dissolvi -- ergo Ecclesiastico Jure irritum est Conjugium cum Hæretico.

RESP. Præcitatus Canon perperàm Synodo VI. adscribitur; est enim unus ex Trullanis, qui nec universaliter a Romanis Pontificibus approbati, nec universaliter ab Ecclesia adoptati fuere; ideo non urget. Hinc allucinatur Gratianus dist. 17. Cap. *Sexta Synodus* affirmans ab Adriano Papa Canonem illum conditum, cum fit Tharasii; siquidem laudatus Pontifex *in Epist. ad Tharasium Patriarcham CP.* tantummodo, quæ ad imagines spectant, approbavit. Covaruvias dicit, Canonem illum loqui de Catechumenis apostatis a Fide, qui Hæretici, licèt improprie, nuncupantur, ob Fidem, quam deseruerunt, & ob quam in voto constituebantur de Ecclesia.

Trullani Canones non sunt a VI. Synodo.

109 OBJIC. II. Eodem plane modo Cap. *Non oportet*, & Cap. *Cave* 28. *q.* 1. Conjugia Fidelium cum Infidelibus, ac cum Hæreticis prohibentur: sed inita cum Infidelibus prohibentur ad irritationem; ergo etiam cum Hæreticis. Et quidem momenta, quæ Cap. *Cave* referuntur, utrinque urgent, videlicet, quia ambo Conjuges debent esse consecrati, ambo ad orandum nocte surgere &c.

RESP. Laudati Canones non irritant, sed prohibent prædicta Connubia. Alibi quidem ea irritat Ecclesia, si cum Gentilibus celebrentur, inductâ scilicet consuetudine; hæc verò consuetudo non invaluit quoad Hæreticos. Prima autem ratio a Canone relata Gentiles solummodo afficit; cum Hæretici per Baptismum Deo sint consecrati. Ratio verò altera ad accidentalia spectat. Basilius non renuit admittere, præcitatos Canones irritare Conjugia, sed vult eos conditos ex dispositione quorundam Episcoporum pro sua Diœcesi, cum tunc temporis constituere possent impedimenta dirimentia; adeoque pro universali Ecclesia non deservire, immo impræsentiarum per contrariam consuetudinem fore abrogata.

Non eadem ratio quoad Gentiles, & Hæreticos.

110 OBJIC. III. Non agnoſcit Eccleſia tanquam validum Conjugium, quod primario bono, conjugali ſcilicet fide, carere ſupponit; ſed Eccleſia cit. Cap. *Cave* ſupponit, Conjugium cum Hæretico carere conjugali fide, cum eam referat rationem: *Prima Conjugii fides, caſtitatis gratia eſt*, quæ gratia in dicto Conjogio non adinvenitur; ergo.

RESP. Momentum illud, quod a Canone refertur, congruentiæ eſt, ut inde colligatur, probibita fore prædicta Connubia. Colligi tamen nequit, eſſe irrita; alàs irrita dicenda eſſent Gentilium Conjugia, ficut & Hæreticorum inter ſe celebrata; cum hæc careant gratiâ caſtitatis, quam Nuptiæ ut Sacramentum producunt. Ceterum fides conjogalis invenitur, etiam ſecluſa ratione Sacramenti a nuptiali contractu, ficut fuit tum in lege naturæ, tum in lege ſcriptà; & hoc ſufficit ad ejuſdem eſſentiam.

111 OBJIC. IV. Si Conjugium Catholici cum Hæretica irritum non haberetur, haud opus eſſet diſpenſationem petere a Romano Pontifice: ſed praxis abunde innuit hujuſmodi diſpenſationem neceſſariam; ergo. Gregorius XIII. duabus Mulieribus Superioris Rhætiæ indulſit, ut duobus Hæreticis copularentur. Clemens VIII. cum Barienſi Duce diſpenſavit, ut Hæreticam duceret Catharinam Henrici IV. Francorum Regis Sororem. Urbanus VIII. copiam fecit Henricæ, ſeu Henriettæ Lodovici XIII. Sorori, ut cum Carolo Anglorum Rege Hæretico contraheret.

Diſpenſatio pro lege irritante, & prohibente.

RESP. Diſpenſatio non intercedit ſolummodo, ſtante lege irritante, ſed etiam ſtante lege prohibente, ut videre eſt in diſpenſatione legis jejunii. Porro mox videbimus *ſeq. Contr.* probibita eſſe hujuſmodi Conjugia; adeoque ut licite fiant, accedat oportet Romani Pontificis diſpenſatio.

Quoad diſpenſationes in Argumento narratas. Sunt, qui negant diſpenſationem Gregorii; cum hac ſuper re publicum non habeatur monumentum. Clemens VIII. utique diſpenſavit cum Duce Barienſi, ut Catharinam duceret, ſed quadam adductus neceſſitate; jam enim mutua interceſſerat cohabitatio. Aliàs conceſſa fuit diſpenſatio, eâ conditione, ut Catharina inſtrueretur in Catholica Religione, & proles, ſi quæ haberetur, Fidem profiteretur Orthodoxam. Urbanus VIII. meliora ſperavit pro Catholicis, facta diſpenſatione, quamvis ſpem fefellerit eventus. Ceterum, ut ſupra diximus, diſpenſatio non ſemper connotat legem irritantem, ſed quandoque legem tantùm prohibentem præſupponit.

112 OBJIC. V. Non minùs univerſalis, & antiqua eſt conſuetudo reprobans Conjugia Fidelium cum Gentilibus, quàm illa non contrahendi cum Hæreticis: ſed ex prima colligitur impedimentum dirimens; ergo etiam ex ſecunda, cum utraque innitatur periculo perverſionis, pravæ filiorum inſtitutionis, rixarum, odiorumque inter Conjugatos.

RESP. Equidem utraque conſuetudo ex antiquitate, & univerſalitate, laudatur; ſed utraque eâdem intentione non fuit inducta. Prima, conſentientibus Pontifice, & Epiſcopis, adoptata fuit ex intentione nullitatis; ſecus altera. Porro conſuetudo leges inducens, ex intentione dignoſcitur; & hanc ex conſenſu Doctorum, ex intelligentia, & praxi Eccleſiæ compertam habemus.

CONTROVERSIA VIII.

AN ILLICITUM SIT CONJUGIUM CATHOLICI CUM HÆRETICA.

CONjugium Catholici cum Hæretica taliter poteſt eſſe illicitum, ut nuſquam a malitia expoliari valeat, vel ita malum, ut immune poſſit evadere a culpa.

DICENDUM ergo I., Conjugium Catholici cum Hæretica ſecundùm ſe illicitum fore.

113 PROB. I. Argumenta, quæ probare contendunt, irrita eſſe hujuſmodi Conjugia, ſatis evincunt eſſe illicita; ergo.

114 PROB. II. Plerumque practice periculum adeſt, ne præ auctoritate Viri ſupra Mulierem, ſi ipſe Hæreſis labe ſit coinquinatus, ad Hæreſim incauta pertrahatur, & ne Mulier Hæretica ſuis decipiat blanditiis Virum Fidelem; ergo.

Conjugium cum Hæretico ſecundum ſe illicitum.

115 PROB. III. Proli ſemper male conſultum eſt, pacto etiam appoſitu, ut Catholice inſtruatur: cum enim uterque Conjux jus habeat in filium, uterque in ſuas partes ipſum inclinare ſtudebit, ceterum cum ad malum prona ſit hominis inclinatio, facili negotio ad deteriora convertetur. Quod ſi contingat Catholicum immaturo fato occumbere, Proles indubie ſuperſtitum Parentum dogmata adoptabit.

116 PROB. IV. In celebratione Conjugii Catholicus eſt in cauſa, vel quod Pars altera indigne ſuſcipiat Sacramentum, vel ne Sacramentum habeatur, utrunque autem ſacrilegum eſt; ergo Conjugium Catholici cum Hæretica ſecundùm ſe eſt illicitum.

Ex cauſa potest eſſe licitum.

DICENDUM II., Conjugium Catholici cum Hæretica ex cauſa licitum eſſe poſſe.

117 PROB. I. Quia ut in ſuperioribus vidimus, a Pontificibus diſpenſatum fuit, ut Nuptiæ celebrarentur Catholicos inter, & Hæreticas. Hæc diſpenſatio indubie neceſſaria eſt; quod enim a Lege eſt vetitum, non licet, niſi Legislator diſpenſet. Porro cauſa diſpenſandi eſſe debet, vel commune Reipublicæ bonum, vel grave commodum Perſonarum, aut Familiarum, ut contingit in diſpenſatione Cognationis.

118 PROB. II. In illis Provinciis, in quibus inſimul habitant Catholici cum Hæreticis, ut in Germania, Polonia &c. unamque Rempublicam faciunt, conſuetudine introducta, atque a Pontificibus tolerata, ad pacem tuendam, ſovendamque maritali fœdere adunari poſſunt; ergo.

119 PROB. III. Quæ illicita ſunt ſecundùm ſe, appoſitis circumſtantiis, licita quandoque poſſunt evadere. Sunt autem qui-

dam

dam ex Hæreticis, qui nullam Catholicis afferunt moleſtiam, immo ſtudent, ut quilibet de familia, Religionis, quam profitetur, ſervet dogmata, atque præcepta.

120 PROB. IV. Concilium Laodicenum Can. 10. præcipit — Quod non oporteat, indifferenter Eccleſiaſticos fœdere Nuptiarum Hæreticis ſuos filios, filiaſque conjungere — & Concilium Carthag. III. Can. 12. — Item placuit, ut filius, & filia Epiſcoporum, vel quorumlibet Clericorum, Gentibus, vel Hæreticis, aut Schiſmaticis, Matrimonio non jungantur — ex quibus colligi videtur, aliis a Clericorum filiis id licere.

OPPOSITA ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

121 OBJIC. I. Conjugia Fidelium cum Hæreticis, aut Infidelibus, malo utique fato, inita fuere, ut compertum eſt in Achab, qui Jezabelem, & in Joram, & Ochozia 4. *Reg.* 8., qui filias Achab duxerunt, & in pluribus Matronis, quas acri eloquentia objurgat S. Hieronymus *lib.* 1. *adverſus Jovinianum*; ergo ſemper illicita cenſenda ſunt hujuſmodi Conjugia.

RESP. Si quæ Conjugia referri poſſunt, quæ, ut ait S. Hieronymus laudato loco, templa Chriſti Idolis proſtituerunt, fuiſſe & alia, quibus benedixit Dominus, ut de Conjugiis Jacob, Cæciliæ, Monicæ, aliorumque, nos Sacra, & Eccleſiaſtica docent monumenta. Non debent igitur univerſaliter execrari; ſicut perperàm Catholicorum Connubia reprobarentur, ex quo ſæpenumero rixæ, diſſidia emergant. Equidem ſi periculum perverſionis occurrat, a Nuptiis abſtinendum eſt; cum iiſdem adaptari poſſit, quod dicit Apoſtolus: *Nolite Jugum ducere cum Infidelibus; quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?* &c.

Conjugia cum Hæreticis ſæpe bona.

122 OBJIC. II. Catholicus nubens cum Hæretica exponitur periculo nullitatis Conjugii: cum Hæreticus ſentiat, Conjugium eſſe diſſolubile per repudium, ſi alter Conjugum adulter deprehendatur; ſed hoc eſt malum ab intrinſeco; ergo nuſquam licitum erit Conjugium cum Hæretica.

RESP. Peculiaris error Sectæ hæreticæ Conjugii veritatem non impedit. Utique de ratione Connubii eſt perpetua vitæ ſocietas; & hanc intendere debent contrahentes; quod tunc verificatur, cum quis intendit contrahere juxta naturam ipſius contractus, vel juxta Eccleſiæ mentem. Hæretici porro hac non carent intentione; cum intendant facere, quod Chriſtus inſtituit; neque intentionem iſtam deſtruit erronea opinio, qua quis credit, Conjugium fore diſſolubile.

Peculiaris error non deſtruit rei veritatem.

123 OBJIC. III. Catholicus contrahens cum Hæretica communicat cum ea, quam Eccleſia diris devovit: hoc dubio-procul eſt illicitum; ergo hujuſmodi Conjugium ſemper involvit peccatum.

RESP. Communicare cum excommunicato tolerato, & cum cauſa, culpâ caret. Cumque vitandi ſint excommunicati nominatim denunciati, cum Hæreticis non interdicitur conſuetudo; plerumque enim non ſunt nominatim execrati; & aliàs neceſſitas, & utilitas ſæpe occurrunt, quæ contrahentes a crimine liberant. Itaque nec ipſi, nec Parochus aſſiſtens, peccant, ex quo conſuetudinem habeant cum Excommunicato.

Hæretici non ſemper vitandi.

124 OBJIC. IV. In celebratione Conjugii Catholici cum Hæretica nullimode adhiberi poſſunt Velationes: ſed hoc ipſo peccat Catholicus graviſſimam Eccleſiæ legem violans; ergo.

RESP. Velationes, ſeu benedictiones, ad Conjugii valorem non ſpectant; unde in ſecundis Nuptiis non adhibentur. Pertinent quidam ad ſolemnitatem; ſed abſque noxa, urgente neceſſitate, poſſunt prætermitti. Cauſa porro, quæ licitum facit Conjugium Catholicum inter, & Hæreticam, eadem eſt, per quam omitti poſſunt benedictiones, & Miſſæ Sacrificium, quod coram Hæretico peragi nequit. Ubi Tridentinum viget, ad valorem Conjugii, Parochi, & Teſtium præſentia neceſſariò requiritur.

Benedictiones extra Conjugii eſſentiam.

125 OBJIC. V. In quocunque caſu Catholicus cum Hæretica contrahens Sacramentum miniſtrat Hæretico, atque indignæ alterius ſuſceptioni cooperatur; ſed hoc dubio-procul ſacrilegum eſt: cum dicatur Matth. 7. verſ. 6. *Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos*; ergo nuſquam talis contractus immunis erit a culpa.

RESP. Nullimode cooperatur peccato Catholicus contrahens juxta ſenſum noſtræ Concluſionis. Etenim Pars hæretica Conjugium rite, ſanctèque, celebrare poteſt; quod ſi aliter contingat, malo ſuo vertitur. Si intendat facere, quod fecit Chriſtus, vel gerit Eccleſia, Conjugium illud erit Sacramentum; ſecus ſi hac careat intentione; quo caſu nec erit Sacramentum ex Parte Catholici, cum huic Sacramento eſſentiale ſit, ut ex duobus coaleſcat, cum mutuum contractum involvat. Itaque honeſtas cauſæ contrahendi excuſat a peccato Sacrilegii, ſive quoad indignam alterius Partis ſuſceptionem, ſive quoad nullitatem Sacramenti. Quoniam verò in hujuſmodi Conjugiis quædam apponuntur conditiones, ut ſerventur, juramento firmandæ ſunt; ſolemni quippe eſt, atque ſacrum, etiam apud Hæreticos, juramentum. Ceterum ea conditio, tanquam illicita, amandanda eſt, qua paciſcitur, ut filii a Patre, filiæ a Matre initiantur; cum Parentibus indiſcriminatim filiorum cura incumbat. Catholicus nervis omnibus contendere debet, ut filii impubertatis tempore Catholica dogmata amplectantur; quod ſi pubertatem nacti pervertantur, eorum malitiæ adſcribatur.

Catholicus abſque culpa contrahere poteſt cù Hæretica.

§ § §
§ §
§

SYNOPSIS

DE IMPOTENTIÆ IMPEDIMENTO.

126 IMpotentia, de qua in præsenti, est impedimentum tollens potestatem consummandi Conjugium, seu per quam impeditur actualis usus, & cohabitatio thori. Est multiplex causa, ea qua provenit; & multiplicem constituit speciem. Impotentia alia antecedit Conjugii contractum, alia subsequitur: alia perpetua, ad tempus altera: alia naturalis, & intrinseca, alia accidentalis, & ab extrinseco: alia absoluta, alia respectiva: alia ex defectu ætatis, alia ex defectu caloris, alia ex membrorum defectu; alia ex partium coarctatione; alia ex senectute; alia a Dæmone per maleficium. De singulis brevi calamo agemus.

Impotentia multiplex.

127 Impotentia absoluta ea dicitur, quæ est in masculo ad omnes fœminas; & ea adverso. Perpetua dicitur, quæ nulla arte, absque miraculo, vel absque peccato, vel absque vitæ periculo, auferibilis est; & ad hanc revocatur ea, per quam in totum, vel in partem, nequit semen intra vas naturale immitti, ex quo effusio seminis coitum anteverit.

Hæc impotentia absoluta naturalis perpetua, Jure naturæ subsequens dirimit Matrimonium. Nam Jure naturæ transferre nemo potest dominium rei, quam non habet: de valore autem Conjugii necessaria est translatio dominii corporis cum potentia ad generationem; unde cum hæc in nostro casu non detur, Jure naturæ Conjugium dirimit. Et quidem dirimit Jure Ecclesiastico Cap. *Fraternitatis*, & aliis *De frigidis, & maleficiatis*, Cap. 1., & seqq., dist. 33. q. 1. Hæc certa sunt apud omnes, si impotentia ignoretur.

Impotentia absoluta naturalis perpetua.

Si verò ab altera Contrahentium Parte fuerit cognita, non una est apud omnes Sententia. In eam tamen confluunt Doctores, posse in se hujusmodi Personas quoddam societatis vinculum inire, quo simul habitantes ad mutua sese obsequia obligent, ex. gr. ut Fœmina Viro inserviat, & Vir Fœminæ alimenta præstet, dummodo nullum subsit incontinentiæ periculum; sicut post contractum Conjugium, si dignoscatur impotentia, & nolint Contrahentes separari, sed socialiter cohabitare tamquam Frater, & Soror, id ultro conceditur Cap. *Consultationi*, *De Frigidis, & maleficiatis*.

128 Impotentia temporalis ea est, quæ arte, & absque miraculo, peccato, & mortis periculo, potest auferri. Hæc sive sit cognita, sive ignorata, nequaquam subsequens dirimit Conjugium. Non Jure Ecclesiastico; nullum siquidem affertur, immo triennium concedit ad perpetuitatis experientiam, atque dissolutum jubet restaurari, si postea constet, impotentiam non fuisse perpetuam. Neque Jure naturæ dirimit; cum non sit absolute impossibile quod temporarium est; & aliàs finis simpliciter sit possibilis. Peccat tamen graviter impotentiam sciens perpetuam, vel temporalem, saltem prudentialiter creditam tempore longo duraturam, & nihilominus contrahens. Ubi verò datur potentia ad usum thori cum sterilitate, vel a natura, vel a senectute, vel a medicina, non irritatur Conjugium, nisi in pactum deducatur; quia per accidens impeditur generatio ea defectu particulari, & personali efficacitatis virtutis, & non ex ipsa specifica virtutis natura.

Impotentia temporalis.

129 Impotentia passiva illa sic vocatur, quæ est ex parte Mulieris. Dicitur perpetua, quæ arte humana, sine miraculo, vel peccato, aut periculo vitæ, non est auferibilis. Dirimit hæc Conjugium, Jure naturæ, & Ecclesiastico, si antecedat; nec revalidatur, si fortè miraculo, vel peccato, aut periculo vitæ, tollatur, sed novum oportet contractum celebrare.

Impotentia passiva.

Jam uxorata, si sit impotens, & apta possit fieri medicamentis, vel incisionibus, tenetur illa adhibere, etiam cum gravi dolore, molestia, & morbo, ad præcavendum in Viro incontinentiæ periculum; nisi Vir ipse remittat, nisi læsio gravissima, vel morbus gravissimus, aut læsio diuturna, sint subeunda, non enim cum tanto tenetur incommodo. Cum minoribus incommodis concedit Ecclesia divortium.

Si Medici dubii sint, an absque dispendio vitæ possint medicamenta applicari, nisi experientia oppositum probet, impotentia judicanda est perpetua. Si verò Medici arbitrentur, non esse medicamentis curabilem absque periculo vitæ, & experimento constet falsum esse, & sine magno discrimine Mulier evaderet habilis, Vir ei restituendus est, etiam post transitum ad alias Nuptias. Si talis Uxor velit habitum suscipere Religiosum, & profiteri, non tenetur medicamenta adhibere.

130 Impotentia respectiva, tam activa, quàm passiva, ea est, quæ relate ad omnes non est, sed ad has determinate Personas. Hæc si perpetua sit, & humano insuperabilis artificio, modo explicato, Conjugium dirimit, Cap. *Fraternitatis* cit. Quia hic contractus inter certas singulares Personas essentialiter celebratur, nec potentiam respicit, & aptitudinem in genere, sed in particulari, & ad particularem Personam refertur. Nec nobis adversatur S. Thomas *in Suppl. quæst.* 58. *art.* 1. *ad* 1., ibi enim loquitur de impotentia frigiditatis, quæ est universalis, non autem de impotentia improportionis.

Impotentia respectiva.

Si verò Vir potens sit cum corrupta, secus cum Virgine, Matrimonium absque dubio est licitum. Et potest tunc Fœmina licitum adhibere medicamentum; non tamen tenetur, & multò minùs cum gravi incommodo, quia ex parte sua nulla occurrit personalis ratio, sed sola universalis conditio a natura constituta. Vir quidem, in quo adest personalis defectus, tenetur ad medicamenta adhibenda, modo licito, & absque vitæ dispendio.

Si Vir ob hujus Personæ deformitatem, repugnantiam, abominationem, ad hanc nequeat excitari, bene verò ad alias, inutiliter præmissâ experientiâ triennali, qua Virum tenetur Mulier allicere, sive blanditiis, sive orna-

ornamentis, perpetua respectiva impotentia judicatur.

131 Impotentia ætatis in puero, est tempus impubertatis. Solvit hæc Conjugium, Jure saltem Ecclesiastico, etiam post usum copulationis, Cap. *Attestationes*, Cap. *Ex litteris*, *De desponſ. impub.*, Cap. *Continebatur* ibidem. Non solvit tamen, si malitia suppleat ætatem, scilicet, si experimento constet, potentem esse, & vim, naturamque cognoscere conjugalis contractus, Cap. *De illis* 2., Cap. *Puberes*, Cap. ultimo *De desponſ. impub.* Quia tamen in Foro externo præsumptio stat pro impotentia, volentes contrahere tenentur probare. Post pubertatem valet contractus. Quod si detur impotentia ad usum, expectandum est usque ad decimum octavum in masculis, & usque ad decimum quartum in fœminis, quo tempore completur, & perficitur pubertas; fieri enim potest, quod ex debilitate ætatis proveniat defectus.

Impotentia ex ætate.

Senes quicumque, etiam decrepiti, valide nubunt, dummodo potentes sint ad consummandum cum emissione virtutis, quamvis inefficacis ad procreationem.

Moribundus etiam valide contrahit; præsumitur enim impotentia solùm actualis pro eo statu, non autem habitualis, nisi certò probetur; & Ecclesia quandoque obligat illum ad contrahendum, ut honori consulatur, vel ad susceptam legitimandam prolem.

Eunuchi perfecti ob carentiam utriusque testiculi, vel ob contusionem (secus imperfecti ob unius tantùm privationem) invalide contrahunt Jure naturæ; quia vera, & specifica procreativa virtute carent, nec nisi aqueos alterius speciei humores concoquere possunt. Hác de re non amplius dubitari valet post Constitutionem Sixti V. an. 1587 editam, quæ incipit: *Frequenter in istis Regionibus*; qui etiam Pontifex motu suo jussit, Eunuchos a Mulieribus separari, quoniam incontinenter vivebant.

132 Impotentia a Dæmone proveniens contrahitur per maleficium, usum reddens impossibilem inter has duas Personas. Signum ejus communius est, si Vir, sic de Muliere, erga alias dotibus æqualibus, vel minoribus etiam, ornatas excitatur, & non erga suam, quam sponte, & lubenter desponsavit: si ei absque moventis causæ cognitione aversatur: si ei quasi Dæmon, vel facie horrenda &c. videtur. Quibus mediis hoc peragat Dæmon, nostrum non est inquirere, sat est impræsentiarum, experientiâ certâ, hujusmodi dari maleficia.

Impotentia a Dæmone.

Hæc impotentia esse potest perpetua, vel temporaria. Perpetua est, si humanis artificiis, orationibus, exorcismis, aliisque ab Ecclesia mediis ad fugandos Dæmones constitutis, nequeat maleficium amoveri. Si sine miraculo, aut peccato non est maleficium solubile, triennalis præmittenda est experientia ad hoc probandum. Si verò licitis mediis solubile est, dicitur impotentia temporaria. Perpetua dirimit Matrimonium, Cap. *Finali*, *De frigidis*, *& maleficiatis*; secus altera.

Maleficium haud licet solvere maleficio. Neque etiam licet a parato maleficio illius postulare solutionem, quamvis mutuum petere liceat a parato dare cum usura, & juramentum petere a parato jurare per falsos Deos, quia illud primum omnino est ab intrinseco malum, alia verò duo possunt fieri bene, cum possit ille mutuum dare absque usura, & iste per Deum verum veraciter jurare. Non esset tamen licitum, usuras, aut falsum juramentum, petere; quia sunt ab intrinseco mala. Licet tamen a malefico petere, ut auferat signa, & ligaturas frangat, quibus maleficium alligatum est; quia hoc peccatum non est; immo neque est peccatum, si alius a malefico tollat, si detegere contingat, ut Lessius cum aliis docet. Quidam dicunt, etiam licere maleficum adire, qui potest licite maleficium solvere, quamvis peteuti compertum sit, quod non nisi illicito medio solvet: quia petit quod recte peragere valet; & probant exemplo potentis legitime jurare, cum postulatur, sed certò prævidetur falsò juraturus. Hujusmodi tamen doctrinæ exactiori indigent discussione: gravia enim continent pericula illaqueandi conscientias. Existimatur impotentia temporaria, si maleficus vivat, & possit, si velit, maleficium auferre, dissolvendo signa; quia licito humano artificio reparabilis est potentia.

133 Impotentia ex quocumque capite Conjugio legitimo superveniens, tam rato, quàm consummato, Conjugium non solvit. Si perpetua sit, non licet Conjugibus conari ad usum thori cum periculo emissionis indebitæ, sive Juvenes sint, sive Senes. Licebunt oscula, aspectus, tactus in partibus honestis, & similia, secluso dicto periculo; cum sint vere Conjugati, poteruntque deservire ad sedandam concupiscentiam, fovendamque benevolentiam.

Impotentia superveniens Conjugio.

Itaque ubi impotentia antecedens est certò perpetua absque probabilitate oppositi, ex quocumque capite orta, tenentur impotentes auctoritate privata a Conjugio resilire, si scandalum non immineat; si verò hoc adsit, Ecclesiæ judicium expectandum est, quæ convenienter providebit. Nec in eo casu licet triennalis experientia; propterea sunt illicita oscula, & similia. Pars potens transire valet ad alias Nuptias. Si dubium sit, impotentiam certò perpetuam antecessisse, vel supervenisse, facta sufficienti diligentia, crederem, sentiendum esse cum iis Doctoribus, qui docent, contra Matrimonium esse judicandum. Quia Matrimonium tunc non potest suum sortiri effectum; & ideo declarandum irritum, ne etiam gravetur Pars potens. Si dubium sit, an impotentia sit perpetua, vel non: an consummatum fuerit, nec ne Matrimonium; præmissâ sufficienti diligentia, & permanente dubio, standum est pro valore Conjugii; cum quisque præsumatur potens, nisi probetur oppositum.

134 In dubio de impotentia perpetua, si in judicio reclament Conjuges, ex Cap. *Laudabilem*, *de frigidis*, *& maleficiatis*, jurare debent, se numquam potuisse consummare. Iidem adhibere tenentur septem propinquos, iis deficientibus, septem vicinos, vel alios Judicis arbitrio, qui absque juramento testentur, id sibi persuasum esse, vel ab ipsis Conjugibus audivisse, numquam potuisse con-

In dubio quid agendum.

congredi. Adhibenda est etiam honestarum Fœminarum inspectio ex parte mulieris, Virorum ex parte masculi, ad probabile saltem efformandum judicium. Basilius hoc negat adhibendum esse remedium; quia inutile, atque indecens. Sufficienti factâ diligentiâ, & perpetuâ cognitâ impotentiâ, eos debet Judex separare, saltem a thoro; quantùm enim ad domesticam societatem possunt tolerari, si secluso periculo, ipsi eligant fraternaliter conversari.

Si verò adhuc perseveret dubium, triennalis eis conceditur experientia per frequentationem conatus, saltem ex majori parte anni, congruis insuper adhibitis remediis. Porro experientia hujusmodi incipit a tempore, quo maritale commercium intentarunt. Pro eo tempore liciti sunt conatus etsi extra vas contingat effusio; quia est præter intentionem. Post hæc, si constet in judicio, inanes fuisse conatus, ex Cap. *Laudabilem* &c. separandi sunt per Judicis Sententiam.

Quid post separationē.

135 Facta separatione, qui potens est, inire valet alias Nuptias; secus Pars altera, nisi impotentia sit respectiva. Facta verò separatione per Sententiam absolutæ, & naturalis impotentiæ, adeoque perpetuæ, si contingat absque miraculo, peccato, & vitæ dispendio, impotentem fieri potentem, debent separati redire, & in pristinum restitui, etiamsi secundas celebraverint Nuptias; quia primum Conjugium fuit validum, secus secundum, ex Cap. *Laudabilem*, ex Cap. *Fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis*. Et tunc iterum concedenda est triennalis experientia; qua præmissa, si contingat secunda separatio, motivo ejusdem impotentiæ, Sententiâ Ecclesiæ, numquam amplius ad Matrimonium sunt restituendi.

Post judicialem separationem ex absoluta impotentia, si Vir impotens Sacros susceperit Ordines, & postea appareat, & constet, non esse impotentem, & Uxor alteri nupserit, ab hoc separanda est; quia nullum iniit Matrimonium. Ordinatus non potest eam repetere, propter votum continentiæ. Ipsa potest Ordinatum repetere; quia Ordo non solvit præcedens Conjugium. Ordinatus, qui debet restitui, petere nequit debitum, sed tantùm debet reddere, propter votum continentiæ; cum & legitime fuerit ordinatus, & legitime votum emiserit. Error namque non fuit finis suscipiendi Ordines: unusquisque enim præsumitur sincero animo inserviendi Deo ascendere ad Sacros Ordines; sed solummodo se habuit error ille per modum removentis prohibens. Hæc satis est tetigisse. Auctores videri possunt apud N. Andream *Tract. XIX. cap. 12. puncto 9., 10., 11., & 12. &c.*

SYNOPSIS

DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

TOmo V. Parte I. de Sacramento Ordinis *Disp. V. Controv. I., & seqq.* fuse adversùs Acatholicos egimus de Clericali continentia; quapropter impræsentiarum brevi calamo referre opus est, quæ spectant ad explicationem impedimenti, quod Ordinis nuncupatur.

Obligatio, & vis Clericalis continentiæ.

136 Primò. Votum, seu Ecclesiæ præceptum, circa laicalem continentiam, illicitum, irritumque facit Conjugium intentatum ab eo, qui Sacris Ordinibus inauguratus est. Secundò. Illicitam reddit cohabitationem thori respectu illius, qui ante susceptos Ordines Uxorem duxerat. Tertiò. Cuicunque actui contra castitatem malitiam superaddit sacrilegii necessariò explicandam in Confessione.

Continentia Clericis sanctissime indicta.

137 Sanctissimis, validissimisque de causis continentiam Ministris suis indixit Ecclesia; qui enim Sacris deputantur Ministeriis, Deo intensiùs vacare tenentur, a quo indubie plurimùm abducit conjugalis societas. Plura alia momenta loco citato invenies.

Obligatio, & vis Clericalis continentiæ est Juris Ecclesiastici.

138 Obligatio Continentiæ Clericalis, ejusque vis irritativa Conjugii, Juris est tantummodo Ecclesiastici, ut legimus in Tridentino *Sess. 24. Can. 9.* — Si quis dixerit, „ Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, „ vel Regulares solemniter professos, posse „ Matrimonium contrahere, contractumque „ validum esse, non obstante Lege Ecclesia„ stica, vel voto, anathema sit — Propterea hac super re varia fuit Ecclesiæ disciplina, ut loco supra citato videre est.

Non immediate ab Ecclesiæ præcepto, sed a voto.

139 Obligatio, & vis irritativa Conjugii non videtur immediate dimanare ab Ecclesiæ præcepto, sed a voto continentiæ, quod in sacra inauguratione emittitur. Canones satis hoc innuunt. Nam *Dist. 28. cap. 1.* habemus — Nullum facere Diaconum præsu„ mant Episcopi, nisi qui se victurum caste „ promiserit — Cap. *Diaconi* eadem dist. — „ Quicunque sane tacuerint, & susceperint „ manus impositionem, professi continen„ tiam &c. — Cap. *Cum olim, De Clericis Conjugatis* — Nos igitur attendentes, quod „ Orientalis Ecclesia votum continentiæ non „ admisit &c. — Cap. unico *De voto, & voti Redemptione* in 6. — Illud solum votum dici „ solemne, quantùm ad post contractum „ Matrimonium dirimendum, quod solem„ nizatum fuerit per susceptionem Sacri Or„ dinis, aut per Professionem &c. — Idem habetur Cap. *A multis, De ætate, & qualitate Ordinandorum*. Itaque obligatio orta ex promissione Ordinandorum, in Ecclesiæ præceptum revocari nequit; cum Canones dicant *nisi qui promiserit, professi continentiam* &c., quibus compertum est, laudatos Canones nomine voti non intelligere Ecclesiæ præceptum; nusquam enim Ecclesiæ præcepta habemus voti nomine nuncupata. Equidem votum Lex aliquoties dicitur; quia revera Lex est, & Lex Ecclesiæ dici potest, quando

ipsa

ipsa præscribat , ut votum emittatur .

Et sane si obligatio continentiæ ex Ecclesiæ mandato immediate haberetur , non foret adeo sollicita , ut Sacris initiandi votum emitterent , ut ex Episcopali Ceremoniali satis apparet ; sed simpliciter abstinendum a Nuptiis præciperet , sicut Canonicarum Horarum pensum absolute præscribit . Aliàs posset Pontifex sine causa , tum aliquos in particulari , tum omnes in communi a tali obligatione dispensare : siquidem qui legem condidit , potest illam pro libito abrogare ; & tamen , non nisi gravissima interveniente causa , contingere potest , ut qui Sacris est deputatus , dispensetur , ut nubat ; quia obligatio voti ad lineam superioris ordinis ascendit , efficiturque strictioris obligationis , adeoque difficilioris dispensationis .

Explicatur .

140 Quamvis votum Lex sit privata , nec non liberi juris , & continentia res ardua , potest nihilominus Ecclesia non quidem absolute , sed ex suppositione Clericos obligare ad illud emittendum ; sicut Jus Civile certas præscribit conditiones ab eo servandas , qui res suas vult v. g. elargiri mortis causa . Itaque Ecclesia Clericum non obligat , ut Sacris Ordinibus inauguretur , volenti tamen se Deo sacrare , votum continentiæ præcipit ; ita namque ad Dei cultum expedire apte decernit . Potuisset utique Ecclesia sine voti vinculo immediate continentiam præscribere ; verùm satiùs credidit votum præcipere , ut majoris libertatis exercitum , meritumque ex parte Ordinandorum elucesceret .

Ad hoc votum explicite emittendum per se tenentur , qui Sacris inaugurantur , ut in aperto est ex Rituali Romano , ubi refertur admonitio ab Episcopo , aut ab ejus Ministro facienda . Censetur autem votum expresse emissum factis , licèt non verbis , ex quo Ordinandus scit talem obligationem annexam Ordini , Ordinesque voluntarie recipit ad illam attendens . Posset etiam per accidens ex solo voto implicito obligari , qui ex invincibili ignorantia votum non emitteret ; tunc enim censetur implicitum emisisse votum , quando ultro gradum aliquem suscipiens vult , & intendit adjuncta onera suscipere . Quod si quis advertens ad obligationem , renueret votum emittere , graviter delinqueret , atque ad vovendum adstringeretur ; & quandiu differret , tandiu peccaret ; sicut contingit in eo , qui differt odium in Fratrem deponere . Si tamen sic Ordinatus castitatem violaret , utique non foret sacrilegii reus . In utroque tamen casu , nempe ignorantiæ invincibilis , aut perversæ voluntatis renuentis vovere , Conjugium irritum esset ; cum Ecclesia intendat absolute inhabiles reddere Ordinatos , sive implicito voto , sive media obligatione illud emittendi .

Ex his facilè occurritur momentis , quibus innititur Pars altera Doctorum propugnantium , obligationem oriri immediate ex Ecclesiæ præcepto .

141 Hinc colligitur I. quod , quando invalida est Sacri Ordinis susceptio , non tenet obligatio voti castitatis , neque in ratione voti simplicis ; quia Clericale votum est simpliciter accessorium . Secus accidit in Religiosa Professione , quæ si invalida sit , votum subsistit in ratione voti simplicis , siquidem votum castitatis non consideratur ut accessorium Professioni , sed ut quid essentiale emittitur , unde immediate castitatem vovet ; adeoque quamvis ex defectu valoris Professionis non remaneat votum in ratione solemnis irritantis Matrimonium , manet in vi voti simplicis illud illicitum reddentis . Sic ex Cap. *Quidam* , & Cap. *Placet* , *de Convers. Conjugat.*

Ex invalida susceptione Ordinis non remanet obligatio voti Castitatis .

II. Ordinatus ante usum rationis Clericali continentiâ non ligatur . Quia Ecclesia non obligat , nec obligare potest ad Consilia Evangelica absque libera voluntate subjecti ; adeoque debitum expectandum est tempus , & Ordinati voluntas exploranda . Secus accidit quoad Evangelicam Legem , quæ cum sit de necessitate medii ad salutem , atque Divini Juris , proindeque ab absoluto nostrarum voluntatum Domino , obligat baptizatum ante usum rationis , ita quod , accedente usu rationis , non est in potestate baptizati illam respuere .

Ordo ante usum rationis susceptus non obligat ad continentiam Clericalem .

III. Si Impuber Sacris initietur , ad Clericalem continentiam non adstringitur , nisi pubertatem nactus votum ratum habeat . Cum enim votum hujusmodi statum perpetuum faciat , æquum est ut seria , ac prudenti pensitatione , qua impuber non valet , eligatur .

Impuber Sacris initiatus ad continentiam Clericalem non adstringitur .

IV. Qui inauguratus est sive ante usum rationis , sive ante pubertatem , haud potest licite ante præscriptam ætatem in suscepto Sacro Ordine ministrare . Cum ipsi fas sit a Clericali statu resilire , statum eligere debet , atque continentiæ votum vel emittere , vel jam emissum approbare . Hoc fieri potest per verba , vel etiam scienter , & libere in suscepto Ordine ministrando cum advertentia ad obligationem .

Ordinatus ante præscriptam ætatem quid agere debeat .

V. Consentiens in susceptionem Sacri Ministerii gravi metu injuste compulsus (secus si metus juste incutiatur) liber est a vinculo Clericalis continentiæ . Nam immediate obligaretur vi voti ; porro votum tam implicitum , quàm explicitum emissum metu gravi injuste incusso nullam vim sortitur , Cap. *Prælatum* , & Cap. *Cum Dilectus* , *de his , quæ vi , metuque causâ fiunt* .

Ex gravi metu injuste incusso nullũ vinculum Clericalis continentiæ .

Nec urget , Ordinationem in dicto casu validam esse ; adeoque etiam votum , utpote ad eandem accessorium .

Respondetur enim , quod accessorium sequitur principale , quando res suum connaturalem statum habent , seu quando connexio unius ad alium sequitur ex natura rei . Naturalem hanc sequelam impedit metus cadens in virum constantem ; quare etsi valida sit Ordinatio , non tenet obligatio continentiæ .

Si tamen cessante metu , advertens Ordinatus se liberum fore ab obligatione voti , suo fungatur munere , censetur ratum habere votum aliàs nullum ; adeoque ad illud servandum erit adstrictus .

VI. Ordinatus ante legitimam ætatem , vel ex gravi metu , transiens ad Nuptias nequit Sacra peragere , neque Clericalibus privilegiis gaudet . Non enim Ecclesia utrum-

que

que copulative permittit. Justum quippe est, ut qui sentit commodum, sentiat & incommodum. In casu tamen, quo quis ad continentiam non tenetur, volunt Doctores, liberum esse ab onere Horarum Canonicarum.

SYNOPSIS

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

142 CRimen, quod inter Baptizatos Jure Ecclesiastico inducit impedimentum dirimens, est homicidium, & adulterium, utrumque disceretum, & utrumque conjunctum.

Homicidium ab adulterio sejunctum quando impedimentum.

Homicidium ab adulterio sejunctum constituit dirimens impedimentum, quando ex mutuo consensu Viri, & Fœminæ, animo inter se contrahendi, sequitur in re occisio alterius Conjugis. Non sufficit tamen ratihabitio occisionis, etiamsi in favorem Conjugum fuerit peracta; requiritur enim verus concursus, qui in mortem influat.

Adulterium ab homicidio divisum.

Adulterium ab homicidio divisum dirimit, quando conjungitur vel cum promissione futuri Matrimonii, vel cum promissione de præsenti, idest cum Matrimonio intentato per verba de præsenti.

Adulterium cum homicidio conjunctum.

Adulterium cum homicidio conjunctum est impedimentum, quando occisio proprii Conjugis conjungitur cum adulterio, sive Uxor propria ab adultero occidatur, vel Maritus adulteræ; sive adultera sui Viri, vel adulteri Conjugis mortem moliatur. Non sufficit autem sola ratihabitio absque concursu. Haud tamen opus est, utrumque Conjugem in occisionem convenire, quando intervenit adulterium; in hoc namque sufficientem involvi consensum intelligitur, & aliàs discrimen aliquod intercedere debet inter crimen homicidii ab adulterio sejuncti, & homicidii cum adulterio conjuncti. Hoc impedimentum ultra Complices non extenditur, scilicet ultra Mulierem, & Virum, qui animo simul contrahendi paciscuntur.

Conditiones ad hoc impedimentum.

143 Ut in præcitatis casibus hoc habeatur impedimentum, sequentes desiderantur conditiones. Prima, quod præcedens Conjugium cum Conjuge occiso, vel adultero fuerit validum. Jura siquidem verum adulterium, & verum uxoricidium præsupponunt; adeoque legitimum Matrimonium. Non est tamen necesse, fore consummatum. Altera conditio est, adulterium præcedere debere Conjugis occisionem. Tertia, quod adulterium sit completum per copulam perfectam. Quarta, quod uterque Conjux conscius sit Conjugii, cui per occisionem, & adulterium, irrogatur injuria. Quinta, quod intentio simul contrahendi externa innotescat; Ecclesia namque hisce pœnis punit crimen pro Foro externo. Sunt tamen nonnulli, qui internam sufficere intentionem propugnant, sicut etiam negant, requiri intentionem mutuò contrahendi, quando occisio conjuncta est cum adulterio, sed satis esse, si habeatur utrumque, quocumque animo executum. Verùm ea sine a Jure intento hujusmodi intentio requiritur; illud siquidem vult occasionem tollere occidendi Conjuges. Non abs re tamen dicetur, sufficere intentionem ex parte unius; cum in hoc finis legis subsistat.

Illationes.

144 Ex his colligitur, non constitui impedimentum dirimens, si mors intentata impediatur; si mandatum ante occisionem revocetur, hocque innotescat Mandatario; si hic, motu proprio, nullo habito respectu ad mandatum, sive consilium, mortem infligat; si non ex vulnere, sed ex Medicorum negligentiâ, aut vulnerati injuriâ mors habeatur; si adulter putat, Fœminam, qua abutitur, esse solutam, hæcque Virum occidat, ut cum illo contrahat, nam adulterium non est nisi materiale, & aliàs, ut supponimus, ex mutuo consensu non sequitur occisio. Plerique Doctores sufficere affirmant quamcumque ignorantiam sive crassam, ut ajunt, sive supinam, dummodo non sit dolo affectata. Agitur quippe impræsentiarum de ignorantia non Juris, sed facti; sed in facto ignorantia quælibet excusat juxta regulam *Ignorantia*, *de Regul. Juris*; & aliàs intervenire debet adulterium, ad quod secundùm *l. penult. ff. Ad leg. Jul.* requiritur, quod cum dolo fiat, qui sane non compatitur, nisi cum ignorantia affectata. Si adulter Conjugem suam v. g. occidat non animo ducendi complicem delicti, sed ob inimicitiam, ob tædium cohabitationis, & hujusmodi, non contrahit impedimentum; in hoc namque casu ratio Legis locum non habet; quod verum est etsi Mulier occisi concursum dederit, ducta & ipsa ex aliis causis.

Adulterium ab occisione, & promissione sejunctum non est impedimentum.

145 Adulterium ab occisione, & promissione sejunctum, non inducit impedimentum. In promissione cum adulterio ad inducendum impedimentum non requiritur mortis machinatio. Promissio præcedens scientiam Matrimonii adulteræ, si conjungatur cum adulterio subsequenti; impedimentum constituit: quia per crimen ratum habetur; secus si adulterium scientiam præcedat, subsequaturque promissio. Promissio cum adulterio, ut ex ea resultet impedimentum, vitæ simultatem utriusque requirit. Unde si quis adulteretur cum Muliere, hinc, mortuo Conjuge, illi Matrimonium promittat, valida est hujusmodi promissio. Similiter si promissio revocetur ante adulterium, etsi postmodum sequatur, non irritat; quia moraliter non conjunguntur. Si autem promissio cum adulterio conjungatur, revocatio nullum sortitur effectum; cum contractum jam sit impedimentum. Promissio itidem debet esse acceptata, seriò facta, similiter consummatum adulterium; sumus enim in odiosis, quæ sunt restringenda. Sunt Doctores & quidem præstantes, qui volunt, fictam promissionem sufficere; quia legis ratio in eo casu locum habet; siquidem Pars altera, quæ promissionem veram credit, Conjugi suo mortem moliri potest.

Impedimentum hoc rationabiliter ab Ecclesia decretum.

146 Hoc impedimentum, ut superiùs innuimus, Juris est Ecclesiastici, sed valde rationabiliter ab Ecclesia decretum. Horrendum quippe facinus est, quod Conjux fidem alteri frangat, ejusque vitæ insidias tendat, quem aliàs singulari amore prosequi debe-

deberet, cum Conjugium sit arctissimæ dilectionis vinculum.

Itaque injuste Ecclesiam carpit hac super re Lutherus *in sua captivit. Babyl. cap. de Matrimonio*, & Melancthon *in Locis tit. de Conjugio*. Referunt ipsi crimen David ad exemplum; sed perperàm. Adulterium quippe commisit David non cum promissione futuri Matrimonii, sed ea humana infirmitate; nec homicidium Uriæ intentavit eo fine, ut Bersabéam duceret, quinimmo media omnibus studuit, ut domum rediret, ad crimen suum obtegendum.

Hinc si duo Infideles mutuo consensu moliti fuerint mortem uni ex suis Conjugibus, vel cum promissione, aut cum occisione unius ex Conjugibus, commiserint adulterium, & postea ad Fidem convertantur, non erunt inhabiles ad contrahendum Conjugium. Si verò alter tantùm Fidem amplectatur, & facinus post conversionem perpetraret, ipse inhabilis evaderet; cum Ecclesiæ adstringatur legibus. Requiritur tamen, quod utrumque crimen post conversionem committatur; quod enim ante conversionem habetur, omni caret vi ad inducendum impedimentum; adeoque uniri nequit cum delicto habito post susceptionem Fidei.

SYNOPSIS

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

Raptus in generali acceptatione quid sit.

147 Raptus in generali acceptatione est violentia Mulieri facta explendæ libidinis causâ. Specialem habet malitiam adversùs castitatem in Confessione explicandam. Habet itidem malitiam propriam in materia injustitiæ; & quidem duplicem, si patiens violentiam sub alterius potestate, curâ, aut custodiâ, vitam agat, dummodò nec ipsa, nec Parentes, nec Custodes, consentiant; si enim ipsa consentiat, secus alii, vel ex adverso, adhuc specialem involvit injustitiæ deformitatem declarandam in Confessione. Sed de hujusmodi raptu non agitur impræsentiarum, neque ad hoc necesse est, quod a loco ad locum Mulier, quæcunque sit, sive Virgo, sive corrupta, abducatur.

Raptus specialiter dictus quinam sit.

148 Raptus specialiter dictus, de quo Tridentinum *Sess. 24. cap. 6.* est violenta Mulieris abductio de loco ad locum causâ Matrimonii. Dicitur *abductio*, ut innuatur carentia consensus raptæ Mulieris; si enim abductio ipsi arrideat, fuga potius, quàm raptus dicetur. *De loco*, quia a Parentum domo, aut Curatorum, extrahi debet; nec sufficit, si a cubiculo ad cubiculum ad secretiùs eâ abutendum deducatur. *Ad locum*, ita ut fiat sub potestate Raptoris. *Violenta* vel physice, vel moraliter, idest per minas, vel per metum, vel per importunas preces metui cadenti in virum constantem æquipollentes, quæ facilè adinveniri possunt respectu Personæ, cui reverentia debetur. Hinc dolo, aut fraude consentiens decepta Mulier, non dicetur rapta; qua ratione non censetur rapina ablatio rei alienæ, consentiente Domino, dolo, vel fraude, decepto. *Mulieris* & quidem absolute, ut quælibet intelligatur sive bonæ, sive malæ famæ &c. Et in hoc Ecclesiasticum Jus a Civili discriminatur; Lex enim Civilis *l. unica de raptu Virginis* pœnam capitis infligens Raptori, applicansque bona delinquentis Mulieri, exigit quod boni nominis sit. *Causâ matrimonii*, quia ad raptum secundùm hanc notionem requiritur hujusmodi intentio. Unde si quis mulierem abduceret, ut in servitutem redigeret, vel ad sumendam vindictam, immo ad explendam libidinem, non incurreret pœnas a Tridentino inflictas, intendit namque favere libertati Conjugii.

Quid ex Rapto simpliciter dicto.

149 De raptu igitur mox descripto sequentia statuit Tridentinum *Sess. 24. cap. 6.* — Decernit Sancta Synodus inter Raptorem, „ & Raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere „ Matrimonium. Quod si Rapta a Raptore „ separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in Virum habere consenserit, eam Raptor in Uxorem habeat, & „ nihilominus Raptor ipse, & omnes illi „ consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac „ perpetuò infames, omniumque dignitatum „ incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea „ Raptor Mulierem raptam, sive eam Uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter, „ arbitrio Judicis, dotare —

Inhabilitas ad Matrimonium in laudato Decreto statuta, itidem Excommunicatio ipso facto, absque Judicis Sententia incurritur. Quoad alias pœnas, Judicis expectandum est Decretum. Et hoc quidem quoad dotem decernit Concilium; quoad alias pœnas est Doctorum Sententia ad regulas moralis doctrinæ attemperata. Et quamvis pœna in privatione consistens plerunque absque Sententia incurratur; tamen si magnæ sit notæ, ut perpetua infamia, incapacitas ad dignitates &c. non statim delinquentes afficit.

Si rapta consentiat, dissentientibus Parentibus, seu Curatoribus, non urget Tridentini dispositio, quamvis Raptores pœnis a Jure communi sancitis subdantur; quia Concilium potissimùm attendit ad libertatem contrahentium, ad quam non est necesse, quod voluntas Parentum accedat. Hinc fit, haud opus esse, quod Mulier iisdem reddatur, sed sat est, quod in loco, ubi libere de se ipsa disponere valet, collocetur.

Urget tamen Tridentinum veriùs etiamsi Rapta sit Sponsa per verba de futuro; quia adhuc post datam fidem per Sponsalia non debet libertas Matrimonii impediri. Nonnulli oppositum propugnant ex Cap. *Lex illa* 36. *q.* 1., & ex Cap. penult. *De Raptoribus*, ubi tanquam conditio Raptus apponitur, quod non sit Sponsa, nec inter ipsos de Conjugio tractatus aliquis fuerit. Verùm dici potest, dispositionem Tridentini Jus antiquum correxisse.

Conciliare Decretum extenditur etiam ad Irritanda Sponsalia, quandiu Rapta non fuerit

fuerit in tuto posita; Lex siquidem correctiva, & pœnalis, amplianda est, ubi eadem militat ratio, ut in casu.

Sunt, qui velint, in præcitatum Decretum comprehendi Fœminas rapientes Viros; quia in ordine ad Conjugium Vir, & Fœmina sunt correlativa. Ceterum cum Sancta Synodus intendat consulere fragilitati Fœminarum, quæ dubio-procul magis Virorum violentiis subduntur, dicendum videtur, ad eas nequaquam extendi Decretum Tridentini Concilii.

Hæc pro præsenti Tractatu de Sacramento Matrimonii dicta sufficiant. Quæcunque diximus, ea irrefragabili judicio, & correctioni Apostolicæ Sedis humillime subjecta volumus; immo si quid fortè aut Sacris Conciliis, Canonibus, Bullis Pontificum contrarium, aut Ecclesiæ Sanctæ Romanæ doctrinæ aliquo modo adversum exciderit, ex nunc libenter retractamus, atque pro non scripto, aut dicto haberi volumus. Totum autem, si quid est, quod Christianæ Reipublicæ utcunque juvare possit, Patri luminum referimus, unice optantes ejus laudem, & Gloriam.

A

APPEN-

APPENDIX

AD TRACTATUM

DE MATRIMONIO,

ET AD RELIQUOS PRÆCEDENTES TRACTATUS

DE SACRAMENTIS,

Complectens

DISSERTATIONES VARIAS

ILLIS CONSENTANEAS

In Partes quinque distributas,

AUCTORE

LIBERIO a JESU

CARMELITA DISCALCEATO, THEOLOGO EXIMIO,
COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ADeo conſtans, atque ampliſſima; fuit ſemper apud omnes Eruditos exiſtimatio Clariſſimi Viri LIBERII a JESU, ut ſæpiſſime illius Votum vel in arduis, involutiſque rebus ad litterariam Rempublicam ſpectantibus, vocaretur in conſilium; qua de re factum eſt, ut plura nobis non modò Dogmaticæ, & Criticæ, verùm Scripturalis, & Canonicæ, nec non Moralis facultatis poſthuma reliquerit monumenta. Eorum ſeriem, animus erat, poſt omnium Tractatuum impreſſionem, in unicum Volumen redigendi, ſicque publicæ luci mandare: Aſt ſaniori conſilio ducti exiſtimavimus, haſce Diſſertationes huic Libro ſubnectere; tum quia potiſſima earum Pars ad præcedentes editos Tractatus de Sacramentis referri poteſt; tum etiam, ut præſens Volumen mole exiguum in certam, & debitam magnitudinem conſurgeret. Ne verò hujuſmodi Elucubrationes litte-

rariæ tumultuario modo Lectori objicerentur, eas curavimus, claritatis gratiâ, in determinatas Classes distribuere, quæ Partibus quinque complecti placuit, juxta varias, ad quas pertinent, facultates. In prima igitur Classe Dissertationes Theologicæ collocantur, quæ præviis de Matrimonio Controversiis affinitatem multam dicunt. In altera succedunt Dogmaticæ. Tertiam Canonicæ occupant sedem. Quarta complectitur Historicas. Postremam denique Partem, totumque Opus absolvunt Scripturales. Quæ in prima resident Parte Scholasticam sequuntur methodum, secus quæ in reliquis, unâ, vel alterâ exceptis. Omnium Elenchus in promptu est; in calce porrò veniet Index Rerum Notabilium unà cum notabilibus materiis Tractatus de Sacramento Matrimonii. Quæ omnia, ut in Dei Gloriam, ac publicam cedant utilitatem, unice exoptamus, benevolo Lectori prospera semper precantes.

ELEN-

ELENCHUS
VARIARUM DISSERTATIONUM,
Quæ in hac Appendice continentur.

Numerus paginæ columnam indicat.

PARS PRIMA.
DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

PARS SECUNDA.
DISSERTATIONES DOGMATICÆ.

DIS-

PARS TERTIA.

DISSERTATIONES CANONICÆ.

PARS QUARTA.

DISSERTATIONES HISTORICÆ.

DIS-

PARS QUINTA.

DISSERTATIONES SCRIPTURALES SUPER GENESIM.

AP-

APPENDIX
AD TRACTATUM
DE MATRIMONIO,
ET AD RELIQUOS PRÆCEDENTES TRACTATUS
DE SACRAMENTIS.
PARS PRIMA.
DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

DISSERTATIO THEOLOGICA I.

AN PRÆSENTIA PAROCHI REQUISITA A CONCILIO TRIDENTINO AD EVITANDAM CLANDESTINITATEM IN MATRIMONIO, DEBEAT ESSE ESSENTIALITER MORALIS, ET HUMANA.

QUæsitum in hoc idem redit: An materia necessaria ad valorem contractus Matrimonialis, sit mutuus consensus Contrahentium, expressus sensibiliter coram Parocho, & duobus saltem Testibus, ita quod actualiter, clare, & indubie percipi debeat a Parocho, sub nullitate Matrimonii.

Super hac re casus evenit practicus, quem referre operæ pretium est, ad pleniorem difficultatis intelligentiam.

CASUS PECULIARIS REFERTUR, ET VOTUM SUPER EO ROMANÆ ROTÆ.

1 MAtrimonium itaque contraxit Franciscus cum Helena coram Parocho, qui consensum Contrahentium non intelligere affectavit; & sane fassus est Parochus ipse, se non intellexisse eorum consensum. Hinc orta est contentio, an fuerit validum hocce Matrimonium, nec ne. Tota res gesta delata fuit Romanæ Rotæ; & cum in trutina fuerit posita, pondus habuit pro validitate, *In Romana Matrim. 4. Februarii 1697. coram Ursino.*

2 Hujusce Romanæ Rotæ Votum percurrere placeat prout habetur §. *Demonstrato*, & seqq. — Demonstrato consensu Helenæ, „ Doctores descendentes ad examen alterius nullitatis oppositæ Matrimonio, de quo

Votum Romana Rota.

A contenditur circa debitam Parochi præsentiam a Concilio Tridentino requisitam sub *Cap. 1. Sess. 24. De Reform. Matrim.*, illa DD. cessare visa est ex genuina intelligentia ipsius Textus Conciliaris.

„ Etenim, quamvis Parochus post auditum Francisci consensum, dixerit in criminalibus: *Io ciò sentendo, senza dargli tempo, gli ho voltato la schena, dicendo, che non gli conoscevo per niente*: & respe-

B ctu Helenæ subdat: *E non ho inteso, se la Giovane mi abbia detto cosa alcuna*; attamen exinde resultat, ejus non intelligentiam ab ipsius Parochi positivo facto processisse, proindeque, dum ipse causam dedit, quominus intelligeret, de Jure habendus est pro intelligente, dum nesciens ex quo noluit scire, vel affectavit nescire, habendus est pro sciente *c. Cum*

C *inhibitio §. Si quis de Clandest. Despons.* Et in puncto de Parocho non intelligente, ex quo aures obturavit, ne audiret, firmat doctissimus Fagnanus *in cap. Quæsitum de Pœnit.*, *& remission. n. 8.*, & post eum, de Parocho fugiente, & per alios actus improprios non audiente, Riccius *in Praxi For. Eccles. Resol. 213. n. 3.*, Pont. *De Matrim. Lib. 1. cap. 25. sub num. 12.*, Boss.

D *eod. Tract. c. 3. n. 22.*, Lean. *Oper. Mor. Tom. 2. Tract. 9. Disp. 7. quæst. 50.*, Barbos. *De Potest. Episc. Par. 2. alleg. 32. num. 83.*, *& 85.*, & *De Offic. Paroch. Par. 2. cap. 21. num. 47.*, *& 49.*, & *ad Concil. Sess. 24. De Reform. Matrim. cap. 1. num. 73.*, *& 75.*, & Card. de Luca *In annot. ad Concil. Disc. 26. num. 4.*, *& seqq.*, & sequitur Natal. ab Alex. *In Theol. Dogm.*

E *Tom. 6. regul. 10. in fin. fol. 494.*

„ Ac per hujusmodi Parochi adhibitionem ex tali causa non intelligentis, satisfactum est dispositioni Concilii, ad effectum substinendi validitatem Matrimonii, & irritationem ab eodem Concilio indictam evitandi. Siquidem verum est, Sapientissimos Concilii Patres pro Matrimo-

„ nio rite , & recte celebrando , ultra solemnitates , præscripsisse per illa verba: *Parochus , Viro , & Muliere interrogatis , & eorum mutuo consensu intellecto , vel dicat &c.* Sed tamen ubi transeunt ad inducendam irritationem , nequaquam repetunt Parochi intelligentiam , sed tantùm præsentiam , ibi : *Qui aliter quàm præsente Parocho , vel alio Sacerdote de ipsius Parochi , seu Ordinarii licentiâ , & duobus , vel tribus Testibus Matrimonium contrahere attentabunt , eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit , & hujusmodi contractus irritos , & nullos esse decernit* .

„ Cùm itaque conditio illa mutui consensus per Parochum intellecti , quæ fuerat apposita in prima parte dispositionis , non legatur in hac secunda super irritatione , utique non censetur volita sub pœna irritationis contractus ; ut bene distinguendo dispositionem Conciliarem in duas partes , observat Card. de Luca *dicto disc.* 26. *sub num.* 4. , & 47. , ubi firmat , valere Matrimonium , Parocho expresse dissentiente , aut fugiente , vel per vim detento , seu aures claudente , ut non audiret , & in casibus hujusmodi sufficere illius præsentiam , seu interventum materialem . Idque diserat *in disc.* 2. *de Matrim. num.* 9. , ubi distinguit inter Parochum ex vi naturalis , vel accidentalis impotentiæ non audientem , & inter nolentem , seu affectantem non audire . Idemque concludunt Ricius , & alii supra laudati .

„ Neque Sapientissimi Patres ejusdem Concilii , qui hanc solemnitatem præsentiæ Parochi , uti publicæ Personæ ad tollendam potissimùm clandestinitatem actus exquisiverunt , censendi sunt ita voluisse Matrimoniorum libertatem coangustare , ut esset in cujusvis Parochi potestate illorum celebrationem impedire , illaque irrita reddere per ipsorum voluntatem , & affectatam non intelligentiam ; cum cæteroquin Matrimonii libertas judicata fuerit semper necessaria , etiam post Concilium Tridentinum , prout ex Oraculo Summi Pontificis rescriptum fuit anno 1616. ad Archiepiscopum Mechliniensem , & ex Cardinali Belarmino transcripsit Pignatellus *Tom.* 4. *Consul.* 145. *num.* 12.

„ Et multò minùs irritatio inducenda est ex illo defectu , de quo Concilium non disponit expresse , stante theorica Textus in *l. Præcipimus C. de Appellat.* , quod quidquid in nova Lege non apparet specialiter expressum , id sub veterum Legum , Constitutionumque regulis relictum intelligitur , nec per subauditos intellectus inducendum est , quod expresse non legitur . Ac proinde cum in ea parte Concilii , in qua Matrimonia irritantur , non legatur expresse repetita Parochi intelligentia , sed tantùm præsentia , nequaquam inducenda est irritatio ultra terminos a Concilio expressos . Ideoque , dum loquitur Concilium solummodo de præsentia , illius tantùm defectus ex mente Concilii irritare debet Matrimonium , non autem defectus intelligentiæ .

„ Eoque magis inclinarunt DD. in hanc Sententiam , ex quo ipsamet Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres , tam antiquis , quàm modernis temporibus eidem Sententiæ adhæsisse visa est ; & signanter *in una Giennen.* 26. *Julii* 1582. , in qua super dubio his verbis concepto : *Quid si Sacerdos nihil eorum , quæ agebantur vidit , neque audivit ; Congregatio declaravit , non valere Matrimonium , si non intellexerit , nisi affectasset non intelligere* . In cujus sequelam paucis post annis *in una Ulixbonen.* etiam consimile Decretum prodiit , ibi : *Congregatio censuit , si vera sunt , quæ narrantur , & Parochus affectaverit non intelligere , Matrimonium valere* . Et in terminis themati , de quo disputatur , proximioribus , *in una Sarzanen.* 16. *Febr.* 1648. , ubi omissæ fuerunt Denunciationes , Parochus contradicebat , & audivit tantummodo verba consensus præstiti per Sponsum , dum Sponsam habebat præ manibus , *Congregatio censuit , Matrimonium sustineri , etiamsi Parochus non intellexerit verba Sponsæ , dum tamen de illius consensu ex aliis signis , juxta Juris communis dispositionem legitime constet* . Prout etiam *in Patavina* 16. *Maji* 1699. , *in Tolentinat.* 28. *Novemb.* 1671. , & *in Venetiarum* 11. *Martii* 1673. , in quibus omnibus juxta tenorem Decretorum , quæ hodie in Foliis authenticis circumferebantur , resolutum legebatur , Matrimonium valere , etiamsi Parochus verba alterutrius ex contrahentibus non audierit , vel quia affectaverit non intelligere , vel quia , ex quo terga vertit , non auscultavit , vel quia propter iram , aut rumorem , seu quid simile , audire non potuit . Et allegatâ præmissâ resolutione *Giennen.* firmat Fagnanus tum *in dicto Quæsitum de Pœniten. , & remiss. num.* 6. , 7. , & 8. , tum *in c. Quoniam num.* 25. *De Constitut.* , unà cum aliis supra allegatis .

„ Hinc rejiciendos DD. censuerunt quosdam Moralistas , & signanter Sanchez *De Matrim. lib.*3. *disp.* 39. *sub n.* 6. , Tancred. *eod. Tract. lib.* 3. *disp.* 39. *num.* 2. , Herinchx *in Theolog. Scholast. Moral. Tract.* 5. *de Spons. , & Matrim. disp.* 5. *quæst.* 2. *num.* 24. , aliosque nonnullos ejusdem generis , qui resolutionem Sac. Congregationis in causa Giennen. dicunt , interpretandam de Parocho , qui affectavit non intelligere , sed nihilominus revera intellexerit . Quia agnita fuit contraria contextui ipsius declarationis , in quo supponitur , Parochum non intelligere ; dum si revera intelligeret , casus dubitationis non emergeret , cum nullus unquam dubitaverit de Matrimonii validitate , Parocho revera intelligente . Ideoque quæstio in propriis terminis agitabatur , si Sacerdos nihil eorum , quæ agebantur , vidit , neque audivit , ut sunt verba præcisa dubii disputati in Sacra Congregatione , quæ citra violationem literæ , prædicari non valent de Parocho revera intelligente ; ac propterea rationem a Sanchez allatam , meritò fuisse frigidam appellatam a Pontio

„ cum

„ cum aliis ſupra relatis. Proindeque valuit „ Matrimonium, de quo agitur, dum intervenit præſentia Parochi, non obſtante „ quod non audiverit, num Helena aliquid „ dixerit, ſive ex quo tergi vertit, ſive ex „ quo, terga vertendo, affectavit non au- „ dire &c. Et ita &c. -- Hactenus S. Rota.

3 Verùm poſt acerrimam litem denuo comparuerunt Franciſcus, & Helena, coram Parocho, rurſumque, ad tollendas omnes in hac parte ambiguitates, Matrimonium voluerunt contrahere, & contraxerunt. Hinc votum Rotæ reviſionem non obtinuit, nec pro deciſione exhibitum fuit coram Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad quam dubii reſolutio ſpectabat.

Ad plenam tamen Parochorum inſtructionem Julius Antonius de Rubinis Rector Parochialis Eccleſiæ S. Laurentii in Montibus, porrectis humillimis precibus Summo Pontifici Innocentio XII., inſtavit, ut a Sacra Congregatione haberetur reſolutio ſequentium dubiorum. I. An Parochus teneatur prohibere, & quantum in ſe eſt poſitive reſiſtere clandeſtinis Matrimoniis; & quatenus affirmative. II. An ob inopinatum caſum, deficientibus aliis mediis prohibendi, & reſiſtendi, peccet, vel male faciat Parochus tentando fugam, claudendo oculos, & aures obturando. III. An Parochi præſentia, de qua loquitur Sacrum Concilium *in 2. parte c. 1., Seſſ. 24. de Reform. Matrim.* cum illis verbis: *Qui aliter quàm præſente Parocho &c.* debeat eſſe moralis humano modo, & cum advertentia, ita ut poſſit eſſe Teſtis Matrimonii actualiter, & de facto contracti, non verò voluntatis contrahendi; vel ſufficiat potius ſola præſentia phyſica, ſeu materialis. IV. An affectante Parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandeſtine contrahere Matrimonium, & revera illa non audiente, vel iſtos non vidente, validum ſit Matrimonium, coram ipſo attentatum.

Huic inſtantiæ benigne annuit Summus Pontifex Innocentius XII. Et Sacra eadem Congregatio mandavit celeberrimo Dominico Urſayæ in Urbe Advocato, atque P. Calixto Lodigerio Ordinis Servorum B. M. V. inſigni Theologo, ut in hac cauſa pro veritate ſua dicerent vota. Mandavit & mihi Theologorum minimo; & ut juſſibus obtemperarem, meam qualemcumque Sententiam expoſui, quæ tunc juſſu Sacræ Congregationis Concilii typis mandata fuit, ut ſequitur.

AD VALIDITATEM MATRIMONII NECESSARIA PROBATUR PRÆSENTIA PAROCHI MORALIS, ET HUMANA.

4 QUatuor ſequentia puncta veniunt examinanda, videlicet. I. An Parochus teneatur prohibere, & quantum in ſe eſt poſitive reſiſtere clandeſtinis Matrimoniis; & quatenus affirmative. II. An ob inopinatum caſum, deficientibus aliis mediis prohibendi, & reſiſtendi, peccet, vel male faciat Parochus tentando fugam, claudendo oculos, & aures obturando. III. An affectante Parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandeſtine contrahere Matrimonium, & revera illos non audiente, vel non vidente, validum ſit Matrimonium coram ipſo attentatum. IV. An Parochi præſentia, de qua loquitur Sacrum Concilium *in 2. parte cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. Matrim.* cum illis verbis: *Qui aliter quàm præſente Parocho &c.* debeat eſſe moralis, humano modo, & cum advertentia, itaut poſſit eſſe Teſtis Matrimonii actualiter, & de facto contracti, non verò voluntatis contrahendi; vel ſufficiat potiùs ſola præſentia phyſica, ſeu materialis. Quoniam tamen, & præcipuus cardo conſiſtit in hoc quarto, & ab hujus reſolutione facilè deducitur aliorum explicatio; ideo ab hoc ultimo exordium ducere rationabiliùs credidi . . . .

5 Matrimonium ergo dupliciter in Jure dicitur clandeſtinum; late, & ſtricte. Lato modo clandeſtinum accipitur per carentiam publicæ denunciationis faciendæ inter Miſſarum ſolemnia ſecundùm præſcripta Conc. Lateranen. ſub Innoc. III., vel per carentiam benedictionis Sacerdotalis exercendæ in Templo ante cohabitationem Sponſorum in eadem domo, ſecundùm Canones antiquos, & novos. Stricto modo clandeſtinum ſumitur pro carentia Parochi proprii, vel Sacerdotis ab ipſo deputati, & duorum Teſtium; hoc eſt, ſi duo mutuò conſentiant, non præſente Parocho proprio, vel Sacerdote aliquo de illius licentia, & duobus Teſtibus, clandeſtine abſolute, & ſtricte contrahunt, ita quod non ſolùm illicitum, ſed omnino nullum efficitur Matrimonium, ſic ſtatuente Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrimonii* -- Illis &c. qui aliter, quàm „ præſente Parocho, vel alio Sacerdote de „ ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & „ duobus, vel tribus Teſtibus Matrimonium „ contrahere attentabunt, eos Sancta Syno- „ dus ad ſic contrahendum omnino inhabiles „ reddit, & hujuſmodi contractus irritos, „ & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti „ Decreto irritos facit, & annullat &c. --

Matrimonium clandeſtinum dupliciter accipitur.

Porro duplex præſentia Parochi conſiderari poteſt; localis una, & phyſica; altera moralis, & civilis, ſeu humana. Localis dicitur, quando homo eſt loco præſens corpore quomodocumque, ſive dormiat, ſive vigilet, ſive ſcribat, ſive ludat, ſive comedat, ſive confabuletur. Moralis dicitur, & humana, quando eſt in loco videns, advertens, attendens, quid in loco agitur.

Duplex præſentia Parochi.

6 His præmiſſis, quærimus, an præſentia neceſſariò, & eſſentialiter requiſita in Parocho, ut Matrimonium non ſit clandeſtinum, debeat eſſe moralis, & humana; ideſt, an Parochus debeat advertere, & percipere quid agant Contrahentes; vel ſufficiat præſentia phyſica, etiam ſi nihil videat, non intelligat mutuum conſenſum, ſive per verba, ſive per nutus ſufficientes.

DICENDUM eſt: ad validitatem Matrimonii neceſſariò requiritur præſentia Parochi moralis, & humana. Meæ tenuitati hæc veritas eſt adeo certa, & evidens, ut neque umbra dubietatis, aut ſuſpicionis imaginari, & excogitari poſſit.

Tridentinum exigit præsentiam Parochi moralem.

7 PROB. I. Præsentia intelligentis consensum Contrahentium est præsentia moralis, & humana; atqui Tridentinum ibidem hujusmodi in Parocho exigit præsentiam, ut constat illis verbis -- Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad „ celebrationem Matrimonii in facie Eccle„ siæ procedatur; ubi Parochus, Viro, „ & Muliere interrogatis, & eorum mu„ tuo consensu intellecto, vel dicat &c. -- Vult ergo, quod intelligat Parochus mutuum consensum, vel formaliter, auribus percipiendo, si per verba exprimatur consensus, vel virtualiter, conspiciendo signa, si per nutus declaretur; sicut pariter interrogatio necessaria est, vel formalis, & explicita, si Sponsi taceant, vel virtualis, & implicita, si ultro Contrahentes Parochum adeant, & exponant mutuum consensum; ea ratione proportionali, qua discurrunt Theologi de cognitione, & interrogatione requisita in Sacerdote Confessiones audiente:

Elucidatur I. Illam præsentiam Parochi exigit Tridentinum, ut validum sit Matrimonium, quam præcipit Concilium Lateranense IV. *Can.* 51., ne Matrimonia sint clandestina illicita; hoc enim clarum est ex contextu, siquidem docet, quod cum Ecclesia sæpe prohibuerit clandestina Matrimonia, & nihil effecerit, efficaciùs aliquod remedium adhibere judicavit; porro efficaciùs remedium assumptum dividit in duas partes, videlicet, innovando Decretum denonciationis publicæ, & annullando contractum clandestinum. Sed Lateranense exquirit præsentiam moralem Parochi: nam, peractis denunciationibus, præcipit, etiamsi nullum compareat impedimentum, ut *& ipsi Presbytori nihilominus investigent, utrùm aliquod impedimentum obsistat*: præsentia autem Parochi investigantis est præsentia moralis, & humana; ergo a fortiori in actu contrahendi debet esse humana. Hoc explico, ni fallor, evidenter. Magis, vel ad minùs æqualiter, ad valorem Matrimonii est necessaria realitas, & veritas consensus sensibilis duorum, ac vera carentia legitimi impedimenti: sed Ecclesia exigit Parochum sollicitum, attentum oculatum in investigatione carentiæ impedimentorum, ut patet clausula citata Lateranensis, & sequenti, qua præcipit, ut Sacerdos abstineat, & suspendat contractum, si probabilis conjectura impedimenti alicujus appareat: quam diligentiam præscribit pariter Tridentinum, ut patet; ergo exigit Ecclesia Parochum præsentem, vigilem, attentum, oculatum, ne deficiat realitas mutui consensus sensibilis, cujus carentia est substantiale impedimentum.

Lateranense exigit præsentiam Parochi moralem.

Elucidatur II. Eam præsentiam exigit Tridentinum ad valorem in quolibet Matrimonio, quam exigit in Matrimonio Vagorum; sed in Matrimonio Vagorum exigit præsentiam moralem: habemus enim *cap.* 7. ejusdem decreti--Parochis autem præcipit, ne „ illorum Matrimoniis intersint, nisi priùs „ diligentem inquisitionem fecerint, & re „ ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id „ faciendi obtinuerint -- ergo humanam vult præsentiam in quolibet. Ostendo majorem propositionem, & consequentiam simul. Assi-

Matrimonii Vagorum quomodo contrahendum.

A gnat quoad Vagos motivum, quia scilicet aliqui ex istis sunt improbi, qui, vivente priori uxore, aliam ducunt: quod est unum ex impedimentis dirimentibus; sed hoc ipsissimum est, quod movit Concilium ad annullandos contractus clandestinos, & ad requirendam præsentiam Parochi, ut clare patet ex caussa inserta sub initio capituli 1. illis verbis -- Verùm cum Sancta Synodus animadvertat, „ prohibitiones illas propter hominum ino„ bedientiam jam non prodesse, & gravia „ peccata perpendat, quæ ex eisdem clan„ destinis Conjugiis ortum habent -- & pergit explicare exemplo contrahentis cum duplici; B ergo si Ecclesia idem habet motivum, quare non habebit eamdem intentionem circa præsentiam Parochi? Si ergo in primo casu illum exigit sollicitum, & oculate invigilantem, cur dicendum est, non velle illum pariter attendentem in secundo casu?

Explico sensibiliter. Ponamus ex una parte accedere Juvenem unum ex vagantibus ad Parochum Sanctæ Mariæ Transtyberis cum una Muliere, & duobus Testibus, qui petat a Parocho, se velle ducere illam Mulierem; tunc in hoc casu vult Concilium, quod Parochus sedulo invigilet, accurate investiget, uno verbo, ut humano modo illum C contractum exerceat, & non oscitanter, & non dormitanter. Demus ex altera parte alium Juvenem suæ Parochiæ ex stabili domicilio accedentem cum una Muliere, vel ejusdem, vel alterius Parochiæ, & duobus Testibus, & clamet coram Parocho, accipio hanc Mulierem in Uxorem, & illa, accipio istum hominem in Maritum. Peto nunc; nonne inter hos duos possunt adesse impedimenta occulta dirimentia, æque, immo magis, ac inter duos primos? Utique: potest esse Mulier rapta, Monialis, consanguinea, affinis ex copula illicita, cognata spiritualis; potest adesse impedimentum honestatis, criminis &c. D Si ita res est; cur non exiget hic Concilium Parochum æque sollicitum, sicut in primo? Quis prudens credere poterit, quod Sapientissimi Patres adeò solliciti pro amovendis illegitimis Matrimoniis non exegerint Parochum vigilem, accuratum, attentum? Est ne rationabiliter credibile, quod voluerint, sufficere præsentiam quamcumque, etiam tumultuariam, etiam talem, in qua neque audiat, vel moraliter neque audire possit ex eo quod graviori alio negotio incumbat, puta si audiat Confessiones, celebret Missam, lavet Infantem, Moribundo administret, doceat Doctrinam Christianam? Sane non possum su- E spicari. Quod si hæc vera sunt circa impedimenta dirimentia, urget a fortiori necessitas in ipsa actuali desponsatione, in ipso mutuo consensu præsentaneo, circa quem adesse, & accidere possunt tot defectus substantiales, ut fit evidens ex variis difficultatibus, quas circa illum movent Casuistæ. Piissimi ergo Patres, & zelantissimi Antistites Tridentini, qui adeo insudarunt, ut invenirent modum annullandi clandestina Conjugia, præsentiam absque dubio exigunt moralem, & humanam in Parocho. Sciebant doctissimi Præsules, & experti, quod non semper Vagantes habent aliam

Uxo-

Uxorem, sed in quibusdam casibus tantùm. Sciebant pariter, quod non semper in casibus secundo loco positis interveniunt impedimenta dirimentia; sed quandoque solùm. Sciebant etiam, quod in istis casibus tumultuariis, in quibus non observatur via, & forma consueta, solent adesse præcipitantia, obcæcante passione, & inordinatione amoris, ac perconsequens adesse prudentiale motivum suspicandi de aliquo defectu; ac proinde agnoverunt necessitatem prudentialem assistentiæ humanæ in Parocho.

8 DICES. Verum est, Sapientissimos Concilii Patres pro Matrimonio recte, & rite celebrando ultra solemnitates præscripsisse per illa verba: *Parochus Viro, & Muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat* &c. Sed tamen ubi transeunt ad inducendam irritationem nequaquam repetunt Parochi intelligentiam, sed tantùm præsentiam, ibi: *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentiâ, & duobus, vel tribus Testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*, &c. Sic *Romana Matrimonii* 4. *Februarii* 1697.

Sed hoc esse purum effugium, & etiam ex arte extortum, en evidens demonstratio. Sicut non repetunt intelligentiam Parochi, sic non repetunt proprietatem, sed dicunt simpliciter, *præsente Parocho*, non repetunt proprio: etiam non repetunt mutuitatem consensus, sed dicunt simpliciter, *Matrimonium contrahere attentabunt*; atqui, his non obstantibus, ad evitandam clandestinitatem, & ad valorandum Matrimonium, requiritur indispensabiliter proprietas Parochi, & mutuitas consensus; ergo, his pariter non obstantibus, subintelligitur, & prærequiritur intelligentia Parochi.

Tridentinum vult intelligentiam Parochi sicuti proprietatem ejusdem, & mutuitatem consensus.

Rursus item ad hominem. Concilium sicut nullam repetit intelligentiam in Parocho, ita non repetit intelligentiam in Testibus, simpliciter enim dicit *& duobus, vel tribus Testibus*: immo nullibi ponit intelligentiam in Testibus; & tamen, nullo refragante Catholico, & ipsamet Romana consitente, præsentia Testium est necessaria, ut moralis, & humana, ut intelligentium, ut audientium; ergo his non obstantibus multò magis requirit in Parocho intelligentiam.

Testium præsentia moralis necessaria.

Rursus ibidem agens de pœna infligenda Parocho, vel Sacerdoti assistenti istis Matrimoniis cum minori numero Testium, non repetit illud de licentia ipsius Parochi; & tamen Sacerdos sufficiens, & necessarius ad valorem, debet habere licentiam a Parocho, unde cum præsentia alterius Sacerdotis non deputati non efficitur Matrimonium.

Ex non repetitione ergo intelligentiæ omnino illegitime colligitur, non esse necessariam intelligentiam Parochi. Et ratio est aperta, quia explicatis constitutivis alicujus rei in aliquo contextu, non sunt semper repetenda in processu, dum descenditur ad explicanda alia pertinentia ad illam eamdem rem, nisi facienda sit aliqua exceptio, quæ tunc debet exprimi. Porro sicut mutuitas consensus est qualitas omnino reflectens supra Personas matrimonialiter contrahentes, unde semel explicata, non est semper repetenda, sed subintelligitur, quoties fit mentio contractus; ita quia intelligentia est qualitas reflectens supra præsentiam Parochi, semel eâ explicatâ, absque nova repetitione subintelligitur quoties exquiritur Parochi præsentia. Idem accidit in pluribus aliis casibus; v. g. explicuit semel Florentinum, & Tridentinum, in Ministro Sacramentorum requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; & absque eo quod id repetat, pluries agit de necessitate Ministri in materia Sacramentorum; & hinc male inferret, qui negaret, non requiri intentionem.

Rei jam explicita non est semper repetenda, sed subintelligitur.

9 PROB. II. Fert vulgare adagium, ex ungue Leonem: & Christus Dominus docuit; ex fructibus eorum cognoscetis eos; sed Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. in Parocho assistente talia exigit, quæ evidenter nequeunt esse sine præsentia morali, humana, & attenta; ergo hanc præsentiam essentialiter exigit. Ostendo minorem. Etsi Parochus habeat proprium Sacerdotem Capellanum, non potest per ipsum assistere, si ipse nolit, vel sit impeditus, nisi det illi Sacerdoti licentiam; hæc concessio est actus humanus. Rursus Concilium subjicit pœnis Parochum, si cum minori numero Testium assistat istis contrahentibus; ergo vult eam præsentiam, qua advertat sufficientiam ad impediendam clandestinitatem. Item subjicit pœnis Parochum, si Matrimonio jungat Sponsos alterius Parochiæ sine licentia, & annullat Matrimonium; ergo vult talem præsentiam, qua distinguat Oves suas a non suis. Bone Deus! quomodo Concilium tamquam reum damnat Parochum in his deficientem, si eam præsentiam non exigit, quæ constituat capacitatem culpæ admittendæ? Modus moralis, non physicus, efficit capacitatem reatus. Bone Deus! si Concilium vult, ut suos jungat, & non alienos, coram duobus Testibus, & non paucioribus, & deficientem Parochum graviter puniri præcipit, quis credat, Concilium contentum esse de præsentia physica, ita quod accedente Viro, & Muliere cum duobus Testibus coram Parocho aliis occupato, vel non advertente, clamantibus, hanc accipio in Uxorem, & ego illum in Virum, ipso non intelligente nisi sonum verborum, nec distinguente sensum, nec cognoscente ullum contrahentium, Matrimonium valeat? Si illa duo de necessitate valoris exigit in actu exercito contractus, quomodo capi potest, non requirere præsentiam humano modo assistentem?

Tridentinum talia exigit, quæ sine præsentia morali fieri nequeunt.

Aliud exigit Concilium, quod licèt non sit de necessitate contractus, est tamen signum urgens, & manifestum, exquirere præsentiam moralem, & attentam: videlicet, quod Parochus habeat librum, in quo Conjugum, & Testium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii describat, utique veraciter, & non fallaciter; ergo vult Concilium, quod Parochus attendat, dum actualiter peragitur contractus. Si non percepit mutuum consensum in proprietate, quomodo veraciter

citer describet, hos duos legitime contraxisse? Certe mens Concilii non est, ut describat, legitime contraxisse, quia audivit ab aliis se factum, sed quia ipse præsentialiter novit.

Et hic obiter formo alium syllogismum. Omnes contractus civiles, in quibus sub nullitate requiruntur Testes, & Notarius, petunt, & recipiunt ad valorem aliquam concurrentiam, & vim influxivam ex parte Testium, & Notarii: sed Parochus præter alia munera debet assistere Conjugiis, etiam ut quasi Notarius, qui transcribat acta; ergo debet exhibere in suo genere aliquam concurrentiam. Sola assistentia physica nullam exhibet vim influxivam; ac proinde debet esse moralis. Et ratio est; quia sicut contractus civilis inter Personas rationales petit, ut modo humano fiat a Contrahentibus, ita quando dependet ab aliis Personis rationalibus, ut assistentibus, exigit, exerceri assistentiam humano modo.

Alium addo obiter syllogismum. Concilium habet -- Quod si quis Parochus &c. al„ terius Parochiæ Sponsos sine illorum Paro„ chi licentia Matrimonio conjungere, aut „ benedicere ausus fuerit &c. -- Ex his habetur, quod Parochi assistentia concurrentiam, & influentiam aliquam debet præstare: id enim significat verbum illud *Conjungere*, quod tangit substantiam Matrimonii, sicut ly *benedicere*, quod tangit solemnitatem; sed pura localis præsentia nullam præstat influentiam, ut secundum se patet, & est æque indifferens ad contractum Matrimonii, ac ad confabulationem, nec plus facit, quàm faciat alterius Personæ ibidem physice præsentis; ergo ita debet esse præsens, ut, per attentionem ad hoc opus singulariter applicatam, verificetur influere, & concurrere.

10 PROB. III. Motivum intrinsecum, & causa formalis, ob quam Concilium exigit præsentiam Parochi, & Testium, est, ut Matrimonium possit probari in Foro exteriori, casu, quo occurreret occasio controversiæ. Postquam enim declaravit peccata, quæ a clandestinis oriuntur Matrimoniis, sic discurrit -- Quæ ex eisdem clandestinis Conju„ giis ortum habent, præsertim verò eorum, „ qui in statu damnationis permanent, dum, „ priore Uxore, cum qua clam contraxerant, „ relicta, cum alia palam contrahunt, & „ cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui „ malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis „ non judicat, succurri non possit, nisi &c. -- Sed nisi requirat essentialiter præsentiam moralem, qua Parochus sincere audiat, & sciat, tam ratio, quàm remedium evanescit, & nihil effecerunt Sapientissimi Patres, quod non est dicendum: nam crimen remaneret formaliter occultum, licèt materialiter commissum coram aliis: veritas, vel falsitas contractus nequiret legitime probari, siquidem si Assistentes vere non perceperunt, quid actum sit, veraciter non possunt testari; ergo Ecclesia mediâ assistentiâ harum Personarum, quas præscripsit de necessitate, non potest judicare de Matrimonio; ergo indispensabiliter petit in Assistentibus intelligentiam actualem.

Cur exigat Tridentinum præsentiam Parochi, & Testium.

Explico sensibiliter. Si Parochus esset cæcus, & venirent duo Sponsi cum duobus Testibus, & coram Ipso contraherent, non verbis, sed nutibus claris, & sensibilibus; posset ne Ecclesia per assistentiam illius Parochi judicare de illo contractu? Certe nullus prudens affirmabit. Idem exemplum enucleatur in Parocho surdo, qui videat Sponsos movere labia, sed nihil percipiat. Quantùm ad judicium ferendum nihil refert, quod vel non viderit, vel non audierit ex defectu potentiæ impeditæ, vel ex alio capite, si revera non vidit, nec audivit. Demus Petrum proferre hæresim coram tribus, qui revera non audiant, quid ille dixerit, etsi sonum aliquem confusum verborum perceperint: accusetur Petrus ad Tribunal Inquisitionis; poterit ne Tribunal illud per illos Testes judicare de illa causa? poterit ne Petrum damnare? Nequaquam. Ergo illud delictum, quantum est ex vi illorum trium, remanet occultum judicio Tribunalis; ergo ut efficiatur judicabile prærequiritur in Assistentibus vera cognitio de veritate prolatæ propositionis. Ergo Sapientissimi Patres Tridentini jocantur, quando requirunt Parochi præsentiam, ut fiat judicabile Matrimonium, si non est necesse, quod audiat, quod videat, quod attendat.

Testes veram debent habere cognitionẽ rei.

Addo aliam paritatem. Prohibet Ecclesia sub anathemate lectionem Talmud Hebræorum, non in odium Auctoris, sed ob periculum perversionis, propter malam doctrinam: ego percurro materialiter characteres illos Hebraicos, sed sensum veraciter non intelligo; si lego, pecco ne contra præceptum Ecclesiæ? Utique non; quia facta est prohibitio lectionis sufficientis ad prævaricandum, qua sufficientiâ caret lectio pure materialis. Cum ergo Ecclesia requirat præsentiam Parochi, ut succurrat malo Clandestinantium per legitimum judicium, non potest esse contenta solius assistentiæ localis, sed indispensabiliter requirere debet moralem, actualem, qua actu percipiat mutuum contractum, nec sufficit ea solùm, qua possit percipere.

11 DICES. Ut non remaneat formaliter occultum Matrimonium, sufficit intelligentia Testium; quibus contraponitur Parochus.

Verùm voluntarie hoc dicitur, & directe contra Textum. In primis, nullibi Concilium mentionem facit alicujus rei exercendæ per ipsus Testes, sive agatur de substantia Matrimonii, sive de rectitudine: plura autem agenda præscribuntur Parocho; & tamen præsentia Testium exigitur, ut moralis, & ut actualiter percipiens; ergo a fortiori necesse est, ut præsentiam pariter Parochi exigat ut moralem, & ut actu percipientem. Quia ad veritatem Testis necessaria est testificatio, hæc enim est Testis natura, quotquot sunt Catholici intelligunt, Concilium loqui de præsentia Testium humana; ergo, quia natura Parochi est nomen, & munus Pastoris, quod consistit in pastura, exigere necesse est in eo Matrimoniis adstante præsentiam moralem, sine qua administratio, & pastura non subsistit. Deinde Concilium semper sub eadem formula, & particula copulativa, jungit præsentiam Parochi cum Testibus, ita quod unum ab aliis nun-

Non sufficit Testium moralis præsentia.

nunquam dividat, vultque non sufficere Testium præsentiam a Parochiali divisam; igitur clarissime utrobique eumdem tenorem præsentiæ exigit humanæ; & nonnisi ex mero placito Parocho attribuitur sufficiens physica, Testibus moralis. Quia copulat dualitatem Testium, in utroque Teste indispensabiliter exigunt Tridentini Præsules præsentiam actualem humanam ad valorem Matrimonii; ergo quia copulat Testes cum Parocho, eandem in Parocho exigunt humanam præsentiam.

Corroboratur. Absque dubio quotiescunque ad aliquem contractum Jus plures requirit Testes, inter quos unus assumitur ut principalior, & primarius, si in minus principalibus exigit præsentiam moralem actualiter intelligentem, a fortiori illam requirit in principaliori: sed Ecclesia in Matrimonio ad valorem requirit inter Testes Parochum tamquam principalem, & primarium; ergo cum in aliis Testibus exigat præsentiam moralem, aptam ad testificandum, eamdem prærequirit in Parocho. Quod Parochus requiratur a Tridentino tamquam Testis primarius, ita verum reperio, quod ex pluribus Theologis, quos data opera evolui, nullum repererim negantem, immo nec dubitantem, sed positive asserentes invenio: & hoc ducti principio plurima resolvunt dubia unanimiter, quæ alias paterentur gravem difficultatem. Verum non egemus Testibus exterioribus; Patres ipsi Tridentini satis clare tradunt. Semper enim Parochum connumerant primo loco cum ceteris Testibus: ipsum qualificant, alios nequaquam: in aliis non curant de dignitate, & qualitate, in hoc maxime solliciti sunt: Parochum volunt, qui solet esse Persona excellens, & debet esse vi muneris: si non potest ipse adesse, volunt quod mittat ipse Sacerdotem, & non aliam Personam inferiorem conditione: Parochum volunt non qualemcumque, sed proprium: Parochum volunt adnotantem in Libro Conjugii celebrationem; ergo innegabiliter exigunt tamquam principalem. Ad rem nostram satis deservit illa conditio, *proprius Parochus*; proprius, quia obligatus ad invigilandum supra suos Parochianos: ad curam de illis habendam: ad illos promovendos quoad bona animæ: ad illis tradenda Sacramenta, & similia; ergo Parochi requiritur præsentia humana, alias æque haberet Ecclesia intentum, sive proprius, sive alienus assisteret Parochus, immo qualiscumque Sacerdos. Addo: Matrimonium habet rationem contractus civilis, & rationem Sacramenti. Ut civili assignantur duo Testes qualescumque habentes usum rationis, ut possint assistere humano modo: ut Sacramento assignatur determinate Persona Sacra; ergo cum ratio Sacramenti sit nobilior, & ratio etiam Personæ Sacræ, sequitur quod præsentia istius debeat esse nobilior, & principalior; esset autem valde vilis, & indecora, si sola sufficeret physica præsentia.

Parochus requiritur a Tridentino ut Testis primarius.

12 PROB. IV. Tridentinum ad valorem Matrimonii prærequirit Parochi præsentiam, tamquam præsidentis nomine Ecclesiæ, & respondentis, & acceptantis nomine ejusdem, & cibantis pabulo Sacramentorum; ergo innegabiliter, & absque ulla suspicionis umbra exigit, & exigere debet præsentiam vere humanam, quia sola physica, sola localis, non sufficit ad illa munera, nec sufficere potest. Ostendo quod Parochum requirat vestitum illis muneribus. Exigit ut Personam excellentem, ut Pastorem, ut in facie Ecclesiæ procedatur; non enim pro facie Ecclesiæ intelligitur facies lapidea Templi materialis, vel Altare, in quolibet enim loco contractus Matrimonii celebrari potest, substantialis tamen; sed pro facie Ecclesiæ intelligitur formalis, seu fieri nomine Ecclesiæ, acceptatione Ecclesiæ, approbatione Ecclesiæ. Et ratio est. Cum Matrimonium inter Fideles habeat rationem veri Sacramenti, ad Ecclesiam pertinet providere, ut debitis modis celebretur, adhoc, ut locum habeat illud Pauli, ad Heb. 13. *Honorabile sit Connubium in omnibus, & thorus immaculatus*: ac proinde deputat determinatum Ministrum ex suis, qui ipsius nomine assistat, & sine quo non subsistat ratio contractus Sacramentalis. Ob eamdam rationem, quia Matrimonium est res sacra, causas matrimoniales ad Judices Ecclesiasticos spectare decernit *Canon. 12. sess. 24.*, qui nomine Ecclesiæ judicia exercent. Ita quia Matrimonium substantialiter acceptum includit veram rationem Sacramenti, requirit Personam Sacram nomine suo celebrationi assistentem, sine qua non subsistit valor; ac proinde præsentiam modo humano exercendam requirit pro valore. Addo. Ante Tridentinum Matrimonia clandestina celebrata absque benedictione Sacerdotali dicebantur illegitima, adulteria, stupra, ut patet ex Epistola Evaristi Papæ relata *in Can. Aliter 30. qu. 5.*, & Concilium Lateranense IV. *cap.* 51. proles ex clandestinis natas illegitimas censeri decernit (quod pro Foro exteriori intelligendum docent communiter Doctores) ex quo ex defectu Testium, & Parochi non poterant probari. Nunc vero Tridentinum ita exigit Parochum, & Testes, ut non solum in Foro exteriori, sed revera, & coram Deo nullum sit Matrimonium absque illis celebratum. Sed tunc ad valorem, & legitimitatem pro Foro exteriori requirebatur Parochus humano modo assistens, videlicet benedicens; ergo nunc pariter requiritur Parochus humano modo assistens, videlicet audiens, acceptans, præsidens tamquam deputatus ab Ecclesia, alias non staret æqualitas substitutionis intenta a Patribus.

Parochus assistit Matrimoniis nomine Ecclesiæ.

13 PROB. V. Pro certo habeo, prout Docti advertunt, non esse fidendum Declarationibus Cardinalium Concilii Interpretum, absque examine, & clausis oculis ab Auctoribus Casuistis quandoque relatis, prout ab ipsis relatæ; quia experientia constat, de eadem re, sub iisdem circumstantiis, omnino afferri contradictorias Declarationes apud Summistas, quibus unusquisque utitur pro suo placito statuendo; quod cedit in gravem injuriam Sacræ Congregationis, quasi quod fluctuans, & inconstans circumferatur omni vento doctrinæ, modo hoc, modo illud contrarium adstruens; quod si verum foret, totum pondus auctoritatis ammitteret

Declarationibus S. Congreg. quando fides adhibenda.

teret circa hoc munus Concilium interpre-
A tandi , quia careret necessaria luminis firmi-
tate , pro investiganda mente Patrum Conci-
liariorum, in detrimentum evidens veritatis,
quæ semper una est , & constans, nec nunc
alba, altera die nigra ; & tolleretur de me-
dio finis, & utilitas intenta a Concilio in
tradendo pabulum salutaris doctrinæ . Hinc
falsò plures Declarationes tribuuntur Sacræ
Congregationi ; ob quam rem Urbanus VIII.
an. 1631. Constitutionem evulgavit , qua
voluit collectioni Declarationum Cardinalium
fidem non esse adhibendam , nisi exhibeantur
authentico sigillo, aliisque solitis formis robo-
ratæ : *Declarationibus ejusdem Sacræ Congre-*
B *gationis tam impressis , & imprimendis , quàm*
manuscriptis , nullam fidem esse in judicio ,
vel extra adhibendam . Nihilominus unam ,
vel alteram subjicio ex illis , quæ circumfe-
runtur , quæ si veræ sint , rem evincunt ,
quam intendimus . Prima est asserens -- Va-
„ lere Matrimonium , dummodo Parochus
„ sit præsens , & intelligat id , quod agitur,
„ licèt dissentiat , & contradicat : adhibitus
„ verò Parochus intelligitur , etiamsi ex alia
„ causa vocatus sit , dummodo sit adhibitus
„ ad talem effectum , dummodo intelligat
„ id , quod agitur -- Ait Declaratio secunda
-- Congregatio Concilii censuit , Matrimo-
C „ nium coram Parocho , & Testibus contra-
„ ctum , nisi aliud obstet , validum esse ,
„ quamvis Parochus invitus interfuerit , &
„ alia de causa , quam ut Matrimonio in-
„ teresset , a Contrahentibus accersitus fue-
„ rit , cum tamen ad actum matrimonialem
„ vere , & formaliter fuerit adhibitus : vere ,
„ & formaliter non adducitur , nisi audiat ,
„ & intelligat , quid agitur : si verò nihil
„ audiat , nihil intelligat , adducitur mate-
„ rialiter --

14 Requiri in Parocho præsentiam
moralem , & humanam , qua scilicet sciat ,
& advertat , quid agitur , docet Gonettus
D *Disput. 4. de consensu Matrimonii 55. artic. 3.*
speciali quæsito , ubi inter alia -- De Testi-
„ bus constat ; non possunt enim alioquin
„ testificari de re gesta . De Parocho autem
„ major adhuc est ratio ; quia debet esse ,
„ ut repræsentans Personam Ecclesiæ , ac
„ cognoscentis rem , quæ geritur, ut sic dici
„ possit Matrimonium contrahi in facie Ec-
„ clesiæ --

N. P. Gabriel a Sancto Vincentio *de*
Matrimonio disput. 3. quæst. 5. difficultate un-
decima , ubi ex professo inquirit qualis atten-
tio requiratur in Parocho , & Testibus , &
respondet , requiri actualem , qua advertat ,
E quid fiat; & probat -- Hic tamen actualis re-
„ quiritur , cum Assistentes debeant taliter
„ attendere , ut testificari valeant ; quod
„ cum sola attentione virtuali fieri nequit ;
„ qui enim virtualiter solùm attendit , &
„ actualiter est distractus, nescit quid fiat, &
„ perinde est , ac si absens esset. Unde sicut
„ in Sacerdote Confessionem audiente , non
„ sufficit attentio virtualis , sed actualis re-
„ quiritur , quia ut Judex assistit , ut judi-
„ care valeat ; ita quia Parochus , & Testes
„ assistunt , ut testificari possint , actualem
„ habere debent attentionem --

Tamburinus *lib. 8. de Matrimonio tract.*
6. cap. 2. 55. 3. idem docet aperte -- Non
„ est satis physica solùm, & materialis , sed
„ requiritur humana , & moralis , qua sci-
„ licet ipsi intelligant , & advertant quid
„ a Contrahentibus agatur &c. Respondeo ,
„ hanc non esse satis (idest virtualem atten-
„ tionem) quamvis enim attentio virtualis
„ satis sit in Ministro , ut conficiat Sacra-
„ menta , tamen in casu nostro , in quo Pa-
„ rochi , & Testes debent testificari de facto
„ aliorum , sofficiens non est , quia sine at-
„ tentione actuali vere Testes esse non pos-
„ sunt -- pluries idem repetit .

Bonus Merbesius *Tom. 2. Summa Chri-*
stiana , dissert. 7. de Matrim. quæst. 5. -- Re-
„ spondeo non solùm requiri physicam , &
„ naturalem Parochi præsentiam , sed insu-
„ per moralem , & humanam , qua humano
„ modo ipse Parochus Matrimonium con-
„ trahi animadvertat , & cum occasio popo-
„ scerit ipsum , cui per moralem præsentiam
„ adfuerit , celebratum esse, Ecclesiæ , & pri-
„ vatis, quorum intererit, sine tergiversatione
„ testificari valeat --

N. P. Andreas a Matre Dei *Tract. 9.*
de Matrim. cap. 8. puncto 5. num. 61. -- Tam
„ Parochus , quàm Testes debent interesse
„ Matrimonio non solùm physice præsentia
„ corporali , sed moraliter , & sic cum ad-
„ vertentia , & usu rationis , ut intelligant,
„ quid agatur , & de hoc testificari possint --
& num. sequenti probat , requiri actualem
attentionem , unde & si velit attendere , si
tamen mente distractus non intelligat , non
sufficere docet .

Petrus Marchant *De Matrim. titul. 7.*
quæst. 5. concl. 1., & 2. exprofesso idem do-
cet , cujus rationes supra expendimus , ideò
verba omitto .

Verricellus *De Apostolicis missionibus tract.*
12. de Matrim. qu. 180. quærit , an valeat
Matrimonium , si Parochus intelligat mu-
tuum consensum per Interpretem , & respon-
det affirmative -- Contrahentes satis est si in-
„ vicem mutuum consensum intelligant per
„ interpretem ; ergo a fortiori satis erit si
„ Parochus , qui Minister non est , neque
„ Judex , sed Testis , quæ aguntur , intelli-
„ gat per Interpretem &c. Confessarius , qui
„ vere , & proprie est Judex potest per In-
„ terpretem investigare peccata ; ergo etiam
„ Parochus potest per Interpretem intellige-
„ re consensum Conjugum -- Totus sem-
per in eo est quod Parochus intelligat .
Et ut solvat argumenta Pontii, numquam
recurrit , quod non sit necesse intelligere
consensum , circa quod vim facit Pontius ,
quod non sufficiat per interpretem , quia
requiritur vera intelligentia .

Cabbassutius *In praxi Juris Canonici lib.*
3. cap. 26. num. 12. -- Communis Doctorum
„ Sententia est , ad Matrimonii validitatem
„ sufficere Parochi etiam inviti præsentiam,
„ qua rem , quæ gerit , sufficienter agno-
„ scat &c. neque assistit nisi , ut principalis ,
„ & primarius Testis --

Gavardus *Quæst. 2. de Matrimonio art. 8.*
num. 16. -- Nam Parochi præsentia , & Te-
„ stium necessaria est per Tridentinum , ut
cer-

„ certam reddant Ecclesiam de Matrimonio
„ contracto ; unde si Parochus , & Testes
„ audirent per Interpretem , vel per alium ,
„ vel aures occluderent , ne audirent , Ma-
„ trimonium esset nullum ; quia debent esse
„ Testes de visu , & auditu immediato , &
„ non mediato --

Pessantius *in Commentariis D. Thomæ in addit. ad D. Tho. 46. disp. 1. conclus. 6.* --
„ Dico , non satis esse physicam præsentiam
„ Parochi , & Testium , sed requiri mora-
„ lem --

Coninck *Disp. 27. de Matrim. clandestino dubio 4. concl. 3.* -- Parochus , & Testes de-
„ bent ita assistere , ut intelligant , quid aga-
„ tur ; idque sufficit , etsi omnino inviti ,
„ ac pugnantes adhibeantur . Est communis
„ Doctorum . Prior pars patet ; quia non
„ possunt esse Testes ejus, quod nesciunt geri.
„ Confirmatur quia aliàs dormientes pos-
„ sent adhiberi Testes ; quod est ridiculum .
„ Nec sufficit , eos audire verba , aut videre
„ externa signa , nisi determinate intelligant
„ quid iis significetur ; quia non debent te-
„ stari, talia verba prolata esse, sed Matrimo-
„ nium esse contractum saltem quoad appa-
„ rentiam externam --

Layman. *lib. 5. tract.* 10. *part. 2. cap. 4. Notandum est tertiò* -- Præsentia Testium , uti
„ & ipsius Parochi , debet esse moralis , ut
„ intelligatur , quod agitur , ideoque testifi-
„ cari possint Matrimonium utriusque con-
„ sensu celebratum esse *arg. leg. 209. de verb.*
„ *signif. Coram Titio aliquid facere jussus , non*
„ *videtur præsente eo fecisse , nisi is intelligat ,*
„ itaque si furiosus aut infans sit , vel animo
„ nihil omino advertens &c. --

Renzius *in Encyclopedia Univers. Theolog. moral. tom. 2. lib. 1. tract. 8. cap. 3. sect. 4. Quæres 21. fol. 706.* -- Requiritur præsentia
„ non tantùm corporalis , & physica , sed
„ etiam moralis , & humana ; ut scilicet Pa-
„ rochus , & Testes usum rationis habeant ,
„ & intelligant consensum utriusque Conju-
„ gis &c. --

Brognolus *in Speculo Clericorum Tract. 18. cap. 5. resolut. 12. fol. 532.* -- Validum est
„ Matrimonium , quando Parochus sui com-
„ pos adest , sed affectat non intelligere ,
„ dummodo tamen vere intelligat --

Amandus Hermanus *super 4. sententia-rum , tract. 9. disp. 2. quæst. 8. num. 14.* --
„ Dico octavò . Præsentia Parochi , idem est
„ de Testibus , non sufficit simpliciter phy-
„ sica , & materialis , sed requiritur , ut sit
„ moralis , & humana , & aliquo modo po-
„ sitiva , itaut intelligat , quid agatur , sive
„ vi , metu , vel dolo fuerit adductus , etiam
„ dissentiens --

Ludovicus Abellli *in medulla Theologica part. 2. cap. 8. de Sacram. Matrim. sect. 2.* --
„ Porro tam Parochi , quàm Testium præ-
„ sentia non tantùm physica , sed etiam mo-
„ ralis requiritur , itaut intelligant , quid
„ agatur , & de eo testari possint , ut ob-
„ servat Laymanus &c. --

Petrus a S. Josepho *in Idea Theologiæ Sacramentalis lib. 4. cap. 4. Resol. 7.* -- Quartò
„ adverte , Parochum , vel alium ab eo de-
„ putatum debere esse præsentem contractui
„ Matrimonii , non solùm corporaliter , sed
„ etiam moraliter , seu cum advertentia ,
„ & usu rationis ; quia aliàs non posset te-
„ stari Matrimonium initum fuisse . Quæ
„ etiam ratio est , cur debeat attendere ad
„ ea , quæ peraguntur ; si enim quamdiu fit
„ contractus , mente vagetur , quomodo te-
„ stari poterit Matrimonium rite peractum
„ esse ? hoc certe perinde erit , ac si dormi-
„ ret , vel omnino abesset --

Laurentius Neesen *Theologus in universa Theologia Tom. 2. Tract. de Sacramentis tract.* 8. *quæst. 5. dubio 4. fol. 330. col. 1.* -- Qualis
„ præsentia Parochi , & Testium requiratur
„ *col. 2.* ad hoc , ut Matrimonium coram
„ illis contractum sit validum .

„ Respondeo . Horum non solùm re-
„ quiri præsentiam physicam , & corpora-
„ lem , sed insuper etiam moralem ; ita sci-
„ licet , ut cum advertentia , & usu ra-
„ tionis adsint , & intelligant , quid agatur ,
„ & de hoc testificari possint ; & ea propter
„ si Testes essent ebrii , dormientes , aut ca-
„ rentes usu rationis , inepti essent ad hoc
„ munus , esto forent physice præsentes . Suf-
„ ficiet tamen , ut Parochus , & Testes ali-
„ quo sensu externo percipiant consensum
„ Contrahentium ; ut si v. g. non audiant
„ verba ipsorum, videant tamen signa externa
„ mutui consensus . Immo satis est , si Pa-
„ rochus , & Testes per Interpretem intelli-
„ gant consensum , ut si v. g. Contrahentes
„ sint diversi idiomatis ; siquidem alii con-
„ tractus possunt per Interpretem celebrari ;
„ ergo & Matrimonium ; quo tamen casu
„ standum erit dictis ipsius Interpretis .

„ Petes , quid si Pastor occludat aures ,
„ & oculos , & nolit intelligere quid agatur ,
„ an Matrimonium sic contractum erit vali-
„ dum ?

„ Resp. si non intellexerit , nec adver-
„ tit quid actum sit , tunc Matrimonium
„ non valere ; quia tunc revera non est mo-
„ raliter præsens , itaut possit testificari de
„ Matrimonio contrahendo . Secus dic si ad-
„ vertat quid agatur , sed affectat non intel-
„ ligere , aut datâ operâ fingit se non in-
„ telligere .

„ Petes , quid si Parochus accedat cum
„ animo assistendi Matrimonio , sed tempore
„ contractus in tantùm distrahatur , ut ni-
„ hil sciat quid actum sit : an valebit Ma-
„ trimonium ?

„ Resp. neg. , eo quod attentio Parochi ,
„ & Testium requiratur , ut ipsorum testimo-
„ nio possit comprobari , & constare Ecclesiæ
„ de Matrimonio contracto ; quod testimo-
„ nium ferre non possit , nisi actu advertant --

Si quis turbam Auctorum hanc verita-tem docentium cupiat videre , adeat Advo-catum Dominicum Ursayam *libello de Ma-trimonii nullitate ex defectu consensus &c.* * &c. satiabitur ; quibus aliquos ab ipso non citatos inter allegatos addidi .

* *Tom. 1 dis. 2. part. 2.*

15 Concludo nunc . Ubi agitur de valore Sacramenti tutior pars est adhibenda , ut habetur in Propositione ex damnatis ab Innocentio XI. : sed hic agimus de valore Sacramenti , siquidem materia necessaria Sa-cramenti , & essentialis , est contractus mu-

Tutior Pars in Sacramentis adhibenda.

tuo consensu expressius publice, hoc est, in facie Ecclesiæ, videlicet coram Parocho, & duobus Testibus; ergo pars tutior est sequenda. Sed pars tutior est, non esse in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho, & duobus Testibus, si non sint præsentes humano modo, ut intelligentes, ut attendentes; ergo hoc est eligendum, & non aliud; sicut, si parte tutiori constaret, hanc aquam non esse naturalem, adhibenda non esset, & collatum Baptisma iterari deberet. Etsi tutiorem dicerim nostram doctrinam, non est, quod credam, oppositum esse probabile. Absit. Hoc aperte falsum judico. Sed syllogismum hunc volui efformare ad abundantiam pro coronide.

SOLVITUR OBJECTIO PRIMA.

16 OBJIC. I. Non est credendum, Sapientissimos Patres ita voluisse Matrimoniorum libertatem coangustare, ut esset in cujusque Parochi potestate eorum impedire celebrationem, & irrita reddere: sed si requireretur præsentia moralis intelligentis, hoc eveniret, nam posset nolle intelligere; ergo non requiritur præsentia talis, qua Parochus intelligat.

Hoc argumentum solvendum est ab omnibus nostris Theologis, cum sit ipsissimum Calvini *in Antidoto Concilii Tridentini sess. 7. Can.* 11., & Kemnitii *in Examine ejusdem Concilii*, quo improbant doctrinam Ecclesiæ exigentis in Ministro Sacramentorum intentionem faciendi Sacramentum, idest faciendi, quod facit Ecclesia. Dicunt enim ab uno pendere salutem nostram, valorem Sacramentorum; ab uno, qui suo arbitrio potest non habere intentionem; ab uno qui suâ malitiâ potest nolle facere, quod facit Ecclesia. Sciebant hanc Heterodoxorum doctrinam Sapientissimi iidem Patres Tridentini, & tamen secuti Florentinos *in Instructione Armenorum* Canonem illum undecimum condiderunt *sess. 7.* -- Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit -- Novit Ecclesia, & Ministros dari iniquos, & casus aliquos datos a Florentino ad Tridentinum, & a Tridentino ad nos, in quibus Ministri nullam habuerunt intentionem conficiendi Sacramenta; nec inde mutavit doctrinam; quinimò conantibus quibusdam Casuistis, hoc prorsus motivo doctrinam hanc paulisper relaxare, obstitit, & restitit, unde damnavit sub Alexandro VIII. 28. propositionem, quæ asserebat -- Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: non intendo, quod facit Ecclesia -- Sane quid majus est, requiri ad valorem Sacramenti opus intellectus, & voluntatis, & applicationem exteriorum potentiarum, quàm opus applicationis ad audiendum, ad actualiter attendendum: sane major est necessitas, quæ singulos afficit in ordine ad salutem æternam, quàm ea, quæ afficit aliquos de multitudine; si ergo Patres Sapientissimi exquirunt in Sacramentorum administratione singulis necessariorum id, quod est majus, & difficilius, quare credendum est noluisse requiri, quod est minus, & facilius in celebratione unius Sacramenti non omnibus necessarii? Quod si ad inconvenientia attendamus, multa majora sunt, quæ sequuntur, si admittamus quandoque dari Ministros, qui Sacramenta nulla efficiunt ex defectu intentionis, quàm si Parochos admittamus quandoque dari, qui nolint contrahentium audire consensum. Da Episcopum una vice tantùm unum, vel alterum Sacerdotem nulliter ordinantem: quæ absurda non sequuntur? Didicerunt Supremi Patres, Christum Dominum elegisse Ministros Sacramentorum homines rationales, ratione utentes; & inde intellexerunt, voluisse, exerceri humano modo Sacramenta, administrari, confici usu rationis. Voluerunt Sapientissimi Patres pro conditione legitimante contractum matrimonialem, præsentiam hominis rationalis, ratione utentis; ergo a Christo Domino edocti exigerunt præsentiam exercitam humano modo, & hanc sciunt requisitam in quolibet contractu humano politico. Et finis, quem habuerunt, evitandi inconvenientia sequentia in Matrimoniis male celebratis, & clandestinis, evidenter id petit; nam si Parochus, ut audiens necessarius est, potest advertere defectus, potest & corrigere, cum & Pastor sit. Dic quæso, si duo contrahant in Parochia Sanctæ Mariæ Transtyberim, maneant simul uno anno: deinde unus separetur ab altera, & maxime cum scandalo, nonne Parochus id resciens tenetur facere quod potest, ut scandalum impediatur, & redeant ad unionem? Utique ex proprio munere. Demus, quod Vir nequam respondeat: non est mea Uxor legitima: non dedi ei consensum: vel dicat, non acceptavit meum consensum: vel dicat, non erat præsens nisi unus Testis; si Parochus audivit, vel vidit, nonne potest statim obstruere os, mendacii ipsum arguendo? Nonne si in judicium contentiosum causa adducatur, faciliùs resolvitur? Utique. Secus si non audivit, nec vidit. Cum ergo hæc, & similia intenderint amovere inconvenientia Tridentini Patres, & hanc expostularunt præsentiam, expresse docent, se efficacius velle adhibere remedium pro impediendis clandestinis. Nullus prudens negabit, efficacius fore per necessitatem præsentiæ moralis, quàm solius physicæ; immo nullum ponitur remedium ex parte hujus medii, nam ad nullum finem conducit sola præsentia physica, nec magis conducit, quàm præsentia unius Statuæ. Deinde difficultas objecta proportionaliter vim habet ex parte Testium, qui facilè corrumpi possunt, & a quorum nullitate, & potestate dependet impedire, & annullare Matrimonia. Quis prohibet, quod unus, vel ambo pecuniam accipiant, ut non attendant, ut non sodiant?

In Ministro requiritur intentio faciendi Sacramentum.

Finis Trid. petit præsentiam Parochi moralem.

Itaque Patres Tridentini, utpote prudentissimi, sequuti sunt regulam illam relatam *l. Nam ad ea ff. de Legib.*, quæ docet, a lege spectari ea, quæ per se, & communiter solent evenire, non ea, quæ per accidens,

Lex spectat quæ per se solent evenire, non quæ per accidens.

& in

& in quibusdam casibus. Impossibile enim est occurrere omnibus casibus; nec ulla est lex tam sancta, tam prudens, tam cauta, quæ aliquibus casibus, & depravationibus non subjaceat, maxime ex malitia, & astutia hominum, quæ nihil sanctum relinquit intactum. Porro secundùm ea, quæ communiter occurrunt, non est hoc periculum, quod Parochi ex sua potestate velint impedire Matrimonia. Experientiâ edocti sumus, prout referunt Ecclesiastica monumenta, aliquoties evenisse, quod Parochi, & Capellani nullas effecerint Baptismata, quod Episcopi nullas fecerint Ordinationes, malitiose nolentes facere, quod facit Ecclesia: & novimus his in casibus reiterata, sub conditione saltem, Sacramenta; & tamen nullo certo casu legimus malitiâ Parochi quassatum aliquod Matrimonium a Concilio Tridentino usque ad hæc tempora. Ex eo etiam in Parocho minus imminet periculum in materia Matrimonii, quàm in aliis Sacramentis; quia potest faciliùs puniri, & convinci de malitia, cum adsint cum Sponsis duo, vel plures Testes, qui possunt contra ipsum deponere, secus in aliis, in quibus sufficit reticere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

17 DICES. Causa Matrimonii semper fuit favorabilis, & libertas judicata fuit necessaria, etiam post Tridentinum, prout ex oraculo Summi Pontificis rescriptum fuit anno 1616. ad Archiepiscopum Mechliniensem, & ex Cardin. Bellarmino transcripsit Pignatellus *Tom.* 4. *consult.* 145. *num.* 12.

Hæc instantia valde infirma est, & habet retorsionem in ceteris Sacramentis, pro quibus suscipiendis semper necessaria fuit libertas, & tamen dependent a Ministri intentione. Si adeo necessaria est libertas in Matrimoniis, cur Ecclesia in Tridentino Concilio confirmavit impedimenta dirimentia antiqua, quæ plura sunt vincula libertatis, & novum addidit? Si adeo necessaria est libertas, cur duos Testes exquisivit? nonne major foret libertas, si unus tantùm foret adhibendus, vel unus solùm sufficeret, qui intelligeret? Si adeo est necessaria libertas, cur determinate exigit Parochum, & quidem proprium? cur non sufficit quilibet de Clero? cur in Sacerdote adhibendo, ubi Parochus non potest, exigitur Parochi licentia? Aperte patet quod hæc esset major libertas, si abessent tot istæ modificationes, quas tamen non potuit infringere oraculum illud Pontificis.

Libertas Matrimonii quomodo judicata necessaria.

Libertatem necessariam judicavit Ecclesia: Ideoque liberum utrumque determinat consensum: ideo vim Principum minantium damnat: ideo a valore Parentum placitum excludit: ideo a valore removet necessitatem Proclamationum. Libertas semper judicata fuit necessaria: sed quæ non foveret clandestinitatem: quæ salvaret venerationem, & dignitatem Sacramenti: quæ faveret bono communi, occludendo viam innumeris inconvenientibus, quæ occurrunt, & oriuntur ex tumultuaria celebratione Matrimonii: quæ non destruat efficacitatem remedii adhibiti: quæ non evertat prudentialem, & rationalem formam judicandi de occultis. Cum autem nullum ex his habeatur, si sola physica

A præsentia dicatur necessaria, libertas a morali, & humana, libertas non est, sed effrenis licentia omni æquitati odiosa.

18 INSTABIS. Irritatio non est inducenda ex illo defectu, de quo Concilium non disponit expresse, stante Theorica Textus *in l. Præcipimus, C. de appellatione* — quod „ quidquid in nova lege non apparet specialiter expressum, id sub veterum legum, „ constitutionumque regulis relictum intelligitur, nec per subauditos intellectus in„ ducendum est, quod expresse non legitur;
B „ ac proinde, cum in ea parte Concilii, in „ qua Matrimonia irritantur, non legatur „ expresse repetita Parochi intelligentia, sed „ tantùm præsentia, nequaquam inducenda „ est irritatio ultra terminos ipsos a Conci„ lio expressos; ideoque dum loquitur Con„ cilium solummodo de præsentia, illius tan„ tùm defectus ex mente Concilii irritare „ debet Matrimonium, non autem defectus „ intelligentiæ — Sic *Romana Matrimonii*.

Defectus intelligentia Parochi irritat Matrimonia ex Trid.

Huic replicæ insolubiliter responsum est inter probandam assertionem; sed iterum illam expendo, quia a Romana repetitur.
C Sub majori posita in argumento, idest, *quod quidquid in nova lege non apparet specialiter expressum, id sub veterum legum, constitutionumque regulis relictum intelligitur, nec per subauditos intellectus inducendum est, quod expresse non legitur*, subsumo hanc minorem; sed in ea parte, qua Concilium irritat Matrimonia, non legitur expresse repetita Parochi proprietas, seu qualitas proprii, sed solùm præsentia; ergo defectus solius præsentiæ ex mente Concilii irritare debet, non autem defectus proprii. Atqui hoc a nemine conceditur, nec concedi potest; ergo illatio argumenti nulla est.

D Item sub illa majori subsumo hanc aliam minorem ad hominem; sed Concilium in ea parte, qua irritat, non repetit expresse intelligentiam vi naturalis potentiæ positam, sed solùm præsentiam; ergo solùm præsentiæ defectus irritat, non autem defectus intelligentiæ ortæ vi naturalis, vel accidentariæ impotentiæ. Sed per Romanam defectus intelligentiæ ortæ vi naturalis, vel accidentariæ impotentiæ irritat, sic enim inferiùs habet, referens Cardinalem de Luca — Idemque „ dixerat *in disc. de Matrim. num.* 9., ubi di„ stinguit inter Parochum vi naturalis, vel „ accidentalis impotentiæ non audientem,
E „ & inter nolentem, seu affectantem non „ audire, idemque concludunt Riccius, & „ alii supra laudati — ergo ex vi argumentationis positæ sufficeret præsentia Parochi obcæcati, quando contrahitur Matrimonium per nutus: surdi, quando per verba: ebrii, frenetici, dormientis. Profectò qui hæc afferret coram Hæreticis, Sapientissimos Patres Tridentinos exponeret irrisioni, & subsannationibus; & meritò, cum illico appareat ridicola conditio, nulli consequendo fini utilis.

Item sub illa majori subsumo hanc aliam minorem; in ea parte, in qua Concilium irritat, non legitur repetita disjunctiva præsentia expressa Ordinarii, sed præsentia solius Parochi; ergo defectus Parochi ob præsen-

 tiam

tiam Ordinarii, irritat Matrimonium; nam sicut defectus intelligentiæ non expresse repetitæ non irritat Sacramentum, ita defectus repetitæ præsentiæ expresse irritat. Atqui expresse non repetitur præsentia Ordinarii; ergo deficiente Parocho, sed stante Ordinario, nullum erit Matrimonium: quamvis valeat, si Parochus desit, & sit præsens alius Sacerdos de licentia Ordinarii, quia expresse legitur. Cogeris ergo per subauditos intellectus inducere conditionem proprii in Parocho expresse non repetitam: conditionem non habentis potentiam ad audiendum non expresse repetitam: conditionem disjunctivæ præsentiæ Parochi, vel Ordinarii non expresse repetitam. Eadem applica Testibus, de quibus nulla fit mentio expressa, quod debeant intelligere.

Lex quomodo interpretanda.

Quare non sunt inducendi subauditi intellectus extranei, & disparati; secus intrinseci, & necessarii, ut lex vim habeat, & sortiatur effectum; aliàs lex constituitur inutilis, quod accidit in nostro casu. Licèt pro certo habeam, verba Concilii esse clarissima, nec indigere interpretatione; tamen ad majus robur veritatis, placet unam, vel alteram regulam expendere ex illis, quæ communiter adducuntur pro interpretandis legibus.

19 Prima regula est. Ut recta sit Interpretatio, attendendum est ad finem legis intrinsecum, & menti standum est Legislatoris, etiamsi verba videantur aliud significare; unde *l. 15. de legibus* dicitur -- Scire „ leges non est eorum verba tenere, sed „ vim, & potestatem -- & *l. Non dubium* eodem titulo -- In legem committit, qui ver„ ba legis amplectens contra legis nititur vo„ luntatem -- & S. Hilarius *lib. 4. de Trinitate circa med. apud D. Th. 1. 2. quæst. 96. art. 3.* -- Intelligentia dictorum ex causis est „ assumenda dicendi; quia non sermoni res, „ sed rei debet esse sermo subjectus -- Sed mens, & finis intrinsecus Concilii exigentis præsentiam Parochi ad evitanda clandestina, est, ut nomine Ecclesiæ suscipiens consensum Conjugum, possit eam certiorare, quando fuerit necesse: quod absque vera præsentia morali haberi nequit; ergo ista est omnino necessaria.

Secunda regula. Quando verba legis sunt ambigua; tunc attendenda est materia legis cum suis antecedentibus, & consequentibus, & præcipue inspiciendum est exordium legis, quia in eo ponitur finis, & causa legis, ut constat *ex l. Regula circa finem ff. de jur., & facti ignorantia, l. finali ff. de testament. tutela* — attendenda est ratio, qua „ utitur legislator in ipsa lege-- Atqui ex antecedentibus, & consequentibus positis a Concilio in eo capite, quo exigit Parochi præsentiam, manifeste constat velle præsentiam humanam intelligentis, cum illi tot facienda præscribat; ergo. Atqui ex his, quæ leguntur in exordio, & in ratione, clarissime habetur, quod debet esse præsentia moralis, cum & prætendat remedium adhibere valde efficax, & prætendat habere modum judicandi de contractibus matrimonialibus, ex quo Ecclesia non judicat de occultis; ergo.

Tertia regula est, quod verba legis debent accipi secundùm proprium eorum sensum, & secundùm quod communiter accipiuntur in eo loco, tempore, circumstantiis, quæ consueverunt usurpari, ubi de clara mente Legislatoris non constat; & non debent deflecti ad sensum improprium, & extraneum. Et ratio clara est. Cum una ex conditionibus legis sit, ut sit clara, & distincta, ne exponat confusionibus omnia, pro certo tenendum est, Legislatorem usurpare verba in suo sensu proprio, & communi pro loco, & tempore; aliter cavillis totum repleretur, & nihil efficeretur. Atqui innegabiliter apud omnes, quoties ad aliquem contractum firmandum postulatur præsentia alicujus hominis, & præcipue excellentis, illud verbum, *præsentia*, accipitur de morali, & humana; ergo.

Quarta regula est, ut verba legis nunquam in eo sensu usurpentur, in quo sequatur aliqua absurditas, & iniquitas in Legislatore, vel lex reddatur inutilis. hinc *in cap. Si Civitas, de sententia excommunicationis in 6.* -- Ne Sententia Interdicti illusoria vi„ deatur extenditur ad suburbia --& *l. 19. ff. de legibus* in ambigua voce legis in ea significatione esse accipiendam, quæ vitio caret. Atqui si illud *præsentia Parochi* non accipiatur de morali, redditur inutilis lex quoad illam conditionem: quia nihil operatur, nulli effectui deservit, & est ac si non esset, idem facit, quod faceret Statua; ergo.

20 Deinde sic arguo demonstrative. Quotiescumque lex exigit in aliquo contractu conditionem aliquam pro evitando periculo nullitatis, aut alterius mali, & defectus, toties absque dubio conditionem illam rationabiliùs, fortiùs, & strictiùs prærequirit ubi, & in casu urgentioris, & majoris periculi: sed Concilium Tridentinum exigit intelligentiam mutui consensus ob periculum nullitatis, & alterius mali in casu minoris periculi; ergo rationabiliùs, fortiùs, & strictiùs illam intelligentiam prærequirit ubi urget majus periculum. Atqui majus periculum imminet in casu ejus partis Concilii, in qua irritat Matrimonia; ergo ibi præsentia Parochi humana, moralis, attenta, & vigilans a fortiori prærequiritur.

Ubi fortius periculum, ibi fortius urget remedium.

Explicatur argumentum. Sacrosancta Tridentina Synodus in casu ordinario, quo solent celebrari Matrimonia, præmissis debitis Proclamationibus, expectato convenienti tempore, ut possint denunciari, si quæ sunt impedimenta, ex æquo, & bono convenientibus Sponsis, & Parocho, & Testibus in Ecclesiam, & Parentibus, & Amicis, exigit ut Parochus intelligat consensum; *& eorum mutuo consensu intellecto; dicat &c.* Hic valde minus periculum subest nullitatis Matrimonii ex inattentione Parochi; siquidem exquisitam diligentiam præmisit pro agnoscendis, & detegendis impedimentis, exactam habet cognitionem Contrahentium, eorum exploratam expertus est voluntatem simul nubendi. Secus accidit, quando accedunt duo velut ex improviso, & conductis Testibus volunt nubere, nullâ servatâ formâ Ecclesiæ circa Proclamationes, & alia requisita; quis hic non videt majus subesse periculum nullitatis? Parochus

rochus nescit quales sint Personæ, quomodo accedant, non habet exploratas, præcipue Sponsorum, voluntates, per nullum medium potuit detegere irritantia ligamina, quæ Contrahentes occultant, vel ex malitia, passione vincente, vel ex ignorantia, quæ in pluribus abundat; ergo hic evidenter subest majus periculum; ergo hic Sapientissimi Patres potissimo jure prærequirunt actualem Parochi attentionem. Quis ab imprudentia excusaret Medicum, qui foret sollicitus in præcavendo morbo lethali in cura ægroti, ubi periculum esset ut duo, & eamdem non adhiberet sollicitudinem, ubi periculum foret ut sex? Quis Regem non redargueret insciitiæ, qui tempore belli præciperet Duci Exercitus vigilare ubi esset periculum amittendæ victoriæ, ut quatuor, & non præciperet eamdem diligentiam, ubi periculum esset, ut octo? Quis ut insipientem non damnaret Dominum, qui committeret suo Œconomo diligenter incumbere, ne exundans flumen agros suos obrueret illis circumstantiis, quibus periculum imminet ut tria, & idem non committeret, ubi periculum esset ut septem? Necesse est ergo imprudentiæ, insipientiæ, & oscitantiæ notare Sanctissimos Patres Tridentinos, vel palam, & candide fateri, voluisse a fortiori attentum Parochum in secundis casibus.

Periculum non intelligentia Parochi.

Exigit justis de causis intelligentiam mutui consensus ubi, & quando præmissæ fuerunt Proclamationes, & tota forma a Conciliis præscripta prævie observatur; quia in ipsomet actu contrahendi substantiales defectus evenire possunt, & absque dubio non rarò evenerunt. Sunt Puellæ, quæ etsi in privata domo promiserint nubere, in Ecclesia tamen erubescunt coram aliis consensum proferre; ad Parochum pertinet animare, ut proferant. Sunt & Puellæ, quæ ob reverentiam Parentum fidem dant se accepturos hunc, vel illum Sponsum, sed animum non habent sincerum, expectantque occasionem, ut coram Parocho, & in Ecclesia tutiores suum aperiant cor, & ora solvant; ad Parochum spectat, vel suadere, ut stent promissis, vel libertatem tueri Mulieris. Sunt, quæ palam uni verbum dant apparens, alteri clanculum revera promittunt, & conventione facta, disponunt, ut eadem die, hora, & loco conveniant cum Testibus, stentque ex altera parte, & dum exhibere debent consensum, non primo præstant, sed secundo ex condicto respondente. Quoties legimus evenisse: & quoties Ecclesia fusum ob hanc causam sanguinem flevit: quoties sanctitas Templi violata est, adstantibus hinc inde armatis hominibus, ad tutelam prætendentium: & quandoque nostra ætate audivimus ante ipsum Altare Sponsos peremptos. Ob hæc, & alia similia, quæ possunt evenire, & aliquando evenerunt, declaraverunt prudentissimi Præsules actualem intelligentiam in Parocho, etiam in casibus Proclamationum præmissarum, ne exponeretur periculo nullitatis Matrimonium. Ne igitur dormitasse dicamus, oportet concedere, voluisse in Parocho actualem intentionem in casibus omissarum Proclamationum, & præcipue in casibus tumultuariæ, & subitaneæ celebrationis; cum hinc ex pluribus capitibus subsit periculum nullitatis. Possemus instantiam retorquere etiam ex parte Testium; verùm quia superiùs tetigimus, abstinendum ducimus.

SOLVITUR OBJECTIO SECUNDA.

21 OBJIC. II. Quæ sunt de essentia contractus, & Sacramenti, in omni casu sunt necessaria: atqui præsentia moralis Parochi non est necessaria in omni casu ad valorem Matrimonii; ergo. Probatur antecedens. In casu, quo Parochus affectet non audire, valet Matrimonium, declarante Sacra Congregatione in una *Genuen.* 26. *Julii* 1582. his verbis -- Quid si Sacerdos nihil „ eorum, quæ agebantur vidit, atque audi-„ vit? Congregatio respondit: Non valere „ Matrimonium si non intellexit, nisi affe-„ ctasset non intelligere -- Similiter in altera *Sarzanen.* 16. *Febr.* 1648. In altera *Patavina* 16. *Maji* 1669. In *Tolentinen.* 28. *Novembris* 1671. *Vicentina* 11. *Martii* 1653. Quibus declaratum est, valere Matrimonium, non audiente Parocho, quia affectavit non audire.

Affectatio non intelligentiæ est duplex.

Priusquam solvam præsentem objectionem, placet aliquid præmittere in explicatione hujus dicti: *affectare non intelligere*. Affectare in præsenti stare potest dupliciter. Primò ut dicat seriò applicare se ad non intelligendum, assumendo media conducentia, ut claudere aures, fugere, excitare rumorem, & similia. Secundò, ut dicat fingere, & simulare, se non audire, revera tamen attente aures erigit, ut percipiat. Pro utroque sensu demus exempla vulgaria. Exemplum primi. Vir castus, dum accumbit cum aliis in aliquo loco, advertit, vel suspicatur, quod inducuntur turpia colloquia: affectat non audire, ne coinquinetur, & studiose applicat, ut non intelligat. Exemplum secundi. Sedet famulus ante Portam alicujus Officinæ: ingrediuntur duo, qui secretò, seu voce submissa colloquuntur ad invicem: curiositate motus sciendi secretum, simulat se ad alia attendere, & interim aures applicat ad penetrandum secretum. In utroque sensu, & casu stare potest, & stat sæpe, quod affectans non intelligere, de facto intelligat. Pro secundo casu non est dubium. Pro primo casu Testem appello singulorum conscientiam. Quoties evenit, quod studio applicamus nos in familiaribus colloquiis, ut non audiamus, quæ non placent; & tamen contingit totum audire? Quot sunt Viri timorati, qui seriò se divertunt, ut non audiant historias detrahentium, & nihilominus totum percipiunt? Quoties dum in Refectoriis leguntur in libris piis facta indecentia magis timidi intrant intra se, applicant se studio, ut nihil intelligant, & tamen concipiunt ita narrationem, quod ex integro referre possunt? Hinc manifeste falsa convincitur, nisi aliunde constet, hæc illatio: Cajus affectavit non audire Titium blasphemantem, detrahentem; ergo non intellexit. Ulteriùs progredior. Cum hoc stat, quod in communi

modo

modo loquendi, & secundùm id quod apparet, dicatur non audire, qui affectat exteriùs non audire, quamvis audiat; sicut fatuus dicitur, qui affectat exteriùs stultitiam, etiamsi sapiens sit, ut constat de Sancto Propheta David in domo Achis Regis. E contra audire dicimus, qui se applicat ex professo signis manifestis. Diversitas hæc diversos inducit effectus; sufficiat, pro explicatione, textus relatus *Cap. Ut animarum de Constitut.* in 6. ubi dicitur — Ut animarum periculis obvietur, Sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum Prælatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina — His positis

Affectatio non audiendi in Parocho revera non audiente an nullet Matrimonium.

Dicendum est: si Parochus affectans non audire, revera non audivit, nec vidit signa sincere exprimentia consensum mutuum, Matrimonium est nullum omnino. Hoc probant quæcunque superiùs diximus; quia demonstrative evincunt, Concilium exigere essentialiter præsentiam Parochi moralem; nec possunt aliter subsistere motiva Concilii. Quod si in hoc casu subsistit Matrimonium, semper erit in quocunque fingibili, in quo Parochus non audiat, validum Matrimonium; quia semper urget ipsissima rationis identitas, & finis intrinsecus Ecclesiæ. Si essemus in pœnalibus fortè affectatio inducere posset motivum diversitatis, & posset dari titulus ad aliquid faciendum in pœnam culpæ; at sumus in materia essentiali, & constitutiva rerum, quæ non variatur ad libitum hujus, & illius voluntatis, sed semper eadem manet. Quod ut palpabiliter evincatur, formo sequentes casus. Fingamus primò, Parochum in actu contrahendi Matrimonium, ita affectare nolle esse præsentem, quod de facto physice non fiat præsens, vel citissimâ fugâ, vel arte Magica sublatus; hæc affectata carentiæ physicæ præsentiæ nullum reddit Matrimonium. Fingamus secondò, Parochum affectare veram præsentiam, sed revera usu artis Magicæ, non sit præsens, nisi apparenter; Matrimonium revera nullum est. Fingamus tertiò, aliquem de Clero affectare se esse Parochum proprium illius Parochiæ, & non sit, neque habeat licentiam a proprio Parocho, vel Ordinario, non ex errore communi, sed accidentali, & particulari; Matrimonium nullum efficitur illo præsente celebratum; & de facto jussit Ecclesia, reiterari celebrata coram non Parocho proprio. Explico parumper. Si Contrahentes, vel ex singulari ignorantia, vel ex malitia celebrent coram Presbytero, qui nec sit Parochus, nec proprius, nec ullam habens licentiam; Matrimonium nullum est, etsi Presbyter ille solemnissime præsens sit. Porro quod facit ignorantia, & malitia stans ex parte Contrahentium, facit affectatio stans ex parte Parochi; si ergo illa non suffragatur valori, neque ista; est enim utrobique par ratio. Fingamus quartò, ex quocumque capite eveniat defectus, sive per ignorantiam, sive per malitiam, sive sponte, sive per violentiam, vel omnes Testes, vel unum ex duobus affectare non intelligere, ita quod revera non intelligat; nullum est Matrimonium. Fingamus quintò, unum ex Contrahentibus affectare non consensum, fingendo deliquium, ita quod revera non consentiat; nullum erit Matrimonium. Cum ergo hac inductione circa alia requisita pro evitanda clandestinitate fiat certum, affectationem excludentem realitatem requisitorum non suffragari valori, sequitur evidenti consequentia, affectationem Parochi excludentem veritatem intelligentiæ non suffragari valori.

Et ratio in omnibus istis casibus est eadem. Quamdiu non datur, vel pars aliqua constitutiva rei, vel conditio essentialis, numquam res illa consequitur esse: sed est essentialis in Teste, ut possit, & debeat testificari, cognitio sincera facti testificandi; ergo cum a Concilio prærequiratur præsentia Parochi tamquam Testis, & quidem principalis, sequitur de necessitate in eo requiri actualem intelligentiam. Per hoc enim quod affectavit non intelligere, affectatio non substituitur pro cognitione; siquidem nec ipse habet quomodo veritatem proferat absque culpa mendacii, vel falsitatis, aut temeritatis, casu deponendo quod non percipit, & ignorat, nec alii ex ejus dictis in cognitionem veritatis devenire possunt, non aliter ac si dormientis testimonium postularent, quibus illud Augustini congrueret: *Dormientes testes adhibes, vere & tu obdormisti.* Parochus debet esse ita dispositus, ut possit juridice interrogatus jurare circa factum matrimoniale, cum Testi injurato non præstetur fides *c. Tua c. Nuper de Testibus, & attestat. l. Jusjur. cod. de Testibus.* Sed affectatio, qua non intellexit, non tribuit Parocho dispositionem ad jurandum legitime; cum ad legitimum juramentum requiratur causæ honestas, præcautio, & veritas locutionis, juxta illud Jeremiæ 4. v. 2. *Jurabis: vivit Dominus, in veritate, in judicio, & justitia*: deest facultas ad veritatem locutionis: deest potestas ad præcavendam indiscreti, & incauti judicii præcipitantiam; ergo Parochi præsentia taliter est necessaria, quod debet posse contestificari cum aliis duobus de singulari facto secundùm conditiones requisitas a Jure in Testibus. Atqui affectatio, qua non audivit, nec percepit, quid actum sit individualiter, non præstat, quod possit contestificari cum aliis, aut cum alio de singulari facto; ergo. Parochi concursus debet esse talis, quod non possit excipi a Parte onerata, quæ vellet resilire in casu controversiæ circa nullitatem Sacramenti matrimonialis: est enim hæc certa regula in Jure, quod non possit Reus damnari, si juste excipit contra Testem; sed affectatio excludens intelligentiam, tribuit legitimum Jus excipiendi contra Parochum; siquidem unum ex præcipuis capitibus excipiendi contra Testem est ignorantia, & nescientia substantiæ facti, & essentialium circumstantiarum, ex quocunque proveniat, sive ex oscitantia, sive ex industria, sive ex malitia, sive ex bona voluntate; ergo. Parochi præsentia requiritur ut suppleatur defectus aliorum Testium, *argum. cap. Cum esses de Test.*: sed affectatio, qua non percipit, non tribuit habilitatem ad supplendum defectum Testium: siquidem supplet

Præsentia Parochi talis debet esse ut possit contestari juridice.

Præsentia Parochi talis esse debet ut non possit excipi.

Et ut suppleatur defectus aliorum Testium.

plet ratione qualificationis, & dignitatis, porro absque facti notitia non juvat personæ qualitas; ergo.

Si Parochus affectat dare licentiam alteri Sacerdoti, & revera non det, sed neget, maxime rationabiliter: affectatio non supplet defectum licentiæ; ergo si affectet non audire, affectatio non supplet defectum intelligentiæ.

In omni actu, & dispositione finis excepandus est: *l. dicimus ff. de Excusat. Tutor.* Finis disponentis Concilii in præsentia Parochi est evitare periculum fraudis in contractu matrimoniali; affectatio Parochi, qua non intelligit, non præcavet periculum, sed fovet; ergo excluditur ut insufficiens a dispositione Concilii. In quocumque casu lex Concilii locum habet, quoties id exigit substantiale judicium prudentiæ, quo usi sunt Sapientissimi Patres in ea condenda: porro prudentia dictat, in rebus gravioribus maturiùs esse procedendum, & inter negotia Matrimonium est gravissimum, & ob hoc, est adeo privilegiatum, & ob hoc, Parochi præsentiam expostulat, ut ejusdem gravitati consulat; ac proinde præsentia debet esse proportionata; & hujusmodi non est pure localis; cui equiparatur affectatio excludens intelligentiam.

Præsentia Parochi debet esse talis ut servet finem Tridentini.

Quod si attendamus naturam Sacramenti in Matrimonio inclusam, multò magis crescit necessitas intelligentiæ, crescente dignitate, & majestate hujus contractus; nam involvit excellentissimum mysterium conjunctionis Christi ad Ecclesiam, juxta illud Pauli: *Sacramentum hoc magnum dico ego cum Christo, & Ecclesia.* Et quoniam Ecclesia præfecit ipsi præsentiam Parochi, nomine suo acceptantis, & præsidentis, non potuit velle, nec debuit nisi eam, quæ decet tantæ significationi, tantoque mysterio: nemo autem non videt, præsentiam pure materialem nedum incongruam, sed indecentem fore majestati tanti Sacramenti; ac per consequens legitime concludendum est, necessariam esse intelligentiam in affectante, ex quo affectatio, nec dignitatem, nec pondus minuit significationis.

Quare declaratio Sacræ Congregationis subintelligit veram intelligentiam, & attentionem; & in hoc sensu admittitur a communissima Theologorum cohorte, exceptis quibusdam paucissimis, quos occidit littera, & non vivificat spiritus, cui standum est. Immo Bonacina *Tom. 1. operum moralium de natura, & proprietate Matrimonii quæst. 2. punct. 8. num.* 80. probat citando alteram declarationem Sacræ Congregationis.

22 Nec valet dicere, hanc interpretationem esse contrariam contextui, in quo supponitur, Parochum non intelligere: dum si revera intelligeret, casus dubitationis non emergeret, cum nullus unquam dubitaverit de Matrimonii validitate, Parocho revera intelligente; ideoque quæstio in propriis terminis agebatur, si Sacerdos nihil eorum, quæ agebantur vidit, neque audivit, ut sunt verba præcisa dubii disputati in Sac. Cong.

Non valet inquam; nam optime datur locus quæstioni, & valde rationabilis. Quia affectare non intelligere, exteriùs videtur non intelligere; qui enim affectate claudit aures accipitur exteriùs ut non audiens; sicut affectate claudens oculos, usurpatur, ut non videns. Et quia stare potest, quod aliquis affectet non audire, & audiat, ideo de auditione sub hoc modo, & circumstantia reputatæ non auditionis exteriùs, oriebatur prudentiale dubium controvertendi; quia Matrimonium debet perfici per contractum exteriorem publicum, & in facie Ecclesiæ, cui publicitati videtur obesse illa exterior, & apparens non intelligentia. Est simile in exemplo de Ignorantia, cujus species, quæ affectata dicitur. Quia in Jure usurpatur pro scientia, in Censuris latis contra attestantes aliquid scienter, illa non excusat, licèt revera, qui ea laborat sit ignorans; ita etsi exteriùs illa affectatio videatur non auditio; quia tamen revera est auditio, acceptatur tamquam sufficiens.

Hanc esse rectissimam mentem Sacræ Congregationis ostendo, ni fallor, demonstrative solidissima inductione, assumendo eamdam illam propositionem scilicet -- Dum, „ si revera intelligeret, casus dubitationis „ non emergeret, cum nullus umqnam dubitaverit de Matrimonii validitate, Paro„ cho revera intelligente -- Sic itaque ostendo. Stante veritate intelligentiæ, & præsentiæ actualiter attendentis, dubitatum est, an valeret Matrimonium, præsente Parocho excommunicato, ob circumstantiam Censuræ; & responsum est affirmative. Dubitatum est, an valeret, Episcopo prohibente, ob circumstantiam prohibitionis. Dubitatum est, an valeret, Parocho simulate ad alia negotia adducto, ob circumstantiam fictionis. Dubitatum est, an valeret Parocho casualiter transeunte, ob circumstantiam casualitatis. Dubitatum est, an valeret coram Parocho violenter tracto, & detento, ob circumstantiam violentiæ. Dubitatum est, an valeret coram Parocho dissentiente, & positive repugnante, ob circumstantiam contradictionis. Et in omnibus responsum est affirmative, dummodo Parochus intellexerit, & attenderit ad ea, quæ facta sunt, sufficienter ad testificandum. Vides ergo clarissime, Sacram Congregationem exquirere semper attentionem sufficientem. Vides, moveri dubium circa præsentiam vestitam circumstantiis. Vides, modos involvendi advertentiam dare causam quæstioni. Scientes ergo prudentissimi Interpretes, dari speciem quamdam affectationis ad non intelligendum, quæ realiter conjungitur cum intelligentia; de hac affectatione loquuti sunt, quando dixerunt, *nisi affectasset non intelligere*. Et fuisset manifesta tentatio injuriosa prudentiæ Interpretum, supponere casum, in quo absolute Parochus non audiat, nec videat, movendo eos ad Resolutionem directe oppositam intentioni Concilii.

Explicatur mens Sacræ Congregationis.

Sed ulteriora proferamus ad evidentiam. Si ex Contrahentibus coram Parocho, unus affectat contrahere, & vere non habet animum contrahendi, revera de facto coram Deo non subsistit Matrimonium; quia licèt appareat exteriùs forma contractus, tamen de

facto

facto non datur . Duo exempla profert Marchant. *Tom. 3. Resolut. de Matrim.* Primum exponit casu primo de quodam Jacobo , qui rem habuit cum quadam Margarita , habuitque prolem : Hæc post partum importune sollicitavit Jacobum , ut eam duceret in Uxorem, comminatione agendi contra ipsum juridice : qui abjit , & coram Parocho , & Testibus iniit Matrimonium, sed protestatus est Parocho se nolle cum illa inire Matrimonium , allegans impedimentum dirimens ob culpam commissam cum sorore Margaritæ , sed solùm id faciebat , ut honori Margaritæ consuleret , & Amicis ejus satisfaceret : & de facto intactam reliquit Margaritam , & cum alia , nomine Catharina , ejusdem Oppidi contraxit . Secundum exponit casu tertio de Petro quodam , qui volens contrahere cum quadam Maria ante omnium Sponsaliorum rationem , conveniens in Ecclesiam advocavit Presbyterum potestatem habentem , & duos Testes , coram quibus accepit manum Mariæ , his verbis : *Accipio Mariam in Conjugem meam* : Maria nihil ad hæc respondit , sed nec manum retraxit , nec fuit interrogata de consensu , sed solùm a Presbytero , an Matrimonium alteri promisisset , & negative respondit . istis similes alii casus evenerunt , & evenire possunt , in quibus affectetur consensus , & tamen non adsit . nec inde possunt Cardinales interpretari valere contractus coram Deo ; ergo neque in casu affectatæ non intelligentiæ in Parocho , si de facto non adsit . Nam sicut non possunt prædictum , quia , ubi Concilium ponit verbum illud , *contrahere attentabunt* , accipit pro realiter , & in re contrahere , non autem simulate , & affectate ; ita non possunt secundum , quia ibidem Concilium dicens , *præsente Parocho* , illud accipit pro vera , & sincera præsentia morali , & non ficta , & simulata .

Quod ita sit , patet ex illa declaratione , quam secundo loco nos posuimus *num. 12.* , quæ dicit : *cum tamen ad actum matrimonialem vere , & formaliter fuerit adhibitus* : affectatio autem excludens formaliter intelligentiam non componit , esse vere , & formaliter adhibitum Parochum , ut ex se patet ; ergo Sacri Interpretes non possunt extendi ad hanc affectationem . Patet item ex Sarzanensi , quam objicit ipsa Romana Matrimonii . In ea enim refertur , quod Contrahentibus absque præmissis Proclamationibus Parochus contradicebat , & audivit tantummodo verba consensus præstiti per Sponsum , dum Sponsam habebat præ manibus ; Congregatio censuit -- „ Matrimonium sustineri , etiamsi Parochus „ non intellexerit verba Sponsæ , dum tamen „ de illius consensu ex aliis signis juxta Ju„ ris communis dispositionem legitime con„ stet -- Vides cautelam . Vult Sacra Congregatio , quod casu , quo non audiat , debeat advertere signa , non quæcunque , sed juxta Juris communis dispositionem , quæ sunt illa actualia , quæ per nutus claros non patientes tergiversationem disponuntur a Lege . Illud *legitime constet* , cadit supra Parochum etiam ; nam Ecclesiæ de istis actualibus signis non constat legitime , nisi per Parochum , & duos Testes , qui sunt taxati a Concilio , ad verificandam Ecclesiam , quæ de occultis non judicat . Patet item ex Patavina , quam pariter objicit Romana . In ea enim absque tergiversatione omnia intellexit , & bene ipse Parochus ; sic enim est : Sponsus innuens Parocho Mariam Sponsam pronunciavit hæc verba -- Vide : Ista est mea Uxor : „ Sponsa statim subdit : Iste est meus Mari„ tus : ita Domine , Dominus Gambara de„ bet esse meus Sponsus ; & Parochus cœpit „ indignatus eos increpare , & redarguere -- Ecce quomodo aperte aderat perfecta intelligentia ; patet enim ex ipsa *Giennen.* prout refertur a Petro de Ledesma *De Matrim. quæsito 45. art. 5. dub. 2.* , in qua revera Parochus totum intellexit , sed reclamavit , se nolle , nec posse ei Matrimonio clandestino assistere , neque ut Parochum , neque ut Testem , & cœpit obturare aures , licèt ei vis fieret . Et laudabiliter se gessit Parochus nolens concurrere gravissimo peccato , quod a Contrahentibus committebatur , agendo contra formam ab Ecclesia statutam ; unde Sapientissimi Judices debuissent illum præmiare , & juxta Statuta Concilii , Contrahentes graviter punire .

SOLVITUR OBJECTIO TERTIA .

23 OBJIC. III. Iden requiritur præsentia moralis in Parocho , ut possit Ecclesia certificari de valore Matrimonii (*Ita Romana Matrimonii*) sed adhuc Parocho non intelligente , potest haberi certificatio sufficiens per signa , & conjecturas præcedentes , & subsequentes ; ergo non est necessaria præsentia moralis .

Signa adjacentia Matrimonio .

Hæc objectio ex dictis est sufficienter soluta ; nihilominus lubet parumper explicare pro illis , qui ex superficialiter inspectis moventur . Et pro claritate suppono , quod signa præcedentia sint , quæ communiter occurrunt , ut quod mutuo consensu Sponsi verbum dederint nubendi coram Parentibus , & Amicis , vel aliis Personis : quod Proclamationes procuraverint fieri per Parochum : quod certum statuerint diem celebrandi Matrimonium : quod die statuto lubentes cum Testibus , & Parocho adiverint Ecclesiam , publicæ Missæ nuptiarum interfuerint ; & similia . Subsequentia signa : lubentes Sponsos cum Amicis exire ab Ecclesia , vel domo Parochi : iatos cum Consanguineis convivium celebrare : simul cohabitare , & alia adminicula inter Uxoratos familiaria . His conjecturis fortiores , & clariores difficilè invenientur . Nunc dico complexum antecedentium , & subsequentium circumstantiarum non suffragari , si Parochus indubie non audierit actu verba Contrahentium , vel manifestos nutus perceperit . Evinco a posteriori , deinde a priori . A posteriori sic

Signa adjacentia Matrimonio non sufficiunt ad ejus valorem.

Primò . Hæc signa omnia concurrunt quoties celebrantur Matrimonia ordinario ritu Ecclesiæ : sed tunc Concilium requirit , quod Parochus intelligat , ideo dicit : *Et eorum mutuo consensu intellecto* ; ergo ex mente Concilii non sufficiunt adminicula antecedentia

dentia absque intelligentia Parochi. Porro Concilium ad supplendum defectui circumstantiarum, quæ occurrunt in Matrimoniis ordinariis, & desunt in extraordinariis, adjunxit Parocho duos, vel tres Testes; ergo etiam in illis non sufficiunt Ecclesiæ adminicula extrinseca absque Parochi intelligentia; & a fortiori, cum sit magis necessaria ob deficientiam majorum signorum.

Secundò. Ante legem Tridentinam clandestina Matrimonia habebant plura signa indicantia, suadentia, & probativa contractus: & hoc non obstante ad evitandam Polygamiam non est visum satis Sapientissimis Patribus, nisi adesset proprius Parochus, cum duobus, vel tribus Testibus, & quidem pro valore essentiali; ergo non est de mente Concilii fidere conjecturis adjacentibus, sed formæ intrinsecæ.

Tertiò ad hominem. Sicut Parocho præsente, sed non intelligente, per extrinsecas conjecturas, & signa certificari potest Ecclesia: ita Parocho non præsente, per eadem signa, & majora certificari potest Ecclesia de celebrato Matrimonio; & tamen ex mente Concilii Matrimonium est nullum: unde nullum est apud Doctores celebratum coram Senatu, coram omnibus Parentibus, & Amicis notissimis specialiter vocatis, quinimmo celebratum in publicissimo Theatro, & registratum publicis tabulis Notariorum. Hic abundantissime est per æquivalentiam supplera fides per Parochum præstabilis: & tamen hanc non acceptat Concilium: hus casus non excipit; ergo pariter non suffragatur adminiculatio, & æquivalentia per signa sufficientissime suppletiva fidei præstabilis per intelligentiam Parochi, nisi vere intelligat.

Quartò item ad hominem. Ponamus hunc casum practice possibilem: ex æquo, & bono conveniant Sponsi sub omnibus circumstantiis ordinariis exigitis ab Ecclesia. adsit solùm alius Sacerdos distinctus a Parocho, qui sit Amicus Parochi, & a Sponsis desideretur, & cui sit assuetus Parochus alia munia Parochialia committere: statutâ horâ celebrandi Matrimonium, simul accedant ad Ecclesiam cum ceteris de comitatu: interim dum disponuntur res pro celebranda Missa nuptiarum, Parochus vocetur ad Confessionale, vel ad Moribundum, vel ad lavandum puerum e fonte, vel adveniat aliqua Persona nobilis tractatura negotium grave, & in aliquo angulo detineat eum ad loquendum: interim Sacerdos ille ingrediatur Ecclesiam, dicat habere licentiam a Parocho, celebret Matrimonium, notet in libro Parochiali · deinde superveniat Parochus, nihil dicat, ne disturbet lætitiam, immo cum aliis descendat ad convivium nuptiarum; sed supponamus, Parochum non dedisse licentiam, sed positive petitam ei negasse, immo quando recessit ad unum ex prædictis negotiis pertractandis actu repetierit se non concedere illam licentiam, sed velle quod Sponsi parumper illum expectent. Elapsis sex mensibus serio uni ex Sponsis dicat se non dedisse, sed negasse licentiam illi Presbytero; quo audito Sponsus velit resilire, quia turbulentias patitur cum Conjuge. Tunc sic Matrimonium illud est innegabiliter nullum; quia deficit debita licentia. Sed Ecclesia habet ex conjecturis, & signis, quomodo possit certificari, tum de consensu Sponsorum, tum de legitimitate facultatis in Sacerdote: nam complexum illud, quod Presbyter esset Amicus Parochi, cui solebat Parochialia committere, simul iverint ad Ecclesiam, simul redierint, non reclamaverit exteriùs contra factum, Sacerdos ille (quem volo supponamus aliunde boni nominis) dixit publice se habere licentiam, facit vim maximam, quod fuerit revera legitima facultas; & tamen hoc genere certificationis non est contenta Ecclesia, sed nullum vult tale Matrimonium non obstante tam gravi æquipollentia; aliunde ergo petenda est certioratio.

Quintò ad hominem. Item adsint omnia plana more consueto, tum antecedentia, tum concomitantia, & subsequentia; sed solùm in actu celebrandi unus ex Testibus assuetus ad tempus pati stultitiam, seu stoliditatem talem, qua remaneat velut lapis, nihil advertens, tunc illam patiatur, vel alius (liceat hæc fingere) considerans in Matrimonio carnali figurari desponsationem Christi cum Ecclesia, rapiatur in extasim omnino absorbentem. Certe coram Deo, & Ecclesia, hoc Matrimonium est nullum: sicut nullum esset, si celebraretur coram duabus Statuis, vel uni; & tamen essent ordinariissima, & clara adminicula extrinseca ad certificandam Ecclesiam de consensu Sponsorum, & de celebrato Matrimonio. Patet igitur indubitanter, quod Ecclesia huic viæ certificanti per extrinsecas conjecturas non fidit Matrimonii valorem. Et si aliquam fidem meretur authoritas Cardinalis Pallavicini, Concilii Tridentini historiam texentis, res satis constat. Nam referens varia media, quibus Sanctissimi Patres tentabant annullare clandestina, illud unum erat de complexo probationum extrinsecarum, his verbis conceptum *lib. 22. cap. 8. num. 9.* -- *Argomento delle questioni disputate era il Matrimonio Clandestino, e per agevolare la deliberazione fu proposta un' altra forma, nella quale si attemperava l'annullamento con queste parole: se pure il Vescovo non giudicasse opportuno ec. che gli Matrimonj, e gli Sponsali contratti in presenza di tre testimoni si possano provare con due di loro, e con altra legitima prova*: igitur &c.

Ratio a priori est, quod quoties aliqua forma contractus, vel Sacramenti est ita essentialis, vel necessaria, ut sine ea nullus sit contractus, nullum sit Sacramentum, toties ea deficiente, omnia alia quæcumque extrinseca adminicula, etiam vehementissima non conducunt ad valorem illius actus. Quod etiam verificatur de materia essentiali, ita ut si haberem momenta probantia, in Calice esse vinum de vite, & de facto non esset, consecratio nulla esset. Sed ad valorem Matrimonii exigit Ecclesia formam constitutam per proprium Parochum, & per duos Testes ad minus, qua deficiente annullatur Matrimonium; ergo probatio per hos tres est necessaria, & ita quod, ea deficiente, & alia quacumque stante etiamsi validissima, nihil efficiatur.

Explico argumentum. Christus, quia homines lumns sensibiles, instituit Sacramenta sensibilia, & in signis sensibilibus, qua sensibilitate deficiente, deficit Sacramentum. Sed non qualiscumque sensibilitas sufficit; sed ea prærequiritur, quæ est propria ex sua institutione. Hinc si quis aperiat sua peccata Presbytero, aliàs Confessario, etiam cum dolore, sed non sacramentaliter: illa sensibilitas non sufficit ad constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Porro in Matrimonio sensibilitas requisita est consensus expressus exterior; sed non qualiscunque, sed ille, qui exprimitur in ipso actu contractus. Hinc etiam quando Matrimonium clandestinum erat validum, non sufficiebat quicunque consensus signis, verbis, promissionibus explicatus; sed ille prærequirebatur, qui in actuali promissione de præsenti exprimebatur, unde si in illo actu Mulier immobilis permansisset, nec verbis, nec signis exponens consensum Viro dicenti, *te accipio in uxorem*, contractus non valebat, etiamsi mille signa præcessissent. Nunc mutuus iste consensus exterior debet exire a finibus clandestinitatis per ea, quæ constituta sunt ad clandestinitatem auferendum; hæc autem alia non sunt nisi præsentia Parochi, & duorum Testium ad minus, quibus deficientibus, & millenis aliis signis circumstantibus, nullum est Matrimonium, ac proinde per hanc solam formam efficitur coram Ecclesia, & per hanc solam capax probationis; quare clare constat, alia quæcumque adjacentia adminicula non valere.

Sine præsentia morali Parochi, & Testium Matrimonium non est capax probationis.

Sine autem præsentia morali, qua intelligat Parochus mutuum consensum, non datur intrinseca capacitas probationis. Hinc Concilium non dixit, coram duobus, vel tribus hominibus, sed Testibus, quia necessariam expostulat præsentiam sufficientem ad testificandum. Ex quo fit, quod nullum foret Matrimonium celebratum coram duobus Moscovitis ex illis, qui Romæ transierunt anno elapso, nec linguam Italicam, nec Latinam intelligentibus, nec scientibus quomodo nostra fiant Matrimonia; non ob aliam rationem, nisi quia nequirent respondere interrogati. Et si auderet concedere validum, utpote contractum coram tribus quibuscumque, eàdem facilitate concedere poterit, subsistere celebratum coram Statuis Parochi, & duorum hominum. Necessaria est ergo advertentia actualis ad ea, quæ aguntur.

Parochus requisitus debet posse jurare, si fuerit necesse; si autem non perceperit distinctè actualem consensum mutuum, etiamsi habeat signa plurima antecedentia, & subsequentia, nequit jurare, actualiter, & legitime fuisse celebratum contractum, sed solùm poterit jurare adfuisse illa signa. Antecedentia verò non constituunt ipsum Sacramentum, nec extrahunt a finibus clandestinis, sicut nec consequentia; ergo scientia illorum in Parocho non sufficit ad mentem Concilii; adeoque actualis advertentia prærequiritur.

Verba Parochi ego vos conjungo sunt necessaria.

Licèt non admittatur a Doctoribus ad valorem Sacramenti prolatio in Parocho illorum verborum, *ego vos conjungo*; conceditur tamen, esse necessariam necessitate præcepti, ita quod eorum omissio absque motivo
A rationabili apud aliquos sit lethalis, apud alios venialis. Cum hoc autem non stat, quod non requiratur præsentia moralis ad substantiam Sacramenti. Si ad valorem non est necessaria advertentia actualis, omissio illorum verborum nequit ex præcepto esse damnabilia; si enim ad id, quod est majus, nempe ad essentiam, non exigitur applicatio actualis, multò minùs ad complementum, & ad accidentalia. Certe durum est capere, quod peccet Parochus non perficiendo Sacramentum media forma illa cœremoniali præscripta, & quod in eo non requirat Ecclesia advertentiam actualem, cum annullat contractum celebratum absque Parochi præsen-
B tia. Durum intellectu est, quod sufficiat probatio per sola adminicula antecedentia, & consequentia, & tamen indispensabiliter velit Ecclesia Parochi præsentiam in ipso actu sub modo inutili ad præbendum Testimonium de ipsa actuali celebratione. Sufficeret enim quod Parochus haberet cognitionem illorum adminiculorum extrinsecorum absque ex præsentia; cum per hæc signa consurgat probatio, secundùm mentem Romanæ Matrimonii.

Affectante Parocho non audire &c., & revera non audiente, invalidum est Matrimonium.

24 Ex dictis remanet resolutum quæsitum in tertio loco propositum, videlicet — „ An affectante Parocho non audire verba,
C „ vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere Matrimonium, & revera „ illo non audiente, vel non vidente, vali„ dum sit Matrimonium coram ipso attenta„ tum — Remanet inquam resolutum *negative*.

Quoties enim ad aliquem actum deest essentialis conditio, vel forma, ex quocumque capite desit, actus ille est nullus: atqui ad valorem contractus matrimonialis exigitur essentialiter præsentia Parochi actu advertentis, & attendentis; ergo ex quocumque capite non attendat, nec intelligat, contractus
D est nullus. Ex pari ratione, qua si realiter consensus non exprimatur exterius, ex quocumque capite procedat, sive quia affectat unus ex Contrahentibus non exprimere, sive quia aliquod accidens superveniat, quo impediatur exponi, Matrimonium est nullum; porro sicut consensus est necessarius essentialiter ad naturam contractus, ita præsentia Parochi actu intelligentis est essentialiter necessaria ad extrahendum contractum a finibus clandestinitatis.

Quoties ad aliquod Sacramentum deficit sensibilitas requisita necessariò ex ejus institutione, & per Ecclesiam declarata, toties Sa-
E cramentum illud nullum est, ex quocumqoe capite oriatur defectus. Hinc si Sacramento Pœnitentiæ desit absolutio ore prolata, nullum est, sive omissio proveniat ex affectatione Ministri, sive ex superveniente aliquo impedimento, ut si ex improviso moriatur, vel obmutescat. Porro sensibilitas essentialis declarata ad valorem Matrimonii est consensus manifestatus coram Parocho actu intelligente; ergo si ea deficiat, sive quia affectat Parochus, sive non, nullus est ille contractus matrimonialis.

Non est minoris ponderis præsentia moralis

ralis Parochi, quàm Testium requisitorum: immò tanti Ecclesia facit Parochi authoritatem, ut totum onus in ipsum rejiciat, & ipsum *cap. 1. de Reformatione Matrimonii sess.* 24. duodecies nominat Concilium Tridentinum: sed in Testibus præsentia moralis debet esse actualiter percipiens, unde ea quocunque capite non percipiant, sive sit, quia affectant non percipere, sive quia aliunde impediamur, revera clandestinum est Matrimonium; ergo a fortiori, si desit in Parocho intelligentia actualis, & perceptio, nullum erit. Affectatio, sub qua revera non percipitur, vere impedit cognitionem necessariam ad testificandum: sicut impedit actualis ebrietas, stultitia, carentia linguæ vernaculæ, qua profertur consensus: sicut impedit, si violenter retrahatur per Sicarios, ne præsens sit, si ex improviso in ipso actu occupetur a paralisia; in quibus omnibus nullum est Matrimonium.

Affectatio Parochi non audiendi quando culpabilis. Solùm illa affectatio poterit esse culpabilis, si Parochus absque rationabili motivo affectet non audire; & poterit esse dignus pœnâ. Ceterum malitia Parochi non suffragatur valori contractus; sed solùm ipsum constituit reum, & punibilem. Non suffragatur malitia Parochi, si suâ culpâ nolit assistere, & ideo se intra domum claudat; sicut non suffragatur Pœnitentiæ Sacramento malitia Confessarii, si affectate non proferat verba absolutionis, sed solùm ei nocet subjiciens eum pœnis. Ex dictis hæc clara sunt.

25 Præsentiam moralem talem, sub qua Parochus, & Testes debeant actu audire, vel videre nutus, tenent communiter Auctores Concilio Tridentino posteriores.

Auctores post Tridentinum. Riccardus ARSDEKIN *in sua Theolog. tripartita p. 2. tract. 4. cap. 8. §. 6. n. 6.* —
„ Sufficiunt quicunque Testes, modò intel-
„ ligant, quid fiat, & sufficit Parochus Viri,
„ vel Fœminæ, etiam in aliena Diœcesi, &
„ etiamsi nondum sit ipse Sacerdos, &
„ etiam si præsens contradicat, aut vi deti-
„ neatur, modò Parochus præsens cum Te-
„ stibus intelligat, quid fiat, scilicet viden-
„ do, aut audiendo —

Busenbaus *Medulla Theologiæ moralis lib. 6. tract. 6. c. 3. dub. 2. n. 9.* — Parochus, & Testes, sic
„ debent esse præsentes, ut advertere possint,
„ quid agatur, & de eo testari. Et quidem
„ non est necesse, ut ipsi videant Contrahen-
„ tes, dummodo audiant verba contractus,
„ si voces Contrahentium noverint —

Gaspar Jueninus *in Commentario historico dogmatico de Sacramento Matrimonii c. 3. de præsentia Parochi, Testium &c. concl. 2.* —
„ Circa Testium qualitatem nihil prorsus est
„ determinatum; In praxi non habetur,
„ ut fit in ceteris contractibus, ratio aut
„ sexus, aut professionis: satis nimirum est,
„ ut Testes fruantur usu rationis, possintque
„ de iis respondere quæ spectant partium
„ consensum. Expedit tamen, ut fraus quæ-
„ libet vitetur, ut Parochus notos sibi Testes
„ vocet ad Matrimonium —

Matthæus Renzi *in sua Encyclopedia universa Theologia moralis de Matrimonio cap. de præsentia Parochi* ait — Requiritur præsentia
„ non tantùm corporalis, & physica, sed
„ etiam moralis, & humana; ut scilicet Pa-
„ rochus, & Testes usum rationis habeant,
„ & intelligant consensum utriusque Conju-
„ gis. Probatur *ex l. coram Titio ff. de ver-*
„ *borum signif.* ubi dicitur *coram Titio aliquid*
„ *facere jussus, non videtur eo præsente fe-*
„ *cisse, nisi is intelligat*. Et ratio est, quia
„ Tridentinum idcirco requirit horum præ-
„ sentiam, ut hi de Matrimonio contracto
„ testificari possint; ergo debent hi consen-
„ sum Contrahentium intelligere &c. —

Natalis ab Alexandro *in sua Theologia morali dogmatica lib. 2. de Sacramento Matrimonii, Regula decima* — Præsentiam enim
„ dumtaxat non aliud ministerium Parochi
„ Concilium Tridentinum exigit, ne Matri-
„ monium clandestinum, & irritum sit, præ-
„ sentiam, inquam, illius, tamquam Testis
„ præcipui, & authoritatem habentis, &c.
„ *Regula* 18. quod verò ad Testium qualita-
„ tem attinet, non sunt ad severam legum
„ normam exigendi, sed sufficiunt quicum-
„ que rationis compotes, quamvis impube-
„ res, consanguinei, domestici, fœminæ,
„ aut infames, quia moraliter præsentes esse
„ possunt, & de re gesta testimonium ferre,
„ quales enim Testes esse debeant, Conci-
„ lium Tridentinum non præscribit. Curan-
„ dum tamen est, Parocho, ut noti sint, ac
„ probi —

Franciscus Bonæspei *Tom. 6. de Sacram. disp. 6. de Matrimonio dub. 5. resol. 4.* — Dico
„ 4. præsentia Parochi, & Testium non de-
„ bet esse talis, sub qua per se Contrahen-
„ tium consensus percipiant, sed sufficit quod
„ per Interpretem. Virtualis tamen ad illos
„ consensus attentio non sufficit; quia sub
„ illa esse possunt ad alia omnino distracti.
„ Ac actualis requiritur; hæcque sufficit,
„ licèt inviti assistant. Prob. 2. pars. Quia alio-
„ quin Parochus, & Testes certò testari non
„ possunt contra volentes transire ad secun-
„ das nuptias, esse initum Matrimonium,
„ defectu advertentiæ actualis ad consensus;
„ unde revera non essent Testes. Resp. quod
„ si hi vere advertant contrahi Matrimo-
„ nium, nihil obstare, quia advertentia illa
„ ad testandum de Matrimonio contracto,
„ ac si ipsi ex proposito essent præsentes —

Joannes Præpositus Attrebatis *in 3. part. D. Thomæ Sect. 4. de Matrim. dub. 13.* — Re-
„ quiri physicam, & moralem præsentiam,
„ idest ut Pastor, vel alius sit præsens cor-
„ pore, & anima, seu humano modo, ac
„ advertens, quid agatur, patet ex Triden-
„ tino requirente præsentiam Parochi, ut
„ possit Ecclesiæ constare de Matrimonio
„ inito, si fortè Partes ad alias nuptias vel-
„ lent convolare; non potest autem consta-
„ re, si Parochus non advertat quid agatur.
„ *Part.* 2. Non valere si Parochus ita distra-
„ hatur, & animum ad alia applicet, ut
„ nullo modo noscat, quid fiat, immo si ad-
„ vertat quidem signa consensus maritalis
„ expressiva adhiberi, ut talia, seu ut ex-
„ pressiva consensus matrimonialis; nam præ-
„ sentia humana requiritur, ut notet con-
„ tractum, & de eo possit testari; quod nul-
„ lo modo eo casu præstare posset. Addi,
„ quod non sufficiat, ut postmodum per

„ quemdam discursum , & mentis reflexio- „ nem super eo quod vidit fieri , notet par- „ tes per hujusmodi signa voluisse contra- „ ctum matrimonialem celebrare , & ea signa „ fuisse consensus maritalis expressiva , ut il- „ lud notet dum initur contractus --

Adamus Tannerus *Theol. Scholast. disp.* 8. *de Matrim. qu.* 3. *disp.* 6. *n.* 6. -- Parochus , „ & Testes debere esse præsentes non solùm „ physice , sed etiam moraliter ; prudentes , „ & scientes , quid agatur &c. --

Petrus Ledesma *de Consensu occulto facto cap.* 6. *Theol. moralis* -- Præsentia verò „ moralis ultra physicam addit advertentiam, „ & præsupponit usum rationis , ut possit „ reddere testimonium &c. --

Stephanus Beunii Mosonensis *Tract.* 6. *de imped. Matr. quæst.* 4. -- Moralis enim „ præsentia est in eo , quod qui moraliter est „ præsens sic rebus intersit , quæ geruntur , „ ut possit esse Testis oculatus , qualis est „ habendus , qui ita rem actam audit , & „ intelligit , ut eam juramento factam esse „ affirmare valeat . Prima Ass. Tam Parochus , quàm Testes ita præsentes debent „ esse Matrimonio , ut sciant illud vere „ fieri ; quod idem est re , non sufficere , il- „ los corpore esse præsentes --

Hæc dicta sufficiant quantùm ad duo posteriora puncta proposita *num.* 4. Superest modò alia duo priora resolvere ; ideo sit .

DISSERTATIO THEOLOGICA II.

AN PAROCHUS TENEATUR PROHIBERE , ET QUANTUM IN SE EST POSITIVE RESISTERE CLANDESTINIS MATRIMONIIS .

Titulus quæstionis mihi propositæ , ut in superiori Dissertatione dictum est sub *num.* 3. , & 5. , de utroque genere clandestini loquitur , sive de illo , quod validum est , sed absque debita solemnitate celebratum , sive de illo , quod nullum est , quia deficit præsentia debita Parochi , & Testium . Ad cujus claram resolutionem duo sunt præmittenda certa apud omnes .

ALIQUA PRÆMITTUNTUR NOTANDA .

Matrimonia clandestina semper prohibita etiam ante Tridentinum .

26 PRimum . Matrimonia clandestina licèt ante Concilium Tridentinum irrita non forent, semper tamen fuerunt graviter , & severe prohibita .

Hoc ipsum Concilium docet *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformatione Matrimonii* -- Tametsi „ dubitandum non est, clandestina Matrimo- „ nia libere Contrahentium consensu facta , „ rata , & vera esse Matrimonia , quandiu „ Ecclesia ea irrita non fecit &c. Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis cau- „ sis illa semper detestata est , atque prohi- „ buit -- Concil. Lateranense IV. *can.* 51. habet -- Unde Prædecessorum Nostrorum „ inhærendo vestigiis clandestina Conjugia „ penitus inhibemus; prohibentes etiam , ne „ quis Sacerdos talibus interesse præsumat -- Concilium Forolivense *Can.* 8. -- Ut nemini „ liceat furtim , raptimque nuptias contra- „ here -- Concilium Vernense *Can.* 16. -- „ Ut omnes homines publicas nuptias fa- „ ciant , tam nobiles , quàm ignobiles -- Concilium Arelatense *cap.* 6. -- Nec sine pu- „ blicis nuptiis quidam nubere , vel Uxorem „ ducere præsumat -- 30. *quæst.* 5. *Can. Aliter*, *Can. Nostrates* , *Can. Nullus* , & alibi .

Tertullianus *lib. de pudicitia cap.* 4. -- „ Penes nos occultæ quoque conjunctio- „ nes , idest non priùs apud Ecclesiam professæ , juxta Mœchiam , & fornicationem judicari periclitantur -- Ambrosius *Ep.* 19. *ad Vigilium Episcopum* ait -- Conjugium vela- „ mine Sacerdotali , & benedictione sancti- „ ficari oportet -- Ignatius *ad Polycarpum* -- „ Decet verò , ut & ducentes Uxores , „ & nubentes , cum Episcopi arbitrio co- „ njungantur , ut nuptiæ juxta præceptum „ Domini , non autem ob concupiscentiam , „ coiisse videantur -- Similia alii Patres .

S. Thomas 4. *sent. dist.* 28. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 3. -- Prohibentur autem clandestina Ma- „ trimonia , propter pericula , quæ inde „ evenire solent , quia frequenter in talibus „ est aliqua fraus , ex altera parte frequenter „ etiam ad alia Conjugia transeunt , dum „ pœnitent de istis , quæ subitò facta sunt , „ & multa alia mala inde accidunt , & spe- „ ciem turpitudinis præter hoc habent &c.--

27 Secundum . Absque legitima causa celebratio Matrimonii clandestini est lethaliter peccaminosa . *Matrimonia clandestina lethaliter peccaminosa .*

Hæc propositio est ita communis apud Doctores , quod nullum viderim citari in oppositum . Si loquamur de clandestino proprie dicto , idest de eo , quod caret solemnitate essentiali , præsentiâ scilicet Parochi , ac Testium , non est dubitationi locus ; nam nullitati exponere Sacramentum , gravissimum peccatum est : fit enim notabilissima injuria rei sacratissimæ . Si loquamur de clandestino improprie dicto , idest de eo , quod caret solemnitate accidentali , scilicet Proclamationibus , Parochi interrogatione in actuali contractu , & prolatione verborum juxta præscriptum Sacrosancti Concilii Tridentini , pariter est certum , loquendo de omissione totius complexi . Apud aliquos omissio unius tantùm publicationis , seu denunciationis non est lethalis ; apud alios omissio interrogationis explorativæ voluntatis Sponsorum , vel prolationis verborum non est gravis colpa --

Docet hanc veritatem S. Th. 4. *sent. dist* 28. *quæst.* 1. *art.* 3. *in corp.* -- Dicendum „ quod sicut in aliis Sacramentis , quædam „ sunt de essentia Sacramenti , quibus omissis „ non est Sacramentum , quædam autem ad „ solemnitatem Sacramenti pertinent , quibus „ omissis verum perficitur Sacramentum , „ quamvis peccet , qui omittit : ita etiam „ consensus expressus per verba de præsenti „ inter Personas legitimas ad contrahendum

„ Matri-

„ Matrimonium, facit; quia hæc duo sunt „ de essentia Sacramenti, alia autem omnia „ sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad „ hoc adhibentur, ut Matrimonium convenientiùs fiat, unde si omittantur, verum „ Matrimonium est, quamvis peccent sic „ Contrahentes, nisi per aliquam legitimam „ causam excusentur --

Lex prohibens Matrimonia clandestina est gravissima.

Pulcher, & solidus discursus. Certum est, solùm legitimam causam excusare a culpa lethali violationem legis Ecclesiasticæ gravissimæ ob fines gravissimos editæ: sed absque dubio lex Ecclesiastica prohibens hujusmodi nuptias sic clandestinas est gravissima, ut patet ex verbis Lateranensis, & Tridentini Concilii, & est lata ob fines gravissimos, qui secundùm se numquam evacuantur, & in generali semper persistunt: intendit enim Ecclesia adulterinas nuptias evitare; ergo. Tridentinum ait -- Cui malo, cum ab Eccle- „ sia, quæ de occultis non judicat, sucurri „ non possit, nisi efficacius aliquod reme- „ dium adhibeatur: idcirco Sacri Lateranen- „ sis Concilii sub Innocentio III. celebrati „ vestigiis inhærendo, præcipit, ut impo- „ sterum antequam Matrimonium contraha- „ tur, ter a proprio Contrahentium Paro- „ cho tribus continuis festivis diebus in Ec- „ clesia inter Missarum solemnia publice de- „ nuncietur, inter quos Matrimonium sit „ contrahendum &c. -- Adeo sollicitum est de hoc puncto, quod præcipit præmittendas ante consummationem Matrimonii denuntiationes, casu quo non potuerint præmitti ante celebrationem, propter gravissimum impedimentum; & præcipit quod, interveniente causa justa, debeat peti ab Episcopo dispensatio.

Clandestine Contrahentes subjiciuntur gravibus pœnis.

Ecclesia subjicit gravibus pœnis clandestine Contrahentes. Hinc Tridentinum *eadem Sess. 24. de Reformat. Matrim.* habet -- Insu- „ per Parochum, vel alium Sacerdotem, qui „ cum minori Testium numero, & Testes, „ qui sine Parocho, vel Sacerdote, hujus- „ modi contractui interfuerint, nec non „ ipsos Contrahentes, graviter arbitrio Or- „ dinarii puniri præcipit -- Lateranense superiùs citatum ait -- Sed & iis, qui taliter „ copulari præsripserint, etiam in gradu „ concesso, condigna pœnitentia injunga- „ tur -- His positis

RESOLVITUR DUBIUM.

DICENDUM. Quoties non adest gravissima causa, tenetur Parochus positive resistere clandestinis Matrimoniis. Hæc Conclusio est certissima.

Parochus debitum Sacramentorum honorem debet procurare.

28 PROB. I. Ad Ministrum specialiter deputatum pertinet, quantum est in se, præcavere irreverentiam Sacramentorum: sed Parochus est Minister specialiter deputatus Sacramento Matrimonii, Minister inquam non collativus, sed auctoritativus; ergo ad ipsum pertinet, quantùm est ex se, impedire irreverentiam hujus Sacramenti. Sed quotiescumque celebratur Matrimonium clandestinum rigorosum semper intervenit peccatum mortale, nisi valde summa ignorantia Contrahentium excuset: semper etiam intervenit lethale peccatum quoties celebratur clandestinum minus rigorosum, nisi adsit gravis causa excusans a solemnitate accidentali; ergo, quantum est ex se, tenetur Parochus resistere.

Parochus Matrimoniis præsidet nomine Ecclesiæ, adeoque debet partes Ecclesiæ facere: porro Ecclesia resistit hujusmodi Matrimoniis; ac proinde tenetur Parochus resistere. Quantum est de se, Parochus procurare debet, ne oves, quorum est Pastor, noxiis pascuis vescantur: hinc omnes Doctores concedunt, quod teneatur Parochus facere quod est in se, ne Conjuges contrahant in peccato mortali, sed præmittant conscientiæ emendationem, media Confessione, vel ad minus contritione: sed celebratio Matrimonii clandestina, est cibus noxius; ergo quantum est ex se, debet hunc cibum subtrahere. Et quoad hoc est eadem ratio, quæ currit in omnibus Sacramentis, quibus debitum honorem tenetur procurare, & præcipue eum, ex cujus subtractione gravis injuria divinis mysteriis irrogatur. Parochi sunt, quibus particulariter dictum est: *nolite sanctum dare canibus*. Parochi sunt, quibus dicitur, Ezechielis 3. 17. *Fili hominis, dedi te speculatorem domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annunciaveris ei, neque loquutus fueris, ut avertatur a via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti*. Superintendes, ad caulam Domini constitutus est Parochus: adeoque ei invigilare oportet, ne lupus rapiat; rapit autem quoties cum peccato Sacramenta exercentur.

Lateranense, & Tridentinum sollicitant Parochos, ne fiant Matrimonia clandestine.

29 PROB. II. Prohibet Lateranense citatum: *Ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat*; & gravi pœnæ subjicit non recedentem -- Sane si Parochialis Sacerdos tales „ conjunctiones prohibere contempserit, aut „ quilibet etiam Regularis, qui eis præsum- „ pserit interesse, per triennium ab officio „ suspendatur, graviùs puniendus, si culpæ „ gravitas postulaverit -- Prohibet item Concilium Tridentinum; & infligi pœnas mandat non obedientibus; onus ergo habet Parochus impediendi.

Præcipit Lateranense, ut præmissis Declamationibus, & si nullus impedimentum denuntiet, & diligentiam præmittat, an aliquod subsistat: *Et ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat*. Præcipit Tridentinum si urgeat grave periculum, quo possit malitiose impediri Matrimonium, si omnes præmittantur Denunciationes, ut ante consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta faciliùs detegantur; sollicitat ergo Ecclesia Parochum, ut recte celebrentur Matrimonia, ut clandestina non fiant.

Præcipit Tridentinum -- Habeat Paro- „ chus

„ chus Librum, in quo Conjugum, & Testium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat -- ob illud finale motivum, quod si contigerit, unum Conjugem reclamare de nullitate, probari possit, legitime contraxisse. Hoc porrò onus quod est sub peccato lethali, ut Doctores omnes docent, non injungeret Ecclesia, nisi vellet, quod Parochus clandestina impediat Matrimonia.

Tridentinum *cap. 7.*, ubi de Vagorum Matrimoniis agit -- Parochis autem præcipit, „ ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius „ diligentem inquisitionem fecerint, & re ad „ Ordinarium delata, ab eo licentiam id fa„ ciendi obtinuerint -- Quare specialis hæc diligentia? Ob periculum palliandi Polygamiam. Atqui in quolibet casu clandestini Matrimonii suum est periculum Polygamiæ, ut advertit idem Concilium *cap. 1.*, vel nullitatis Sacramenti, ergo & diligentia exigitur in Parocho ad hoc evitandum.

Docet Cathechismus Romanus Concilii Tridentini, pertinere ad Parochum Populum instruere circa naturam Matrimonii, & fines, ob quos assumi oportet, non ex libidinis affectu, quo quis Contrahens peccat. Porro est certum argumentum impudici affectus, velle clandestine contrahere, ubi rationabilis causa excusans non miscetur; ergo Parochi munus, & obligatio est illis contractibus resistere, quantùm in se est; ac proinde ad eos impediendos debet adhibere omnia media sibi possibilia pro qualitate loci, & temporis, & sibi convenientia.

30 Es quibus legitime infertur, in casibus inopinatis, in quibus deficiunt alia media prohibendi, & resistendi, posse tentare fugam, claudere oculos, obturare aures, dummodo graviter non urgeat causa excusans. Quid minùs facere potest, ut peccatum lethale in proximo suo fieri non sinet, quàm fugam tentare, quàm oculos claudere, quàm aures obturare? Si animam suam bonus Pastor tenetur quandoque ponere pro ovibus suis, ut eos salvet; quomodo non tenebitur hæc minima facere, ut gravissimum crimen æternis damnans cruciatibus impediat? Quid minus facere potest Custos, cui demandata sunt cœlestium thesaurorum Sacramenta, ne polluantur? Tenetur hæc facere, & aliquod etiam majus incommodum subire, si opus sit, ut divina Mysteria sancte tractentur. Custos terrenæ suppellectilis tenetur furi advenienti obviam ire, fores claudere, denegare claves; & Custos supernorum Sacramentorum, ne dilapidentur per injuriosam contaminationem, non tenebitur ad tam modica, & facilia media? modicum lumen Fidei in nobis est, si hæc credimus, & nos ipsos fallimus.

Potest Parochus tentare fugam, dum fiunt Matrimonia clandestine.

31 Nec quis se decipiat permissionis colore, hoc est, Parochum solùm permissive se habere.

Non est hæc simplex permissio, sed positiva cooperatio. Locum habet excusationis permissio, ubi gravissima aliunde urget causa, & gravioris, vel saltem æqualis mali periculum est. Parochus Pastor, & Custos est, Minister est Christi, & Ecclesiæ; cui proinde incumbit Ecclesiæ bonum procurare, & Christi honorem. Si a Parocho quis furari attentet indigne absolutionem, permittere nequit Parochus, denegare debet, exire a Confessionali, ubi monita non profecerint. Si Peccator etiam occultus in occulto indigne petat Eucharistiam, permittere non potest Parochus ob Sacramenti venerationem, denegare debet, recedere ab Altari, Sacrarium claudere. Sua non deest sanctitas Matrimonio, & quidem magna; sua & ideo debetur ei positiva reverentia.

Parochus nequit permittere clandestinitatem.

32 Nec quis iterum proclamet, libertatem hinc violari matrimonialem unicuique ab Ecclesia, & a Deo concessam.

Libertas non violatur; sed tollitur iniquitas. Libertatem concedit Ecclesia; sed juste exerceri mandat. Libertas contra Dominum, & sancta ejus, a Deo non est. Non officitur libertati; sed obsistitur pravitati. Nubere quisque potest; illicite nemo debet. Illicitis resistit Ecclesia nuptiis, has prohibet, & ut impediantur, suis committit curam Ministris.

Libertas Matrimonialis qualis sit.

DISSERTATIO THEOLOGICA III.

AN SIT VALIDUM, AUT POTIUS CLANDESTINUM, MATRIMONIUM EORUM, QUI MUTATIS NOMINIBUS, ET VESTIBUS, ADSTANTIBUS DUOBUS PEREGRINIS TESTIBUS, CONTRAXERUNT CORAM PAROCHO DEPONENTE IN EXAMINIBUS CONTRADICTORIA.

CASUS PECULIARIS EXPONITUR.

33 CArolus Franciscus nobilis, & Epiphania plebeja per multos annos carnale habuerunt commercium. Hi, ut dicebatur, habita prius Denunciationum dispensatione, nocte media in Oratorio Sanctissimi Sacramenti in Terra S. Constantii Diœcesis Fanensis adfuerunt die 16. Januarii 1601. coram Parocho Pulsone, & duobus Testibus, Bossana scilicet, & Marazzano, ut Matrimonio conjungerentur. Ne verò ulla prorsus Contrahentium haberetur a Testibus cognitio, vocati fuerunt ab eodem Parocho pro Testibus data operâ præfati homines, qui per Orbem vagabantur, & Carolus Franciscus comparuit habitu plebejo indutus, finxitque sibi nomen Titii, Epiphania quoque mutata veste apparuit, & fictum nomen assumpsit Bertæ. His ita dispositis, ut dicebatur, petiit Parochus a Titio, an vellet Bertam in sui Uxorem, qui respondit, utique volo: deinde petiit eodem modo a Berta, an vellet Titium in suum Virum, quæ pariter respondit, etiam volo; sicque eos Matrimonio conjunxit servato Ecclesiæ ritu. 34 Ma-

Casus particularis Fanensis.

Motiva unius Partis.

34 Matrimonium itaque defendebat Epiphania. Adducebat ipsa inter alias probationes annotationem Parochi in calce licentiæ dispensationis Denunciationum obtentæ ab Eminentiss. Fanen. Episcopo, his verbis expressam. *A dì 28. Genaro 1691. S. Costanzo. Carlo Francesco, ed Epifania furono congiunti in Matrimonio da me infrascritto nella Chiesa dell' Oratorio di questa Terra, detto il Sacramento, presenti Giuseppe Bossana, e Gio. Antonio Marazzani testimonj &c. Io D. Antonio Pulzoni Economo, mano propria.* Promebat etiam attestationem ejusdem Parochi factam in judiciali Constituto, quo ipse factum exponebat, & fatebatur, contractum fuisse Matrimonium coram ipso, & duobus Testibus die 16. Januarii 1691.; præterea ejusdem adnotationem in libro, cui titulus *Circulus Aureus*, diei scilicet, & Testium; rursus publicam vocem, & famam, notorietatem, & divulgationem hujus Matrimonii per Terram S. Constantii.

Motiva alterius Partis.

35 Ex adverso Matrimonium acriter impugnabat Carolus Franciscus. Referebat & ipse pariter Parochi attestationem, qui pluries contrarium testatus est. Inter alias ipsi favebat jurata attestatio ab ipso Parocho facta die 10. Decembris 1694. his verbis. *Mai in detto tempo, ne in Chiesa, ne altrove, ne qui in S. Costanzo, ne fuori, mi sono trovato, ne ho assistito al Matrimonio, che si suppone tra il Sig. Carlo Francesco, ed Epifania, che di ciò ne meno ho informazione alcuna, ne mai me n' è stato parlato.* Quam attestationem confirmavit Eminentiss. Episcopus in Folio Sacræ Congregationi transmisso die 6. Jun. 1695., ibi. *Per il tempo che lui è stato Vicecurato ha congiunto in Matrimonio molte Persone, ma non ha mai congiunto il Sig. Carlo Francesco, ed Epifania sudetta.* Confirmavit insuper Eminentiss. Legatus in alio Folio dictæ Sacræ Congregationi transmisso die 30. Jun. 1695., ibi. *D. Antonio Pulzoni asserisce, non avere saputo cosa alcuna di detto Matrimonio, e molto meno essere stato a quello presente, anzi aver fatta una fede giurata in contrario, ed averlo solamente sentito dire da detta Epifania.*

36 Pluriès ad diversa Tribunalia hinc inde cucurrerunt Litigantes, donec causæ cognitio remissa fuit Sacræ Congregationi. In hac, referente Eminentiss. D. Card. Acciajolo, propositum fuit dubium die 14. Martii 1697. *An constaret de Matrimonio*; & resolutum fuit *affirmative*. Nova etiam fuit concessa audientia, & iterum, atque iterum proposita causa cum dubio, *An esset standum, vel recedendum a decisis*; at nihil inde fuit decisum. Tandem verò obtentum fuit rescriptum: *Coadjuventur probationes, ac scribant pro veritate Theologus, & Canonista.* Hinc novum examen institutum est, & novis acceptis notitiis, probationes coadjuvatæ sunt. Canonista, qui pro veritate scriberet, delectus fuit egregius in Urbe Advocatus Dominicus Ursaya; sed pro Theologo egomet fui deputatus. Huic igitur honori, & præcepto, ut parerem, pro veritate, sequens conscripsi Theologicum Responsum.

REPROBATUR EXISTENTIA SUPPOSITI MATRIMONII.

Ubi de peccato agitur, diligens cautio adhibenda.

37 Si ex regula D. Thomæ periculose determinatur omnis quæstio, in qua de peccato agitur, unde diligens cautio adhibenda est, multò magis urget in solutione Causæ prætensi Matrimonii inter Carolum Franciscum, & Epiphaniam: cum, & periculum immineat exponendi amborum conscientias pluribus, & gravioribus peccatis, & irrogandi injuriam Sacramento, & violandi jura Sacrosancti Concilii Tridentini; ac proinde non nisi serio studio eam discutere fas est, & implorata Divini Numinis ope, a quo omne lumen, quod mihi præstò esse exopto, ne erroneum proferam judicium. Sub cujus Duce pro clariori elucidatione in duas partes quæstionem partiri opportunum duxi: in eam videlicet, quæ dicitur Facti, & in eam, quæ Juris. In prima quæremus de veritate existentiæ hujusmodi contractus, prout asseritur ab Epiphania. In secunda, an, admissâ existentiâ, sub illis circumstantiis celebratus subsistat, & retinendus sit. In expensione utriusque, brevitati mihi repetitò injunctæ consulam, pluribus recisis, momenta quædam solùm percorrendo, & inhærendo juratis depositionibus in legitimo Summario Processus ipsius Epiphaniæ, & Antonii Pulzoni Parochi.

38 Veniendo ad primum, mihi certum videtur, non extitisse prætensum Matrimonium inter præcitatos, sed esse suppositititium. Moveor plano discursu sequenti.

Prætensum Matrimonium est plenum contradictoriis.

Nequit affirmari veritas alicujus facti, quod principiis contradictoriis innititur: porro existentia prætensi Matrimonii plena est contradictoriis, a Patronis illud defendentibus, evulgatis; igitur non est subsistens. Declaro assumptum. Causæ, a quibus pendet existentia contractus matrimonialis, sunt, debita licentia, Parochi assistentia, Testium præsentia, locus, & tempus; in singulis autem horum contradictio reperitur. Quantùm ad licentiam contrahendi absque Proclamationibus: Pulzonus testatur habitam ab Episcopo Fanensi; Epiphania verò a Sancta Sede Apostolica emanatam constanter fatetur. Ille asserit figuratum in ea casum sub fictitiis nominibus Titii, & Bertæ; ista sub vocabulis Bertæ, & Baldi, de utroque adjiciens: *che detta licenza da Roma non conteneva gli nostri nomi, ma gli nomi di Berta, e Baldo, che sempre me ne sono ricordata.* Quantùm ad locum: Pulzonus judicialiter fassus est, se ab Epiphania audivisse, hoc Matrimonium celebratum fuisse, modò Laureti, modò in S. Constantio: *una volta diceva esser stato celebrato in Loreto, ed altre volte in S. Costanzo.* Quantùm ad tempus: Epiphania firmiter asseruit, fuisse celebratum die 20. Januarii 1691.; Pulzonus alicubi posuit die 16., alicubi die 20., alicubi die 28.; quæ est maxima contradictio, & quidem in substantialibus, inde enim pendet tota veritas de præsentia prætensorum Peregrinorum, tamquam Testium. Quantùm ad Personam Parochi assistentis

per

per verba ipsius Epiphaniæ relata a Pulzono, ac Testibus in juratis depositionibus, asseritur modò Pulsonus ipse, modò Lelius Pascucci, modò Archipresbyter Balducci: *che erano stati sposati, o da me, o da D. Lelio Pascucci, o dall' Arciprete morto Balducci*.

Plura facta propter contradictiones a veritate expuncta.

Quibus palpabilibus contrarietatibus stantibus, omnis prudens affirmare cogitur, erroneam fore prætensi Matrimonii existentiam. Hanc regulam sequentes Eruditi, minoribus ducti contradictionibus, expunxerunt ex calculo veritatis pleraque facta evulgata vel ab Hæreticis, vel a sciolis Authoribus, & inter fabulas connumeraverunt, ut pluribus exemplis ostendere facile esset, nisi vetaret demandata mihi brevitas.

39 Sed illud in præsenti vehementissimum falsitatis, & imposturæ argumentum est, quod Principales stantes pro parte affirmativa, nulla sunt fide digni.

Principales pro parte affirmativa non sunt fide digni.

Si de Fœmina loquimur, quæ se Conjugem declamat, vilis est propter Natalia, filia enim est vulgò *di Sbirro*; vilior propter nuptias, Cauponario namque olim nupsit, & Marito defuncto, cauponariam ipsa officinam administravit; vilissima propter mores, si fides danda est Testibus Viri, dum zelotypiæ igne succensa movit litem adversùs Amasium desertorem: nemo autem ignorat, quales machinas struere soleat impurus, & diuturnus amor illusus. Prætermissis, quæ ad infirmandam fidem prætensæ Uxoris adnotant Scribentes pro Viro, illud urget, quod est Pars litigans, & in causa propria quantùm sibi favorabili, tantùm nobili Familiæ odiosa.

Si de Pulzono agimus, prout jurata deponunt testimonia, semper cerebro levis est creditus, & tandem fatuus cubiculo clausus, ab Episcopo a Confessionibus audiendis suspensus; satis ignarus circa substantialia Viceparochialis muneris sibi delegati, vel indubie ignorantiam malitiose affectans, cum sub sigillo Confessionis exceperit contractum Connubii in facie Ecclesiæ celebratum; infidelis Christi Minister, qui lethaliter delinquens neglexit nomina Conjugatorum in libro Parochiali transcribere, qui notatum die 20. Januarii artificiose mutavit in 28.; non semel juridice perjurus, nam in legitimo examine a Judice interrogatus, rotundis verbis negavit, individuo huic Matrimonio adstitisse: *D. Antonio Pulzoni asserisce non avere saputo cosa alcuna di detto Matrimonio, e molto meno esservi stato presente, anzi aver fatta una fede giurata in contrario*. Nec ullum apparet fundamentum sentiendi, quod posterioribus depositionibus verum protulerit. Æque enim potuit primis vicibus mentiri ob timorem Viri, ut ipse ait, ac secundis, ob amorem Fœminæ, cum qua non laudabilem habuit consuetudinem, prout ex actis constat; aliunde autem magis dementat amor mulieris, quàm timor viri. Accedit non irrationabilis suspicio, quod mulier zelotypa, cujus ira non est major, teste Spiritu Sancto, comminata sit, se ejus turpia producturam, nisi staret contra virum; e contra verò ex toto processu nec verbum quidem habetur, ex quo colligi possit, vel leviter Virum, aut ejus Fratres, timorem incussisse Pulzono, ne prederet secretum Conjugium. Perjurii gravamen non minuit addita excusatio prætensæ ignorantiæ sigilli Sacramentalis, sed crimen auget. Ab eodem Concilio Tridentino, ex quo didicit, non esse celebrandum Matrimonium absque Proclamationibus, didicit etiam, celebratum, esse adnotandum in Libro, ad publicam fidem, & ipsemet confessus est cetera matrimonia notasse; ac proinde aperte sciebat, sub sigillo Sacramentali nequaquam cadere posse. Adhuc palpabiliùs convincitur emendicata excusatio. Tantum luminis habuit, ut crediderit consulendum esse Episcopum, an sub fictitiis nominibus liceret contrahere Matrimonium istud: hoc ipsum lumen ipsi dictabat consulendum esse eumdem Episcopum, vel Theologos, an, necessitate urgente, posset illud prodere; motivum illud magni secreti ad utrumque dubium postulandum extimulabat. Sed quid ultra egemus Testibus pro evincenda affectata excusatione? Ex Processus Summario abunde constat, extrasacramentalem habuisse notitiam, & de eo extrasacramentaliter non semel fuisse locutum.

40 Veritati omnia cooperantur in bonum. Adminicula ipsa, quibus Pars se sustentat, Assertioni nostræ robur maximum conferunt.

Fama prætensi Matrimonii inanis, & vacua.

Primum est illud quod adstruitur a divulgatione famæ asserti Matrimonii apud Oppidanos S. Constantii. Verùm fama hæc inanis est, & vacua. Primò de hac voce nulla mentio fit per illos octo menses, quibus pacifico jure maritali cohabitasse fatetur Fœminam cum Viro; sed audiri cœpit post exortam discordiam, ut principalis Testis ejusdem famæ deponit. Debuisset autem & intra illud tempus subodorari; cum Vir publice frequentaret domum Epiphaniæ, si ad medendas conscientias, ac scandalum tollendum Matrimonium iniissent. Secundo plena contrarietatibus disseminatur in substantialibus quoad Parochum, Testes, & locum; sicut constat ex Processu. Tertiò Testes examinati in favorem divulgationis, nullam merentur fidem. Duo minus principales sunt ex auditu; ac per consequens nullius juridicæ authoritatis; omitto, quod sunt vilis conditionis. Principalis verò Testis N. N. convincitur inimicus manifestus Viri, & apertus Patronus Uxoris, ex relatis ab Eminentiss. Legato; Testi porro inimico Jura non credunt. Quartò 18. Testes ex principalioribus Oppidanis S. Constantii, quorum sex Ecclesiastica dignitate illustrantur, interposito jurejurando, deponunt, huic famæ numquam præstitam fuisse fidem: immo falsam fuisse creditam, proditoriam, disseminatamque ad illaqueandum Virum. Quintò qualiscumque sit hæc fama: concedatur; sed quantam habet auctoritatem? quantam obtinet vim? non majorem ea, qua pollet dictum unius Epiphaniæ prætensæ Uxoris. Unice ipsa est auctrix hujus divulgationis, unice ab ipsa sola pendet. Ecce argumentum evidentissimum, cui nequit replicari. Hoc Matrimonium fuit celebratum, prout deponit Parochus, secretissime, & solùm præsentes fuerunt ViceParochus, Vir, Fœmina, & duo Peregrini. Vir non publicavit; quia constantissime semper

nega-

negavit. Peregrini non publicaverunt; quia statim media nocte taciti discesserunt a S. Constantio; immo nec publicare potuissent, si voluissent, cum omnino ignorarent, Virum esse Carolum Franciscum, Fœminam esse Epiphaniam. ViceParochus semper obmutuit, semper negavit, scrupulo frangendi Sacramentale sigillum, donec Romam vocatus Theologos consuluit. Restat ergo sola Epiphania, quæ evulgare potuit, & vulgavit. Ad unicam itaque Fœminam tota famæ authoritas revocatur. Et Viri sapientes in re tam gravi uni garrulæ Mulieri fidem dabunt? Absit.

Contradictiones diei prætensi Matrimonii.

41 Secundum adminiculum desumitur a notatione diei, in quo fuit celebratum Matrimonium, & nomina Testium posita, & recognita in Circulo aureo, quo se usum fatetur in benedicendis Nuptiis dictus Pulzonus. Sed hic defecerunt scrutantes in scrutationibus suis. Omitto plerasque reflesiones in actis Processus contra talem descriptionem. Illud espendo, quod assignata dies in Circulo aureo contradicit diei assertæ ab ipsa Epiphania. Ibi enim dies 16. Januarii notatur; hæc verò diem 20. semper constans affirmavit; quo tempore minime præsentes esse poterant præcitati Peregrini, cum tunc jam Romæ essent. Aliunde autem in hoc præferendum est dictum Mulieris, utpote interessatæ, quæ optime, & meliùs individuitatem diei, in quo tantum bonum ipsi advenit, memoriæ tradidit. Illud etiam recolo, quod dictus Pulzonus, prout ipse libenter fassus est, ex notatis in Circulo aureo transcripsit memoriam recensitam, & exhibitam in Folio præhabitæ licentiæ ab Episcopo: & quidem hoc fecit post examen juridicum ex Decreto Sacræ Congregationis, tam coram Eminentissimo Legato, quàm coram Eminentissimo Episcopo, post præmissam diligentem inquisitionem in Hospitali Sanctissimæ Trinitatis, per quam cognovit adventum Peregrinorum in Urbem sub die 19. Januarii, & per consequens incompossibilitatem apertam, quod celebrari potuerit Matrimonium in S. Constantio die 20. coram duobus tunc Romæ existentibus; & tamen in hac memoria non posuit diem 16., sicut in libello notatum est, sed diem 20. Quid hic colligitur? Unum ex duobus: vel dictum Pulzonum summæ stupiditatis Virum tunc extitisse, cum ad tam evidentem, & palpabilem contradictionem non advertit: vel summæ malitiæ hominem, qui hujusmodi implicantiis voluit res permiscere; & hoc secundum verosimilius apparet, cum & ipsum diem 20. iterum ex industria in 18. alteraverit, ut constat ex Actis Processus.

Verùm demus, non esse confictam notationem libelli aurei. Quid inde? nihil prorsus. Hæc sunt verba præcisa: *Giuseppe Boffana, Gio. Antonio Marazzani di Genaro* 16. 1691. Et quid hæc ad faciendam fidem pro contractu conjugali inter Carolum Franciscum, & Epiphaniam? Hic mentio Matrimonii, nulla: nominatio Personarum contrahentium, nulla: indicatio conditionis testimonialis, nulla. Verba sunt omnino indifferentia; Scriptura centenis est casibus applicabilis. Repugnat autem sano judicio intellectus illatio determinata ad unum ex indifferenti omnino principio, & præcipue in rebus facti. Temere unum certum colligitur ex disparata undequaque conjectura.

Omitto, quod non concordat nomen unius asserti Testis cum nomine posito in Registro Peregrinorum Hospitalis Sanctissimæ Trinitatis. In libello aureo habetur: *Giuseppe Boffana*; in Registro autem: *Giuseppe Bosnà*. Porro in istis terminis, unius syllabæ, vel literæ diversitas mutationem facit considerabilitet substantialem; siquidem Familiarum distinctio recognoscitur, ut in *Corsi*, & *Corsini*, aliisque innumerabilibus exemplis, notum est. Nec tamen facilè error tribuendus est lapsui calami, si urgens fundamentum non movet. Certe Officiales Hospitalis accusandi non sunt; ipse verò Pulzonus satis commode nomen proprium potuit scire, qui ad cœnam domi suæ excepit, ut paratos haberet pro statuto tempore celebrandi Matrimonii; sed &c.

Peregrini esse non potuerunt præsentes Matrimonio etc. supposita.

Alius scopulus frangendus occurrit sequenti ponderatione inclusus. Constat, Peregrinos Romam pervenisse die 19. Januarii. Cum hoc minime componitur, quod quarta hora noctis diei 16. ejusdem mensis potuerint reperiri in S. Constantio; distat enim ab Urbe secundum calculum Peritorum per viam breviorem 150. milliaribus, & per Lauretanam 180. Nunc quis credet, quod duo *birbanti*, ut depositio loquitur, tribus diebus iter confecerint 150. milliariorum per loca aspera, montuosa, & vallosa, sub rigoribus hyemalibus? Nec Cursori celerrimo conceditur: quantò minùs duobus Peregrinis, quorum unus erat senex: quorum mos est divertere huc, illucque, ad quæritandas eleemosynas: quorum mos est in Hospitalibus parumper immorari, ut vires reficiant: quorum mos est moderatum iter singulis diebus taxare, ut possint peregrinationem continuare, notum enim est per violentos currendi conatus etiam fortiores defatigari, ita quod nequeant eodem tenore successivis diebus itinera prosequi: quorum mos est Romam pergere non impellente negotiorum gravitate, sed devotionis causâ. Non reperimus, fuisse dimissos a S. Constantio super equos, vel plenâ crumenâ; vel additis calcaribus, unde sollicitiores fuisse colligamus; totum munusculum fuit vespertina refectio in domo ViceParochi, quam sumpsissent in Hospitali...

Hinc tribus diebus perfici non posse illud iter, etiam per breviorem viam, fatentur jurati Testes in hac materia digni omni fide, utpote experimentaliter omnino certi, quales sunt Tabellariorum Socii, Muliones, eorumque Comites. Hi penitus evacuant authoritatem duorum Testium pro Fœmina stantium, qui solis verbalibus conjecturis utuntur, qui menses Septembris, & Octobris referentes, maxime dissentiunt, qui partem noctis includunt, qui nec semel spatio trium dierum illud iter compleverunt.

42 Tertium adminiculum accipitur ab asserta frequentia Sacramentorum ipsius Fœminæ a tempore, quo supponitur celebratum

Frequentia Sacramentorum in Epiphania non suffragatur prætenso Matrimonio.

Matrimonium. Sane nec species minimæ probabilitatis inde infertur. Fide digni, inter quos ViceParochus, juramento confirmant, æqualem semper adnotatum, tum ante, tum post illud tempus, usum in accessu ad Sacramenta, septem videlicet, vel octo vicibus in anno. Deinde ab Amasio spreta, potuit hæc fingere; quæ alia est molita. Non permisissent, inquit illa, Confessarii, nisi uxorata fuissem. Sed unde constat, illos permisisse? unde sciebant, ipsam esse uxoratam? quia ipsa dicebat. Porro Confessarii in his simplici verbo credunt, nec ulterius progrediuntur inquirere circa valorem contracti Matrimonii, nisi dubium aliquod exortum proponatur. Si veracem admittimus Fœminam ob præsumptionem salutaris accessus ad Sacramenta, cur veracem non admittimus Virum tam serio negantem hujusmodi Matrimonium? cum & pie credendum sit, nolle æternaliter damnari, & numquam a Sacramentis accusetur repulsus.

Concluditur absolvendus Carolus Franciscus.

43 His prælibatis, quæro a justissimis Judicibus: si ageretur de gravi delicto, dicamus, homicidio, propter quod ad triremes damnandus esset Vir, & starent prædicta motiva tam urgentia pro ejus innocentia, auderent ne eum damnare? Nemo mediocriter in Jure instructus id affirmabit. Quanto minus damnabilis est ad perpetuam servitutem adeo indecoris Matrimonii. Bonum ipsum commune, cui potissime invigilant Leges justitiæ, postulat Caroli Francisci absolutionem; graviter enim illud periclitaretur, si tantis momentis munitus adjudicaretur reus; foret namque in potestate cujuslibet mulierculæ honestos Viros perdere consimilibus machinationibus, quæ sunt valde faciles versipellibus, & Lenonibus.

Fateor, Matrimonii causam favorabilem esse quoad libertatem, qua unusquisque est sui juris, ut cui vult nubat, & quando: sed multo magis onerosum concedo quoad jugum; unde æquitas non dictat, quod ut fiat satis uni ex levi fundamento petenti, gravetur alter ex fortissimis motivis reluctanti.

Verbale non reale admittitur prætensum Matrimonium.

Concludenter resolvendum mihi videtur, Matrimonium reale nullum extitisse; ac proinde dictum Carolum Franciscum esse absolvendum. Verbale tamen non dubitarem admittere; facile enim creditu, quod in exercitio turpis amoris, ut assolet, & Amasius Sponsam suam quandoque vocaverit, eamque ducere in Uxorem oretenus promiserit; hisque decepta lenociniis, ut aliquid lucretur, tamquam Maritum evulgavit, & vexat.

EVINCITUR, MATRIMONIUM DESCRIPTIS CIRCUMSTANTIIS VESTITUM, ESSE CLANDESTINUM.

Clandestinitas, alia expressa & alia palliata.

44 Venio nunc ad secundam Partem. Quoniam tamen imaginatio in his rebus præoccupans intellectum decipit, unum est oculate advertendum circa clandestinitatem Matrimonii, videlicet duplicem esse, & expressam, & palliatam. Expresse Matrimonium clandestinum est, quando duo contrahunt, nullo præsente. Palliate clandestinum est, quando duo contrahunt coram Presbytero, & Testibus, sed insufficientibus; ut si Presbyter fingatur proprius Parochus, & non sit; si Testes fingantur idonei, & non sint, ut si artificiose assumerentur cæci, & surdi, vel fatui, vel ebrii. Ea proportionali ratione, qua distinguunt Theologi usuram, in expressam, qua accipitur aliquid supra sortem ex mutuo, nullo titulo intercedente, & in palliatam, qua accipitur lucrum supra sortem titulo aliquo, sed ficto. Quare non ex ipso adjudicandum est Matrimonium aliquod, non esse clandestinum, quia coram aliis celebratum est; sed videndum, an isti sufficientes sint. Hoc præsupposito pro cautela eorum, qui ultronee proclamant legitimum Matrimonium, quia audiunt. ViceParochum interfuisse cum duobus Peregrinis.

45 Dico, & pro conscientia sentio, Matrimonium inter Carolum Franciscum, & Epiphaniam, illis circumstantiis vestitum, quibus a Parocho ponitur, realissime esse clandestinum, sed palliato colore.

Evinco sequenti discursu, qui in hac materia demonstrativus mihi videtur. Quoties forma, sub qua contrahitur Matrimonium, directe, per se, & absolute evacuat finem præintentum, & Legem Concilii Tridentini annullantis Matrimonia clandestina, toties Matrimonium contractum clandestinum est. Hæc propositio est certissima. Sed Matrimonium præsens celebratum est sub forma, quæ directe, & per se tollit legem, & evacuat finem præintentum a Concilio; ergo clandestinum est. Expono assumptum. Finis Concilii præcipientis præsentiam Parochi proprii cum duobus, vel tribus Testibus, ille, & unicus est, ut Matrimonium possit probari coram Ecclesia, quæ non judicat de occultis. Contextus Concilii *Sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.* hic est — Verum cum Sancta

Prætensum Matrimonium est contra legem & finem Tridentinum.

„ Synodus animadvertat, prohibitiones illas
„ propter hominum inobedientiam, jam non
„ prodesse, & gravia peccata perpendat,
„ quæ ex eisdem clandestinis Conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui
„ in statu damnationis permanent, dum,
„ priore Uxore, cum qua clam contraxerat,
„ relicta, cum alia palam contrahunt, &
„ cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui
„ malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis
„ non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco &c. -- Decernitque præcipere Proclamationes, & præsentiam proprii Parochi, duorumque, vel trium Testium. Quapropter petit Concilium media, quibus per se, & attenta natura rerum, possit probari, quamvis ex accidenti dari possit casus, in quo nequeat. Porro in nostro casu est omnino impossibile, quod probetur per se, & ex natura sua celebratum Matrimonium inter Carolum Franciscum, & Epiphaniam, per illam formam, sub qua contractum asseritur. Nam occultata sunt Testibus nomina propria Contrahentium, exposita sunt fictitia Titii, & Ber-

Lex & finis Trid. [illegible] quod Matrimonia possint probari.

Prætensum Matrimonium per se non potest probari.

Bertæ : non est propalata eis hujusmodi mutatio : incognita eis est Persona utriusque Contrahentis ; qua arte per hos Testes probare potest Ecclesia, Carolum Franciscum nupsisse cum Epiphania ? Interroget centies hos Testes : respondeant vidisse duos nubentes, quorum unus dictus est Titius, & altera vocata est Berta ; unde colliget, hos esse Carolum Franciscum, & Epiphaniam ? Interroget iterum centies, an viderint Contrahentes, an eos cognoscant, an audierint aliquando, hos commutasse nomen in Titium, & Bertam ? centies etiam reclamabunt, se prorsus horum omnium nihil scire ; & ita revera est. Nisi ergo revelationem a Deo accipiat Ecclesia, nullo artificio, nullo studio, devenire potest ex depositione horum Testium in cognitionem, quod Carolus Franciscus inierit Conjugium cum Epiphania.

Si Matrimonium contrahatur sub forma contraria naturæ, & fini intrinseco ejusdem, puta sub conditione, ut Mulier non prolificet : per omnes Theologus contractus iste nullus est ; ergo si contrahatur sub forma contraria publicitati naturæ, & viæ per se probativæ, non erit publicum tale Matrimonium, ideoque clandestinum ; non erit capax probationis, ideoque non in facie Ecclesiæ. Porro præsens est hujusmodi ; quoniam ex vi illius modi, quo fuit celebratum, numquam certificari potest de nuptiis inter Carolum Franciscum, & Epiphaniam. Certificabitur quidem de nuptiis Titii, & Bertæ ; sed qui isti sint, Deus scit. Mulieris dictum non suffragatur : Parochi testimonium, quamvis aliàs magni ponderis, non sufficit ; sed Parochi, & utriusque simul Testis præsentia testificari potentis, indivisibiliter, & essentialiter prærequiritur, ibidem declarante Concilio.

Secundùm regulam utriusque Juris, toties Testis non est per se sufficiens, quoties Pars litigans potest per se excipere contra eum ; puta quod sit rei testificandæ ignarus. In præsenti facto per se Carolus Franciscus potest rationabiliter excipere contra hos duos Testes. Si vocarentur ad judicium, ipsis deponentibus, audivisse Titium duxisse Bertam, promptissime, & verissime respondebit, nonne sum Titius ? & evidenter probabit, afferendo tabulas Baptismales, adducendo totius suæ Familiæ, totiusque Oppidi certissimam scientiam. Testes nihil noverunt de nominis mutatione : nihil noverunt de individuo Epiphaniæ, deque individuo dicti Caroli Francisci, qui præter nomen, etiam habitum exteriorem mutasse affirmatur. Non possunt ergo esse Testes singulares de facto individuali ; quæ est alia conditio requisita ab utroque Jure in Teste per se sufficiente.

Testes adhibiti ad hoc Matrimonio possunt excipi.

46 Hinc sponte corruit, quod speculatur, potuisse detegi Contrahentes, si, completa functione, accurrissent Satellites, vulgò *gli Sbirri*, quibus aliunde essent noti Contrahentes, & deprehensos Peregrinos interrogassent, quid hic fecistis ? ipsique respondissent, præsentes fuimus Matrimonio, quod isti duo contraxerunt.

Siquidem nec res ita evenit, nec evenire potuit sub constitutis circumstantiis ; cùm, clausis januis, secretissime omnia peregerint, & separatim a nubentibus discesserint Testes, nec in S. Constantio erant *Sbirri*. Deinde casus est omnino abstractus, & metaphysicus, & de iis, quæ per accidens incidunt, a Lege minime comprehensis, certa est enim regula omnium Theologorum, quod Leges disponunt de rebus prout moraliter, & humano modo evenire solent. Injunctæ brevitati consulens evincam exemplo ad propositum aptissimo. Demus duos Personatos, vulgò *due Mascherati*, nubere coram proprio Parocho, & duobus Testibus, quibus illi sunt omnino incogniti. Iste contractus, absque dubio est nullus, & clandestinus, eo motivo, quod non est capax probationis per se, & ex sui natura ; & tamen est casu accidentali revelabilis. Ponamus, completa functione, occurrere Satellites, seu *gli Sbirri*, qui tempore bacchanalium circumeunt Civitatem, capiant Testes egredientes e domo Parochi, eos interrogent : quid fecistis apud Parochum ? respondeant, præsentes fuimus Matrimonio, quod contraxerunt duo illi Personati, quos videtis : tunc Satellites expolient Personatos, & eos cognoscant ; en cognitio via accidentali, sub qua nullo modo stat valor Matrimonii. Quod si quis, ne succumbat argumento, auderet concedere validum Matrimonium descriptum inter duos Personatos, actum est de Lege Concilii : via occultandi polygamiam facillima aperta est : fiant Matrimonia inter Amantes Personatos coram Testibus omnino incognitis, & poterunt singulis mensibus variare nuptias, absque periculo, quod possint ab Ecclesia convinci. Nunc ad rem nostram. Quod facit personatio, vulgò *l'abito da maschera*, multò magis facit nominis extranei confictio; quia nomenclatura totam Personam refert, & demonstrat. Ecclesia pro valore Matrimonii postulat non qualemcunque præsentiam Testium ; sed talem, quæ ex natura apta sit ad testificandum, ad probandum ; unde si Vir, & Mulier inebrient duos Testes, & coram illis contrahant, contractus ille est formaliter clandestinus, quamvis ex accidenti possent cognosci nubentes, puta si clam laterent duo Clerici in angulo Ecclesiæ, qui & audirent, & cognoscerent Personas. Necesse est igitur, quod forma ipsa contrahendi vim probativam includat ; & in casu nostro substantialis modus contrahendi continet media impossibilitantia probationem.

Matrimonium, ne sit clandestinum, non sufficit, possit per accidens probari.

47 Replicabis fortè, non esse necessariam præviam cognitionem in Testibus : sed sufficere eam, quæ in actuali contractu colligitur per externam corporaturam Sponsorum ; & ideo valent Matrimonia secreta, & quæ ex conscientia dicuntur, coram exteris, & ignotis Testibus ; hinc si occurrerent Carolus Franciscus, & Epiphania illis duobus vagabundis, facili negotio cognoscerentur per aspectum corporaturæ, quamvis pro Titio, & Berta haberentur.

Continet replica aliquam veritatem, & quidem eam, in qua totum pondus radicatur ; sed non bene applicatur, nec vere. Libenter admittimus, non esse necessariam

præcedentem notitiam . Ultro fatemur sufficere eam , quæ in actu contractus hauritur . Sed ut hæc legitima sit , necesse est quod exterior apparatus , saltem essentialis , sit verus , & non falsarius ; si enim falsarius sit , aptus non est pro acquirenda veritate , sed multùm opportunus pro inducendo errore . Volumus sufficere corporaturam Sponsorum ; sed debet esse naturalis , non vestita fallacibus coloribus ex artificio assumptis ad fallendum . Si quis hominem sibi incognitum attente perspiciat medio speculo varigato , seu lineato , & species præsentes alterante , numquam illum distinguet remoto speculo, etiamsi millies in via ei occurreret . Pleno ore damus , Testes Matrimonii non oportere esse omni exceptione dignos , intraneos , concives ; sed tamen debent esse tales , ut possint testificari ; debent taliter assumi , ut adsit illa qualitas , quæ requiritur a jure naturæ ad deponendum , ad probandum . Si autem hac conditione spolientur, nihil efficitur . In Matrimoniis conscientialibus substantialis apparatus exterior verax est : forma essentialis externa non est mentita , nec fictionibus colorata , quamvis quoad aliquas circumstantias accidentales non adsit omnimoda connaturalitas , ex qua oritur , quod quandoque ex accidente nequeant probari , ut si post contractum Connubium occiderent Sponsi legitimos Testes .

Cognitio contrahentium a Testibus habenda est vera, non falsaria.

In casu verò nostro substantialis apparatus est fictionibus vestitus , forma necessaria est mentitis circumstantiis involuta , & totum ex industria factum est pro occultanda realitate , Carolus Franciscus mentitus est alienam Personam , Plebei nnius videlicet , cujus rusticalia vestimenta induit , occultatis signis Viri nobilis ; ac proinde etiam corporaturæ speciem , motum , loquelam opportunam Personæ , quam gerebat , affectavit . Sponsus uterque , nedum proprium nomen reticuit , sed novum sibi finxit ; nec qualecumque , sed Titii , & Bertæ , quæ sunt universalia vocabula , sub quibus in litteris supplicibus solent configurari casus ad occultandam individualitatem Personarum postulantium , Quæsiti sunt Peregrini ex remotis Regionibus adventatores , quibus prædictarum Personarum conditio , nec nominis confictio est indicata . In actu Confessionis stabilitus est modus contrahendi ; & sub sigillo Sacramentali se obligavit secreto ViceParochus , Electa est media nox , quæ non modicum conducit ad alterandas species visuales pro recta cognitione Personarum incognitarum . Si iste non est modus per se occultativus , & impossibilitans probationem per se, nescio qualis sit , & libenter aliam formam artificiosiorem audirem .

48 Totum subsidium devolvitur tandem ad Epistolam Eminentissimi Episcopi , & P. Bellusii sui Theologi ; sed hoc est totaliter evacuatum per ea , quæ reflectunt Scribentes pro Viro . Mihi unum sufficit , omnino evidens , videlicet , totam notitiam , quam habuisse fatetur Episcopus cum suo Theologo , unice resolvi in dictum Pulzonum ViceParochum , & Epiphaniam , sicut ex Epistola , & aliis monumentis clare constat . Authoritas autem Pulzoni non sufficit pro evitanda clandestinitate ; cum Conciliaris dispositio præter Parochum requirat etiam Testes , sub ea qualitate , quæ est necessaria per se ad testificandum . Fides Mulieris non suffragatur ; ipsi enim non creditur , utpote Parti principali litiganti . Si ageretur de damnando Carolo Francisco ad exilium trium annorum pro homicidio , non puto quod justissimi Judices ferrent Sententiam moti dictâ Epistolâ , quæ tota innititur relatis a ViceParocho , & publicatis a Fœmina accusatrice ; multò minùs moveri debent ad eumdem damnandum perpetuæ servituti disparis , & ignominiosi Matrimonii . Addo , quod etiamsi subsisteret bene adminiculatæ Epistolæ authoritas , adhuc non sufficeret pro valore Matrimonii . Quia notitia Personarum contrahentium , de qua in illa fit mentio , præcedit actualem celebrationem Matrimonii ; notitia autem præcedens non suffragatur , si in actu contrahendi non servetur forma essentialis per se apta ad probandum : valor enim matrimonialis non pendet ex antecedentibus, vel consequentibus adminiculis , sed ex forma actuali legitima ; unde etsi notissimum fuisset Episcopo , ceterisque , quod duo contracturi sunt Matrimonium , si tamen in actu Testes assumantur inidonei , ver. gr. , fatui , contractus nullus est , notitia præcedens non deservit . Porro si Episcopi concedunt facultatem contrahendi absque Proclamationibus , semper intendunt , quod in actu observentur debita constituta .

Epistola Emin. Episcopi non suffragatur.

49 Aliâ viâ ostendi potest nullitas præsentis Matrimonii , eâ videlicet , quod defuerit necessaria intentio pro conficiendo Sacramento ; quod Matrimonio Catholicorum essentialiter adnectitur . Conficientes Sacramenta , ut in hoc sunt Conjuges , debent habere intentionem faciendi id , quod facit Ecclesia , quæ certe excludi videtur per modum contrahendi adeo artificiosum ; & Carolum Franciscum non habuisse legitimum consensum , sed fraudolentum , machina ipsa adinventa ceteris fulcita adjacentibus satis superque indicat .

Defuit intentio necessaria.

APPENDIX AD IDEM RESPONSUM .

50 AUthor Responsi Theologici in Matrimonio Fanensi fundat suam resolutionem in eo , quod Matrimonium prædictum non sit per se probationis capax ; hoc autem est falsum , siquidem est per se probabile ; ut fit clarum , si fingatur casus practice possibilis sub his terminis . Demus , quod Carolus Franciscus secunda die a celebrato Matrimonio amorem mutaverit , quo nihil facilius , vel turbolentias passus cum Epiphania , ab ea recedat : Mulier reclamet , statim Romam veniat antequam duo Peregrini discedant , Judices interpellet , qui jubeant Peregrinos detineri , jubeant Carolum Franciscum Romam venire , & secum deferre habitus illos , quibus illo vespere in eo actu usus est , jubeant illis vestiri , & Fœminam similiter iisdem , quibus est usa , & indu-

inductos præsentent eos illis duobus Peregrinis, interrogentque, an cognoscant illos duos, an fuerint alicubi præsentes Matrimonio inter eos celebrato? optime respondebunt agnoscere, & in S. Constantio contraxisse nuptias. Nescient quidem, hunc esse Carolum Franciscum, & illam Epiphaniam: sed agnoscent esse illas duas individuales Personas, quæ ibi contraxerunt; & hoc sufficit, ut patet in ordinariis Matrimoniis, quæ plurima Romæ fiunt assumptis birbantibus pro Testibus, qui nec Familiam, nec cognomen, nec Personam agnoscunt Contrahentium, sed solùm audiunt nomen v. g. Francisci, & Claræ, quæ sunt communia pluribus. Est ergo ille contractus capax probationis per se.

Replica hæc confirmat resolutionem Authoris. Ad cujus claritatem bene advertenda sunt duo.

Plura in abstracto sunt possibilia, & impossibilia in concreto.

Primum, quod aliud est considerare res in abstracto, & prout sub imaginabilibus, & somniabilibus circumstantiis evenire possunt; aliud est considerare res in concreto, & in facto esse, seu prout eveniunt. Plurima sunt in abstracto possibilia, quæ in concreto accepta non sunt talia. Do exemplum. Si dicam in abstracto, canis venaticus paulò velocior lepore, potest leporem capere; rem possibilem, & veram assero. Si autem ponam casum in concreto: puta quod lepus sit prope collem asperùm, densum, & spinosum, & per decem, vel duodecim passus ante canem, tunc per se est impossibile; quod canis leporem capiat, quia in ascendendo lepus est velocior, canis verò minus velox, lepus per condensa facilè se abscondit penetrando, secus canis.

Res accipiendæ secundum possibilitatem moralem, non metaphysicā.

Secundum est, quod res cadentes sub legibus humanis accipiendæ sunt secundùm possibilitatem moralem, non autem metaphysicam, quia ordinatæ sunt ad modum vivendi humanum; modus autem vivendi humanus non respicit metaphysicos casus, hi enim sunt extra regulam, sed respicit casus, ut subsistunt circumstantiis moraliter evenibilibus, hi enim sunt capaces regulatione.

Prætensum Matrimonii moraliter est impossibilis probationis.

Nunc casus, quem Replica meditatur, est omnino abstractus, & solùm metaphysice possibilis; in concreto autem acceptus, prout debet accipi, est evidenter impossibilis secundùm ea, quæ moraliter, & per se eveniunt, si attente perpendantur. Si attendamus ad naturam Matrimonii, quod est vinculum amatorium, per se non evenit, quod in tam brevi tempore Conjuges disjungantur; & in casu Epiphaniæ multò minùs, quæ erat captiva Caroli Francisci, a quo victum recipiebat. Si attendamus ad naturam Mulieris: hæc non solet esse prompta ad tentanda ea, quæ in casu Replicæ finguntur; & quoad hanc Mulierem res non est moraliter excogitabilis. Mulier paupercula, vilissima, existens in Pago parvo, in rigoribus hyemis, iter Romanum satis longum, qua arte, quibus auxiliis, arriperet, taliter ut perveniat ad Urbem priusquam discedant Peregrini prætensi ab Hospitali Sanctissimæ Trinitatis? Si verò exierint, quomodo per Urbem vagantes inveniet homines omnino incognitos? Si extrahendus est Commissarius ab Urbe, summa notabilis pecuniæ est depositanda; ubi eam accipiet Mulier non boni nominis? Si attendamus & Curiæ stylum, & similium negotiorum conditionem, non creditur Fœminæ asserenti: sed deputatur Ordinarius pro informatione, aliaque fiunt, prudentiâ, & æquitate postulante, pro quibus exequendis tempus rationabile prærequiritur, interim & prætensi Peregrini evanescunt, & Carolus Franciscus res suas disponit, sibique providet, & cautiones proportionatas assumit. Sed apertam impossibilitatem conficti casus quis non videt? De facto Carolus Franciscus constanter persistit in negatione contracti Matrimonii cum Epiphania. Qualiter ergo quæret illum vestitum rusticalem priorem, illumque induet, ut compareat coram Testibus? Si omnia negat, si mendacem proclamat Epiphaniam, & versipellem, saliariam, quomodò Judices jubere possunt, ut compareat sub forma præscripta in casu Replicæ? Convincendus ergo priùs est de facto: atqui per Sapientissimum Dominum meum nequit convinci de facto, cum approbet lubenter primam partem Responsi Theologici; ergo aperte non est moraliter possibilis casus, quem descripsit in Replica; adeoque, ut planum est attente consideranti, casus ponitur sub circumstantiis tantùm metaphysice evenibilibus, ac proinde casus est de per se accidens omnino, non autem de per se, nec de intentis a Lege.

Ulteriùs procedamus, & figuremus, Romæ duos Personatos, vulgò *in Maschera* coram Testibus ignotis contrahere Matrimonium: pectus discoopertum in utroque demonstret, unum esse Fœminam, & alterum Masculum: de reliquo densissimâ, & largissimâ mascherâ totaliter uterque contegatur: a tribus diebus Sponsus mutet amorem: reclamet Mulier, adeat Judices, narret factum: Judices detinere faciant Testes, jubeant eosdem sub illa eadem maschera coram Testibus comparere, interrogent, an agnoscant illos duos? an aliquando viderint illos inter se contrahere Matrimonium? respondeant id, quod noverunt. En casus simillimus illi in Replica descripto: en juventa speculatio, sub qua videtur posse probari Personatorum Matrimonium: quibus tamen non obstantibus, Matrimonium illud est omnino nullum absque dubio. Quod si quis Camelum vellet deglutire, ut excutiat pulicem, concedens, validum fore Matrimonium, non video quid fecerit Sacrosanctum Concilium sua lege: certe non providit polygamiis: certe non attulit remedium ullum horrendis illis adulteriis, quæ ibi deplorat: certe integra remanet Juvenibus forma decipiendi Puellas, & mutandi Uxores.

Matrimonium Personatorum nullum est.

51 Dicit Sapientissimus meus Dominus: in casu Mascheratorum respondebunt Testes, se vidisse duos similes homines Matrimonium celebrasse a tribus diebus; in casu verò Caroli Francisci, respondebunt Testes, has duas Personas contraxisse; quia vultus, & frons discooperta magnum est signum cognoscibilitatis.

Sed hoc est punctum difficultatis. Cur in casu Personatorum, similes tantùm cogno-

gnoscentur, & in casu Caroli Francisci, Personæ? si utrobique realiter sunt eædem Personæ: si utrobique sunt in ea positione, sub qua contraxerunt: si utrobique est occultatio Contrahentium: si utrobique assumuntur signa per se fallentia, & decipientia.

Personatorum Matrimonio æquiparatur præsens Matrimonium.

Deponenda est allucinatio vultus, suæ connaturali dispositioni relictus; & si paullo magis expolitus, & inunctus, est signum veræ cognoscibilitatis; non autem vultus artificiose confictus, diversus ab eo, quem quis habet, tum ex parte habituum, tum ex parte gestuum, tum ex parte modi deferendi corporaturam, sub quibus apparet quis distincta Persona ab ea, quæ revera est. Parum refert, quod maschera immutans sit pro delineamento supra unam cartam vultui adjunctam, vel sit pro lineamento immediate afficiente vultum medio artificio. Exemplum quotidianum, & palpabilissimum habemus in Theatris. Unus in uno actu Comœdiæ personam gerit unius Nobilis, in alio vero actu personam gerit Scurræ, vulgò *di buffone*: & non dignoscitur, quod hic posterior sit idem ille prior, nisi ab illo, qui priùs aliunde noverat eum; & tamen vultus est discoopertus, sed immutatus conformiter ad personam, quam repræsentat. Hæc sunt ordinariâ experientiâ evidentia. Recursus ergo ad vultum sic in abstracto, non est firmum argumentum, sed debet esse recursus ad vultum in concreto.

Addo, majorem esse occasionem decipiendi in casu dicti Caroli Francisci, quàm in casu Personatorum. En planum motivum.

Major deceptio in præsenti Matrimonio quàm in illo Personatorum.

In casu Mascheratorum nullum est signum determinans ad judicandum, masculum v.g. plebejum esse potius, quàm nobilem, ex vi mascheræ. In casu autem Caroli Francisci omnia signa expresse determinant ad formandum judicium, quod sit plebejus, non autem nobilis, qualis ipse est; adeoque explicite datur major, & vera ratio per se fallens, inducensque cognitionem unius Personæ omnino distinctæ ab altera.

52 Si quis porro vellet dare (quod tamen falsum est) casum Replicæ esse de moraliter evenibilibus, nihil adhuc concluder. Nam numquam Carolus Franciscus comparens sub illo eodem habitu eamdem Personam exteriùs repræsentabit, quam sub illo repræsentavit prima vice, quando nupsit; non solùm quia artificiose diversam corporaturæ formam confinget, ut non se prodat, v.g., finget se luscum, stolidum &c., sed etiam quia naturaliter, & per se, & secundùm veram naturam aliter esse non potest. Certum est, Philosophia docente, atque experientia probante, quod juxta qualitatem affectuum naturalium interiorum fiunt mutationes exteriores in corpore.

Affectus interni mutant vultum exteriorem.

Carolus Franciscus prima vice amantis affectibus ducebatur sub illo habitu plebejo, & calvitio, & *berrettone con gli orecchioni* ad Matrimonium celandum: secunda vice angeretur affectibus iracundi, inflamati, timentis; ac proinde diversas animi expressiones exteriores faceret connaturaliter, & ex industria, sub quibus diversas oportet ex necessitate appareat a se ipso in priori. Et quomodo illum distinguent duo Peregrini, qui sub prima forma eum viderunt in vultu (fortè terga verterit) ad momentum transeuntes, ad lumen duplicis candelæ accensæ super Altaro in media nocte? Certe non, etiamsi lynceos habuissent oculos.

53 Addo, in celebratione prætensi Matrimonii exigitum est secretum sigilli Sacramentalis, quod per se est rigidissime insolubile. Ex hac conditione annullatur Matrimonium, & inter confinia clandestinitatis recluditur.

Matrimonium celebratum sub sigillo Confessionis nullum.

Quod ut evincam, formo alium casum. Jacobus habuit rem cum Margarita: hæc minatur se prodituram ejus crimen: Jacobus spondet eam accepturum: vadunt ad Parochum cum debitis Testibus, & Parentibus; sed antea Jacobus seriò convenit Parochum, & protestatur, se nolle eam ducere revera, sed faciet illum actum externum, ut satisfaciat Mulieri, ne sequatur sibi infamia. Hoc Matrimonium coram Deo est nullum, defectu legitimi consensus, ob quem ille actus externus efficitur solùm apparens, non realiter. Erit etiam nullus in Foro externo, si sufficienter probetur serietas protestationis præmissæ; quamvis, ob crimen deceptionis, dignus esset Sponsus pœnâ. Ita March. *in Resolutionibus de Matrimonio*.

Nunc ad rem nostram. Carolus Franciscus de consensu Epiphaniæ, & ViceParochi tractare voluit Matrimonium in Confessione: exegit occultari sub conditione sigilli Sacramentalis; idest protestatus est, se nolle cum Epiphania contrahere, nisi sub indispensabili secreto Sacramentali, quo deficiente, non contraheret. Constat ex Actis Processus, voluisse absque Testibus contrahere: Parocho nolente, expostulavit prædictam conditionem, quæ directe, & per se evacuat omnem vim probativam illius actus exterioris, & aufert omnem efficaciam, redditque actum apparentem, ac proinde nullum coram Deo, utpote ex diametro tollens essentiam, & naturam Matrimonii. Est etiam nullum coram Ecclesia, si constet sufficienter de illa protestatione: atqui illa constat abundanter ex Processu legitimo; ergo in utroque Foro nullum est.

54 Nec valet dicere quod Ecclesia exigit illam formam præcise externam, ut sit coram Parocho, & Testibus, non attendens ad intentionem, de qua non judicat, tamquam de occulto.

Non valet inquam. Nam Ecclesia etiam non judicat de interno consensu, utpote de occulto, sed attendit consensum exteriùs exhibitum; & tamen si præcessit protestatio prædicta, non subsistit valor Matrimonii; & ratio est, quia Ecclesia petit externum consensum verum, & non præcise apparentem.

Ecclesia exigit Matrimonii publicitatem realem, non apparentem.

Hæc eadem ratio currit in hoc casu. Exigit externam publicitatem Ecclesia, non materialem, sed formalem, non apparentem, sed realem; hinc præcipit fieri Matrimonium, non coram hominibus, sed coram Testibus, quia debent habere requisita essentialia ad testificandum. Sed sigillum Sacramentale essentialiter impedit in quolibet actu externo vim probativam in Foro exteriori; ergo tollit naturam probationis exterioris.

Fal-

Falſum etiam eſt, hic solùm agi de intentione interna, ſed eſt vera, & realis conditio exterior appoſita actui exteriori.

55 Nec valet ſecundò, quod illud ſecretum non teneat. De hoc nolo diſputare. Sed vis conſiſtit in eo, quod involvitur proteſtatio de non contrahendo, niſi ſub hoc ſecreto, quo ceſſante, non contraheret Carolus Franciſcus. Sufficit quod in errore, & ignorantia Contrahentium credatur tenere, & valere, ad hoc ut Matrimonium habeat conditionem contrariam ſuæ naturæ. Quod non teneat ſecretum, per accidens eſt, quia applicatur materiæ non debitæ. Ceterum ex ſua natura, & per ſe inſolubile eſt: & quia tale creditur, aſſumitur a Contrahentibus; ac per conſequens ex mente Contrahentium, & intentione, eamdem vim retinet. Error materialis non tollit efficaciam intentionis formalis. Non contraheret Carolus Franciſcus, ſi putaret æqualiter eſſe revelabile, vel publicabile illud Matrimonium, ſive apponatur, ſive non, conditio ſigilli Sacramentalis; ſicut non contraheret prædictus Jacobus, ſi crederet æque valere Matrimonium, ſive præmittat, ſive non, proteſtationem. Cum ergo Eccleſia noverit legitime ex actis Proceſſus hanc expoſtulatam conditionem proteſtativam, ſequitur, & coram Deo, & coram eadem Eccleſia, nullum fore contractum inter Carolum Franciſcum, & Epiphaniam.

Error materialis non tollit efficaciam intentionis formalis.

Et ita pro veritate ſentio, ſalvo ſemper meliori judicio.

DISSERTATIO THEOLOGICA IV.

AN CONFESSARIUS DEBEAT UXORATUM PŒNITENTEM IMPEDIMENTO DIRIMENTE IGNORANTIA INVINCIBILI IRRETITUM ADMONERE, INFRUCTUOSAM PRÆVIDENS ADMONITIONEM.

56 SI Confeſſarius in actu Sacramentalis Confeſſionis, alicujus ex Contrahentibus impedimentum ſubeſſe noverit, tenetur actu, & non aliter, Pœnitentem removere a Matrimonio contrahendo, donec legitima habeatur Diſpenſatio: quod quidem intelligendum eſt, quamvis immediate poſt Confeſſionem contrahendum foret Conjugium; debet enim modis omnibus ſtudere, ut aliquo prætextu protrahatur. Quod ſi Pœnitens acquieſcere nolit, debet abſolutionem denegare. Sed ejuſdem Conjugio, ſi petatur, aſſiſtere debet; tum ex generali regula de Sacramentorum adminiſtratione indigne, & publice petentibus; tum propter arctiſſimum Sacramentalis ſigilli vinculum. Confeſſarius quidam, detecto impedimento affinitatis ex crimine obveniente, dum tempus inſtabat contrahendi, in eodem Confeſſionis actu ſuaſor fuit, ut Puella votum caſtitatis ad tempus emitteret, quo voto, ipſa annuente, manifeſtato, Nuptiæ dilatæ fuere, donec ſuper impedimento diſpenſatum fuit. Ludovicus Beja *p. 2. caſuum conſcient. caſu* 32. aliud excogitavit modum pro evitando ſcandalo; conſuluit nempe Sponſos, ut ex mutuo conſenſu contraherent ſub conditione futuræ Diſpenſationis, interim cohabitare poſſent ſub eodem tecto, abſtinendo tamen a maritali commercio, & implorato divino auxilio ad periculum incontinentiæ evitandum.

Confeſſarius noſcens impedimentum dirimens debet amovere Pœnitentem a Conjugio contrahendo.

57 Quando uterque Contrahentium cum dubio impedimenti dirimentis celebravit Matrimonium, nec petere, nec reddere poteſt debitum, niſi dubio rite depoſito; uterque ſiquidem fornicationis periculo exponitur. Si verò alter tantummodo ſit dubius, adeoque mala fide contraxerit, petere nequit, ſed debitum reddere poteſt. Ubi bona fide, contracto Conjugio, rationabile dubium ex parte utriuſque ſupervenit, tenetur uterque ob periculum illicitæ cohabitationis abſtinere tum a petitione, tum a redditione debiti; ſi verò unus tantummodo dubitet, hic nequit petere, tenetur autem Parti innoxiæ ſatisfacere poſtulanti. Quod ſi alter certam aſſequatur impedimenti notitiam, nullimode petere, aut reddere poteſt debitum, etſi ſub Excommunicatione præcipiatur; quia ſcienter fornicarie miſceretur; adeoque, donec Diſpenſatio obtineatur, honeſtis motivis declinare debet thori cohabitationem, vel impedimentum revelare, quod facilè continget, ſi non ſit ex delicto. Si verò ex crimine habeatur, cautiùs incedendum eſt, & conſulendi ſunt prudentes, & potiſſimùm Epiſcopus.

Sub dubio impedimenti, quid agendum.

58 Habita impedimenti Diſpenſatione, nullitas Matrimonii, Parti neſcienti manifeſtanda eſt, ut novus habeatur conſenſus, caute tamen, præcipue ſi ſit impedimentum ex delicto; unde in Diſpenſationibus, quæ dantur ex Sacra Pœnitentiaria ſemper apponitur: *Cum ipſo Latore diſpenſa, muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut Latoris delictum nunquam detegatur*. Vid. Tract. de Matrim. *Diſp. VI. Controv. VI. num.* 100. uſque in finem.

59 Dubium, idque momentoſum ſuboritur, quid agendum ſit in caſu de ignorantia invincibili impedimenti dirimentis, quod a Confeſſario detegitur poſt conſummatum Matrimonium, inſciis omnimode Contrahentibus. Si ignorantia ſit vincibilis, omnes in id conveniunt, ut Pars eâ laborantem ignorantiâ admoneatur; hæc quippe nullatenus a crimine excuſat; adeoque ei deneganda eſt abſolutio, ſi nolit a thoro abſtinere. Exiſtente invincibili ignorantia, ſi prudenter credatur, quod Pars ignorans abſtinere velit, dubio-procul manifeſtandum eſt impedimentum, atque nullitas initi Connubii, dein ſollicitanda Diſpenſatio.

Difficultas itaque verſatur in caſu, quo juxta dictamen prudentiæ noſceret Confeſſarius nequaquam profuturam admonitionem, ſive ob timorem rixarum, atque occiſionum inter Conſanguineos, ſive ob periculum quod Conjuges perſeverare velint in maritali cohabitatione. Contingere autem poteſt, quod

impe-

impedimentum fit solius Ecclesiastici Juris, puta Affinitatis, quod sæpenumero contingit; quandoque verò Juris naturalis, ut in Archiepiscopatu Grationopolitano contigit, ubi Mater filium ignoratum invincibiliter duxit. Cum enim filius adhuc infantulus in Regionem longinquam fuerit translatus, atque adoleverit in Virum, ad Patriam redux Matrem Viduam duxit in Uxorem in facie Ecclesiæ, ignorato prorsus impedimento, & post aliquod temporis, consummato jam Matrimonio, aperte innotuit, filium cum Matre nupsisse.

60 Hac super re sunt, qui dicunt, ignorantem haud fore monendum; nec desunt qui velint, Confessarium peccare, si fortè admoneat; alii verò contrariam propugnant Sententiam. Cui parti sit adhærendum judicent Sapientiores, quamque velint adoptent. Pro secunda Sententia

DICENDUM quod Confessarius tenetur Pœnitentem impedimento dirimente ignorantia invincibili irretitum admonere, quamquam prudenter noscat nequaquam profuturam admonitionem.

61 PROB. I. Tertiâ regulâ Juris *Tit. 41. Decretalium* -- Utilius scandalum nasci „ permittitur, quàm veritas relinquatur -- scilicet non est deserenda veritas ob quodcunque malum, quod inde timeatur, sed Confessarius, qui aliàs ex munere, & per se veritatem docere tenetur, non manifestans impedimentum, stante præscientia futuræ illegitimæ cohabitationis, veritatem deserit, ne scandalum oriatur: ergo agit contra Juris regulam.

Non est deserenda veritas ob quodcumque malum.

62 DICES. Regula Juris laudata servanda utique est; sed quando profutura dignoscitur: in nostra suppositione nulla spes affulget; adeoque non urget.

RESP. Hujusmodi effugium facilè præcluditur. Cum enim fructus speratur, Juris regula locum non habet: siquidem jam nunc oriretur scandalum, tolleretur namque prava cohabitatio; cumque ipsa clare dicat permittendum potiùs scandalum, quàm veritatem derelinquere, fateri necesse est, regulam illam innuere casum, in quo fructus non speratur.

Pro clariori tamen intelligentia notandum est, triplicem dari veritatem, ut habet Glosula ad præcitatam Regulam; veritatem nempe vitæ, justitiæ, & doctrinæ, ad quam homo conformari debet. Veritas vitæ ad actionem pertinet in his, quæ homo per seipsum agere debet; veritas justitiæ spectat quidem ad actionem, sed relate ad ea, quæ aliis observanda promulgare quis debet, veritas doctrinæ ad cognitionem refertur, ut quod Deus unus est, & trinus, quod furtum non est faciendum. His prælibatis

Triplex veritas.

S. Thom. 4. *Dist.* 38. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. generalem firmat regulam; videlicet: *Quicunque autem veritatem relinquit, peccat*; & eâdem regulâ repetitâ *ad Galat.* 2. explicans reprehensionem a Paulo factam Petro ad singulas elucidandas veritates descendit, ostenditque, veritatem vitæ ob quodcunque malum nusquam posse dimitti, unde nullimode peccare licèt etiam venialiter, ut alter gravissimo licèt crimine se non deturpet. Ostendit *ad* 2. nusquam deserendam esse veritatem justitiæ, & doctrinæ. Et *in corpore articuli* sic discurrit -- Sed tunc dicitur aliquis veritatem dimittere, quando „ dimittit, vel facit aliquid, quo omisso, „ & facto veritas non manet: quod sine „ peccato esse non potest; & ideo nullo „ modo veritas propter scandalum passivum „ alterius dimittenda est -- Atqui in nostro casu, prætermissa admonitione de impedimenti existentia, non manet veritas Conjugii, nec veritas liciti congressus Conjugum; ergo deseritur veritas, quæ etiam pro evitando scandalo absque noxa derelinqui nequit. Clarius *ad* 3. resolvendo objectionem, quæ oppositæ Sententiæ fundamentum præcontinet, positâ doctrinâ de actu docentis, & de re, quæ docetur, sic loquitur -- Sed „ res ipsa, quæ docetur, est, quæ pertinet „ ad veritatem doctrinæ. Nec veritas do„ ctrinæ prætermittitur, quando aliqua res „ vera tacetur, sed quando veritati illius rei „ præjudicium generatur, sicut ex contraria „ doctrina, sive ex taciturnitate aliquorum; „ & sic propter nullum scandalum est veritas „ doctrinæ relinquenda -- Sed impræsentiarum ex Confessarii silentio præjudicium generatur veritati Conjugio debitæ; cum falsitas non tollitur, sed corroboratur: error enim, cui minime resistitur, ex regula Juris approbatur; ergo.

63 PROB. II. Per Adversarios si quis invincibili laboret ignorantia alicujus articuli necessarii, ut ajunt, necessitate medii ad salutem, instrui debet, quamvis prudenter prævideatur, quod nusquam credet; ergo similiter Confessarius tenetur Conjuges admonere, si invincibili ignorantiâ laborent, licèt prudenter prævideatur, quod in illicita cohabitatione perseverare velint. Ostenditur vis illationis, salva tamen strictiori obligatione eorum, quæ sunt necessaria necessitate medii. Qui prædictum articulum invincibiliter ignorat, non peccat formaliter, & licèt non foret salvandus, nihilominus illa ignorantia deservit, ut in judicio Dei mitiùs cum eo agatur, mitiùsque puniatur, secundùm Regulam Augustini relati Cap. *si quis autem, de Pœnit. dist.* 3., ubi docet, laudabile esse in Schismaticis, qui perituri sunt, ea facere, quæ ad tolerabilius supplicium deserviunt. Ablatâ ignorantiâ deservit scientia ad gravius supplicium; quia materialis incredulitas in formalem transit; & tamen Pœnitentem instruere tenetur Confessarius. Quamvis ergo Conjuges, stante ignorantia invincibili, formaliter non peccent, peccaturi habitâ notitiâ nullitatis Conjugii, nullimode excusari potest Confessarius, si admonitionem prætermittat; quia sui muneris est docere necessaria necessitate medii, & præcepti, potissimùm illius generis, quæ Fideles vi status peculiaris expresse scire debent, ut in casu, ubi nullitas Conjugii est destructiva ipsius status quoad substantiam.

Confessarius instruere debet Pœnitentem.

64 PROB. III. Ex communi Doctorum placito, qui invincibili laboraret ignorantiâ circa aliquod Mysterium implicite de necessitate credendum, puta, quod Justorum animæ

Edocendus qui invincibiliter ignorat aliquam veritatemFidei.

Animæ ab omni labe expiatæ statim æternam consequuntur felicitatem, a Parocho, qui errantem animadvertit, foret edocendus, quamvis ob opposita momenta firmiùs quàm par est, indita, probabiliter credatur, nolle a suo errore recedere; urget enim præceptum negativum de non credenda falsitate. Sed itidem urget præceptum negativum de non accedendo ad non suam; ergo sicut Parochus sciens errorem invincibiliter errantis tenetur ad instructionem, permittendo peccatum Infidelitatis formalis, ita sciens irritum Matrimonium tenetur ignorantes Conjuges instruere, cum permissione peccati formalis. Porro ratio utrobique eadem id plane suadet, scilicet, veritas Fidei per se spectat ad bonum commune, & falsitas in ejusdem præjudicium vergit; similiter Conjugii veritas per se ad commune bonum ordinatur, & falsitas in damnum.

65 PROB. IV. Nemo est, qui dubitet, debere Virum Apostolicum instruere, non obstante prævisione perseverandi in errore, ad Fidem conversum, in casu Polygamiæ simultaneæ. Dari posse hac de re invincibilem ignorantiam facilè est apud Gentiles; non enim simultanea Polygamia primario naturæ Juri refragatur, aliàs in Lege Veteri fuit permissa, & nunc quoque apud aliquas, licèt barbaras, Nationes in usu est. Vir itaque Apostolicus advertens, Neophitum duas insimul habere Uxores, neutram dimissurum, vel propter divitias, vel propter præclaras earundem dotes, possetne accedentem ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal sine prævia admonitione absolvere? Nequaquam sane; quia Polygamia omnino per Christum obliterata est. Et tamen post admonitionem ille formaliter peccabit. Cur ergo tacere debet in casu irriti Matrimonii, cum utrobique accessus habeatur ad non suam?

Vir Apostolicus ad Fidem conversum debet docere reprobatam esse Polygamiam.

66 PROB. V. Si Confessarius advertat, & probe noscat, Pœnitentem non esse rite Sacerdotio inauguratum, utpote a ficto Episcopo consecratum, quamvis invincibili ignorantia a pluribus annis Sacra peregisset, & ex quo a Sacris abstineat, magna timeantur scandala, tenetur nihilominus illum admonere, etiam sub prævisione perseverantiæ in malo, itaut sacrilegia, quæ ex bona fide innosia erant, fierent peccaminosa. Atqui non minùs est ab intrinseco malum accedere ad non suam, quàm nulliter celebrare; ergo etiam in hoc casu necessaria est admonitio.

67 Sunt & alii casus invincibilis ignorantiæ passim apud Doctores, de quibus admonendi sunt Pœnitentes, etiam sub prævisione non futuræ emendationis. Legimus, Mulieres mortem, quæ evitari non poterat, infirma valetudine laborantibus ex pietate accelerasse, ne videlicet diu doloribus anxiarentur. Legimus, Adolescentulos ex ignorantia utique invincibili pollutos. Ex falsis Molinistarum Dogmatibus præventi Simplices non pauci quædam crimina licita volebant, quin spes effulgeret emendationis, sive ob veterem consuetudinem, sive ob apparentia momenta. Et tamen in his, aliisque casibus, admonendi sunt Pœnitentes, aliàs Christiana Religio practicè falsitati, atque hypocrisi astipularetur.

Christiana Religio falsitati non assentitur.

68 Hinc intrinseca exoritur ratio, quæ innititur a Cardinali de Lugo, & sequentibus enucleatur. Confessarius ex vi sui muneris est Medicus, Magister, & Judex, eaque munia Ecclesiæ nomine exercet. Porro Medici conditio exigit, ut quandoque pharmacum aliàs salubre non tradatur infirmo, cum scilicet nociturum prævidetur; quia per se respicit sanitatem, quæ hic & nunc a remediis opportune accommodatis, atque a subjecti dispositione habetur; propterea quandoque haud debet Confessarius corripere Pœnitentem. Magistri verò, Doctorisque conditio immediate respicit veritatem, quæ essentialiter sita est in conformitate rei prout est in se, nullimode pravâ, aut bonâ subjecti dispositione inspectâ; proindeque Confessarius juxta utrumque munus, Magistri, & Doctoris, veritatem palam facere debet, nec potest falsitatem docere. Tenetur ultro veritatem docere, quando actu fungitur munere, ad quod assumptus est. Si a Pœnitente interrogetur, ad unum omnes volunt, Confessarium debere rem plane explicare, quamvis nulla futura sit emendatio; quia in spiritu, & veritate, instruere tenetur sciscitantem. Si verò non interrogetur, debet adhuc ut Ecclesiæ Minister ignota recludere, remque totam patefacere; etenim ex vi ministerii adstringitur vicea gerere veracis Ecclesiæ, quæ non tantùm formalis, sed materialis veritatis columna est, & firmamentum, unde ipsa errore, & falsitate invincibili haud errare potest, sive tacendo, sive docendo, eum omnem errorem, omnemque falsitatem intendat propulsare. Ipsa porro publicis monumentis declaravit, illicitum esse accessum ad non suam, nullos esse hujusmodi contractus, etiam sub quacunque ignorantia initos, quoties certâ scientiâ hoc deprehendit; cumque immediate nequeat de omnibus, singulisque casibus disponere, utitur Ministris, qui veritatem dilucident, aperiantque. E munere igitur horum est, ignorantiæ tenebras repellere; si verò inde mala sequantur, Pœnitentium malitiæ imputandum erit.

Confessarius Medicus, Magister, & Judex.

69 DICES I. Confessarius, ut Magister, practicam solummodo veritatem debet docere, secus speculativam: est enim Magister juxta dictamen prudentiæ, quæ verum practicum respicit; itaque autem invincibili ignorantia cum prævisione frustraneæ admonitionis, habetur practica veritas de licito accessu; ergo tacendo defectum irriti Conjugii suo muneri satisfacit.

RESP. Perperàm dicitur, Confessarium debere tantummodo practicam veritatem docere. Nam per se primò speculativam veritatem, unde practica dependet, manifestare tenetur; adeoque sæpenumero Confessarius delinquit, nequaquam manifestando invincibiliter ignoranti veritatem, v. g. obligationem restituendi. Addas velim, ex parte Confessarii non habere locum practicam veritatem ob impedimenti certitudinem. Etenim ex parte Pœnitentis practica veritas est, teneri, ad evitandam incontinentiam, accedere ad Conjugem creditam invincibiliter suam: & tamen

Veritas speculativa, & practica manifestanda.

tamen si Confessarius noscat nullitatem Conjugii, insimul & incontinentiam, nequaquam accessum consulere valet, sed solummodo monere de incontinentia vitanda. Sicut stat veritas practica ex parte Pœnitentis, quod uti possit re alterius invincibiliter ignoratâ, v. g. fructu ex usura, ad familiæ sustentationem: & tamen Confessarius sciens eum restitutioni obnoxium esse, nequit consumptionem illius fructus consulere; quia ex suo munere ad veritatis jura tenetur. Nec dicas, in hoc casu tertium damnificari. Nam damnum est solummodo physice illicitum, potissimùm invincibili ignorantiâ intercedente ex parte solventis usuras; quod physicum damnum impræsentiarum occurrit, damnificatur siquidem sanctitas Conjugii; aliàs Confessarius custos est singularis sanctitatis Sacramentorum.

70 DICES II. Judex tenetur solùm ad formalem justitiam; unde Innocentem privatâ scientiâ cognitum, si secundùm Juris regulas reus probetur, damnare debet; ergo sacer Minister ad solam practicam veritatem tenetur, adeoque, cum Conjuges Matrimonii nullitatem ignorant, ex scientia, quam ipse habet, admonere non debet.

RESP. Ex relata instantia oppositum evincitur. Siquidem eo in casu studium omne, omnemque adhibere debet diligentiam Judex, ut Innocentem absolvat, ita ut contendant nonnulli, si aliud non suppetat remedium, debere Judicem alteri causam demandare, atque Testis officium assumere; quomodo igitur poterit Confessarius veritatem reticere? Deinde latum intercedit discrimen inter civile, & Sacramentale judicium. In illo publicæ attenduntur testificationes; in hoc jura conscientiæ. Quapropter agnoscens Confessarius Conjugii nullitatem, hanc revelare debet. Hinc compertum fit, Confessarium esse Judicem, Doctorem insimul, & Magistrum, quæ munia Judici laico nequaquam conveniunt.

Munia Judicis laici, alia a Judice sacro.

71 DICES III. Christus in parabola nos docet, evellenda non esse zizania, si eradicandi triticum periculum occurrat: atqui in nostro casu occurrit periculum incontinentiæ, dissidiorum, & hujusmodi; ergo veritas non est recludenda.

RESP. Instantia nimis probat. Confessarius admonere non deberet, quando Conjuges ignorantiâ crassâ laborarent; quod & per Adversarios falsum censetur. Christus in illa parabola loquitur de zizaniis cognitis, & parentibus, quæ non rarò juvat tolerare, ubi gravius damnum Ecclesia timere potest. Hic obiter placet advertere, in præsenti quosdam Casuistas in unum veluti aggerem congerere futura mala, puta rixas, homicidia, scandala, quæ ex manifestatione impedimenti haberentur, cum tamen, temporalibus quandoque occurrentibus motivis, ultro consulant, aut saltem permittant, divortia, ex quibus similia habentur absurda.

72 PROB. VI. Pœnitens quacunque laborans invincibili ignorantia debet esse paratus ad obtemperandum Legi, quoties obligatio innotescat, potissimùm si Lex spectet ad proprium statum, atque illam scire teneatur: sed ad statum Conjugii proprie spectat scire ejusdem valorem, aut nullitatem, sicut illicitam fore cohabitationem thori, quoties nullius valoris est Matrimonium; ergo accedens ad Sacramentum debet esse paratus ad abstinendum a maritali commercio, quoties illicitum agnoverit, etsi prævie nulla hac super re suborta fuerit dubitatio.

Pœnitens debet esse paratus ad legem servandam.

Res exemplis clarescet. Si quis invincibiliter ignoret, pejerare in re levi fore grave peccatum, inimicum non esse excludendum ab officiis communibus, & precibus, acceptum supra sortem in mutuo obnoxium esse restitutioni, peccatum inculpabiliter oblitum, dum memoriæ occurrit, subjiciendum Clavibus, debet in præparatione animi velle non pejerare in re levi, inimicum non rejicere, non retinere acceptum ex mutuo, confiteri oblitum crimen: quod si Confessarius prudenter adverteret, quod de his admonitus Pœnitens nollet jussa exequi, non esset utique absolvendus; ergo idem dicendum in nostro casu.

73 DICES. Si Pœnitens vere, efficaciterque detestetur peccata, paratus de cetero ad non peccandum, & Confessarius prudenter advertat, quod si ab eo exquireretur, num esset paratus potius in frusta concidi, Patrem, & Matrem perdere, comburi, quàm peccare, reponeret, haud talia velle perpeti, adhuc foret absolutione donandus, dummodo in genere firmiter, efficaciterque proponeret velle potius quodlibet aliud malum sustinere, quàm graviter delinquere; ergo a pari in nostro casu ob rationis identitatem; sufficit namque præparatio animi in genere, & sub illa cognitione, quæ hic, & nunc occurrit.

RESP. Equidem Pœnitens in casu non esset capax absolutionis. Volens namque efficaciter aliquid ex pluribus conflatum, vult itidem omnia, & singula distributa, in particulari proposita; & revera Christus, ut dilectionem Dei super omnia explicaret, non tantùm vult, Patrem, & Matrem, Uxorem, & filios, sed & animam propriam, idest corpus suum odio haberi. Contritio ex charitate oritur, quæ omnibus Deum præponit; adeoque si quis non foret paratus Deum alicui particulari bono præferre, quamvis generaliter diceret, se Deum amare super omnia, Deum utique non diligeret. Contritus paratus esse debet ad quæcunque mala pati potius quàm peccare. Et quidem sufficit talem habere voluntatem in genere; verùm si affectum aliquem virtualem haberet nequaquam sustinendi determinatam pœnam pro evitando peccato, illa generalis voluntas non esset efficax, nec absolute contritus Pœnitens; unde nec capax absolutionis. Porro paritas æqualiter se habet in Conjuge, quantùm ad affectum in generali; quatenus, ut sit contritus, sat est, quod totam legem, sibi notam velit in genere adimplere. Dispar tamen est ratio circa particulares casus; quia ipse scire tenetur in particulari leges singulas determinatas, quibus ligatur; & consequenter tenetur velle edoceri circa leges ignoratas. Non idem occurrit quantùm ad pœnas; non enim

Conjux scire debet propria sui status.

enim debet homo singulas scire, & determinatas pœnas, quæ perpeti possunt; siquidem determinate acceptæ ad essentiam contritionis non spectant.

74 REPLICABIS. Perperàm ageret Confessarius, si, ut doloris efficaciam probaret, singulas pœnas proponeret. Nam ut ait S. Th. *Quodl.* 1. *quæst.* 5. *art.* 9. -- De-„ scendere in talibus ad singula, est inducere „ hominem in tentationem, & præbere oc-„ casionem peccandi -- Sed etiam Confessarius nullitatem Conjugii invincibiliter ignoratam revelans, induceret hominem in tentationem, atque occasionem peccandi præberet; ergo male ageret, adeoque impedimentum revelare non debet.

RESP. Discrimen ex dictis in aperto est. Conjux vi status hanc peculiarem legem scire tenetur, eamque observare; & ideo debet esse paratus ad eam dignoscendam, si quandoque ipsam ignoraret. Tenetur itaque Pœnitens esse paratus ad abstinendum a maritali congressu, quoties noverit nullitatem Conjugii, & insimul dispositus ad percipiendam veritatem de nullitate, si de ea habeatur ignorantia. Confessarius verò debet ut Doctur Pœnitentem edocere legem ignoratam, nec indispositum absolvere; quapropter, si rationabilibus momentis Pœnitentem noverit nolle abstinere ab illicito commercio, deneget absolutionem. Quod si ex manifestatione mala inde evenient, non Confessario, sed Pœnitenti imputanda erunt.

75 SUBDES. Si impedimentum ex delicto habeatur, puta ex Affinitate culpabiliter constitutâ, Conjux abstinere non debet ab Uxore, ne bonum nomen periclitetur: quare Parochus volentibus coram ipso in Ecclesia contrahere, etsi scientiam habeat de impedimento, debet assistere; ergo saltem in hoc casu impedimentum poterit reticere.

RESP. Argumentum probat neque posse revelari nullitatem, stante vincibili ignorantia; siquidem, eâ spectatâ, motivum bonæ famæ urget; immo Parochi exemplum evincit, haud fore monendum Pœnitentem, stante scientia actuali impedimenti. Quare instantia ostendit, congrua escogitanda esse media pro servanda fama, secus reticendam esse veritatem, etsi prævideatur, quod profutura non erit admonitio. Accedens ad sacrum Confessionis Tribunal est æger, ignorans, reus, & implicite, seu virtualiter petit sanari a quocunque vulnere, edoceri de quacunque lege quomodocumque ignorata, absolvi demum a quolibet crimine, & Confessarius talia petenti formaliter, vel virtualiter, debet facere satis, propterea impedimentum etiam in casu detegere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES ALTERIUS SENTENTIÆ.

76 OBJIC. I. Monitio, sicut & fraterna correctio non cadit sub obligatione, quoties fructus inde non speratur, juxta illud Augustini effatum relatum Cap. *Si quis autem. Dist. 7. de Pœnit.* -- Si scirem non „ tibi prodesse, non te admonerem -- ergo.

RESP. Hujusmodi momentum nullius est roboris. Hi namque Doctores absolvunt a fraternæ correctionis praecepto, etiam cum Frater peccavit, immo & perseverabit in crimine ex ignorantia invincibili, si nulla affulgeat spes emendationis, & tamen non renuunt adstruere in Confessario obligationem admonendi Conjuges de impedimento, si vincibilis adsit ignorantia. Debent itaque noscere, latum intercedere discrimen inter debitum fraternæ correctionis, & manifestationem impedimenti dirimentis.

Textus Augustini abs re affertur. Agit enim eo loci de pœnitentia, quæ ad vitæ usque extremum differtur, de qua meritò dubitari potest, num a Deo acceptetur. Quoniam igitur incertum est, ideo Augustinus suasor est pœnitentiæ; si enim certò sciret ipsam a Deo rejiciendam, neutiquam, Peccatorem moneret ad pœnitendum. Igitur Augustini sensa non tendunt ad instruendum de correctionis fraternæ mandato, ut intendebant Adversarii.

77 OBJIC. II. Nemini laqueum injicere debemus Cap. 2. *De Viduis* 27. *q.* 1. atqui in nostro casu admonitio Confessarii solummodo deserviret ad laqueum; ergo.

RESP. Argumentum hujusmodi æque urget in casu ignorantiæ vincibilis, immo & scientiæ. Nam eo loci *de Viduis* agitur de eo, qui post votum simplex scienter contraxit; quo casu resolvit Pontifex, Contrahentem pro violato voto subjiciendum esse pœnitentiæ, sed a Conjugio non esse sejungendum, quia laqueum injicere non debemus. Et meritò sane. Conjugium namque validum erat; si enim irritum fuisset, aliter dubio-procul respondisset. Laqueus itaque injicitur, cum prohibetur quod licitum est, nec contra legem; non quando prohibetur quod recto rationis dictamini adversatur. Accessus porro ad non suam est contra legem naturalem, omnibus quidem compertam, licèt sub his circumstantiis ignoretur, quod hæc Mulier non sit sua; adeoque Confessarius fungens munere suo, dum admonet, perperàm dicitur injicere laqueum, sed ipsum, stante gravi causa, permittere.

78 OBJIC. III. Nulla Lex ad inanes, inutilesque actus adstringit: frustraque nititur, ubi nihil speratur; hoc idem in nostro casu facilè occurrit; ergo.

RESP. Eadem est paritas de ignorantia vincibili. Etiam ille, qui vincibiliter ignorantem, admonet cum prudenti prævisione quod in peccato perseverabit: inanis monitor foret censendus; & tamen ex Adversantium doctrina in hoc casu Lex urget.

Quod si dicas, vincibiliter ignorantem tunc quidem non abstinere a peccato, sed in posterum conscientiæ stimulis adactum forte ab iniquitatis semita declinaturum. Itidem respondebimus & nos; adeoque ignorans invincibiliter, licèt impræsentiarum admonitus non proficiat, proficiet fortè. Ministri Ecclesiæ ad propria obeunda munia tenentur, quia ex se ordinantur ad uberem in Ecclesia reddendum fructum, non autem ad fructum actu colligendum. Hinc habemus Christum Ju-

Admonitio habenda quandoque sine spe emendationis.

Judæos viam salutis docentem, licèt compertum haberet, plerosque non credituros.

79 OBJIC. IV. Ex duobus malis, juxta commune effatum, minus est eligendum; sed minus malum est solummodo materiale præ formali peccato: aliàs stante ignorantia invincibili per accessum ad non suam materialiter peccatur, accedente scientiâ malitiose delinquitur; ergo.

RESP. Semper instat argumentum de ignorantia vincibili. Equidem minus malum est peccatum tantummodo in causâ, & ex ignorantia vincibili perpetratum: minorem namque habet voluntarietatem, quàm peccatum in se, & ex completa malitia; & tamen per Adversarius tenetur Confessarius vincibiliter ignorantem monere, etsi prævideat futurum gravius peccatum. Et quamvis major illa gravitas non habeat fortè malitiæ speciem immutare, ad majorem tamen impellit damnationem, quam a Proximo, secundùm Augustini regulam infra adducendam, avertere summo studio debemus. Contendunt Doctores, haud fas esse hostiam non consecratam dare indigne petenti palam, accedente etiam ipsius consensu, ne adstantes materialis Idololatriæ rei habeantur: atque ob idem momentum negant, posse v. g. Parochum publicæ adorationi hostiam non consecratam exponere, etsi consecrata deficiat. Non ergo est per se licitum materialia crimina ab intrinseco mala permittere ad formalia evitanda; aliàs circa præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, non essent admonendi Pœnitentes, cum prævidetur admonitio non profutura; quod sane absurdum est. Itaque sicut Lex non est reprobanda, ut docet Apostolus, ex quo ab ea oritur peccatum, ita non est criminanda veritatis manifestatio, ex quo quis ex prava voluntate peccet habitâ illius cognitione.

Materiale peccatū evitandum.

80 OBJIC. V. Quoties duo occurrunt præcepta inter se nequaquam compossibilia, quod fortiùs urget, servandum est: sed fortiùs adstringit præceptum reddendi debitum, utpote clarius, notiusque, quàm præceptum abstinendi a concubitu, qui fornicarius ignoratur; ergo Confessarius detegendo impedimentum nequit impedire redditionem debiti, sed hanc potius consulere, atque præcipere debet.

RESP. Nemo unus est, qui non videat, Argumentum urgere pro casu vincibilis ignorantiæ, ubi indubie præceptum reddendi debitum clariùs est, quàm aliud de fornicatione vitanda. Latet itaque in argumento æquivocatio. Aliud est loqui de Conjugibus, ac de Confessario. Pro Conjugibus quando impedimentum ignorant, valet præcitata regula. Sed Confessarius non ignorat nullitatem Conjugii; ideoque abs re affertur. Scit Confessarius certò, quod per se, & ab intrinseco illis illicitus est accessus, solumque licitus per accidens; aliunde rem per se ab intrinseco malam nequit consulere. Quod si eos admonere non teneretur, casus eveniret, in in quo malum teneretur consulere, atque præcipere. Ver. gr. si Conjux ex ira nollet debitum reddere: hoc absurdum videtur, deberet enim mentiri, asserendo, ideo teneri debitum reddere, quia Pars altera ratione legitimi Conjugii certum jus habet; est autem indubia doctrina, non licere venialiter peccare pro quocunque evitando scandalo.

81 DICES. Impræsentiarum mendacium non intervenit, eo plane modo, quo B. Virgo non est mentita, cum dixit: *Ego, & Pater tuus, dolentes quærebamus Te*, etsi S. Joseph tantummodo putativus foret Christi Pater; in nostro casu sunt putative Conjuges, ideo mendax non esset Confessarius si eos tali nuncuparet vocabulo.

RESP. In casu mendacium evitari nullimode potest; cum certò noscat Confessarius nullum fore Conjugium. B. Virgo solummodo in sensu de Patre legali illam usurpavit locutionem, atque in ea significatione fuit a Christo intellecta; in præsenti verò Conjuges locutionem intelligerent in sensu reali, & Confessarius probe scit eodem modo ab iisdem usurpari. Quod si illius locutionem in sensu putativo intelligerent, jam noscerent impedimentum, adeoque nullimode thori cohabitationem ipsis permissam. Itaque ut locutio mendacii notam effugiat, satis est, quod taliter proferatur, ut ab audientibus intelligatur, aut intelligi possit juxta loquentis sensum, & secundùm obvium, communemque verborum significationem; significatio porro verborum asserentium Conjugem teneri debitum reddere propter jura Conjugii, innuit aperte, Conjugium legitimum esse. Ex his palam fit, recitatam opinionem talibus non roborari momentis, ut quis prudenter eam deserere non possit.

DISSERTATIO THEOLOGICA V.

AN RELIGIOSUS, QUI LABORIS, AC PŒNITENTIÆ PERTÆSUS, AD DEFORMATOS TRANSIT EJUSDEM RELIGIONIS CONVENTUS, SIT TUTUS IN CONSCIENTIA, ET POSSIT SACRAMENTALITER ABSOLVI.

CASUS.

82 Titius Religiosus speciali Dei munere vestitus, nutritus, ac Professus in Conventu, & pro Conventibus, in quibus Regularis observantia viget, emissa Professione, laboris, ac pœnitentiæ pertæsus, vel alia consimili causa motus, Superioribus contradicentibus, sed tandem ob duritiam cordis annuentibus, reformatos Conventus deserere statuit, atque ad alios declinare ejusdem Religionis deformatos, ubi communis vitæ ratio non servatur, atque in præcipuis Ceremoniis, ac Constitutionibus, plurimùm deficiunt. Quæritur, an sit tutus in conscien-

Casus exponitur.

ſcientia, & an poſſit Sacramentali abſolutione donari, & ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem admitti?

NONNULLA PRÆNOTANDA.

83 ANnie difficultatis ſolutionem notandum eſt I. ea Joanne a S. Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *de Voto Diſp.* 29. *art.* 10. quod ſi quis vovens Religionem in communi non admittatur in illis Religionibus, ubi Regularis Obſervantiæ vigor habetur, licèt in aliqua valde laxa admittatur, ita quod in illa non vigeat Obſervantia neque quantùm ad ſubſtantialia vota, neque quantùm ad graves Ceremonias, nequaquam talem adoptare ſtatum tenetur, cum tunc impletio voti cenſeatur moraliter impoſſibilis. Neque enim cenſendus eſt, ſe huic Religioni obligare voluiſſe, ubi nullum fere obſequium Deo exhibetur. Huic præluſit Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 88. *in Comment. art.* 3. — Dicendum quod ſive
„ vocentur Monaſteria reformata, ſive non,
„ ſi publice conſtat, quod non ſervatur ibi
„ Regularis diſciplina . . . non tenetur Per-
„ ſona, quæ vovit Religionem in veritate
„ ſubire converſationem talium Monaſterio-
„ rum: ſcriptum eſt enim, cum perverſo
„ perverteris. Secus autem ſi vocarentur
„ vitæ communis, & tamen in veritate bene
„ viverent cum timore Domini in ſubſtan-
„ tialibus, & multis accidentibus —

Qui vovet Religionem in communi non admiſſus in Religionibus obſervantibus non tenetur ingredi inobſervantē &c.

84 Notandum II. ea Nazario *de Statu, & Obligatione Religioſorum quoad obſervantias Regulares dubitatione* 5. prædictas graves Religionis Ceremonias, quibus neglectis, totum Religionis decorem. Statumque, concidere neceſſe eſt, reduci ad jejunia a Religionum Fundatoribus inſtituta, ad ciborum delectum unicuique Religioni proprium, vilitatem, & aſperitatem veſtium, puta non deferre lineam ſubuculam, quando a Regula prohibetur. jura ſilentii, defectuum correctiones, orationis ſtudium, & devotam Divini Officii recitationem.

Quenam ſint graves Religionis Ceremonia.

85 Notandum III. ea eodem Nazario laudato loco Tit. *De receptione Novitiorum*, Prælatos Religionum, Provinciarum, vel Monaſteriorum, in quibus non obſervantur Regula, Conſtitutiones, & ſubſtantialia Religionis, itaut horum Tranſgreſſores abeant impuniti, non poſſe abſque gravi crimine ad habitum, vel Profeſſionem, Novitios recipere; idemque dicendum de inducentibus, & voto ſuo conſentientibus, ut Novitii in tali Religione recipiantur, atque Profeſſionem emittant.

Prælati non poſſunt Novitios recipere ubi ſubſtantialia Religionis nō obſervantur.

Hujuſmodi porro doctrina colligitur per evidentem conſequentiam ex Domini Sententia Matth. 23. verſ. 15. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.*

Evincitur etiam evidenti ratione. Etenim plerunque Adoleſcentes in aliqua Religione recepti, juxta ceterorum ejuſdem Religionis mores educantur, & provectiores, Senioreſque tanquam Magiſtros imitantur, eiſque ſimiles, immo ob corruptam humanæ naturæ inclinationem pejores efficiuntur; ergo qui in hiſce Conventibus Novitios recipiunt, vel ad recipiendum inducunt, aut conſentiunt, quantùm eſt ea parte ipſorum id præſtant, ut reformandi nuſquam reformentur, dum Regularis Obſervantiæ Tranſgreſſores continuò nutriunt, augentque, ut apte obſervavit Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 5. *in Comment.* Experientia etiam docet, a ducentum, & amplius annis, quibus Supremi Romanæ Eccleſiæ Antiſtites Religionum Reformationem intentarunt, irritus eſt labor, caſſuſque conatus; quia quantò magis ipſi male affectas radices reſecare conantur, tantò magis inutilia, ni noxia dicamus, Novitiorum germina exereſcunt, ſicut conqueritur Clemens VIII. Sed qui impediunt quomodocunque Regularium Ordinum Reformationem, graviſſime delinquunt, & quidem in Spiritum Sanctum, ut contendit Joannes a Turrecremata *in Regulam S. Benedicti*, eò quia, ait Nazarius, Spiritus Sancti Gratiam per Pontifices ad tantæ pietatis opus excitantem impugnant, ſi non verbis, ſaltem factis; ergo recipientes, conſentientes, vel inducentes ad recipiendos Novitios in præfatis Conventibus lethaliter, graviſſime, delinquunt.

Qui impediunt quomodocunque Religionis Reformationem graviſſime peccant.

86 Notandum IV. ea Joanne Excuria, ſeu potius ea S. Antonino *in Epiſtola reſponſiva ad Carolum Burgundiæ Ducem*, quod Religioſi, quorum voluntas Ordinationibus Regulæ, ſeu Conſtitutionum ſubjici renuit, & deliberate nolentes reformari, extra Regularem Obſervantiam ſatius vivere volunt, ſive reſiſtant, ſive non, ſi in tali ſtatu perſeverent, non niſi damnabiliter morientur; quoniam noluerunt Reformationem; dicit enim Humbertus *ſuper Regulam S. Auguſtini*, quod contemnere remedia contra delicta tranſgredientium pejus eſt omni contemptu. His prænotatis

Religioſi nolentes reformari &c. damnabiliter morientur.

CASUS RESOLVITUR.

DICENDUM, Religioſum, de quo occurrit quæſtio, non fore tutum in conſcientia, nec poſſe Sacramentali abſolutione donari, vel ad Euchariſtiæ Sacramentum admitti, niſi efficaciter promittat perſeverare in reformatis Conventibus, pro quibus, & in quibus, Religioſæ vitæ nomen dedit, atque votis ſe obſtrinxit.

87 PROB. I. ex primo Notabili ſub hac forma. Vovens Religionem in communi, aliquam non inveniens reformatam, quæ ipſum ad habitum admittat, ſi quæ deformata præſto ſit, in qua non vigeat vitæ communis diſciplina, atque in gravibus deficiat Ceremoniis in ſecundo notabili cum Nazario recenſitis, non adſtringitur hanc eligere, atque in ea profiteri: quia adimpletio voti eſſet illi moraliter impoſſibilis, & talis Religio eſſet illi potius in laqueum, & in ruinam, quàm ad ſalutem; quod ſi ſciens, & lubens in ea Profeſſionem emitteret, ſtulte omnino, imprudenterque ageret, quem-

quemadmodum Jephte, de quo scribit S. Hieronymus, quod stultus fuit in vovendo, quia discretionem non habuit. Sed ille, qui est nutritus, & professus in Conventu, & pro Conventibus reformatis, si ob duritiam cordis, etiam ex Superiorum licentia, ad alios ejusdem Ordinis deformatos Conventus declinet, ex quo non sunt communis vitæ, atque in præcipuis deficiunt Ceremoniis superiùs enumeratis, sibi facit moraliter impossibilem adimpletionem eorum, quæ in Professione Sancta Deo promisit, & Religiosum Statum non quidem utilem, sed noxium reddit; ergo si volens, & lubens prædicta peragit, stultitiæ, & imprudentiæ, reus prorsus efficitur. Atqui stultitia, & imprudentia in materia gravi, uti est æternæ salutis negotium, nemine refragante, peccatum mortale involvunt; ergo Titius censendus est lethali irretitus laqueo, vel ad ipsum, nisi consilium mutet, proxime dispositum; adeoque absolutionis, aliorumque Sacramentorum incapax est; ea pari ratione, qua, nec absolutione donantur, nec ad alia Mysteria admittuntur, existentes in mortali, vel ad ipsum proxime dispositi, dispositione quam possunt, & removere renuunt, immu directe, & voluntarie quærunt.

Titius de quo in præsenti Imprudens est in materia gravi.

88 PROB. II. Reeipientes, inducentes, seu suo voto consentientes ad reeipiendos Novitios in Conventibus ob defectum observantiæ deformatis, mortaliter peccant, peccato quodammodo in Spiritum Sanctum, propter damnum, quod Religioni inferunt, dum e re sua student, ut reformandi nusquam reformentur, cum Regularis vitæ Transgressores continuò nutriant, augeantque, tum quia factis Spiritus Sancti Gratiam ad pium Reformationis opus excitantem impediunt. Sed idem damnum infert Titius Religioni, nisi mavis dicere gravius, nec minus hic Gratiæ Spiritus Sancti, quàm illi, obstat; ergo &c. Consequentia bonæ argomentationis regulas servare in aperto est. Major ex Notabili III. comprobata est. Minor verò tum ex se, tum ex plurium Seculorum experientiâ manifesta est. Non enim alia de causa quasdam Religiones, instantibus licèt Pontificibus pro Reformatione, collapsas adhuc deflemus, nisi quia Novitii vel contra Apostolicæ Sedis mentem in Conventibus, ubi Regula, & Constitutiones, non vigent, recipiuntur, atque profitentur, vel quia post emissam Professionem ad alios non reformatos Conventus declinant. Ita de ipsis vere dicitur quod de filiis Israel Regius Psaltes canebat Psal. 105. vers. 35. *Et commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum . . . & factum est illis in scandalum*: sic noviter Religionis Candidati, in Observantia, & pro Observantia Professi, ad Monasteria digredientes, quæ majori fortè indigent Reformatione eorum, qui ibidem commorantur, discunt opera, quæ indubie fiunt illis in scandalum. Hinc nusquam Religio reformatur; quod quàm ingens sit malum, nemo non videt. Impedit ergo Reformationem qui in Observantia professus, Observantiæ domus deserit. Et sicut laudabiles Religiosi in Observantia perseverantes, eamque hoc medio restaurantes illud demerentur præmium, quod primis Regularis Disciplinæ Institutoribus elargitur Deus; ita Observantiæ desertores eâdem mulctandi sunt pœnâ, ac qui Religionem everterent; id enim oppositorum Leges evincunt. Quomodo ergo hi Sacramentali poterunt absolutione donari, vel ad alia Sacramenta recipi?

Graviter nocet Religioni.

89 Nec momenti est, si non Prælatum, sed simplicem se dicat Religiosum; proindeque e re sua non esse Religionis Reformationem. Siquidem inducentes, vel voto suo consentientes ad recipiendum Novitiom in Conventibus deformatis, Prælati non supponuntur, nihilotamenminus Doctores, ut vidimus in IV. Notabili, graviter delinquere, & jure, & meritò affirmant, ob impedimentum, quod Reformationi apponunt; non ergo a mortali excusabitur Titius in idem confluens damnum, quia nullâ Prælationis prærogativa insignitus. Tenetur equidem Prælatus ad Ordinis Reformationem totis viribus procurandam, ex justitia, & ex officio; simplex verò Religiosus huic aptus moneri (& is est, qui in Observantia, & pro Observantia professus est) ad eam tenetur ex debito pietatis erga Religionem, quæ velut Mater sanctioribus Legibus ipsum ad perfectionis culmen perducere sollicita est. Tenetur idem simplex Religiosus ex gratitudine erga ipsammet Religionem, quæ eum a Seculi tempestatibus eripuit, & a Mundi calamitatibus servavit. Porro ingratitudinem hanc fore mortale peccatum eruitur ex S. Thoma 2.2. *quæst.* 107. *art.* 3.--Potest tamen contingere, quod etiam talis ingratitudo sit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum, vel propter conditionem ejus, quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur Benefactori sive simpliciter, sive in aliquo necessitatis casu -- in quo constituta videtur collapsa Religio. Est itidem hujusmodi ingrati animi vitium graviter peccaminosum, ut ibidem notat laudatus Angelicus, dum aliquis non solùm prætermittit debitum gratitudinis exsolvere, sed etiam contrarium agit; porro in casu Religiosus in Observantia, & pro Observantia professus pro bonis mala retribuit, dum eam deserit. Debet ergo saltem ex vi simplicis promissionis, atque fidelitatis, qua se obligavit, in Conventibus pro Observantia deputatis permanere, Reformationi operam dare, in ea perseverando Religione, cui nomen dedit; hac siquidem intentione inter Fratres fuit adoptatus, nusquam sane approbandus, nisi desertis verbis ad permanendum in Observantia fidem suam obstrinxisset. Juxta commune Theologorum placitum simplex acceptata promissio in re gravi, cujus violatio quammaxime alteri noxia est, graviter obligat; ergo violatio promissionis Titii, cum in magnum Religionis detrimentum cedat, a lethali culpa immunis esse non potest.

Esto non sit Prælatus.

Est reus gravis ingratitudinis, & infidelitatis.

90 PROB. III. ex IV. Notabili. Religiosi, quorum voluntas Ordinationibus Regulæ, & Constitutionum subjici renuit, & deliberate nolentes reformari extra Regularem Observantiam vivere volunt, lethali crimine censentur irretiti, & tandem damnabiliter

Fallit, si non verbis, refugit Reformationem.

biliter morituri, ut ibidem ostensum est: sed Titius, & alii, qui vestiti, & professi, in Regulari Observantia, ab illa discedunt, ut ad non reformata Monasteria accedant, jam renuunt subjici Ordinarionibus Regulæ, & Constitutionum, adeoque refugiunt reformationem; ergo mortalis culpæ rei censendi sunt. Minorem propositionem neminem puto negaturum. Si enim reformari, vel Ordinationibus Regulæ, & Constitutionum subjici vellent, reformata non fugerent Monasteria, a quibus non discedunt, nisi ut liberiùs vivant. Quod si fortè contingeret, deformata Monasteria ad meliorem formam componi; hæc, sicut priora, derelinquerent; & licèt verbis adversùs Regularis disciplinæ Reformationem non assurgant, factis tamen id aperte testantur; ergo &c.

91 His pondus additur ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 2. *in Corp.* -- Ille qui statum Religionis assumit, non „ tenetur habere perfectam charitatem, sed „ tenetur ad hoc tendere, & operam dare, „ ut habeat charitatem perfectam -- quæ obligatio, ut bene *ibidem* advertit Cajetanus graviter urget ratione materiæ, quatenus Religiosus notabiliter recedit a via, quæ ad perfectionem tendit. Sed Titius Professus, ubi Regula, & Constitutiones, exacte observantur, transeundo ad Monasteria, ubi graviores Ordinis Ceremoniæ negliguntur, a via tendente ad perfectionem notabiliter elongatur; ergo mortaliter delinquit, Professionis suæ finem irritum faciens. Minorem innuit *laudato loco* Angelicus -- Reli„ giosus non tenetur ad omnia exercitia, „ quibus ad perfectionem pervenitur; sed „ ad illa, quæ determinate sunt ei taxata „ secundùm Regulam, quam professus est -- ergo sicut Scholaris, qui dimittit exercitia scholastica determinate taxata secundùm morem scholæ, se elongat a via ducente ad Doctoratum, ut loquitur S. Doctor *in resp. ad* 1.; ita Religiosus ad Monasteria deflectens, quæ præcipua saltem exercitia non servant determinata secundùm Regulam, longe divertit a via ad perfectionem perducente. Hinc apte quidem, non concionatorio modo, sed juxta laudabiles Theologiæ leges, scripsit Nazarius *De statu, & obligatione Religiosorum* dub. 8. tit. *Ad quos pertineat Reformatio Religiosorum* -- Sublatis piis exercitiis, quæ sunt „ Observantiæ Religionis, & Transgressori„ bus Regulæ multiplicatis, quæ sunt impe„ dimenta charitatis, nulla remanet via, qua „ Religiosi ad perfectionem tendere, & eam „ assequi valeant, sed quæ pervia priùs, ac „ plana cernebantur, nunc tota saxis, spi„ nis, ac vepribus obsita Viatores omnes ar„ cet ab ingressu, & Errantes dimittit per „ vagas, & incertas Seculi vias, donec ad „ abrupta præcipitia veniant, & ibi spe sa„ lutis amissâ præcipites ruant in barathrum „ æternæ perditionis --

Graviter delinquit contra Charitatem.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

92 OBJIC. tamen I. Religiosi, qui Religioni nomen dederunt in Conventu, ubi Observantiæ spiritus viget, eandem emittunt Professionem, ac hi, qui vestiti sunt ubi Regularis disciplina in pluribus, hisque præcipuis Ceremoniis deficit; sed absurdum, immo injurium foret asserere, hujusmodi Religiosos esse in statu lethalis culpæ, atque a Sacramentis amandandos: cum compertum sit, plures ex illis esse boni nominis, virtute, ac doctrina præditos; ergo nec illi censendi sunt indigni beneficio Sacramentalis absolutionis, nec ceterorum Sacramentorum susceptione.

RESP. Argumentum hoc Achilles est Titii, eique similium. Huic tamen fit satis ex doctrina S. Antonini *in Confessionali* relata, atque adoptata a P. Joanne Excuria, atque a pluribus Doctoribus ab ipsomet consultis. Dicit itaque adinveniri quidem extra Observantiam Religiosos quosdam, quibus nullum studium est de Regulari Observantia, sed passim, & torpidâ quâdam indifferentiâ sui Ordinis Ceremonias violant. Isti si ad finem usque in hoc damnabili vivendi genere perduraverint, etsi positive, & perfracte nolint Regulari disciplinæ subjici, quia tamen non studuerunt, prout e munere suo erat, tendere in perfectionem, non inficias imus in tremendo Dei judicio ipsis quammaxime trepidandum de sua æterna felicitate.

Quinam Religiosi in deformatis Monasteriis degentes non vivant damnabiliter.

Alii sunt, qui Regulæ, & Constitutionum Ordinationibus subjici renuunt, nolentes reformari, quamvis verbis non resistant. Isti iidem mortali noxa infecti, atque sine salutis spe morituri censentur.

Sunt & alii, qui vivunt quidem, ubi Regula, & graviores Observantiæ non vigent, dolentes tamen, atque pro viribus contendentes *in bonum monstra converti*. 2. Machab. 5., ad Reformationem adspirant. Hi perperàm criminosis accenserentur. Satiùs equidem foret, si æmulantes charismata meliora eò convolarent, quò sanctiori vivendi ratione Deo servire fas est. His favere non dubito S. Thomam 4. *Sent. Dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 5. ubi ait, quod Religiosus -- ad tria vota Religionis principalia „ in omni casu tenetur: sed ad alias Obser„ vantias, quarum transgressio ex dissimula„ tione Prælatorum inducitur, qui, dum „ videntes non corrigunt, indulgere viden„ tur, non videtur obligari; & præcipue si „ sint simplices, qui talia discernere suffi„ cienter nesciant -- In aperto itaque est, non omnes extra Observantiam vestiti, atque ibidem commorantes, esse criminis reos; adeoque nonnisi injuste Sacramentorum incapaces judicarentur; quod intendebat Argumentum.

Superest, ut videamus in qua status discretione ex assignatis adinveniantur vestiti, & Professi in Observantia, atque pro Observantia, eamque tædio pœnitentiæ, & laboris deferentes. Dubio-procul iis, qui tertio

loco

loco recensiti sunt, adscribi nequeunt. Si enim ex animo ad Reformationem adspirarent, reformata non fugerent Monasteria; si super transgressionibus dolerent, tanto studio, ac desiderio mitigationem, seu potius relaxationem non exquirerent; si denique eorum conatus ad Reformationem tenderent, permanerent utique ubi sarta tecta Regularis Observantia florescit. Ergo de his non sunt, qui licèt extra reformatos Conventus degant, non tamen judicantur damnabiliter vivere. Sunt itaque vel ex his, qui quamvis verbis non obstent, renuunt nihilominus Regulæ, & Constitutionibus subjici, ut suse Probatione III. declaratum est, quosque præfati Doctores mortalis criminis reos faciunt; vel saltem sunt ex primo loco relatis, qui sui Ordinis Ceremonias passim, & indifferenter violant, quorum proinde finis lacrymabilis est ob justum æternæ damnationis timorem. Quomodo autem ad Sacramenta admitti potest is, de quo vehementissime trepidatur, num sit in via salutis, cum facer reconciliationis Minister, nemine refragante, antequam Pœnitentem absolvat, moraliter certus esse debeat, ipsum non amplius ambulare in via damnationis æternæ, paratum insuper ea omnia servare, ad quæ quocunque jure, & proprii status ratione adstringitur?

Argumentum igitur in Desertores retorquetur. Religiosi extra Observantiam induti tutò vivunt, quatenus super irregularitatibus dolent, ex animo ad Reformationem adspirant, atque ea peragere student, ut aliis sint virtutis exemplum: sed præcitati Desertores non sunt hujusmodi, ut ipsimet ultro concedere debent, potissimùm cum sint in scandalum Fratrum suorum, quos in Observantia relinquunt, & ad quos accedunt, cum experientiâ compertum habeamus pejores fieri; ergo.

Nec mirandum si hujusmodi Desertores pejores evadant. Nam juxta commune effatum corruptio boni mala, optimi pessima. Et S. Augustinus testatur, sicut nullos adinvenisse meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt, ita nec pejores, quàm qui a semita declinaverunt perfectionis.

93 OBJIC. II. Pontifices in Brevibus erectivis, seu deputativis Conventuum pro exacta Regulæ Observantia expresse testantur, atque declarant, neminem deberi in iisdem invitum retineri, sicut nec invitum a suo retrahi fervore; ergo cum reliquis extra laudatos Conventus degentes, vel tacite intendunt dispensare, vel eos volunt ad Observantiam non adstringi; ergo in Observantia, ac pro eâdem induti, ut primùm ab ea recesserint, non sunt amplius ad ea, quæ Observantiam sapiunt, obligati.

RESP. Sicut sapientissimus Legislator Moyses ad duritiem cordis Hebræis indulsit dare legitimis Uxoribus libellum repudii, atque hoc medio dissolvere Conjugia, ut Uxoricidia, aliaque hujusmodi impedirentur; ita Romani Pontifices Moysis æmulatores in edendis Legibus pro Observantia, ut occurrerent Regularis perfectionis excidio, quod imminere posset, si coacte cum veris Observantibus desides, & tepidi habitare cogerentur, hos permiserunt abire. Norunt enim Summi Ecclesiæ Moderatores, quod morbida pecus totum ovile corrumpit, & ex retroactis historiis, immo ex quotidiana experientia edocentur Regularis Observantiæ incremento plus nocere, atque obstare unum fictum, coactumque Religiosum in eâdem domo commorantem, quàm mille extra eam degentes; quapropter Leges illæ a Sapientissimis Viris evulgatæ sunt in favorem Observantiæ, non ad tutamen Desertorum, circa quos nil decernere voluerunt; satis namque adversùs ipsos inclamat Christus Luc. 9. vers. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Cur Pontifices declarent, neminem invitum retinendum in Conventibus exactæ Observantiæ.

Hinc Religiosissimi æque ac Doctissimi PP. Ordinis Prædicatorum in Generalibus Comitiis Bononiæ habitis anno 1706. monuere, Mandatum Clementis XI. tunc temporis feliciter Regnantis, & Declarationem XI. Generalis Capituli Romæ 1656. celebrati de seligendis in unaquaque Provincia aliquibus Conventibus pro exacta Regulæ, atque Constitutionum Observantia — non eo sensu accipi debere, quasi per hoc cum reliquis „ domibus, aut Religiosis extra prædictos „ Observantiæ Conventus manentibus censeatur tacite dispensatum, & ne deinceps „ ad ipsos ea pertineant, quæ Observantiam „ sapiunt, vel quasi non teneantur & ipsi „ adniti pro viribus, ut secundùm Regu„ lam, & Constitutiones vivant prout in „ suæ Professionis formula promiserunt — Quod corroboratur ex Cajetano 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 9. *in Comment.*, ubi docet esse ex genere malum, & vituperabile, inducere ingredi, & recipere ad vitam irregularem Personas utriusque sexus, quamvis Ecclesia toleret hoc permissive.

Religiosissimi PP. Ord. Præd. Clem. XI. mandatum explicarunt.

94 OBJIC. III. Regula, & Constitutiones, quibusdam in Religionibus ad culpam saltem lethalem non obligant; ergo illarum Religiosi etiam in Observantia induti, licèt ad Monasteria, ubi Regula, & Constitutiones non servantur, se transferant, non inde censendi sunt mortalis criminis rei; adeoque a Confessario prohibendi non sunt a Sacramentorum receptione.

RESP. Constitutiones non obligantes ad culpam, sed tantummodo ad pœnam magnum quidem afferunt timoratis solamen, ne scrupulosis agitentur perplexitatibus; nullum tamen remedium afferunt renuentibus illas observare, dicente B. Humberto Ordinis Prædicatorum Generali in expositione cujusdam Constitutionis, quæ ponitur in Prologo, quod si aliquis super occasione illius Constitutionis minùs servare vellet Ordinem, non evaderet culpam contemptus. Porro contemptus juxta S. Bernardum damnabilis est.

Qui renuunt observare Constitutiones non obligantes ad culpam non evadunt culpam contemptus.

95 OBJIC. IV. Qui Sacrum Religionis habitum in Observantia, & pro Observantia susceperunt, dicunt quidem se obligasse ad Regulam, Constitutionesque servandas, non tamen ad semper permanendum in Conventibus pro Observantia deputatis; ergo dummodo intentionem habeant servandi Regulam, & Constitutiones, ubicumque fuerint

fuerint, possunt tutâ conscientiâ ad quodcunque se transferre Monasterium cito non reformatum ejusdem Religionis.

RESP. Sicut is, qui ad Episcopatum assumptus est, per se primò sese obligavit ad Pastoralia munia, ad prædicandum scilicet Dei verbum, & hujusmodi, sed insimul adstringitur ad residendum in Diœcesi, quia sine residentia nequit Pastorali fungi munere, & si alterutrum omittat, indubie mortaliter delinquit; ita Religiosus Claustralem statum assumens ad Regularem Observantiam primò obligatur, sed hinc tenetur in Conventibus commorari, ubi Regularis Observantia viget. Quapropter si sub mortali ad substantialia Religionis, atque ad graves illius Ceremonias tenetur, sub eadem prorsus obligatione dicendum est debere in Conventibus permanere, in quibus prædicta possit servare, potentiâ quidem practicâ, quæ in Desertoribus in Conventibus desormatis, nisi speciale Dei privilegium præsto sit, omnino desiderabitur, eamque sibi promittere absque temeritatis nota non possunt.

Religiosus tenetur morari ubi Observantia viget.

Cum autem in argumento dicitur, prædictos Desertorea habere intentionem servandi Regulam, & Constitutiones, ubicunque fuerint, mentitur iniquitas sibi. Nonne recedunt ab Observantia, laboris, ac pœnitentiæ pertæsi, liberiorisque vitæ desiderio acti? quomodo ergo ea intendunt exequi, quæ refugiunt? Et sane efficax intentio finis sine executione mediorum componi nequaquam potest; unde dicebat S. Gregorius — Si amor „ est, *efficax utique*, magna operatur — Fallunt igitur, sed & falluntur, dum dicunt velle efficaciter servare Regulam, atque Claustralem amare disciplinam, si in Monasteriis, ubi id commode præstare valent, morari fastidiant.

96 Verùm ultro detur, Deserentea reformata Monasteria sinceram habere intentionem servandi Regulam ubicunque fuerint, nec tædio laboris discedere, Regularem disciplinam nec virtualiter, seu interpretative contemnere, velle adhuc in via Domini progredi, atque adhuc ad Religiosam tendere perfectionem, sicut ea præcepto adstringuntur. Concedamus, ipsos nec impedire Reformationem, aut graviter nocere Religioni, non esse reos perfidiæ, ingratitudinis, impietatis, ea quo nec honorant, nec periclitanti Matri Religioni occurrant, cui aliàs obsequi promiserant in Conventibus exactæ Observantiæ. Demus tandem non peccare contra prudentiam, & Charitatem sibi debitam, dum ad ea loca declinantes, ubi Regularis Observantia collapsa est, Observantiam moraliter impossibilem sibi faciunt. Hæc omnia in tota hac Dissertatione adversus Desertores pugnare vidimus. Num licebit eis tutò Sacramenta suscipere? Liceat, si meliori judicio, cui rationes nostras instructionis, ac correptionis gratiâ perpendendas subjicimus, ita licere videbitur. Visere, verbis utar Apostoli 1. ad Corinth. 8. vers. 9., & seqq. *Videte ne fortè hac licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in Idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in Fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.*

Quis ad hæc non paveat, quis non contremiscat? In Idolio, seu in Templu Idoli, non propter Idolum, nec idolatrandi animo, recumbens, ob Infirmorum scandalum mortalis criminis reus ab Apostolo damnatur; & interim se securum credet Religiosus vivens in desormatis Conventibus, esto commoretur ibi animo non transgrediendi Regulam, quam Patres ejus posuere? Nonne dum pusilli Fratres ipsum videntes in Idolio, ut sic loquamur, recumbentem, scandalizantur, percutitur eorum conscientia infirma, & perit in insipida Desertorum scientia Frater, propter quem Christus mortuus est? De facili Sectatores habent, qui ipsos quandoque ferventes præiverunt, potissimùm si Desertor alicujus sit nominis, aut auctoritatis. Caveant ergo Senes propter scandalum, caveant Juvenes propter periculum, caveant omnes propter ea mala, in quæ incidisse Observantiæ Desertorea in decilo casu comprehensos cum Titio, longe, lateque in hac Dissertatione probatum est.

97 Unum superest pro absoluta, numerisque omnibus completa Resolutione, ut innuamus Epistolam Sancti Bernardi ad Robertum Nepotem suum, quem S. Abbas a Cluniacensi Cœnobio laxioris vitæ ad Clarevallense Monasterium rigidioris Observantiæ, ex qua discesserat, revocare studebat. Hujusmodi Epistola est ordine prima, Deo patrante miraculo, exscripta, ut sic compertum foret, quanti apud Deum valeat studium revocandi ad meliorem frugem Desertores Regularis Observantiæ. Hanc legant, & resipiscant.

PARS SECUNDA.

DISSERTATIONES DOGMATICÆ.

DISSERTATIO DOGMATICA I.

AN ECCLESIA IN SUO CAPITE POSSIT ERRARE IN FACTO DOGMATICO DOCTRINALI.

1 HUjusmodi quæstio licèt non in re, sub hisce tamen terminis fuit Antiquis incognita: ut enim compertum fiet, in omnibus fere Conciliis practice fuit adoptata; at verò hac nostra tempestate ob fervidas Partium disceptationes celebris evasit. Sed quoniam ob debitæ intelligentiæ defectum invisa quibusdam facta est, operæ pretium erit eam dilucidare,

Facti quid, & quotuplex sit.

Factum igitur quid. singulare est peculiaribus definitum circumstantiis. Apud Eruditos duplex distinguitur; privatum nempe, seu Forense, & Dogmaticum. Primum est, quod sub ordinario sive Civilis, sive Ecclesiasticæ Reipublicæ gubernio versatur; puta circa lites, & Personarum delicta adversùs Leges patrata. Dogmaticum autem illud censetur, quod cadit sub potestate Ecclesiæ Fideles ad æternam salutem dirigente per regulas Fidei, & Morum; atque a duobus circumscribitur terminis, a Sanctitate videlicet determinatæ Personæ, & ab ejusdem doctrina.

Factū Dogmaticum duplicitèr usurpatur.

Hoc secundum dupliciter usurpatur. Primò spectando doctrinam secundùm se, quæ ex Libris determinatæ Personæ desumpta est, puta ex Libris Arii Christus est Creatura; & in hac acceptione ad quæstionem Juris directè spectat. Secundò usurpatur sumendo propositionem ad mentem Hæretici, idest, eam propositionem in hoc determinato, sive hæretico, sive catholico sensu, esse ab Auctore prolatam: seu clarius: hunc determinatum esse Auctoris sensum; & secundùm hanc intelligentiam, si materia propositionis ad Fidem, aut ad Mores pertineat, dicitur Factum Dogmaticum.

Sensus alius internus, alter externus.

Porro duplex itidem ad rem nostram Auctoris sensus habetur; externus scilicet, & internus. Primus ille est, quem explicat, atque manifestat naturalis, & obvia verborum intelligentia. Alter is est, quem Auctor interiùs restringit, apud se verbum aliquod a sua naturali significatione detorquendo. Quantùm ad hoc non est impræsentiarum apud Theologos Controversia.

Librorum approbatio ab Apostolica Sede.

2 Utque ad difficultatis punctum propius accedamus, notandum, approbationem Librorum ad Sedem Apostolicam, vel ad ejus Delegatos spectare. Clare evincitur ex Epistola Nicolai I. *ad Gallia Episcopos* -- Sic
A „ enim ipsorum Decreto (Romanorum scilicet Pontificum) ceterorum Opuscula Tractatorum approbantur, vel reprobantur, „ ita ut, quod Sedes Apostolica probat, „ hodie teneatur acceptum, & quod illa „ repulit, hactenus inefficax habeatur, at „ quantò potius, quæ ipsa pro Catholica Fide, profanis Dogmatibus repellendis, pro „ variis, & multifariis Ecclesiæ necessitatibus, & Fidelium moribus diverso tempore „ scripsit, omni debent honore præferri, & „ ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus, discretione, vel dispensatione
B „ Magistra, reverenter assumi? -- Hinc Godefridus Viterbiensis conscripto Chronico Universali, atque Urbano III. dicato in Epistola nuncupatoria de Ecclesiæ judicio in Librorum censura habet -- Cujus doctrina, & „ regimine, omnes Reges, & Principes, „ & Universæ Ecclesiæ adornentur, & ab „ ea tanquam a fonte justitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur; quia nullum Scripturarum eloquium noscitur esse authenticum, nisi ab ejus sapientiæ fluminibus „ sitientibus propinetur. Quare, si quod
C „ Historiarum opus nova per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, ut antequam in publicum deveniat, Apostolico „ examini præsentetur, quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, ejus mandato, & judicio approbetur, & ab eo vires, auctoritatemque recipiat, cui terrena, & cœlestia divinitùs sunt commissa --

Gradus approbationis Librorū multiplex.

Multiplex autem est gradus Ecclesiasticæ approbationis Librorum. Primus gradus est simpliciter permissivus; & ille communis est, quo conceditur facultas Libros publici juris facere per Ecclesiasticorum Superiorum
D placitum. Secundus concessivus est; atque ille dicitur, quo pro Universitatis erectione conceditur, illique peculiaris Auctor deputatur sequendus, puta S. Thomas, vel S. Bonaventura. Tertius est assumptivus; atque ille sic nuncupatur, quo aliquis in Doctorem Ecclesiæ assumitur, atque inter Sanctos Patres adscribitur; pro quo speciale Decretum emanare debet, vel Ecclesiæ acceptatio accedere, ut sive in Liteis, sive in Officiis illorum utamur doctrinis. Quartus est discretivus; atque ille est, quo vel doctrina ali-
E qua speciali judicio approbatur, sicut Martinus V. scripta Thomæ Waldensis adversùs Wiclephum comprobata voluit; vel determinata Propositio alicujus Doctoris, sicut exemplum occurrit in Baptismo parvulorum in Clementina *de Summa Trinitate* ex Concilio Viennensi sub Clemente V., & Cap. *Martha, de Celebratione Missarum*, quoad mistionem aquæ cum vino. Gradus tandem ultimus est definitivus, qui tunc habetur, cum Ecclesia declarat de Fide aliquam pecu-

liaris

liaris Auctoris doctrinam ; quo pacto Cano-
nica dicitur Epistola Leonis Papæ ad Flavia-
num , Anathematismi S. Cyrilli Alexandrini
in Concilio Ephesino , Opuscula Sophronii
in Constantinopolitano .

3 His prælibatis difficultas ea est ,
utrum quando Apostolica Sedes in alicujus
Sancti Canonizatione declarat *ex Cathedra* ,
aliquam illius doctrinam esse rectam in ipso
sensu ab Auctore intento , aut in anathemate
alicujus Hæresiarchæ compertum facit , ali-
quam Propositionem fore hæreticam in sensu
ab ipsomet Hæretico in contextu verborum
determinate intento , absolute , & simplici-
ter sit infallibilis .

DICENDUM itaque , Canonicum Ec-
clesiæ judicium de sensu alicujus Propositio-
nis ut ab Auctore intento esse infallibile in
materia Dogmatis .

PROBATUR EX SENTENTIA ECCLESIÆ .

4 PROB. I. Quod a primordiis Legis no-
væ ab Ecclesia adoptatum fuit , ut
pertinens ad Fidei objectum , indubie sub
infallibili judicio cadit : etenim sine hoc Fi-
dei objectum dari non potest ; sed posita de-
claratione de sensu ab Auctoribus intento in
materia Dogmatica , Ecclesia quovis tempore
ipsum ut objectum Fidei adoptavit ; ergo
judicium declarativum infallibile censendum
est . Minor propositio , pluribus omissis ,
paucis comprobatur .

Ecclesia execrando Hæreses nusquam factum a doctrina , doctrinam a subjecto, discrevit .

Semper Ecclesiæ solemne fuit execrari ,
Hæresesque damnare , insimul directe cum
earum Auctoribus , semperque Christifideles
absque ullo prorsus discrimine complexum
illud ut anathematizatum noverunt , & nus-
quam Factum a doctrina fuit discretum ,
doctrina a subjecto . In Nicæno siquidem I.
expresse Arianorum doctrina damnatur ; in
Ephesino signate Nestorius ; in Chalcedo-
nensi Eutyches ; Theodorus Mopsvestenus in
Constantinopolit. II. ; in Constantinopolit. III.
Sergius , Pyrrhus Monothelitæ ; in Nicæno II.
Arius , Macedonius , Nestorius , Cyrrhus ,
Dioscorus ; in Constantiensi Wiclephus ,
Joannes Hus ; in Florentino luculentissime
Ebion , Cerinthus , Valentinus , Apollina-
ris , aliique . Porro in prædictis damnatio-
nibus pro re præsenti perpendendæ sunt di-
cendi formulæ , quibus præcitati Hæretici
damnati fuere .

Igitur in Concilio CP. II. *Can.* 11. le-
gitur -- Si quis non anathematisat Arium ,
„ Eunomium , Macedonium &c. cum impiis
„ eorum conscriptis . . . anathema sit --
Can. 12.--Si quis defendit impium Theodorum
„ Mopsvestenum , qui dixit &c. anathema sit
-- *Can.* 13. -- Si quis defendit impia Theodo-
„ reti conscripta , quæ contra &c. anathema
„ sit -- In Nicæno II. -- Anathematizamus
„ Arium , & Asseclas ejus , & qui communi-
„ cant cum illius improbis opinionibus -- In
Lateranensi IV.-- Damnamus perversissimum
„ Dogma impii Almarici , cujus mentem sic
A „ Pater mendacii excæcavit , ut ejus doctrina
„ non tam hæretica censenda sit , quàm insana
-- in Constantiensi Concilio *Sess.* 12. -- Cum
„ nuper in Sacro Concilio Romæ celebrato
„ decretum fuerit , doctrinam damnatæ me-
„ moriæ Joannis Wicleph damnandam esse ,
„ & Libros ejus talem doctrinam insanam ,
„ & pestiferam continentes fore tanquam
„ hæreticos comburendos , & doctrinam
„ damnatam . . . Nihilominus quidam Joan-
„ nes Hus in hoc Sacro Concilio personali-
„ ter constitutus Joannis Wiclephi Hære-
„ siarchæ discipulus , errores plures , & Hæ-
„ reses dogmatizavit . . . qui in Libris ipsius
B „ Joannis Hus , & Opusculis notorie conti-
„ nentur . . . Hæc Sacro-Sancta Constan-
„ tiensis Synodus declarat , & definit , arti-
„ culos infrascriptos , qui habita collatione
„ per plures Magistros in sacra Pagina re-
„ perti fuerunt contineri in ejus Libris , &
„ Opusculis , manu propria scriptis , & quos
„ etiam ipse Joannes Hus confessus est in
„ suis Libris , & Opusculis contineri , non
„ esse Catholicos &c. -- Concilium Floren-
tinum productis singillatim nominibus duo-
decim Hæreticorum cum suis erroribus *Con-
stitutione Conciliari unionis* §. 10. habet --
„ Hos omnes cum Hæresibus suis anathema-
C „ tizat Sacro-Sancta Romana Ecclesia -- Por-
ro nemo est , qui non videat , omnes prædi-
ctas fore Canonicas , & Dogmaticas Defini-
tiones ex Factis , & Jure complexas , indi-
scriminatim ab omnibus Fidelibus adoptatas ,
nec usquam distinctio Facti , & Juris audita
est , proindeque totum complexum , ut obje-
ctum Fidei fuit acceptatum .

Ecclesia vult Fideles teneri credere indistincte complexu ex facto, & jure.

Eam fore Ecclesiæ Sententiam , quod
teneantur Fideles indistincte credere com-
plexum ex Facto , & Jure , in aperto est
evidentissimo exemplo in Instructione Marti-
ni V. pro secernendis Catholicis ab Hæreti-
cis , quibus sequens instituenda erat interro-
gatio -- Utrum credant , quod condemna-
D „ tiones Wicleph , Joannis Hus , & Hiero-
„ nymi de Praga factæ de Personis , eorum
„ Libris , & documentis per Sacrum Gene-
„ rale Concilium fuerint rite , & juste fa-
„ ctæ , & a quolibet Catholico pro talibus
„ tenendæ , & firmiter asserendæ ? -- Et ite-
rum validior efformatur interrogatio , in qua
aperte præcipitur credi totum complexum ut
in partes suas distributum . Hinc subditur --
„ Item specialiter Litteratus interrogetur ,
„ utrum credat Sententiam Sacri Constan-
„ tiensis Concilii &c. -- Verùm quare spe-
cialiter Litteratus interrogandus ? Quia hic
subdolis motucotis detorquere posset intelli-
E gentiam execratæ doctrinæ ut alienæ a dam-
natorum Auctorum sensu ; Concilium autem
vult , quod illum credat esse sensum ab Au-
ctore intentum . Itaque Ecclesia nominati
Auctoris doctrinam damnando , damnat in
sensu Auctoris . Duo enim hæc in idem
reddunt ; illa siquidem expressio determinat
Auctorem illius damnari sensus .

Dilucidatur Sententia Ecclesiæ .

5 Res dilucidatur , quædam perpen-
dendo relate ad laudatas Conciliares formu-
las . I. Anathema quandoque Auctorem affi-
cit in recto , ut ajunt , & in obliquo , seu

concomitanter, doctrinam; quod nil aliud est, quàm damnare Arium v. g. ut Auctorem illius sensus hæretici, qui in doctrina continetur.

II. Anathema aliquando percellit Defendentes Auctores in eorum Scriptis; quæ patrocinatio in eo sita est, quod alium velint esse sensum ab Auctore intentum.

III. Non rarò ferit anathema v. g. Theodorum, qui eas Propositiones, quæ recitatæ damnantur, enunciavit; quapropter Ecclesia definit, a Theodoro prolatas in eo damnabili sensu.

IV. Sæpe cadit anathema supra Dogma v. g. Almarici in genitivo possessivo; quia illemet sensus Dogmatis est sensus ipse Almarici.

V. Anathema etiam dirigitur ad Dogma, & ad Personam, sub demonstrativo pronomine *illius*, *ejus*, quod significat, proprium Dogmatis sensum esse verum, & proprium, enunciati Auctoris.

VI. Pluries anathema versatur circa doctrinam declaratam hæreticam, insimul circa Auctorem itidem hæreticum enunciatum. Si autem definitio non esset in proprio Auctoris sensu, nequiret Auctor ut hæreticus damnari; ejus namque sensus alius esset ab hæretico.

VII. Tandem anathema spectat Propositionem ut alicui attributam, quæ bonam, sicut & malam, habere potest intelligentiam; v. g. *Pater major me est*, sensum habet juxta Fidei regulas & bonum, & malum; *Pater major est me homine*, vera est Propositio; *Pater major est me Deo* falsa est & Fidei repugnans. Quoniam verò Arius illam secundo modo usurpabat, ipse, & Propositio, damnantur; proindeque definitur, sensum hunc hæreticum, esse ipsummet ab Ario intentum. Alia similiter Propositio: *Maria non est Mater Dei* juxta diversam perceptionem falsa, aut vera, censenda est. Non est Mater Dei dando esse divinum; est ex adverso Mater Dei dando esse humanitati personatæ divinâ subsistentiâ. Nestorius negabat esse Dei Matrem secundùm hanc intelligentiam, idcirco damnatur, & quidem in sensu ab ipso intento. Quare compertum habemus, idem fore definire Propositionem Arii esse hæreticam, ac definire sensum hæreticum illius Propositionis esse Arii sensum, & ab Ario intentum.

6 Exemplis id ipsum comprobatur. In Nicæno Concilio damnatâ Arii doctrinâ, dictoque eidem anathema, Eusebius Nicomediensis, & Theognides Nicænus reclamarunt dicentes, Arium non sic dixisse; attamen Patres nullimode adoptarunt distinctionem, & divisionem Facti a Jure, sed præceperunt & subscriptionem definitioni, & anathema Arii; ut apud Sozomenum *lib. 1. Hist. cap. 20.*

Exemplis roboratur.

In Chalcedonensi Synodo *Act. 4.* posita damnatione Dogmatis, & Eutychetis anathemate, quatuordecim Episcopi Ægypti renuentes anathematizare Euthychetem reclamabant: *De Fide est certamen*, hoc est, sola doctrina ad definitionem pertinet, secus Persona; verùm nil illis profuit excogitatum discrimen, & ad utrumque execrandum adstricti fuere. Porro si Patrum definitio doctrinam in sensu Eutychetis non spectasset, jure nequivissent Eutychetis damnationem velle.

In laudato Concilio recitatis Epistolis S. Leonis Papæ, clamant Patres — Per os „ Leonis locutus est Petrus. Hæc est Fides „ Apostolorum &c. — hinc Eutychetem damnarunt; hoc autem quid aliud est, quàm dicere: credimus de natura in Christo, quæ sentit Leo: damnamus, quod sentit Eutyches. Et agebatur de Propositione, quæ duplicem referebat sensum, bonum nempe, & malum: mixtio siquidem naturarum per unionem in uno supposito inconfuse, a Catholicis admittitur; mixtio naturarum per conversionem unius in aliam, ut hæretica reprobatur.

Idem videre est in Ephesino. Cœlestinus quædam declarat circa Incarnationis discrimen; hæc adoptat Synodus, atque Nestorium damnat. Hoc certe non aliud importat, nisi quoad Christi Personam Nestorii sensum reprobare, illumque Cœlestini suscipere.

In Arausicano execrata est doctrina Pelagii de Gratia juxta animadversiones, oppositionesque S. Augustini. Concertatio autem S. Augustinum inter, & Pelagium, circa Gratiæ sensus versabat. Callide siquidem, fraudolenterque Pelagius sub Catholica doctrina pravos sensus occultabat; & secundùm hosce fuit damnatus.

In damnatione Propositionum Baji per S. Pium V., Gregorium XV., & UrbanumVIII. *In eminenti* legitur — Quas quidem Sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas . . . damnamus — Hæc damnatio indistincte fuit suscepta; ergo in sensu prout ab Auctore intento cadit sub objecto Fidei. Damnatio cum sola expressione nominis Auctoris, & damnatio cum expressione sensus ab eodem intenti in re eadem est, ejusdemque æquipondii; uterque namque modus damnatum sensum determinat. Attamen Ecclesia quandoque uno dicendi modo, quandoque alio usa est, prout major, vel minor cavillatio ex parte pertinacium occurrebat.

PROBATUR EX SCRIPTURALIBUS MOMENTIS.

7 PROB. I. Orthodoxi Doctores ad unum omnes propugnant, dari in Ecclesia legitimam potestatem canonizandi Sanctos, quia in Divinis Scripturis Canonizationis exempla præsto sunt, videlicet *Eccles.* 44. *& seqq.*, *Matth.* 8. *vers.* 11., *Luc.* 6. *vers.* 22., *ad Heb.* 11. *vers.* 32., & alibi; hinc apte colligunt, ad Fidem pertinere. Sed ex eadem Scriptura momenta occurrunt irreformabilis judicii in Facto Dogmatico; ergo in Ecclesia Dei datur potestas irreformabiliter judicandi de Facto Dogmatico.

Res

Res clarescar. Apostolus 2. *ad Timoth.* 2. *vers.* 17. enunciat, Hymenæum, & Philetum a veritate excidisse, *dicentes Resurrectionem jam factam*, & quidem ex proprio sensu ab ipsis intento in profania, & vaniloquis, quibus ipsi utebantur, verbis, ad mysticum, & spiritualem sensum Scripturas detorquendo. Porro duo impræsentiarum observanda sunt. Primum est, Apostolum definire, ac irreformabiliter declarare, articulum Resurrectionis quoad doctrinam. Aliud est, eadem infallibilitate enunciare Hymenæum, & Phyletum, a veritate excidisse, atque suasor est Timotheo circa utrumque, ut scilicet ab errore insimul, & ab ipsis Hæreticis declinet. Atqui datur in Ecclesia Dei & necessitas, & præceptum, declinandi a falsa doctrina, atque a docentibus eam; ergo apprime necessaria est potestas irreformabiliter judicandi de doctrina, ejusdemque Patronis juxta proprium eorum sensum.

Apostolus irreformabiliter enūciat, Hymenæum, & Philetum a veritate excidisse.

8 PROB. II. Ecclesiæ Capiti unitæ supremam contulit Christus intelligentiam, cum *Luc.* 24. *vers.* 45. Apostolis aperuit sensum, *ut intelligerent Scripturas*, utique ad mentem Auctoris, primò quidem divini, sed inde etiam humani, qui ad Sacra Mysteria enucleanda, statuendaque Dogmata, quandoque bene; & quandoque male iisdem utitur Scripturis, Teste siquidem S. Petro *Epist.* 2. *cap.* 3. & Hæretici, & indocti, Sacras Scripturas in deteriorem partem detorquent, nec aliter sane quàm juxta proprium sensum eam explicantes. Sed summa datur necessitas hanc depravationem dignoscendi, quæ in singulari sensu illius indocti, aut Hæretici adinvenitur: & ideo laudatus Apostolus ibidem monet vers. 17. *Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate*; ergo necesse est, sensum illum rite ab eo percipi, ad quem spectat auctoritative Sacrarum Scripturarum depravationes castigare. Error dogmatizantis Hæretici is est, ut innuit S. Petrus, quem proprio judicio fingit; ab hoc custodire se debent Fideles, ne excidant; nec se satis custodire valent, nisi habeat Ecclesia infallibilem regulam scrutandi, atque evulgandi errantis mentem in Libris involutam.

Ecclesiæ collata est intelligentia, Scripturarum ad mentem Auctoris Divini, sed etiam humani.

9 PROB. III. Matth. 7. vers. 15. habemus: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*. Falsos inter Prophetas principem locum tenent Hæresiarchæ, qui Libros perversâ doctrinâ refertos promunt. Vestimentum ovis est veritatis species in verborum æquivocorum superficie. Luporum rapacitas non alia est, quàm latens falsitas in verborum involucris, in artificiosæ propositionis dispositione. Neminem latet quali versutia Ariani, Nestoriani, Pelagiani in formulis, quas Fidei vocant, tradendis, venenum inseruerint, terminorumque ambiguitate sensum Fidei fundamentum labefactare studuerint, atque anathematis vim aufugerint. Noverunt Patres, quantùm laboraverint, ut ab illis locutionibus illectos; deceptosque revocarent, quot instituerint disceptationes, ut quæ in verbis, quæ in frasibus, & quæ in Auctoribus latitabant, decipulas detegerent. Evincitur itaque summa necessitas Ecclesiæ, universali Magistræ, irreformabile concedendi judicium in dijudicandis Hæreticorum sensibus.

Hæretici sunt falsi Prophetæ in vestimentis ovium &c.

10 PROB. IV. Ecclesia auctoritate gaudet irreformabiliter judicandi de doctrina Fidei, vi divinarum promissionum Joan. 14. vers. 16., & seqq. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternam, Spiritum veritatis &c.*, & vers. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, & Cap. 16. vers. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Atqui ad hoc judicium spectat proprios scrutari cujusque Doctoris sensus de Fidei, Morumque, rebus scribentis; ergo debet irreformabiliter Ecclesia reclusum cujuslibet privati Magistri sensum posse penetrare. Et sane examen illius Facti non est tantummodo Facti particularis, sed Dogmatici ob connexionem cum rebus Fidei, & Morum. Judicium Ecclesiæ quoad doctrinam est discretivum unius doctrinæ ab alia, veræ a falsa; ut ergo rite, sciteque, judicare possit de doctrina privati Magistri conformiter ad doctrinam Christi, fas est posse pervadere irreformabiliter proprium Scribentis sensum.

Promissiones divinæ de judicio irreformabili Ecclesiæ.

11 PROB. V. Christus Petro commendans suum Ovile præcepit, ut illud pasceret. Joan. 21. vers. 17. *Pasce oves meas*; Porro Christi Vicarius Oves pascit doctrinæ pabulo, non solùm Canonicos exhibendo Codices, sed etiam privatorum Doctorum; nec aliter regi potest Ecclesia, aut Hierarchia subsistit; propterea posuit Deus *alios Doctores, & Pastores*, qui verbo, scriptove Fideles doceant, committens autem Petro pascendas Oves, ei, ejusdemque Successoribus, contulit privilegium irreformabiliter judicandi de bonitate, aut pravitate, pabuli, Ovibus per inferiores Hierarchas exhibiti; ubi, & quando, exurgunt dubitandi rationes circa doctrinam traditam ad sensum hujus, illiusve Pastoris, ac Magistri; aliàs non satis fuisset provisum Gregi.

Christi Vicarius quomodo pascat oves.

12 PROB. VI. Juxta Theologorum Sententiam dignoscitur a Deo concessum Ecclesiæ, atque explicatum Privilegium irreformabilis potestatis quoad Fidem, & Mores; per illa verba ad Ephes. 4. vers. 11., & seqq. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Sed hujusmodi privilegium ibidem directe extenditur ad dignoscendum, scrutandumque sensum a singularibus Magistris intentum, ut clare suadent illa verba: *Omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*: etenim doctrinæ ventus in nequitia, in astutia, ad decipiendum, est ille proprius peculiaris Auctoris sensus in æquivocis verbis involutus; ergo ex te Ecclesiæ est ipsum irreformabiliter per-

Unde dignoscatur Ecclesiæ privilegium irreformabilis potestatis quoad Fidem, & Mores.

pervadere. Prænovit, & sæpenumero monuit Apostolos magnum futurum Ecclesiæ damnum ex fraudolentis hominum verbis: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*; ad Heb. 13. vers. 9. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*. 1. ad Timoth. 4. vers. 1., & seq. *Et sermo eorum ut cancer serpit*. 2. ad Timoth. 2. vers. 17., occultatus videlicet In profanis, & vaniloquis verbis, in sermonibus prurientibus aures, & speciem pietatis habentibus. Si ergo ea hisce privatis sensibus tam grave imminet periculum, hocque tenentur præcavere Fideles, jam plane fit, privilegium irreformabilis judicii extendendum esse ad eos dignoscendos. Et meritò sane. Nam prava doctrina adversatur doctrinæ a Christo traditæ, sicut recta eidem conformatur; porro per examen conferens profanam, aut Catholicam doctrinam in privatis Scripturis latentem, peculiaris sensus detegitur, atque indubia habetur regula pro illo intelligendo in conformitate, vel difformitate doctrinæ radicata.

PROBATUR THEOLOGICIS RATIONIBUS.

Ecclesia nequit errare in dignoscenda legitima Traditione.

13 PROB. I. Catholicum Dogma est, plures Fidei articulos soli verbo tradito fore innixos, adeoque Ecclesia nequaquam errare posse in legitima dignoscenda Traditione. Sed ad hoc necesse est, ut ipsa infallibilis sit in dignoscendo proprio Patrum sensu, a quibus sæpe latentem Traditionem desumere debet; necesse itidem est, ut Traditionis veritas habeatur, consonantiam Sententiarum perpendere; neque enim summæ certitudinis erit Fides per Traditionem firmata, nisi summam certitudinem habeat judicium Ecclesiæ perpendentis principia, a quibus essentialiter firmitas Traditionis dependet; ergo.

Ad Ecclesiam spectat judicare de dictis, aut scriptis hominum in semita salutis.

14 PROB. II. Cujus est finem considerare, ejusdem est de his judicare, quæ ad finem ordinari debent: siquidem ratio eorum, quæ ad finem ordinantur, a fine desumitur. Sicut autem ad illum, qui aliquem finem intendit, spectat ea, quæ fini sunt congrua, eligere: ita ea auferre, quæ assecutioni finis obstare possunt. Atqui supremæ potestati Ecclesiæ spectat supernaturalem finem, ad quem Fideles ordinantur, inspicere; ergo ipsius est judicare de omnibus dictis, aut scriptis hominum, per quæ declinare possunt, vel alios movere ad declinandum a semita salutis. Hoc autem contingere non potest, nisi suprema potestas, quoties Sententiam dicit ex Cathedra, privilegium habeat infallibilitatis; adeoque versari debet circa facta, dicta, atque scripta privatorum hominum.

Ecclesiæ data est infallibilis definitio Fidei.

15 PROB. III. Angelici Doctoris effatum est, eum, qui dat esse, dare consequentia ad esse: sed Ecclesiæ datum est infallibiliter consequi Fidei definitiones; ergo eidem datum est consequi infallibiliter intelligentiam Scripturarum, Concillorum, Patrum, ceterorumque Doctorum, quæ necessariò consequitur, ordinaturque, ad esse Canonicæ definitionis.

Ecclesia infallibiliter judicat de objecto Fidei accepto etiam ex parte credentis.

16 PROB. IV. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 2. propugnat, objectum Fidei ea parte credentis esse complexum, quatenus, ut erudite explicant NN. PP. Salmantic., intellectus humanus assentiri nequit, nisi componendo: propter hoc, si interior præstetur assensus, multiplicibus indiget internis conceptibus: vocalibus, & scriptis, si voce, vel scripto, exhibeatur; sed dubio-procul ad infallibile Ecclesiæ judicium spectat objectum Fidei etiam ex parte credentis acceptum; ergo illud idem ad singulares conceptus legitime ordinandos, oportet extendi.

Aliquid ad Fidem spectat directe, & aliquid indirecte.

17 PROB. V. Ex eodem Angelico Doctore 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. aliquid directe, & principaliter, spectat ad Fidem, & sunt ipsi articuli credendi; aliquid verò indirecte, & ea sunt, ex quibus vel alicujus articuli Fidei læsio consequitur, vel pendet, aut habetur alicujus articuli Fidei efformatio. Sed ex inordinata locutione sequi potest corruptio Fidei; cum inimici Christi, mediis verbis, Religioni parant insidias, unde ortum illud Hieronymi: *Verba faciunt hæreses*, & ex adverso ea ordinata locutione haberi potest ædificatio Fidei; ergo infallibile Ecclesiæ magisterium Fidei mysteria principaliter complectitur, minus principaliter individuas ordinatas locutiones, ut approbentur, inordinatas, ut reprobentur.

Ecclesia infallibilis regula ad definiendum loquendi modum in rebus Fidei.

18 PROB. VI. Teste Apostolo, Fides ex auditu, auditus autem ex prædicatione usque ad consummationem Seculi per eos, qui ab Ecclesia mittendi sunt. Ut verò recta sit Fides, recta debet esse prædicatio. At quomodo erit hujusmodi prædicatio, nisi Prædicatorum doctrina sit juxta Fidei regulas? Porro Ecclesia est regula infallibilis a Domino constituta ad proponendam Fidem; ergo itidem debet esse infallibilis regula ad definiendum loquendi modum in rebus Fidei, adeoque ad percipiendam mentem loquentium, & scribentium. Et revera ad proponendas, intelligendasque, veritates, vocabula necessaria fore in aperto est; unde meritò ad Fidem secundariò spectant. Hinc in Conciliis solemne fuit apud Patres primò definire rerum veritates, modos verò loquendi propter ipsas veritates consequenter.

PROBATUR EXEMPLIS.

Ad Factum Dogmaticum spectat, Evangelium v. g. S. Matthæi esse verbum Dei.

19 PROB. I. Ad Factum Dogmaticum spectat Evangelium v. g. S. Matthæi esse Dei verbum, secus illud S. Andreæ adscriptum, sicut & aliud Nazaræorum nuncupatum. Nemo Catholicorum inficias ibit in eo infallibilitatem judicii Ecclesiæ. Nullus exstitit in Ecclesiasticis monumentis Codex, aut versio propriâ S. Matthæi manu conscripta: omnia exemplaria sunt a prioribus exemplaribus, versiones omnes a prioribus versionibus exscriptæ per particulares In-

ter-

terpreres; at autem Codex, seu versio, quæ in vulgata circumfertur, sit verbum Dei de Fide suscipiendum, ut præ ceteris definivit Tridentinum, omnino necesse est, certiorem fieri de individuali consonantia sensus expressi a Translatore in suis locutionibus, cum sensu expresso in verbis a S. Matthæo usurpatis, atque a Spiritu Sancto dictatis. Et hoc prorsus infallibiliter; non enim ad verbum Dei sufficit moralis certitudo, quamvis in summo gradu perfecta. Cur ergo proportionali quadam ratione, non erit censenda infallibilis Ecclesia in pervadenda privatorum Doctorum mente in materia Religionis per conformitatem, vel discrepantiam ad verbum divinum?

Concilia Generalia referre Ecclesiam universalem spectat ad objectum Fidei.

20 PROB. II. Ad objectum Fidei spectat, Concilia Generalia fuisse legitima, atque Universalem referre Ecclesiam; alias Fidei Dogmata nequirent proponere; cum supernaturalis effectus a causa simpliciter naturali procedere non possit. Atqui hoc est Factum Dogmaticum doctrinale; propterea Martinus V. ad discernendos Hæreticos Wiclephistas, præcepit sexto loco interrogare — „ Utrum credat, quod illud quod Sacrum „ Concilium Constantiense Universalem Ec„ clesiam repræsentans approbavit, & ap„ probat in favorem Fidei, & ad salutem „ animarum, quod hoc est ab universis „ Christifidelibus approbandum, ac tenen„ dum, & quod condemnavit, & condem„ nat esse Fidei, vel bonis Moribus con„ trarium, hoc ab eisdem non esse tenen„ dum; & quod condemnavit, & condem„ nat esse Fidei, vel bonis Moribus contra„ rium, hoc ab eisdem esse tenendum pro „ condemnato, credendum, & asserendum — Ea verò, quæ condemnavit, non sunt nisi Personæ Wiclephi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, & eorum scripta, & Articuli 75. formaliter accepti in sensu ab illis intento.

Chalcedonensi damnatã voluit doctrinam Nestorii in sensu a Nestorio intento.

21 PROB. III. In Chalcedonensi Synodo, efformata Fidei definitione adversus Nestorium, atque Entychem, dictoque anathemate Nestorio, Eutychi, atque, Dioscoro, *Act.* 8. Theodoreti causâ ad examen revocatâ — Reverendissimi Episcopi clama„ verunt, Theodoretus modò anathematizet „ Nestorium. Accessit Theodoretus, atque „ ad innocentiæ suæ defensionem dixit — „ Veni satisfacere, me esse Orthodoxum; & „ omnem Hæreticum, qui converti noluerit, „ anathematizo; & quia Nestorium, & Eu„ tychem, & omnem hominem dicentem, „ vel opinantem duos filios, anathematizo. „ Et cum diceret, Reverendissimi Episcopi „ clamaverunt; dic aperte anathema Nesto„ rio, & qui ea, quæ ejus sunt, sapiunt — Theodoretus autem volens Fidei suæ rationem afferre ait — Ego nisi exposuero, quomodo „ credo, non dico. Credo autem — Verùm inter hæc Patres iterum clamaverunt — Iste „ hæreticus est; iste Nestorianus est. Hære„ ticum foras mitte — Tunc Theodoretus Nestorio dixit anathema. Volebant igitur Patres non doctrinam tantummodo, sed etiam Personam Nestorii, ut illius Dogmatis Auctorem, anathematizari, nec ulla conceditur

A interpretatio, seu explicatio ex parte personæ Nestorii, sed damnandam dixerunt hæreticam doctrinam in sensu a Nestorio intento.

Quod hic numero Pontifex sit Ecclesiæ Caput, est Factum dogmaticum.

22 PROB. IV. Quod hic numero Pontifex canonice electus, sit Ecclesiæ Caput, atque Christi Vicarius, cadit sub objecto Fidei, sicut sub eodem objecto cadit, quod hæc Romana Ecclesia nunc existens, sit vera Ecclesia. Unde quæ decernuntur, si sermo sit de definitionibus Canonicis Dogmaticis, suscipere tenemur ut spectantia ad objectum Fidei; regulatum enim haud esse potest majoris certitudinis, quàm sit ipsamet regula. Hinc in instructione Martini V. ad detegendos Wiclephistas præscribitur interrogandum:
B an Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit (ejus proprio nomine expresso) sit Successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. Sed hoc est Factum Dogmaticum ab humano dependens scrutinio supra Personam, quæ secundùm se incapax esse potest; ergo etiam ad Fidei objectum spectare poterit Factum Dogmaticum doctrinale, quamvis ab humana dependeat diligentia, & Auctor aliunde sentire potuerit. Veritatem majoris propositionis non est hujus loci, cum abunde supponatur probata ex traditis a Theologis in Tract. de Fide.

C

ADVERSANTIUM MOMENTA DISSOLVUNTUR.

23 OBJIC. I. In propositione Hypotetica v. g. *Doctrina Arii est heretica*, duplex involvitur categorica propositio: atqui una ex illis ad Fidem non pertinet; ergo in Conciliaribus propositionibus hæreticam doctrinam, insimul & Auctorem declarantibus totum complexum ad Fidem non spectat. Et sane in ea propositione una categorica illa
D est, *Doctrina est heretica*, altera verò, *Eam docuit, propugnavitque Arius*; hæc porro nullimode res Fidei est, quoniam hoc non dixit Deus, sed sensu suo homo percipit, atque ipsemet Arius fassus est...

Duplex propositio in unã conflata spectans ad Fidem.

RESP. Quando una categorica propositio ab alia sejungitur, atque duplex elicitur assensus; tunc fieri potest, quod una non sit de Fide. Si verò utraque conjunctim habeatur, & tanquam una proponatur; tunc tota propositio ad Fidem spectat. Nam Ecclesia illam proponit per modum unius, atque unus præbetur assensus; unum enim sensum facit ratione unius prædicati, & copulæ unientis jus cum facto. Hujusmodi doctri-
E nam admittamus oportet in pluribus. Istæ propositiones v. g. *Hæc Petri anima est immortalis: Hic infans est originali labe infectus: Hic homo est a Christo redemptus*, de Fide adoptandæ sunt; & tamen in duplicem categoricam propositionem resolvi possunt, ut in aperto est.

24 DICES. Illud solummodo in illo complexo ad Fidem spectat, quod revelatum est: sed doctrinam illam esse Arii non est revelatum; ergo non spectat ad Fidem.

RESP. Licet subjectum propositionis possit esse non revelatum, cum tamen cadit sub

Quomodo subjectum propositionis cum prædicato spectat ad Fidem.

sub una copula, & prædicato, ad unum complexum formaliter spectat; ac proinde non multiplicat propositionem, nec diversum assensum expostulat ab eo, qui illi compleao debetur, videlicet ab assensu Fidei: illud objectum in se, ut supponitur, non est revelatum: proindeque secundùm se nec ad objectum Fidei pertinet; quia tamen per modum unius duplex categorica in hypotetica conjungitur, unico Fidei actu complexum attingitur.

25 INSTABIS. Hunc sensum fuisse Arii est aliquid naturaliter notum: ipse enim sic se intelligere declaravit; ergo sensus ille non ingreditur objectum Fidei.

RESP. Stante illa declaratione, solùm inde habetur, sensum illum non spectare secundùm se ad Fidem; secus prout constat objectum Fidei, unam constituens hypoteticam propositionem. Igitur quando Factum, seu ille sensus conjungitur cum jure, velut subjectum ad prædicatum, & complexum, ab Ecclesia proponitur, in duas dividi nequit partes, quarum una sit credenda, altera non, sed indistinctè recipiendum est.

26 REPLICABIS. Illa Propositio vere in duas resolvi potest: sed Fidelis non est criminandus, si illam sejungat dicens: Dogma hoc fore hæreticum, credo, quia revelatum: quod autem illud docuerit, teneo propter Historicos; ergo totum complexum nequit ad Fidem spectare.

Practicè nequit sejungi complexum ab Ecclesia propositum.

RESP. Speculative potest Fidelis illam resolvere Propositionem: non enim Deus hoc damnat, nec incongruum est vim utriusque categoricæ Propositionis expendere; practice tamen nequit, quando Ecclesia complexum proponit; quia non crederet, sicut est credendum proponitur. Ipsa hæretica Propositio v. g. *Christus est Creatura* speculative potest dividi, expendendo meritum subjecti, quod est Christus, & meritum prædicati, quod est Creatura; attamen practice nullam admittit divisionem.

27 OBJIC. II. Inter Fidei objecta non recensentur Magistri docentes veritatem: cum nullibi hoc legatur; ergo neque Magistri falsitatis.

Quinam credendi Hæretici.

RESP. Sicut non omnes Magistri veritatis inter Fidei objecta recensentur, sed aliqui solummodo: ita non omnes Hæretici, sed solummodo aliqui Magistris falsitatis accensentur, hi videlicet, qui per Canonicum Ecclesiæ judicium declarantur. Sæpius Ecclesia Canonice declaravit Hæreticos; quia ea consortio cum Hæresiarchis subdolis locutionibus insidiantibus, grave imminet Fidelibus subversionis periculum, & faciliùs prona est natura ad malum, quàm ad bonum.

28 DICES. Qui negaret, aliquem esse damnatum Hæreticum, Fidei habitum non amitteret: sed si ad objectum Fidei pertineret, qui negaret, a Fide excideret; ergo.

Damnatio alia Canonica, & altera pœnalis.

RESP. Majorem non renuimus, si damnatio non sit Canonica, sed tantummodo pœnalis. Ex factis Chalcedonensis, & Constantiensis Concilii in aperto est, nolentes anathematizare v. g. Nestorium, inter Hæreticos fuisse recensitos, atque Hæreticorum pœnis mulctatos; quia Concilia Canonica definitione illum declaraverat Hæreticum.

29 INSTABIS. Ut quis velut Hæreticus habeatur, debet alicui revelato opponi: sed Arium dixisse, Christum esse Creaturam, nullibi revelatum legitur, sed sola naturali habetur cognitione; ergo.

Hæretici implicite revelati.

RESP. Arium illam docuisse Propositionem atque explicite non est revelatum; bene verò in universali principio Matthæi 24. vers. 4., & seqq. enunciato: *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducent... Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* 2. Petri 2. vers. 1. *In vobis erunt Magistri mendaces; qui introducent Sectas perditionis.* Act. 20. vers. 29. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* In his porro, aliisque similibus Propositionibus Hæretici referuntur.

30. REPLICABIS. Omnes calamitates, quæ in dies eveniunt, in illis generalibus continentur Propositionibus, quibus Deus mala comminatur hominibus propter peccata: sed ridiculum foret asserere, quotidianas calamitates ad Fidem spectare; ergo.

RESP. Ex quo aliquid in universali contineatur principio, non sufficit ad Fidem: sed ad hoc, ut aliquid, dum existit, ad Fidem pertineat, necesse est, quod certo judicio ab Ecclesia proponatur contineri in illo principio. Porro calamitates, quæ in dies eveniunt, ab Ecclesia nequaquam proponuntur ut deductæ ab hujusmodi universalibus principiis.

31 SUBSUMES. In deductione ex universalibus principiis necesse est nullam subesse deceptionem: sed hæc subesse potest, cum ipsa ad doctrinam non pertineat; ergo.

Spiritus Sanctus nunquam deficit in definitionibus Ecclesiæ de Fide.

RESP. Instantia urget etiam in deductionibus pure doctrinalibus, quæ a Conciliis habentur; & tamen eas firmissime credimus. Ne igitur subsit deceptio, præsto est Spiritus Sanctus, qui nusquam deficit, quoties Ecclesia definitive declarat spectantia ad Fidem; Fides autem non solùm falsa execratur Dogmata, sed Dogmatizantes, sicut non solùm sanctitatem, sed sanctificatos adoptat.

32 OBJIC. III. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 7. docet, Fidei articulos temporum successione non crescere quoad substantiam: sed si Facta contingentia ad Fidem spectarent, Fides in dies nova incrementa susciperet; ergo.

Ecclesia non multiplicat substantiales articulos Fidei.

RESP. Argumentum etiam doctrinales ferit definitiones, quæ temporum successione sunt multiplicatæ. Itaque sicut istæ non multiplicant substantiales articulos, quia tantummodo explicationes dicuntur præcontentæ veritatis; ita quoad Facta explicative se habet Ecclesia, particularia ex universalibus principiis deducendo.

33 DICES. Ecclesia, ut testatur Apostolus, non a se inventum, sed sibi creditum custodit depositum; sed peculiaria Facta in dies contingentia, v. g. utrum ille Auctor hæretice senserit, utrum talis fuerit, nec ne ejus sensus, non continentur in illo

depo-

deposito, quod aliud sane non est, nisi verbum Dei exaratum, vel traditum: ut in aperto est; ergo.

RESP. Depositum, de quo Apostolus, sunt a Deo revelata vel in seipsis immediate, vel in universalibus principiis. Revelata sive primi, sive secundi generis docuit Timotheum Paulus. Inter hæc quædam sunt, quæ ad peculiaria Facta spectant. Itaque quod iste v. g. senserit perverse de Fide, in universalibus propositionibus continetur, puta, Act. 29. vers. 29. *Intrabunt lupi rapaces in vos*, 2. Timoth. 4. vers. 3. *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus*, & hujusmodi. In dies contingunt in seipsis Immediate, sed jam in primis extabant principiis; eâ plane ratione, qua doctrinalia in seipsis in dies contingunt, sed in primævis fontibus præextiterunt. Addita est Symbolo particula *Filioque*, sed in generali deposito jam habebatur.

Revelata a Deo in duplici differentia.

34 INSTABIS. In disceptandis Fidei Controversiis Ecclesia Infallibili Dei Spiritu regitur; sed in dilucidandis Facti quæstionibus, in percipiendis privatorum Doctorum sensibus, humanæ innititur diligentiæ; quæ sæpenumero fallitur, cum timidæ sint cogitationes hominum, & incertæ providentiæ nostræ; ergo.

RESP. Argumentum æque urget in definitionibus doctrinalibus. Ecclesia Romana in ipsis definitionibus humanam diligentiam adhibet! Quot studia præcesserunt in eliminanda Hæresi Ariana, quot disceptationes circa Pelagii Hæresim, quot labores pro absolvenda Controversia de Rebaptizatione &c. Utrobique igitur Ecclesia, definitive judicans, Dei spiritu regitur; quia utrobique urget necessitas boni Religionis, principaliter quidem in doctrinalibus, consecutive in factis.

Ecclesia definitive judicans Spiritu Dei regitur etiam in Factis.

35 REPLICABIS. Ut Ecclesia occurrat periclitanti Religionis bono, sat est damnatio Librorum, & Auctorum, vi potestatis ei concessæ ad vindicanda crimina; per hanc enim Fideles, Ecclesiæ proscriptioni obsequentes, in tuto sunt; ergo superflua est infallibilis Spiritus Sancti directio.

RESP. Ad perfectum Animarum regimen utrumque requiritur. Quandoque Pontifices aliquas proscripserunt propositiones; verùm cum ob pertinacem Dogmatizantium contradictionem evanidum hujusmodi compererint remedium, ad definitivam declarationem devenire necessarium duxerunt. Hoc itidem in Factis contingit. Damnat Ecclesia Librum aliquem, & Auctorem: sed inde exurgunt contendentes, Librum illum non esse hæreticum, Auctorem hæretice non sensisse; proindeque perperàm evulgatam damnationem, nec Excommunicationis vinculum tenere; adeoque ulterior, certiorque declaratio necessaria est.

Ad bonum Religionis nõ sufficit sola damnatio hæreticorum Librorum, & Auctorum.

36 SUBSUMES. Sicut in Ecclesiastico judicio sæpe occurrit falsa crimina imponi Innocenti, sic Catholicis Viris quandoque erroneæ adscribuntur Assertiones: sed ob primum aliquando Innocens damnatur; ergo ob secundum continget Hæreseos affici Catholicos.

RESP. Instantia solvenda est ab Adversario. Fidei hostes sæpe Sacros Codices corruperunt, sæpe prava interpretatione sensus Scripturæ explicarunt, immo ipsam Scripturam detruncarunt, aut alienas propositiones malitiose eidem inseruerunt, quin Ecclesia Librum aliquem Canonicum repulerit damnando Innocentem, nec ad expurgandas Scripturas, ob suggerentis Spiritus Sancti præsentiam, quidquam de legitimis propositionibus læserit; ita proportionali modo Deus Ecclesiam diriget, vel ut accuratâ diligentiâ dignoscat, Libros illos fuisse corruptos, vel ut ad definitivam Sententiam non deveniat, sed solùm simplicem, & pœnalem prohibitionem ferat.

Deus Ecclesiam diriget.

37 ADDES. Non est adstruenda Ecclesiæ potestas, quæ frustranea sit: sed potestas infallibiliter judicandi de Factis peculiaribus prorsus frustranea est; ergo. Evincitur minor propositio. Ad evitandos, anathematizandosque Hæreticos sat est humana certitudo; unde nemo sanæ mentis negabit Arii, Nestorii, aliorumque hujus furfuris hominum, perfidiam, quam Catholici Scriptores ad unum omnes testatam voluerunt; & sensum proscriptorum Librorum non inficiantur ipsimet Hæretici, Calviniani namque v. g. optime norunt sensum Calvini fuisse transubstantiationem abnegare.

RESP. Haud superflua censenda est potestas ad rectum Animarum gubernium necessaria; hujusmodi porro est, quæ ad Facta Dogmatica infallibili judicio se extendi potest. Ceterum instantia urget in Doctrinalibus. Non raro humana certitudine comperta habetur alicujus propositionis malitia, nec eam Asseclæ Magistri eam docentis negabunt; & tamen Canonicâ Definitione Propositio illa fuit ab Ecclesia proscripta. Cur idem dici non potest de Factis? Non semper sub primordiis humanâ constat certitudine de sensu, & de Auctore, nec Sectatores Pseudomagistrorum ultro concedunt pravum illum sensum ipsorum fuisse; necessaria est igitur definitiva Ecclesiæ declaratio.

Potestas judicandi infallibiliter de Factis non est frustranea.

38 OBJIC. IV. Nihil dubium sub Fidei objecto cadere potest; sed quandoque sensus Auctoris dubius est, & incertus: quia via aliquid invenire est, quod æquivocatione non laboret: aliàs cujusvis idiomatis locutiones variam admittunt intelligentiam; ergo illæ damnationes etiam quoad complexum ad objectum Fidei spectare nequeunt, sive ratione subjecti, quod est Factum dubium, sive ratione prædicati, quod incerto applicari non potest subjecto.

RESP. Utique nil incertum cadit sub objecto Fidei; illud tamen, quod specie tenus incertum videbatur, certum evadit. Quamvis enim verba quandoque æquivoca sint, nihilotamenminus Scriptor in determinato sensu iis utitur, ac eum morali certitudine per discussionem Theologi percipiunt; qua præmissâ diligentiâ Spiritus Sanctus Ecclesiam dirigit, ne erret, quando Canonicam declarationem edere expedit. In præcitato Argumento ea contingit æquivocatio, quæ in damnatione Propositionum probabilium latebat. Implicatorium videbatur, Propositionem

Prop. sitio probabilis quomodo dãnabilis.

nem probabilem esse damnabilem . Hoc utique verum est in sensu composito; secus dum ea non amplius probabilis est; quod tunc contingit , dum Ecclesia , quatenus Infallibilis regula Morum , sub Divini Nominis directione deregit , alicui certo principio adversari ,

39 DICES . Teste experientia , inter Factiosos dissensiones oriuntur , quæ ipsos in diversa studia trahunt , aliis pugnantibus pro claro , aliis pro non claro sensu : sed hoc stante , damnatio in determinato sensu Auctoris incerto innititur fundamento ; ergo nequaquam potest damnatum Fidei objectum constituere .

Dissentiones nil officiunt Canonicæ dānationi .

RESP. Instantia ferit etiam doctrinales definitiones, circa quas Factiosæ dissensiones sæpenumero exortæ fuerunt ; qua de re recens occurrit exemplum in damnatione Propositionum Archiepiscopi Cameracensis . Etenim ex decem Theologis , & Qualificatoribus , quinque pro bono , itidem quinque stabant pro damnabili sensu ; & tamen subsecuta damnatio ab Ecclesia fuit adoptata . Itaque dissensiones prævię non officiunt , sed legitimæ favent Sententiæ ; mire namque deserviunt ad clariorem rerum cognitionem . Si qua verò discrepantia subsequatur ad damnationem , nihili facienda est ; quippeque rationi incongrua .

40 INSTABIS . Contingere potest , quod Theologi , quibus rei examen demandatur , vel erga Auctorem sint malo affecti , vel ab Adversantibus in deterius præventi : sed fieri potest , ut his utatur Pontifex ; ergo certum nequit inde efformari judicium .

RESP. Idem in doctrinalibus definitionibus occurrere potest . Præcitatus casus his accenseri debet , in quibus e divina Providentia est, ad quam non rarò Theologi confugiunt , recta disponere , ut veritas inter tenebras elucescat . In similibus divina Lux fulgebit , quæ illuminabit abscondita tenebrarum , & consilia manifestabit adversùs veritatem inita .

41 REPLICABIS . Frequens est apud Catholicos Doctores , ut quis sua scripta judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdat , & nihilominus , quod sensus ut ab Auctore intentus damnetur ; sed tunc damnatum ad Fidei objectum nequit pertinere : cum sensus Auctoris , stante illa protestatione , non sit hæreticus ; ergo Ecclesia absolute non habet infallibilem potestatem in similibus Factis.

RESP. Casus duobus modis evenire potest . Primus est , si Auctor sub protestatione aliquid dicat , quod aperte Sacræ Scripturæ , vel Ecclesiæ Definitionibus , non adversatur ; & tunc tanquam falsus damnabitur sensus Auctoris , secus Auctor, quippe minime pertinax . Non enim prorsus insuetum est , aliquem intendere sensum , qui malus est , sed absque pertinacia ; ut compertum habemus in S. Cypriano contendente rebaptisandos , qui ab Hæreticis juxta Ecclesiæ ritum Sacro regenerati erant lavacro . Modus alter est , si Auctor palam enunciet doctrinam Ecclesiæ contrariam ; & tunc damnari poterit , quia facto contradicit protestationi .

Quomodo Auctor possit damnari etiā stante protestatione Catholica .

42 OBJIC. V. Judicium , cui fraus subesse potest , nequaquam infallibile censendum est ; sed in Pontificio judicio quoad quæstiones Facti fraus subesse potest , ut testatur Alexander III. Cap. *Si quando* , *de rescriptis* , ubi Ravennatensem Præsulem monet, ut suum adimpleat mandatum , vel de omissione rationem reddat , subdens -- Quia patienter sustinebimus si non feceris ; quod „ prava nobis fuerit insinuatum suggestione -- ergo .

RESP. Argumentum , quod ab Arguente ut invictum proponitur , non est ad rem nostram . Etenim casus iste , cum Factum præcise Forense importet , communem ; atque ordinariam regendi potestatem non excedit . Clericus quidam nonnulla habens Ecclesiastica beneficia , habito de his silentio , Romanum Pontificem exoravit , ut aliud in Ravennatensi Ecclesia consequeretur . Roganti annuit Pontifex . Verum cum super hoc conquestus fuerit Archiepiscopus , respondit Alexander III. , fraudolentam fuisse postulationem .

43 DICES . Judicium , cujus ratio formalis fallibilis est , sub irreformabili nequit cadere potestate . Porro judicium Pontificium in quæstionibus Facti innititur fallibili rationi formali Cap. *A nobis* , *de Sent. Excommunicationis* -- Judicium Dei veritati , „ quæ non fallit , nec fallitur , semper innititur ; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur , quam & fallere sæpe contigit , & falli &c. -- Ecce quod judicium Dei sic se habet ad veritatem , sicut judicium Ecclesiæ ad opinionem ; ergo illud semper verum est , secus illud .

Discrimen inter judiciū Dei , & judicium Ecclesia .

RESP. Instantia seipsam destruit . Primò quidem , quia Resolutio Pontificia palam fatetur , Ecclesiæ judicium quandoque inniti opinioni , non autem semper . Secundò quia casus versatur in materia prorsus Forensi . Etenim quidam Excommunicatus omnem lapidem moverat , ut a Censura absolveretur , irrita licet , cassoque conatu , morte præventus . Quæsitum est , an pro absoluto habendus esset , & pro ipso fieri posset eleemosyna . Cui respondit Pontifex , contingere posse , quod Censurâ innodatus in facie Ecclesiæ , sit solutus coram Deo , & e converso ; adeoque Defunctum illum solvendum fore , atque pia Legata pro eo relicta ab Hæredibus exequenda .

44 REPLICABIS . Quod est a Judice ex suis intrinsecis fallibili , nequit esse infallibile ; sed judicium quodlibet Pontificium est hujusmodi , ut fatetur Gregorius *lib. 1. Dialog. cap. 4.* -- Quid miraris , quia fallimur , „ quia homines sumus ? Quid mirum si ore „ mentientium aliquando in aliud ducimur , „ qui Prophetæ non sumus ? -- Subdens hinc aliud momentum , videlicet , quia multitudo causarum mentem distrahit ; propterea & ipsi Pontifices Pœnitentiæ utuntur Sacramento .

RESP. Instantia æque urget adversùs doctrinales Definitiones ; illæ siquidem emanant itidem a Pontifice , qui est homo , qui non est Propheta , qui multitudini subest causarum . Itaque S. Gregorius de his loquitur casibus , qui ab ordinaria , & quasi domestica gubernatione diriguntur . Loquitur simi-

Pontifex in ordinaria , quasi domestica gubernatione , & ut privata Persona , fallibilis .

ſimiliter de privata Pontificis Perſona, quæ utique ſubjecta eſt peccatis; non autem de primo Hierarcha, ut Eccleſiæ Magiſtro ex Cathedra docente.

45 SUBSUMES. Splendidum Sedis Apoſtolicæ decus eſt erratum revocare, ut ait S. Bernardus *Epiſt.* 80. -- Hoc ſolet ha„bere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non „pigeat revocare, quod a ſe fortè depre„henderit fraude elicitum, non veritate „promeritum. Res plena æquitate, & laude „digna, ut de mendacio nemo lucretur, „præſertim apud Sanctam, & Summam „Sedem -- Hinc plura habemus revocata, quæ a Deceſſoribus peracta fuere. Sed ſi in Factis eſſet irreformabilis Eccleſia, non poſſet eidem Bernardi encomium aptari; ergo.

Quanam ex Canonibus revocata.

RESP. Cum verba S. Bernardi ſint indefinita, doctrinalibus æque Definitionibus poſſent accommodari. Itaque S. Doctor aperte loquitur de caſibus communibus circa Diſpenſationes, Cenſuras, Collationes, verſantibus; & quæ ex Canonibus referuntur revocata hujuſmodi ſunt, ut videre eſt *Cauſa* 24., & 25., & *De re judicata* per plura capita.

46 ADDES. Nemo meliùs Conciliorum mentem novit, quàm legitimus eorundem interpres, Sacra videlicet Congregatio: ſed hæc ſentit, in Factis Dogmaticis definitia Sanctam Sedem, & Concilia, non judicare irreformabiliter; ergo. Res in aperto eſt ex judicio habito in Concilio Lateranenſi IV. de Libro Abbatis Joachim adversùs Magiſtrum. Gregorius de Laude Sagittarienſis Abbas Apologiam edidit Neapoli anno 1660., qua intendebat ipſum ab erroribus vindicare: opus a Sacra Congregatione ad examen fuit revocatum, eoque diſcuſſo, mandatum eſt, Auctoris verba in hæc alia mutari: *Conabimur tamen, ſi fieri poteſt, Joachimum defendere*; ergo perſuaſum fuit Sacræ Congregationi, Lateranenſe judicium non fuiſſe irreformabile.

Deciſiones S. Congr. quā fidē ſortiantur.

RESP. Infirmum eſt Argumentum. Ex Decreto ſiquidem Sacræ Congregationis nihil firmi colligitur, ſtante Decreto Urbani VIII., qui voluit, Sacræ Congregationis Deciſiones nullam fidem, ſive intra, ſive extra judicium ſortiri, niſi ſub quibuſdam exhiberentur conditionibus, quæ in caſu habitæ non fuerunt.

Ceterum oppoſitum ab eo, quod intenditur ab Arguente, ex relatis colligitur. Nam dum dicitur, *Conabimur tamen, ſi fieri poteſt &c.*, huic æquivalet, *Conabimur volare, ſi fieri poteſt*. Itaque formula illa eſt conditionalis adjectio de impoſſibili; de quibus conditionibus Canones nonnunquam loquuntur.

Qualis permiſſio facta defendendi Abb. Joachimum.

Deinde defenſio intelligi poteſt quoad ſenſum in propoſitionibus intentum, & ſupra motivum impugnandi Magiſtrum Sententiarum, & ſupra modum eaſdem propugnandi. Permiſſio Sacræ Congregationis dubio-procul non verſatur ſupra primum. Verba namque Concilii plane aperta ſunt, & verba, ſicut & momenta aſſumpta ab Abbate Joachimo manifeſta adeo ſunt, ut ejus ſenſus percipi certò poteſt a quolibet, qui etiam a longe Theologiam ſalutavit. Verſatur itaque permiſſio ſupra reliqua. Etenim audacter nimis Magiſtrum Sententiarum vocavit Hæreticum, & inſanum. Scripturas contra communem Patrum intelligentiam interpretari auſus eſt, ante denuntiationem pertinax fortaſſis videri potuit. Circa hujuſmodi ergo permiſſio verſatur. Ipſe tamen Abbas Joachim non fuit a Concilio declaratus Hæreticus, quoniam Concilium ipſum damnatâ ejus doctrinâ ſubdit -- In nullo tamen per hoc „Florenſi Monaſterio, cujus ipſe Joachim „extitit Inſtitutor, volumus derogari, quo„niam ibi & Regularis inſtitutio eſt, & „Obſervantia ſalutaris, Maxime cum idem „Joachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari „mandaverit, Apoſtolicæ Sedis judicio ap„probanda, ſeu etiam corrigenda, dictans „Epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit, „in qua firmiter confitetur, ſe illam Fidem „tenere, quam Romana tenet Eccleſia, „quæ cunctorum Fidelium, diſponente Do„mino, Mater eſt, & Magiſtra -- Porro ſi aliter ſenſiſſet, ac intellexit Concilium, non tam ſimpliciter ſe judicio Eccleſiæ ſubmiſiſſet, quàm proprium ſenſum explicaſſet; quod factum non legitur.

Abbas Joachim non fuit a Concilio declaratus Hæreticus.

47 OBJIC. VI. Non minùs infallibilitatis privilegio gaudebat Moſaycum Senedrion in cauſis Religionis, quàm Eccleſia. Illud erat fallibile in Facto Dogmatico. Nam in Jeroſolymitano Concilio erravit circa Perſonam Chriſti; ac proinde in Facto Dogmatico, & quidem fundamentali *Joan.* 11. Caipha Summo Pontifice ferente Sententiam, non intellecto Scripturarum ſenſu de Chriſto loquentium. Eccleſia itaque in Facto Dogmatico errare poterit.

Senedrium Moſaycum tempore Paſſionis Chriſti a privilegiis deficiebat.

RESP. I. Moſaycum Senedrium ſub tempore Paſſionis Chriſti jam declinabat, nova Eccleſia jam cæperat, brevi perficienda Chriſti morte; idcirco in Synagoga deficerat vis Privilegiorum.

RESP. II. Perperàm dicitur, erraſſe Pontificem in ferenda Sententia. Teſtatur namque Evangelium, Caipham propheraſſe, neſciendo quid diceret, dirigente Spiritu Sancto ipſius linquam; ut hinc compertum habeamus, in Dogmaticis Definitionibus præcipuum Magiſtrum non alium eſſe a Spiritu Sancto.

ALIA ARGUMENTA SOLVUNTUR.

48 OBJIC. VII. Qui hæretica Dogmata in bono ſenſu explicat, licèt judicium inde retractet, in judicio erraſſe meritò dicendus eſt. Porro Zephyrinus Pontifex Prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillæ, approbavit, deditque communicatorias Literas, licèt has poſtmodum revocaverit, ut refert Tertullianus Lib *adverſ. Praxeam cap.* 1. -- Nam idem tunc (*Praxeas*) Epi„ſcopum Romanum, agnoſcentem jam Pro„phetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & „ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ, „& Phrygiæ, inferentem, falſa de ipſis „Prophetis, & Eccleſiis eorum aſſeveran„do, & Prædeceſſorum ejus auctoritates

„defen-

„ defendendo, coegit & Litteras pacis revocare jam emissas, & a proposito recipiendorum Charismatum cessare — ergo erravit in Facto vere Dogmatico.

RESP. I. Tertulliano, ubi de rebus Montani agit, non est habenda Fides; cum enim Montani Hæreses adoptaverit, pro isto pugnabit. Hæretici autem, ut sibi nomen facerent, fuevèrunt suosmet errores Romanis Pontificibus affingere. Sic Artemonis discipuli, asserentes Christum esse solum hominem, Victori, ejusdemque Decessoribus, Magistri sui Dogma tribuerunt.

Tertulliano nulla fides ubi de Montano agit.

RESP. II. Duo præcipue notantur Montani tempora; unum hypocrisis, apertæ Hæresis aliud. Ob Montanum turbatis Asiæ Provinciis, ipsius Prophetias execrantibus adhæserunt Zephirini Prædecessores. Ut ab Apostolica Sede approbationem consequeretur Hæreticus, ovinam pellem induit, qua verbis, & factis, exteriùs Catholice sentiebat. His permotus Pontifex communicatorias Litteras dedit, nequaquam ad examen revocatis Propheriis, licèt eas Montani fore nosset. Romam interim accessit Praxeas Hæreticus Patropassianus Sabellianus, qui & Montani tenebras dissipavit, ejusque errores detexit, quibus cognitis Pontifex datam pacem revocavit; hinc damnavit Cataphrygas, Montanistas, Marcionem, Sabellium, Valentinum cum Praxea. Ex quibus compertum est, non circa Fidem, sed circa Personam errasse.

Zephyrinus Pontifex non erravit in Facto vere Dogmatico.

49 OBJIC. VIII. Subscribens in Concilio Generali Formulæ hæreticæ, non percepto hæretico sensu, errat in judicando proprio Auctoris sensu. Hoc fecit Liberius Papa in Concilio Sirmiensi, ut testatur Athanasius *Epist. ad Solitarios*, aliique; ergo erravit in Facto Dogmatico, & erravit ut Ecclesiæ Caput, utpote vocatus ad conciliandam Synodo auctoritatem.

RESP. Triplex fuit Fidei Formula in Sirmiensi Concilio elaborata. Orientales ægre ferentes inter Hæreticos enumerari ex quo Filii Consubstantialitatem negarent, Concilium Sirmiense eorarunt indicere adversùs Photinum, qui blasphemabat, Christum nihil aliud esse, quàm purum hominem. Hinc primam Fidei Formulam ediderunt, in qua contra Photinum Anathematismi continebantur. Hæc prima Fidei Formula ab hostibus quidem edita fuit, qui Catholicam simulabant communionem; nihilotamen minus Hæresim secundùm se non sapit, sed sensum patitur orthodoxum. Quamquam enim in ea Consubstantialitatis vocabulum subticuerint, studuerunt tamen totis viribus, ut cum Ecclesia Catholica componerent pacem, ea exscribere vocabula, quæ Consubstantialitatis nomen significant, & expresse substantiæ nomen Filio, & Patri communis apposuerunt, ut constat ex Epiphanio *Hær.* 37., & ex Gregorio Nazianzeno Orat. *De laudibus Athanasii*. S. Hilarius *De Synod.* catholice eam explicat. Et S. Augustinus *Epist.* 174. fatetur, huic Formulæ, se quoque subscribere non renuere, si nihil aliud obstaret, quàm vocabulum Consubstantialitatis, quod desiderabatur. Quoniam verò vocabula illa nomen

Formula Fidei Sirmiensis triplex.

A Consubstantialitatis significantia Arianis non arridebant; idcirco, ablegatâ illâ Fidei Formulâ, aliam hæreticam ediderunt, in qua tum substantiæ, tum similitudinis nomen ablegamm est. Hæc tamen illicò consopita fuit, & prodiit tertia Formula, in qua Filius per omnia Patri similis dicebatur; cui Basilius Ancyranus addidit, secundùm essentiam.

His suppositis, plane compertum est, Liberium hæreticæ Formulæ non subscripsisse. Non enim subscripsit secundæ, sed primæ; ut Eruditi Ecclesiasticæ Historiæ propugnant. Et sane si secundæ Formulæ subscripsisset Liberius, ab exilio dubio-procul

Liberius subscripsit primæ Formulæ.

B fuisset illico revocatus; etenim cum jam ab Athanasii communione recessisset, ab eo nil aliud desiderabant Ariani, nisi ut eam Formulam suo obsignaret nomine. Liberius tamen non solùm Formulæ subscripsit in exilio, verùm etiam post subscriptionem in exilio relegatus permansit, ut ipsemet conqueritur in Epistola ad Orientales, & in illa, quam Ursacio, Valenti, & Germinio conscripsit.

50 OBJIC. IX. Damasus, recitatâ a Vitali Apullinarista Fidei Formulâ, quâ aliàs errorem suum propugnabat, eum absolvit, atque in communionem recepit: sed ex hoc plane fit, Pontificem non intellexisse Fidei Formulam ad mentem Vitalis; ergo erravit

C in quæstione Facti doctrinalis Dogmatici. Et quidem erravit ut Ecclesiæ Magister; etenim & causam Vitalis ad examen vocavit, & totius Ecclesiæ communioni restituit, cui alii Orthodoxi Episcopi adhæserunt.

RESP. Argumentum rem probaret, si profitens errorem ex Formula sensum non occultaret per restrictionem mentalem. Vitalis Catholicam Fidei Formulam mentali restrictione vitiabat. Accusatus namque de Hæresi in crimen vocatus Romam ad dicendam causam de accusatione conquestus est, & communem Formulam obtulit, immo Li-

Apollinaris Fidei Formulam mentali restrictione vitiavit.

D bello jussu Damasi edito subscripsit utens interiori mentis restrictione, quam refert circumventus & ipse S. Gregorius Nazianzenus, *Epist.* 2. *ad Cledonium*, quæ est Orat. 52. Expetebatur ab Apollinaristis, num confiterentur, Christum esse verum Deum, verumque hominem secundùm carnem, & secundùm mentem, & rationem perfectum? Reponebant affirmative coram Judicibus. Verùm subdole intelligebant Divinitatem fore loco animæ, mentis, & rationis; quod declarabant, ubi soli conveniebant. Detecta fraude, Vitalem unà cum aliis Apollinaristis damna-

E vit Damasus, ut idem Nazianzenus testatur, & Theodoretus *lib.* 5. *Hist. cap.* 10., & constat ex Synodo, quam Romæ habuit, & ex Libello Synodico, quem ad Paulinum Antiochenum Episcopum misit, ut videre est apud eundem Theodoretum laudato loco *cap.* 11.

Detecta fraude, a Damaso damnatur.

51 OBJIC. X. Is errat in Facto doctrinali Dogmatico, approbatque Hæresim, qui Libellum, in quo Hæresis continetur, Catholicum pronunciat: sed Zosimus Papa Libellum Cœlestii apertam referentem Hæresim pronunciavit Catholicum; ergo. Quod Libellus Cœlestii hæresim contineret, in aperto est ex Augustino *De peccato originali cap.* 6., ubi

ubi describit Cœlestium negantem Originale peccatum. Quod Zosimus Libellum approbaverit, apte colligitur ex ejusdem Epistola ad Africanos Episcopos, in qua Accusatores Cœlestii Erotem, & Lazarum increpat. Quod Hæresim, seu Fidem Cœlestii ut Catholicum approbaverit, declarat Facundus Hermianensis *lib. 7. cap. 3.*, & clare patet ex quo damnatum ab Innocentio I. Cœlestium ad audientiam admisserit, ejusque Libellum susceperit. Ergo erravit in Facto doctrinali Dogmatico.

Quomodo Zosimus Pp. Libellum Cœlestii approbaverit Catholicum.

RESP. Cœlestii Libellus Catholicus pronunciatus fuit, non quidem habitâ ratione Propositionum, earumque sensus, sed spectata personali ejusdem protestatione. Cum enim ab Attico CP. Antistite, ad quem confugerat, ejectus fuisset Cœlestius, Romam appulit, sedente in Petri Cathedra Zosimo; huic Fidei suæ Libellum obtulit, profitens se paratum emendare errorem, si quis ex ignorantia obrepsisset. Seriò a Pontifice interrogatus, ut damnaret, quæ Innocentius I. damnaverat, annuit Cœlestius -- Beati Papæ In-„ nocentii Litteris non est ausus obsistere, „ immo se omnia, quæ Sedes illa damnaret, „ damnaturum esse promisit -- ut habet S. Augustinus Lib. *De Peccato Originali cap. 7.*, & Lib. 2. *ad Bonifacium cap. 3.* -- Cum hoc „ (*Dogma scilicet de Peccato Originali*) Cœ-„ lestius in suo Libello posuisset, inter illa „ dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, „ & instrui velle confessus est, in homine „ acerrimi ingenii, qui profectò si corrige-„ retur, plurimis profuisset, voluntas emen-„ dationis, non falsitas Dogmatis approbata „ est. Et propterea Libellus ejus Catholicus „ dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis „ est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas „ exigit, non ea certissima definire, sed de-„ tecta, ac demonstrata respuere --

His tamen non obstantibus subdit S. Doctor *laudato cap. de Peccato Originali* -- A „ vinculis tamen Excommunicationis non-„ dum est creditus esse solvendus. Sed in-„ terposito duorum mensium tempore, do-„ nec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei „ locus sub quadam medicinali Sententiæ le-„ nitate concessus est; quoniam revera, si „ deposita pervicaciæ vanitate, quod promis-„ serat, vellet attendere, & easdem litte-„ ras, quibus se consensurum esse responde-„ rat, diligenter legeret, sanaretur. Sed „ posteaquam ex Africano Episcoporum Con-„ cilio Rescripta directa sunt, quid fuerit „ consecutum, ut justissime in eum Sententia „ proferretur, cuncta legite, quia cuncta „ transmisimus -- Zosimus itaque habita de dolis Pelagianorum sincera instructione, Cœlestium vocavit ad examen, ut sine fuco responderet; agnoscens ille, se non posse respondere, & interrogatis juxta promissa nollens satisfacere (venerant enim ex Africa Testes) Romà aufugit. Quare in eo solummodo defecisse dicendus est Zosimus, quod dolum sub opposita exteriori protestatione non detexit. Unde egregie dixit Augustinus *cit. loco cap. 8.* -- Fefellit Judicium Palæsti-„ num; propterea ibi videtur esse purgatus. „ Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse „ notissimum scitis, fallere usquequaque non „ potuit, quamvis & hoc fuerit utrumque „ conatus; sed ut dixi, minime valuit -- Hinc cognita fraude, Pelagium, Cœlestiumque damnavit, & Epistolam, quæ Tractatoria dicitur, ad omnes Ecclesiæ Episcopos dedit, qua per universum, qua late patet, Orbem Pelagiana Hæresis fuit execrata.

Facundus Hermianensis asserit, Zosimum Catholicam approbasse Cœlestii Fidem, sed specie tenus, quatenus suppressam in illius mente versutiam non agnovit; sed inde declarat, hoc non ei esse vitio vertendum, nec in ea approbatione in Hæresim prolapsum -- Quoniam non debet crimini deputari sim-„ plicium, non intellecta versutia malignan-„ tium --

Nec adversùs Innocentium stetit Zosimus. Siquidem ipse ita Pelagium, & Cœlestium damnaverat, ut indulgentiam promiserit, si resipuissent; cum ergo illi aperto ore dicerent, se errorem deposuisse, & Decretis Innocentii subscribere velle affirmarent, nil contra Innocentii Statuta egit Zosimus. Et quamvis Orthodoxum illum dixerit, non tamen ab Excommunicatione illum absolvit, ut superiùs vidimus ex Augustino. Non igitur criminandus est Pontifex, cum Cœlestio audientiam indulsit, Libellumque susceperit; immo stante suspicione ob interpositas querelas, quod Accusatores ei affinxissent errores, potuit causam iterum ad examen revocare, & tanquam Supremus Judex Sententiam dicere.

52 OBJIC. XI. Ex duobus contrariis judiciis circa sensum alicujus Propositionis ut ab Auctore intento, necesse est unum ex illis esse erroneum. Hoc manifeste accidit circa Propositionem a Monachis Scythiæ propugnatam, nempe: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*. Nam Hormisdas, ut videre est *ex Epist. ad Possessorem*, eam ut propositam, atque ipsis Monachis intellectam tanquam Hæreticam damnavit; quia appellat supra naturam, & divisionem facit Trinitatis; cum ille unus sit alius a Trinitate, sicut alius est Filius a Patre, atque in idem redit, ac Propositio Petri Fullonis. Ex adverso Joannes II. in Concilio Romano damnavit tanquam Nestorianismi reos illam Propositionem negantes, quam Catholicam probat Propheticis, Apostolicis, Patrumque testimoniis. Alter igitur ex duobus erravit.

RESP. Concedimus primam Propositionem, si circa idem versetur contrarietas, secus si circa diversa. Hormisdas non pronunciavit Hæreticam illam Propositionem prout a Monachis propositam, sed prout transmissam a Dioscoro uno ex ipsius Legatis, videlicet: *Unus de Trinitate crucifixus est*: omissa particula *carne*, sine qua dubio procul aliter sonat Propositio. Integram tridem Propositionem rejecit Pontifex, non quidem ut Hæreticam, sed tanquam novam, atque a Synodis nequaquam usurpatam; ut constat ex Epistola Legatorum communi nomine datâ ad Pontificem -- Si voluerit Do-„ minus Noster qualemvis novitatem scribe-„ re, pejus erit istud vitium, quàm illud „ quod factum est per Eutychetem. Suffi-„ cere

De propositione Unus de Trinitate passus est Hormisdas & Joannes II.

„ cere debet Ecclesiæ , quod per sexaginta „ annos ab Eutychete usque modò sustinuit -- Hinc Propositionem illam scribens ad Possessorem Episcopum Africanum declarat continere *diabolica semina nefanda Zizania* ob dissensiones , & discordias ex illius propugnatione exortas . Monachi enim moleste admodum hanc defendere causam studuerunt . Joannes II. laudatam Propositionem approbavit , laudavitque sive secundùm se , sive in sensu plane Catholico ab ipsismet Monachis intento . Hi namque palam fatebantur subsistentiam Verbi , seu Personam , quæ est Filius Dei Unigenitus , & iste est ille unus , qui de Trinitate crucifixus est in carne ; unde Propositio non respicit naturam divinam , nec divisionem facit Trinitatis . Hæc apte explicat Ferrandus Carthaginensis Diaconus *Epistolâ ad Anatolium* dissolvens objectiones , quas in sua Epistola Legati insteuerant , probans haud fuisse reprobatam in Chalcedonensi Concilio , immo per eam evelli Eutychetis , atque Nestorii errores . Quare longe distat a Sententia Petri Fullonis . Hic Trisagio , quo Deus *Sanctus* , *Sanctus* , *Sanctus* ab Ecclesia proclamatur , addebat : *Qui crucifixus est pro nobis* , contendens , Filium Dei in substantia Deitatis , vel Trinitatem totam passam esse ; duas siquidem in Christo negabat naturas . Scythæ autem Monachi aliter a Fullone sensisse superiùs dictum est . Itaque Hormisdæ , & Ioannis judicia non fuere contraria . Nam illa Propositio fuit reprobata , prout pronunciabatur tanquam respiciens substantiam , seu Divinitatem ; adoptata verò fuit prout pronunciabatur tanquam respiciens Verbi Personam , subsistentem in natura humana . Unde secundùm diversam intelligentiam fuit approbata , & reprobata .

51 OBJIC. XII. Sergius hæretice sentiebat cum Monothelitarum Secta unam tantùm in Christo voluntatem admittendo , & operationem . Hæreticam ejus Epistolam intellexit tamen Honorius Papa in sensu Catholico : non enim tantùm eum laudavit , sed fassus est *Epist.* 1. cum eo sentire , & consensit , quod una in Christo sit admittenda voluntas -- Unde & unam voluntatem fatemur „ Domini Nostri Jesu Christi -- ergo .

RESP. Sergius in sua Epistola Hæreticus non apparebat , immo Orthodoxæ Fidei propugnator egregius videbatur . Sedem consulebat Apostolicam , remedium exquirens pro componendis Orientis perturbationibus , & proponebat tanquam omnino necessariam silentii œconomiam , qua videlicet , neque una , neque gemina , in Christo deinceps diceretur operatio , vel voluntas , ob emergens , ut dicebat , ex intempestivo illarum vocum usu scandalum , quod posset simplicibus generare . In hoc laudavit Sergium Honorius , & cum eo sensit ; atque præcepit , ut nec una , nec gemina diceretur operatio , ne unam asserendo , videretur una quoque cum Eutichete admitti natura , vel duas affirmando , duplex cum Nestorio censeretur adstrui natura , & Persona . Hac super re nullus error ; potissimùm cum assereret , quæstionem hujusmodi de vocibus Fidei Summam non attingere , novam esse , a Patribus

Honorius in quo laudavit Sergium.

nusquam eliquatam , & ad Grammaticos potius , Philosophosque spectare .

Porro Honorius non adoptavit in Christo unam tantummodo physicam voluntatem , in quo hæretice sentiebat Sergius , sed unam voluntatem moralem , seu conformitatis , in quo Sergius Hæreticus non erat . Res tota clarescit ex litteris tum Sergii , tum Honorii . Innuebat Sergius ex voce geminæ operationis inferri posse -- & insuper prædicare „ duas voluntates , contrarietates circa invi- „ cem habentes , tamquam Deo quidem „ Verbo salutarem volente adimpleri passio- „ nem , humanitate verò ejus obsistente ejus „ voluntati , & resistente , ac perinde duo „ contraria volentes introduci ; quod im- „ pium est ; impossibile quippe est in uno , „ eodemque subjacenti duas simul , & erga „ hoc ipsum contrarias subsistere voluntates -- Clariora habet Honorius -- Unde & unam „ voluntatem . . . . . quia profectò a Divini- „ tate assumpta est nostri natura , non cul- „ pa ; illa profectò , quæ ante peccatum „ creata est , non quæ post prævaricationem „ vitiata -- Ostendit quomodo vitiatam non assumpsit naturam , & carnis vocabulum sive in bonum , sive in malum sensum verti posse ; hinc profert les Scripturæ textus , quos inter refert illum ad Rom. 7. vers. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ , & captivantem me in lege peccati , quæ est in membris meis* ; & subdit -- non „ est itaque assumpta , sicut præfati sumus , „ vitiata natura , quæ repugnaret legi men- „ tis ejus , sed venit quærere , & salvum „ facere quod perierat , idest vitiatam hu- „ mani Generis naturam : nam lex alia in „ membris , aut voluntas , diversa non fuit , „ vel voluntas contraria Salvatori , quia su- „ per legem natus est humanæ conditionis -- His palam fit , Honorium duplicem excludere contrariam voluntatem . Rursus Honorii sensus evincitur ex S. Maximo . Objiciente enim Pyrrho Honorii auctoritatem , petiit ab eo : num admittenda esset auctoritas Scribæ Honorii ? cui Pyrrhus -- Verior „ eo , qui scripsit -- Tunc Maximus -- At „ is ad Imperatorem Constantinum de illa „ Epistola , jussu Joannis Pontificis , scripsit . „ Sane quod unam Domini Nostri volunta- „ tem diximus , non est accipiendum , quasi „ de duabus divinæ , & humanæ naturæ di- „ ctum voluntatibus , sed humanæ tantùm . „ Cum enim Sergius scripsisset , prædicare „ quosdam , duas esse Christi voluntates con- „ trarias : nos rescripsimus , duas voluntates „ contrarias non habere -- Quid clariùs ?

Honorius duplicem excludebat contrariam voluntatem.

Denique , ut elucescat , Honorium agnovisse in Christo unam Personam , duas naturas , duas itidem operationes , unumque Operatorem , omissis aliis pluribus momentis , testimonium facit ejusdem Epistola prima . Sub fine sic legitur -- Hortantes vos , „ ut unius , vel geminæ novæ vocis indu- „ ctum operationis vocabulum aufugientes , „ unum nobiscum Dominum Nostrum Jesum „ Christum Filii Dei vivi Deum verissimum „ in duabus naturis operatum divinitùs , at- „ que humanitùs Fide Orthodoxa , atque „ Catholica unitate prædicetis -- Quid est divi-

Agnovit duas naturas, duasq operationes.

divinitùs operari, nisi media divinitate agete? Quid humanitùs, nisi media humanitate?

54 OBJIC. XIII. Vigilius *in Constituto ad Imperatorem Justinianum* Orthodoxam judicavit Ibæ Epistolam -- Cum satis apertissima luceat veritate ex verbis Epistolæ Viri „ Venerabilis Ibæ rectissimo, ac piissimo in„ tellectu perspectis, & ex Gestis apud Pho„ tium, & Eustathium habitis, & ex ipsius „ Ibæ Episcopi præsentis a præsentibus in„ tentione discussa, Patres nostros in Chal„ cedone residentes justissime Orthodoxam „ ejusdem Ven. Ibæ Episcopi pronunciasse „ Fidem, & reprehensionem B. Cyrilli, „ quam humanitùs per errorem intelligentiæ „ evenisse cognoverant, congrua satisfactio„ ne purgatam, præsentis Sententiæ Nostræ „ auctoritate statuimus, atque decernimus, „ cum in omnibus, tum etiam in sæpius „ memorata Ven. Ibæ Epistola intemeratum „ Patrum in Chalcedone residentium manere „ judicium -- Hæc Vigilius. In hoc porro erravit Pontifex; nam ipsam Ibæ Epistolam anathematizavit Synodus Œcumenica V. tamquam impiam, subjecitque anathemati omnes docentes, eam Orthodoxam esse vel quoad primam partem, vel quoad secundam -- Epistola hæretica est. Epistolam, quæ „ dicitur Ibæ, omnes condemnamus; istam „ omnes anathematizamus. Epistola aliena „ Synodo est. Epistola contraria definitioni „ est. Tota Epistola hæretica est. Tota Epi„ stola blasphema est. Qui hanc non ana„ thematizat, hæreticus est -- ergo.

Ibæ Epistola quonam modo a Vigilio approbata.

RESP. Non approbavit Vigilius Ibæ Epistolam absolute, sed ut explicatam secundùm regulas Fidei; & ideo dixit -- Patres „ nostros in Chalcedone residentes justissime „ Orthodoxam ejusdem Ven. Ibæ Episcopi „ pronunciasse Fidem -- Synodus V. eam Epistolam absolute, non spectata ejusdem explicatione, hæreticam dixit.

In secunda parte Epistolæ agit Ibas de pace Cyrillum inter & Orientales, cui paci consensit ipse, quamvis duriora quædam adversùs ipsum Cyrillum proferat. Fieri tamen nequaquam potuit, quod Ibas subscriberet paci, nisi Nestorianam oppugnaret Hæresim; quia Cyrillus hostis erat acerrimus Nestorii, nec pacem dabat Nestorianis. Porro Ibas anathema dixit contra Nestorium, confirmavitque -- Et jam scripto anathema„ tizavi Nestorium, & nunc anathematizo „ eum decem millies; quod enim semel cum „ satisfactione fit, si fiat decem millies, „ non contristat. Anathema Nestorio, & „ Euticheti, & unam dicenti naturam, & „ omnem eum, qui non sapit, sicut hæc „ Sancta Synodus, anathematizo -- Hinc accedente anathematismo tum scripto, tum verbis in Nestorium, acquievere Patres, nec profundiorem scrutationem prosequi voluerunt, impiam doctrinam, quæ in Epistola occultabatur, sufficienter in sincera Nestorii abjuratione revocatam intelligentes. Audiamus Anatolium CP., qui, lectâ Ibæ Epistolâ, male de ipso sentiebat, & conceptam mutavit sententiam, dum vidit illum Concilio subscribentem -- Omnem in præsenti „ suspicionem de eo abjicio, quoniam con„ sensit, & subscribit ei, quæ nunc de Fide „ data est a Sancto Concilio, & Epistolæ, „ Sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis -- Audiamus Juvenalem Jerosolymitanum Episcopum -- Qui convertuntur, hos divina „ Scriptura suscipi jubet; quapropter & eos, „ qui ab Hæreticis revertuntur, suscipimus, „ unde pervideo, Reverendissimum Ibam „ impetrasse clementiam; quia & ipse senex „ est, & ut habeat Episcopatus gradum, „ Orthodoxus existens -- Dicendum itaque venit, per posteriorem partem juxta Fidei regulam aliqualiter Ibam elucidasse primam.

Ibas anathematizavit Nestorium.

Hoc modo Ibæ Epistolam declaratam fuisse Orthodoxam evincitur ex Eunomio Nicomediensi Metropolita -- Dudum ex rele„ ctis innoxius demonstratus est Reverendis„ simus Ibas. In quibus etiam visus est cul„ pare, male loquens Beatissimum Cyrillum, „ in posterioribus recte confessus respuit illa, „ quibus culpaverat -- Evincitur etiam ex ipso Vigilio *in suo Constituto* -- Propter illam „ prædicationem Fidei, per quam veneran„ dæ recordationis Cyrillus Alexandrinus „ Episcopus, & Reverendissimus Joannes „ Antiochenus Antistes, atque omnes Orien„ tales Episcopi per Paulum Emesenæ Civi„ tatis Episcopum ad concordiam redierunt „ . . . . Orthodoxa est Ibæ Episcopi a Patri„ bus pronunciata dictatio. Illa verò, quæ „ in ipsa Ibæ Sacerdotis Epistola in injuriis „ Beatæ recordationis Cyrilli per errorem „ intelligentiæ dicta sunt, Patres in Sancta „ Chalcedonensi Synodo Epistolam pronun„ ciantes Orthodoxam, nullatenus recepe„ runt --

Prætereundum denique non est, quod Synodus Chalcedonensis quoad Fidei Dogmata completa est Actione Sexta; quidquid verò post eam Actionem peractum est, sicuti est Ibæ causa, quæ Actione decima fuit definita, ad privatos potius congressus, quàm ad Conciliares pertinebat Sessiones. Compertum quidem hoc est ex eo, quod Patres post illam Sextam Actionem petunt ab Imperatore veniam discedendi -- Supplicamus, „ dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos -- cui petitioni respondit Augustus -- Mul„ tum quidem estis itinere fatigati, laborem „ perferentes; verumtamen sustinete adhuc „ tres, aut quatuor dies, & præsentibus „ magnificentissimis Nostris Judicibus, quæ„ cunque vultis movere, competens ade„ ptori solatium -- Quibus notum fit, propter privatas discussiones, non propter Synodales Sessiones fuisse retentos Episcopos. Hinc Gregorius palam facit, quod Ibæ causa post Synodales Sessiones acta fuit *lib. 7. Epist. 37.* in V. Synodo -- De Personis tantummo„ do, non autem de Fide aliquod gestum „ est, & de his Personis, de quibus in „ Chalcedonensi Concilio nihil continetur, „ sed post expressos Canones facta conten„ tio, & extrema actio de Personis ventilata „ est -- Et *lib. 7. Epist.* 54. -- Sancta Chal„ cedonensis Synodus usque ad definitionem „ Fidei, & prolationem Canonum de gene„ ralibus causis locuta est; nam post prola„ tionem Canonum specialia Episcoporum „ cer-

Causa Ibæ post Act. 6. definita.

certamina sopire curavit -- Nec Leo Synodum Chalcedonensem confirmavit quoad omnia ibidem gesta, sed solummodo quoad Fidem, ut evincitur ex *Epist.* 61. ejusdem Leonis ad Episcopos, qui Concilio interfuerunt, explicat enim, in quo cum ipsis consenserit -- Per approbationem gestorum Sy-
„ nodalium, eandem initisse Sententiam, in
„ sola videlicet Fidei causa, propter quam
„ Generale Concilium ex præcepto Christia-
„ norum Principum, & ex consensu Aposto-
„ licæ Sedis placuit congregari -- Et *Epist. ad Maximum Antiochenum* habet -- Si quid
„ sane ab his Fratribus, quos ad Sanctam
„ Synodum vice mea misi, præter id, quod
„ ad causam Fidei pertinebat gestum esse
„ perhibetur, nullius erit penitus firmita-
„ tis, quia ad hoc tantùm ab Apostolica
„ Sede sunt directi, ut excisis Hæresibus,
„ Catholicæ essent Fidei Defensores. Quid-
„ quid enim præter speciales causas Synoda-
„ lium Conciliorum ad examen Episcopale
„ defertur, potest aliquam dijudicandi ha-
„ bere rationem -- Quod si plurimi ex his Canones in Conciliorum Cathalogis apponuntur, & etiam apud alia Concilia, & Pontifices adinveniuntur, non ideo hoc est, quia approbati, sed quia utiles.

55 OBJIC. XIV. S. Bernardus *Epist.* 327. dicit Innocentium II. deceptum a mendacibus quibusdam Monachis, hortaturque Pontificem, ut omni spiritui non credat. Leo IX. pronunciavit, instantibus nonnullis Ratisponensibus, corpus S. Dionysii Ratisponam translatum; cum tamen Gallia eo frui glorietur. Zacharias Sacerdotio spoliavit S. Virgilium, eo quod asseruerit dari Antipodas.

RESP. Prædicta abs re objiciuntur; sunt enim Facta omnino peculiaria, nullimode ad Mores, vel ad Fidem spectantia, in quorum judiciis Canonica non intercessit definitio. Nemo unus ad examen revocavit, num in hisce Factis Pontifex errare possit? Quis usquam inficias ibit, posse Papam damnare Innocentem a falsis Accusatoribus tanquam Reum declaratum? Sic Innocentius II. iratus est adversùs Arelatensem Episcopum falsò accusatum a fraudolentis Monachis. Quid ad Factum Dogmaticum, ad Fidem, vel Mores, quod corpus S. Dionysii dicatur Ratisponam translatum, & quod Leo id declaraverit innixus Testibus deponentibus, sicut & dari, vel non dari Antipodas? Ceterum Baronius ostendit, falsas fuisse accusationes in Virgilium, nec fuisse Sacerdotio privatum, sed potius Salizburgensem Episcopum inauguratum.

Virgilius inauguratus Episcopus.

56 OBJIC. XV. S. Athanasius scripta Dionysii Alexandrini defendebat ut Catholica, deflectens eorum sensum ad principia, quæ a Basilio judicabantur Arianâ labe infecta: sed ob hoc Athanasius Orthodoxæ Fidei Propugnator acerrimus non fuit Arianismi reus; ergo.

Synodus V., plurimi Patres, aliquot Pontifices, Libros Origenis, ut Hæresibus scatentes, proscripserunt: sed Picus Mirandulanus, Genebrardus, Binettus, aliique, eos absque Hæreseos labe ab erroribus vendicarunt; ergo.

Eadem Synodus V. Libros Theodoreti damnavit, tanquam Nestorianâ nequitiâ infectos: sed ejusdem Libros innoxios fore propugnat P. Sirmundus, quin Hæreticis accenseatur; quia in omnibus hisce casibus quæstio est non jam de jure, sed de facto; ergo & in nostro casu.

RESP. Perperàm prædicta referuntur. Latum satis intercedit discrimen privatos inter Auctores, & Ecclesiam. Nemo dubitat, particularem Doctorem, ut erat S. Athanasius, aliàs Sanctissimus, & doctissimus, posse legitimum alicujus Auctoris sensum non percipere, sive quia verba obscura sunt, sive quia Auctor apud ipsum bene audit; non inde tamen valet illatio ad Ecclesiam, ubi definitive rem declarat sub assistentia Spiritus Sancti. Immo ultro admittimus apud privatos Doctores discrepantiam non tantùm circa Facta, sed etiam circa Doctrinalia. S. Cyprianus plurima Scripturæ loca in deteriorem partem intelligebat, licèt sincero animo, pro firmando errore de Rebaptizatione. Dicendum ne hinc erit, Ecclesiam similiter detorquere posse Scripturam?

Apud privatos Doctores discrepantia non solum circa Facta, sed etiam circa Doctrinalia.

Synodus V. quæstionem non examinavit, cum illæ Propositiones hæreticæ essent ab Origene dictatæ, & conscriptæ, vel eidem ab aliis affictæ, ejusque operibus assutæ: compertum namque erat Patribus, ea super re disceptatum fuisse Hieronymum inter, & Ruffinum; sed stante communi opinione, quod essent Origenis partus, opus illud, & Propositiones in Libro Origenis contentas, & attributas damnavit. Proindeque aliqui ejusdem defensionem suscipere potuerunt.

Synodus V. quomodo Origenis Libros damnavit?

Quoad Libros Theodoreti quid de uno P. Sirmundo? Affulsit ne illi clarius divini Numinis lumen, quàm toti Synodo? Criticium hujusmodi nihili faciendum est. Habemus exempla in Doctrinalibus, cum aliqui proscriptas Propositiones ausi sunt interpretari, improprium, a sensu proprio distinguentes, totamque damnationis vim enervantes, fas ne est inde colligere in iisdem discernendis Ecclesiam errare posse? Utinam non esset invenire, qui, ut inter Eruditos sibi nomen acquirat, in similibus Criticiis præpostero labore consummitur. Plures tamen inter Hæreticos non enumerantur, siquidem ut quis Hæreticus dicatur, non sufficit contra definita scribere, sed scribant oportet hæretice, idest cum pertinacia. Quandoque quidam ex his coram Deo Hæretici sunt; quoniam verò nominatim non denunciati, ideo non sunt vitandi.

Quinam accenseatur Hæreticus.

§ § § §
§ § §
§ §
§

DIS-

DISSERTATIO DOGMATICA II.

DE CULTU, INVOCATIONE, RELIQUIIS, IMAGINIBUSQUE SANCTORUM.

Habita Romæ in Academia Dogmatica.

57 A Cultu, Invocatione, Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum in Cœlis triumphantium bona quammaxima ad Militantes in Terris evenire, vel inde dubio-procul conjici potest, quod Novatores ad unum omnea Ecclesiam Dei talibus auxiliis destituere nervis omnibus contendunt. Via Lutherus Cathedram pestilentiæ ascenderat, ut unà cum Zuinglianis, Anabaptistis, aliisque hujus furfuris hominibus, adversùs Sanctos, insurrexit non minori equidem conatu ac Eunomiani, Valentiniani, Eustathiani, & Manichæi insurrexerunt, immo concordi Sententia, uno consilio, uno pene ore, Sanctorum cultum rejecerunt, eorum execraverunt Invocationem, Reliquias profanaverunt, Imaginum detestari sunt venerationem.

Novatores adversùs Sanctorum Cultum, Invocationem &c.

58 Contra hanc Hagiomachorum colluviem quæstio est de primo Decalogi præcepto; an scilicet Sanctorum Cultus, & Invocatio, Reliquiarum honor, Sacrarum Imaginum usus, & veneratio, huic refragentur mandato?

Cum quæstionem hanc in hoc Sapientissimo Eruditorum Virorum Cœtu, non tam ut Catholica innotescat veritas, quàm ut Hæreticorum pravitas refellatur, versare constituerim, id genus armorum mihi adhibendum videtur, quo solummodo se vinci posse ipsimet profitentur Hæretici. Sermonem ergo instituam non quidem ex infallibili Ecclesiæ auctoritate, quam parvipendunt: non ex Apostolicarum Traditionum certitudine, quam condemnant: non ex Conciliorum Definitionibus, quas reprobant: non ex doctrina Patrum, quos erroris arguunt; sed ex Sacris, & Divinis Scripturis.

SENSUS REFERTUR CATHOLICUS DE CULTU SANCTORUM.

59 ATque ut de Cultu incipiam. Apud Hæreticos solemne est eloquenti dicacitate, quæstionem pluribus involvendo, Domini præceptum elevare: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* Deut. 6. vers. 5.: exempla itidem detrectantium, conscissis etiam tunicis, Pauli, & Barnabæ *Act.* 14. oblatos honores. Verùm non ea occurrit disceptatio: num Sanctis fas sit divinos tribuere honores. Hisce honoribus eos colere vetat & Domini præceptum, & Apostolorum exemplum, qui sacrificia tanquam Jovi, & Mercurio parata refugerunt.

Nefas est, Sanctis tribuere Divinos honores.

60 Inclamant illi *Non habebis Deos alienos coram me.* Exod. 20. vers. 3. Ast quis unquam Catholicorum ad trutinam revocavit: an Deo Altissimo tanquam quidam Minores Gentium Dii adjungendi, venerandique sint Sancti? Hoc primo huic præcepto refragari ultro confitemur.

Non sunt venerandi Sancti ut Dii Minores Gentil.

61 Sed Petrus, ajunt, *Act.* 10. *vers.* 26. Cornelii adorationem renuit, immo Angelum *Apoc.* 19. habemus eandem Joanni prohibuisse. Vera hæc; sed extra chorum. Neque enim impræsentiarum exquirimus: quid a Sanctis præstandum, dum homines eos honoribus prosequuntur; sed an criminandi sint, qui ipsos colunt? Optimum duxit Petrus humiliter respuere quod religiose impendebatur, ut exemplo comprobaret Crucis humilitatem, quam verbo enunciare debebat. Porro — Angelus, *ut ait S. Thomas* 2. „ 2. *quæst.* 103. *art.* 2. *ad* 1., prohibuit Joan„ nem non a quacunque adoratione, sed ab „ honoratione adorationis Latriæ, quæ de„ betur Deo, vel etiam ab honoratione Du„ liæ, ut ostenderet ipsius Joannis dignita„ tem — Quidquid effigant Hæretici, quæstionis statum non attingunt. Non enim disputamus, liceatne colere Sanctos ut famulos, amicos, & filios Dei. Hoc solummodo ex Concilio Niceno II. *Act.* 3. affirmat Ecclesia, hoc declarat S. Augustinus *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. — Ubi colimus, *in„ quit*, Martyres eo cultu dilectionis, & „ societatis, quo coluntur Sancti Dei homi„ nes, quorum cor ad talem pro Evan„ gelica veritate passionem paratum esse „ sentimus; illos autem tantò devotiùs, „ quantò securiùs post incerta omnia supe„ rata — Eo igitur cultu, & observantia, prosequimur Sanctos, quibus eximios Dei Servos, dum in humanis agunt, honoramus.

Honorandi ut Famuli, Amici, & Filii Dei.

LAUDATUR ADVERSUS HÆRETICOS SANCTORUM CULTUS.

62 QUæstione itaque in sensu Catholico declarata, accedamus ad Scripturam. Hæc triplici velut gradu ad dignoscendam veritatem nos deducit. Habemus enim ea adoratione, de qua recurrit sermo, adoratum Eliam 3. *Reg.* 18. *vers.* 7. ab Abdia timente Dominum ab infantia sua, adeoque non ab Idololatra, aut ab impio Divinæ Legis transgressore. Habemus itidem 4. *Reg.* 1. *vers.* 13. Prophetam a tertio Quinquagenario Ochoziæ veneratum, atque placatum; quod sane non evenisset, si actus ille Divinæ Gloriæ injurius fuisset. Nonne postquam requievit Spiritus Eliæ super Eliseum, filii Prophetarum adoraverunt eum proni in terram? 4. *Reg.* 2. *vers.* 15. Nonne Sunamitis ad ejusdem Prophetæ pedes corruit? *& adoravit super terram.* 4. *Reg.* 4. *vers.* 37.

Elias adoratur ab Abdia.

Eliseus a filiis Prophetarum adoratur.

63 Nec quidquam hac super re in Lege Gratiæ innovatum est. Elisabeth namque Mariam Virginem ea animi demissione honoravit, ut se indignam crederet, ut Mater Domini ad eam diverteret, *Luc.* 1. Turba ita Apostolos magnificabat, *ut caterorum nemo auderet se conjungere illis*, Act. 5. vers. 13.

Maria Virgo, & Apostoli, adorantur.

 64 Nec

Cur venerandi sint Sancti.

64 Nec Scriptura tantummodo hujusmodi exhibitos refert honores, sed & cultus rationem tradit, ipsumque exhiberi mandat. *Gloria*, inquit Apostolus ad Rom. 2. vers. 10., *& honor, & pax omni operanti bonum:* & 1. ad Timoth. 5. vers. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, & doctrina*. Hinc idem Apostolus, qui 1. *ad Corinth. 5. vers.* 10. præcipit in detestationem, criminosis Fratribus non commisceri, mandat itidem *ad Rom. 12. vers.* 10., Sanctos honore invicem prævenire. Itaque Sanctos, Servos, Amicos, & Filios Dei, in Terris rite veneramur. Igitur & Sancti in Cœlis excolendi sunt, & tantò devotiùs, quantò securiùs Deo adhærent.

Præceptum Cultus Sanctorum.

65 Si quis autem illationem hanc in dubium revocaret, iterum Scripturam adeat. Hæc Angelos cultu, & observantia, prosecutos affirmat Josue 5. vers. 15. *Cecidit Josue pronus in terram* (coram Angelo) *& adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Quid plura. Deus ipse observantiæ cultum Angelo suo impendendum imperavit, Exod. 23. vers. 20., & seq. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te . . . observa eum, & audi vocem ejus*; ergo id ipsum recte hominibus coronâ Gloriæ decoratis præstatur. *Æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis*, Luc. 20. vers. 36., immo quandoque meritis superiores, quod abunde compertum est loquendo potissimùm de Sanctissima Angelorum Regina, quæ, ut verbis utar Apostoli *ad Heb. 1. vers.* 4. tantò major Angelis effecta est, quantò præ illis differentius nomen hæreditavit, Matris, inquam, Dei, cui Angeli famulantur.

SS. Angeli sunt colendi.

Etiam homines Sancti.

66 Utque rem absolvamus; quod crimen est, quæve legis transgressio, venerari, quos honorificat Deus? quibus ministrat Christus? *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Joan. 12. vers. 26., *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*, Luc. 12. vers. 37. His dat Deus potestatem super Gentes, ut regant eas in virga ferrea, *Apoc. 2. vers.* 27.; hos collocat super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel, *Matth. 19. vers.* 28.; eos condecorat coronâ vitæ, *Jacob. 1. vers.* 12.; & regnabunt in Secula seculorum, *Apoc. 22. vers.* 5.; quibus illud Davidicum completur Psal. 138. vers. 17. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*. Est igitur prosequi Sanctus cultu, & observantiâ juxta Scripturæ sensa; ergo Prædicantes Hæretici (qui perperàm Dispensatores mysteriorum Dei se dicunt, quique non refugiunt, sed honores appetunt) venerari non posse Sanctos, irrito, cassoque conatu contendunt. Hoc primo loco erat probandum.

Sanctos suos Deus honorificat.

A *UTILIS, ATQUE LAUDABILIS OSTENDITUR CONTRA NOVATORES INVOCATIO SANCTORUM.*

67 Sanctorum cultui succedit Invocatio. Duplici momento hac adjuvari credimus; vel cum Deum per eorum merita exoramus; vel cum ipsosmet Sanctos immediate in patrocinium exposcimus.

Dupliciter intelligitur Sanctorum Invocatio.

Utrumque improbant Novatores, quamvis utrumque approbet Scriptura. Primo namque modo Moysem orasse constat Exod. 32. vers. 13. *Recordare Abraham, Isaac, &*
B *Israel servorum tuorum*, Salomonem 2. Paralip. 6. vers. 42. *Domine Deus ne averteris faciem Christi tui: memento misericordiarum David servi tui*, tres Pueros Dan. 3. vers. 35. *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac Servum tuum, & Israel Sanctum tuum*, Populum Israeliticum in Cantico graduum, quod est Psal. 131. vers. 1. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*.

68 Precantium vota audivimus, precationis fructum videamus. Ad orationem Moysis *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum*
C *suum*, Exod. 32. vers. 14. Salomon ad mortem usque sceptro potitus est propter David Patrem suum, 3. Reg. 11. vers. 12. Tres Pueros inter flammas innocuos legimus, laudato capite, sicut propter David divinam protectionem super Civitatem Jerusalem, Isaiæ 37. vers. 35. Ergo nobis propitia est Dei misericordia per Sanctorum merita implorata.

Propitius est Deus per invocationem Sanctorum.

69 Utque veritas elucescat, notent velim Adversarii, disceptationem non institui; an Sancti sint invocandi, ut nobis ex propria sua virtute præsto sint in adjutorium. Hoc enim e re divina est, ut apte evincunt, quæ ab Hæreticis afferuntur ex Psal. 49. vers.
D 15. *Invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me*, & ex Epist. ad Rom. 10. vers. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*, tum ex formula Dominicæ Orationis, quæ ordinatur ad Patrem Nostrum, qui est in Cœlis.

Quomodo invocandi sint Sancti.

Quæstio igitur est ex Tridentino *Sess.* 15. *De Invocat. Relig., & Cultu Sanctorum*: sintne invocandi Cœlites, ut preces suas pro nobis offerant ad impetranda a Supremo Numine beneficia per Filium ejus Jesum Christum, qui solus Noster Redemptor, & Salvator est; quemadmodum Sanctorum, qui nobiscum conversantur, preces exoptamus, atque ex-
E quirimus, qui & ipsi per Jesum Christum impetrant, quæcunque impetrant.

70 Quæstione sic enucleata, iterum audiamus Scripturam. Hæc nobis & formulas taliter invocandi, & taliter factæ invocationis effectus exhibet. 1. Reg. 7. vers. 8. Populus Samuelem deprecatur: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum . . . . . & clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus*. Missis a Deo igniti Serpentibus, ut murmurantes Israelitas pœnâ mulctaret, ad horum plagas, & mor-

Scriptura formulas exhibet, & effectus invocationis Sanctorum.

tes

res plurimorum, resipiscentes accesserunt ad Moysem, eumque deprecati sunt, ut pro eis preces funderet ad Dominum: *Oravitque Moyses pro populo* Numeror. 21. vers. 17.; & adversùs Serpentum morsus Divinum præsto fuit auxilium. *Ora pro nobis*, dicebant Ozias, & Presbyteri Judith. Cap. 8. vers. 29. *quoniam mulier Sancta es, & timens Deum*; & ad ejusdem Orationem facta est salus in manu fœminæ. Cum Deus iratus esset adversùs Amicos Job, ex quo non recte locuti fuerant, præcepit Dominus, ut mediatorem Ipsummet Job assumerent: *Job autem Servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia*, Job. 42. vers. 8. Et ne longior sim, ipsemet Apostolus pluribus in locis Fideles deprecatur, ut pro ipso orent: *Nam spero*, ajebat ad Philem. vers. 22. *per orationes vestras donari me vobis*. Ergo Sancti militantes in Terris utiliter, & laudabiliter invocantur; ergo & triumphantes in Cœlis.

Illationem hanc, quæ ex prædictis plana est, manifestam facimus ex eadem Scriptura. Lot Angelos invocavit, & exauditus fuit, Gen. 19. vers. 21. *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam Urbem, pro qua locutus es*. Jacob, dum luctaretur cum Angelo Gen. 32. vers 26., *rogavit eum*, ut ait Oseas cap. 12. vers. 4., *& benedixit ei in eodem loco*, cit. Gen. vers. 29. Preces Abrahæ ad Angelum ita efficaces fuere, ut Sodomæ parcere se paratum dixerit, si vel decem Justi in eadem reperirentur. Status ergo Beatitudinis non officit fructuosæ Sanctorum invocationi.

71 His addere placet, quod si Sancti pro nobis orant, quid quæso obsistere potest, ne ad hoc invocentur a nobis? Generaliter Ipsos preces fundere pro necessitatibus, quæ Universum Orbem afficiunt, sicut & pro Ecclesia ultro concedunt Novatores; renuunt tamen admittere pro singulis orare.

Sancti pro singulis orant.

Verùm Zachar. 1. vers. 15. Angelus oravit pro Jerusalem, & Urbibus Judæ, pro iis, qui vexabantur angustiis desertionis, ob Babylonicam captivitatem: Breviùs. Quomodo Sancti pro bonis singulis misericordiam non exorant, si contra singulos Prævaricatores clamant vindictam, Apoc. 6. vers. 9., Animæ interfectorum magna voce clamantes? audivit Joannes: *Usquequo Domine non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terris*. Porro si Dei vindictam contra impios exquirunt, pro piis hominibus preces fundere & jure, & merito censendum est.

72 Verumenimvero his refragatur, inquiunt Adversarii, quod Sancti in Cœlis preces nostras ignorant prorsus, juxta illud Isaiæ 63. vers. 16. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos*, & Job. 14. vers 19., & 21. *Hominem similiter perdes ... sive nobiles fuerint filii ejus; sive ignobiles, non intelliget*.

Hic est Hæreticorum Achilles; ad quem Argumentis pressi postremò confugiunt, itaut, quemadmodum ego ipse quamsæpissime expertus sum, jam obliti criminum, quæ Sanctorum invocationi affingere solent, ultro confiteantur, etiam Sanctos posse invocari, si quo pacto viventes preces nostras audiunt, ita & Sancti in Cœlis eas possent audire.

At inane effugium. Vel enim Isaias de duobus Patriarchis in Lymbo existentibus sermonem habet; & inde male concluditur quoad regnantes in Cœlis. Vel de iisdem jam Beata Visione fruentibus; & Judæos non noverunt, ut nesciebat peccatores Christus Matth. 7. vers. 23. *Nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Job loquitur de ultimo hominis fatu juxta naturæ leges spectato, ut verba ipsa satis innuunt; *Hominem similiter perdes &c.*

Inane Hæreticorum effugium.

73 Ceterum licèt ignorent tum Abraham, tum ille, de quo Job laudato capite, statum filiorum, an ideo nescient Sancti Fidelium preces? Si ita est, ignorabunt itidem peccatorum resipiscentiam, refragante Scriptura Luc. 15. vers. 7. *Gaudium erit in Cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*. Nostra quædam novit Diabolus, de quibus nos accusat, Apoc. 12. vers. 10.; & nostras non percipient supplicationes Beati, ut eas Deo offerant? Sancti assimilantur Deo, Joan. 3.; nihil ergo eorum, quæ eos scire æquum est, latere debet. Neque intelligi potest status ille Beatitudinis omnium bonorum aggregatione perfectus, si potissima Sanctorum potentia earum rerum ignorantià involuta dicatur, quæ, dum in humanis agerent Viri sanctitate celebres, sæpenumero prophetico spiritu quantumvis occulta cognoverunt. Sciunt ergo homines æterna felicitate donatos preces nostras. Quare Novatores haud inficias ire debent, ipsos orare pro nobis: adeoque rite a nobis invocari; quod secundò probandum mihi erat.

Sancti preces nostras non ignorant.

SANCTORUM RELIQUIAS, ET IMAGINES ESSE VENERANDAS COMPROBATUR.

QUæ de Reliquiis, & Imaginibus dicenda supersunt, ne tempus longius quam par est, protraham, & vestra abutar humanitate, brevi sermone absolvam.

74 Sanctorum corpora tanquam viva Dei Templa, ad breve tempus dissoluta, sed gloriosiùs reædificanda, tum ab hominibus, tum a Feris honorata legimus in Scripturis. Cur igitur iisdem honorem præstare interdicere volunt Hæretici? Deus, qui dissipat ossa eorum, qui hominibus placent, *Psal. 52. vers. 6.*, ossa eorum custodit, qui sibi famulaverunt, itaut unum ex his non conteratur, *Psal.* 33. *vers.* 31. Honorificatus est Moyses Servus Domini, dum ab ipso sepultus legitur: *Mortuusque est ibi Moyses, Servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle terra Moab*, Deut. 34. vers. 5. Cadaveri Elisei virtutem largitus est Deus mortuos suscitandi 4. *Reg.* 4. *vers.* 32.; adeoque honoribus prosequendum voluit, cum Medicos, qui minora utique nobis impertiuntur, honorare præcipiat *Eccli.* 38. *vers.* 1. Josias veneratus est ossa Viri Dei, qui venerat de Juda, præcipiens ne

Sanctorum corpora tum ab hominibus tum a Feris honorata.

extumularentur, 4. *Reg.* 23. *verf.* 18. Leo, Deo jubente, non est ausus demortui Prophetæ corpus tangere, immo & adstanti Asino pepercit, 3. *Reg.* 13. *verf.* 18. Sepulchrum Christi gloriosum prædicatur ab Isaia 11. vers. 10. Quid, quæso, majus est, Christi sepulchrum, in quo mortuus tantisper depositus fuit, an Sanctorum corpora, quæ vivus incoluit? Lamentabatur Jeremias *Thren.* 4. dispersos lapides Sanctuarii in capite platearum, Machabæus itidem lapides Altaris holocausti haud projicere voluit, sed optimo consilio eos decenter reposuit, donec accederet Propheta, & de eis responderet, 1. *Mach.* 4 *verf.* 46. Nonne Sanctorum ossa plusquam lapides, utpote partes mystici Tabernaculi Dei viventis? Breviùs. Inhonoratio cadaverum post mortem est extraordinariæ impietatis pœna, ut de Jezabel legere est 3. *Reg.* 21. *verf.* 23.; ergo singularis eorundem honor eximiæ probitatis præmium erit; ergo Reliquiarum honor est laudabilis.

Ecclesia Figuras Dei, Christi, & Sanctorum veneratur.

75 Superest pauca proferre de Imaginum veneratione. Deum figuris describi non posse, & tamen sub figuris apparuisse notius est, quàm ut probationibus indigeat. Hujusmodi igitur figuras, sicut & Christi, Sanctorumque, servat Ecclesia, easque veneratur. Ex Scriptura discimus id primo Dei præcepto non adversari, immo ipsius mandato sculptos esse noscimus Cherubim, atque in Sanctuario positos, *Exod.* 25. *verf.* 18., & Serpentem æneum ejusdem jussu a Moyse efformatum, positum fuisse pro signo, in quod aspicientes viverent, 3. *Reg.* 7 *verf.* 25., & 29., ac in Templo Dei habemus a Salomone expressos sive Cherubim, sive Leones, sive boves, & palmas, quasi in similitudinem hominis. *Ibid. verf.* 36.

Cur veneranda sint Sanctorum Imagines.

76 His porro utitur Ecclesia ad excitandam beneficiorum Dei memoriam, & ad pietatis exercitationem, ut docet Tridentinum; qua ratione Deus ipse memoriam suorum mirabilium extare voluit in Scripturis. Præcepit Deus *Exod.* 16. *verf.* 33. reponere in vase Manna ad servandum in generationes: *Levit.* 23. *verf.* 42., *& seq.* Festum Tabernaculorum quotannis faciendum mandavit, ut rememorarentur Filii Israel eductionis ex Ægypto. Laminæ ab Eleazaro ex thuribulis Rebellium productæ, & Altari affixæ commonebant Filios Israel Numer. 16. vers. 39., & seq. *Ne quis accedat Alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino, ne patiatur, sicut passus est Core.*

Exempla in Scripturis.

77 Imagines demum veneratur Ecclesia, ut Josue cum Senioribus stratus in terram Arcam adoravit, *Josue* 7. *verf.* 6.: ut eandem honoravit Rex David sive saltibus, sive magnifico cultu, & solemnitate, 2. *Reg.* 6. *verf.* 14.; & ob cujus irreverentiam Deus Philistæos Betsamites, & Osam, etiam morte mulctavit.

Sed quid ultra immoramur? Nulla occurrit Lex usum Imaginum, earumque venerationem vetans; ubi porro non est Lex, non est prævaricatio, juxta Apostolum *ad Rom.* 4. *verf.* 15.; ergo prævaricatoribus haud sunt accensendi, qui eas venerantur.

78 Verbo totum absolvam. Honor Imaginum ad eorum prototypa refertur: veneratio Reliquiarum ad Spiritus earundem quondam incolas: horum verò cultus postremò ad Deum tanquam Finem ultimum: Sanctorum Invocatio ad Christi Gloriam, ex cujus meritis suam habet efficaciam; ergo nil horum potest improbare, nisi qui Dei, & Christi Cultum, & Gloriam execrari contendit.

DISSERTATIO DOGMATICA III.

AN ANGELI, APOSTOLI, MARTYRES, CETERIQUE CŒLITES, SANCTORUM NOMENCLATURA NUNCUPARI DEBEANT.

Hiconomachi Sanctorū nomen inficiantes quomodo rejiciendi.

79 Hiconomachi, ut Sanctorum cultum, atque observantiam suideque vetant, postquam adversùs imagines, Reliquias, aliaque hujusmodi insurrexerunt, ipsam Sanctorum nominationem totis viribus excindere studuerunt. Verùm enim verò, qui Sanctorum nomen Beatis inficiantur, absurde adeo a veritate aberrant, ut risu potius, atque contemptu, quàm momentis, eorum sit rejicienda doctrina, ne aliquid ponderis in tam inani mentis cogitatu latere videatur. Hoc solemne fuit apud doctissimos illos Patres, qui Sanctorum venerationem viriliter propugnantes, atque Hiconomachorum perversa Dogmata, Scripturis, Traditionibus, efficacissimisque rationibus penitus obliterantes, errorem hunc, ne dicam deliramentum, de execranda Sanctorum nuncupatione, neque a longe impugnare aggressi sunt. Ego verò, quoniam jussus, omissis, quæ ad Historiam pertinent, cum egregie ab Eruditissimis in anteactis Dissertationibus fuerint elucidata, hac de re pauca referam, dicente Scriptura Proverb. 26. vers. 5. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

SCRIPTURIS SACRIS ADVERSUS HICONOMACHOS ORTHODOXA FIRMATUR VERITAS.

Angeli Beati in Scripturis vocantur Sancti.

80 S*apientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat*, dicit Ecclesiastes cap. 2. vers. 14. Ad Caput porro diriguntur oculi, dum Christi, Ecclesiæ Capitis, conspicitur doctrina, quæ lux est, & lucerna pedibus nostris. Adeat igitur, si Sapientis nomine gloriari contendit Hiconomachus, adeat Apostolicorum Actuum caput 10. vers. 22., ubi Centurionis refertur ad Fidem vocatio, & per Baptismum ablutio. Ibi leget Angelum Sancti nomine decoratum: *Responsum accepit ab Angelo Sancto*. Hoc ipso pariter insignitum nomine habemus Angelum a Deo

Deo missum, ut Tobiam in afflictione solaretur, Tob. cap. 3. vers. 25. *Missus est Angelus Domini Sanctus Raphael &c.* Quis porro, ausu temerario, Beatis Spiritibus Sancti nomenclaturam denegabit?

Quod si quis veritatem hanc fateri erubuerit, *Filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis Sanctis*, Marc. 8. vers. 38. *Hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni*. Apocal. 14. vers. 10.

81 Verùm ne tam subito anathemate percellamus Adversarium scrutantem adhuc Scripturas. Placet audire reclamantem, hujusmodi nominationis privilegium Angelis quidem concessum, hominibus verò neutiquam donandum.

Apostoli in Scripturis vocantur sancti.

Attamen defecisse iniquum Scrutatorem, ipsimet plane compertum fiet, si Pauli Epistolam ad Ephesios cap. 3. percurret. Ibi videre est Gentes cohæredes, & comparticipes promissionis Dei in Christo Jesu per Evangelium, & mysterium, *quod aliis generationibus non est agnitum, Filiis hominum, sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu*, vers. 5. Sancti itaque dicuntur Apostoli, non quidem Angelico spiritu, sed humana carne donati.

Id ipsum sæpenumero in Apocalypsi refertur: cap. 13. vers. 10. *Hic est patientia, & fides Sanctorum*: cap. 16. vers. 6. Angelus aquarum commendat divinæ justitiæ vindictam in Seculi Principes, *quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt*: cap. 17. vers. 6. vidit Joannes *mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu*: & cap. 18. exscripta Civitatis magnæ destructione, subditur vers. 20. *Exulta super eam Cœlum, & Sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*. Quid clariùs?

Plura prætermittimus Scripturæ testimonia, cum relata abunde sufficiant, ut fateatur Hiconomachus Homines utique a Scripturis Sanctos nuncupatos.

82 Verùm, inquit, ecquis nos compellit eos a nobis sic fore nominandos? nonne hujusmodi nomenclatura, quam in signum sibi assumet Antichristus, superbæ superstitionis præfert characterem? Nemo bonus, nisi unus Deus, cique unice canit Ecclesia: *Tu solus Sanctus*. Immo Traditio, Sacrarum Litterarum interpres, nusquam Martyrum, aliorumque illustrium Virorum sepulcra Sanctorum titulo exornavit; quod experientiâ compertum habemus, ubi Martyrum corpora ex Cryptis eruuntur, in quibus hac de re nulla inscriptio. Apud Gentiles utique hæc nota legitur; propterea Romanorum erat Imperatores suos appellare Divos. Nec prudens quisquam inficias ibit, indignum fore in terra peccatorum, ubi homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, hominem Sanctum vocare.

Hiconomachorum momenta rejiciuntur.

Nemo unus ex Orthodoxis asserit, Scripturam præcipere, Viros pietate celebres Sanctos nuncupare. Ast ubinam tali uti nominatione proscribitur? Nefas fortè est eadem, quæ adhibet Scriptura, nomina adoptare? Aut fallaciter ipsa Sanctos vocat; aut veraciter. Si primum; ergo mendacem facis Deum. Si veraciter; cur imitari detractas? Præcipit Dominus, Sanctos vocari dies, qui divino deputantur obsequio, Levit. 23. vers. 2. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis Sanctas*. Cur igitur Viros, qui toti in Divinis fuere obsequiis, Sanctorum nomine decorare renuemus?

Superbiæ nomen fore ultro fatemur, si mendaci, vel adulatorio spiritu cuiquam tribuatur; secus ubi veraciter. Superbientem quis unquam dicet Paulum, qui ad Ephesios scribens cap. 3. vers. 8. se Sanctum nominat? *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi*. Nec mirum quod Antichristus sibi falsò Sancti nomen assumat; cum Lucifero pejor non similem tantùm se faciet Altissimo, sed, Scriptura testante, *elevabitur, & magnificabitur adversùs omnem Deum, & adversùs Deum Deorum loquetur magnifica*. Dan. 11. vers. 36.

Inepte refers, Ecclesiam unice Deo canere: *Tu solus Sanctus*; cum unice itidem dicat: *Tu solus Dominus*. Mentitur ergo Petrus, dum Epist. 1. cap. 2. vers. 18. noscens inter homines quosdam excellere dominatione, hos Dominos vocat: *Servi subditi estote Dominis in omni timore*: mentitur Paulus ad Collosen. 3. vers. 22. præcipiens Servis obedire *per omnia Dominis carnalibus*. Si solus Deus Sanctus est; cur, ut & nos Sancti efficiamur, præcipit? Levit. 11. vers. 44. *Sancti estote, quia & ego Sanctus sum*.

EX TRADITIONE CONFIRMATUR EADEM VERITAS.

83 QUoniam verò ad Traditionem nos provocat Adversarius, ipsam adeamus.

Ex Traditione nomenclatura Sanctorum comprobatur.

In Liturgia, quæ Jacobo adscribitur, quamque ad vetustissima Christiani nominis tempora refert Dallæus, legitur — Sanctissimæ, Inviolatæ, Gloriosissimæ, Benedictæ „ Dominæ Nostræ, Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac Justorum, memoriam facimus &c. — Legitur apud Origenem *Lib. 8. contra Celsum* — Audeamus dicere „ hominibus bonæ voluntatis precantibus ultrò se „ adjungere innumera Sanctorum Angelorum millia — Apud Eusebium *Lib. 13. de Præparatione Evangelica cap. 7. de Martyribus* — Veræ pietatis milites, & Dei Amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus, tanquam Viris Sanctis — S. Basilius *Orat. in 40. Martyres* eos vocat Sanctum Chorum. S. Ambrosius *Epist. 22. ad Marcellinam Sororem* agens de Inventione Corporum Sanctorum Gervasii, & Protasii, scribit — Gratias tibi, Domine Jesu, quod hoc tempore tales nobis „ Sanctorum spiritus excitasti &c. — S. Hieronymus *Lib. adversùs Vigilantium* — Sancti

„ non

„ non appellantur mortui, sed viventes — Episcopi Europæ in Epistola *ad Leonem Augustum*, quæ legitur *p.* 3. Concilii Chalcedonensis *num.* 27. de S. Proterio ita scribunt — „ Sanctissimum quidem Proterium in ordine, „ & Choro Sanctorum Martyrum ponimus —

84 Perperàm igitur Sanctorum inscriptiones exquiruntur; cum in aperto sit, etiam primis rei Christianæ Seculis Sanctos tali nomenclaturâ fuisse donatos, non quidem adulatoria acclamatione, sed justa meritorum discussione. Hujusmodi sunt veræ Traditionis momenta.

Viri pietate celebres etiã in terra peccatorum vocantur Sancti.

Terram peccatorum inhabitant; inquis, Utique; sed terram, quæ cœlestis Gratiæ rore fœcondata, lilia, & rosas, didicit progerminare. Nascitur in ea arbor mala; quæ malos fructus facit; sed & bona, quæ fructum dat in tempore suo, inhabitant terram, quos Sanctos vocamus; sed terreno non volutantur in luto. Hic vivunt; sed eorum conversatio in Cœlis est; non enim quæ sua sunt, quærunt, sed quæ Jesu Christi.

85 Verùm rem totam, clariùsque absolvamus. Deus essentialiter Sanctus est; homines verò per participationem; quod tripliciter intelligitur, legaliter nempe, ministerialiter, & subjective. Legaliter homo Sanctus nuncupatur a Christianæ Legis professione, quæ sanctam continet doctrinam, sancta præcipit opera, sanctum promittit felicitatis finem; ideoque 1. Petri 2. vers. 9. dicitur: *Gens Sancta, Populus acquisitionis*. Ministerialiter verò a muneris consecratione, quo specialiter Dei cultui, Templorum obsequio, administrationi Sacrorum deputantur; unde 1. Esdræ 8. vers. 28. *Dixi eis, Vos Sancti Domini*. Subjective demum quis Sanctus nominatur, a forma sanctificante, qua interiùs a culparum maculis emundatur, & Deo gratos efficitur: Act. 2. vers. 4. *Repleti sunt omnes spiritu Sancto*. Fasit Deus, ut hac formâ donati ad æternam requiem pervenire mereamur.

Quomodo Deus, & quomodo Homines sint sancti.

DISSERTATIO DOGMATICA IV.

ADVERSUS PETRUM ABÆLARDUM.

DE VERBI DIVINI CONSUBSTANTIALITATE.

86 NIhil sub Sole novum, dixit Ecclesiastes cap. 1. vers. 6., & 10. *nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est. Jam enim præcessit in Seculis, quæ fuerunt ante nos... Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur*. Spiritus ille, qui circuit quærens, quem devoret, spiritus vertiginis, quem Deus Pseudomagistris immisit, spiritus, inquam, erroris, cujus est falsa Dogmata spargere, sæpenumero jam consepulta, novis licèt coloribus obumbrata, extumulat, ut, dum novitatis specie allicit, illaqueat animum. Veteres, ut ajunt, crepidas ad nundinas defert, recentioribus variegatas delineamentis, ut perdant, dum curiosiùs mulcent. Harum illiciis irretitus Petrus Abælardus, involvens Sententias sermonibus imperitis turbavit Ecclesiam, atque novarum locutionum lenocinio discipulos seducens, antiquæ perfidiæ propinavit venena.

HISTORICA NOTIO PETRI ABÆLARDI.

87 UTque leviter aliquid de Historia attingam, fuit Abælardus quodam minoris Britanniæ Oppido, quod Palatium vocant, non longe ab Urbe Nannetica oriundus. Parisios post varios casus perveniens Heloissam tum formâ, tum doctrinâ præstantem, quamque unice deperierat, & ex qua furtivum susceperat filium, uxorem duxit. Sed hinc a Seculo uterque sese relegavit; illa primùm in Monasterio Argenteolensi benedictum ab Episcopo velum suscepit, dein in Paracleti Cœnobium, quod Maritus jam Monachus extruxerat, se contulit, rexitque ut Abbatissa; ille verò Ordini S. Benedicti nomen dedit, præfuitque Monasterio S. Gildasii Rivensis.

Ab ineunte ætate litterarum studiis operam dedit; sed tam arrogans, suoque tantùm ingenio confidens (ut verbis utar Octonis Phrisingensis *Lib.* 1. *de rebus gestis Frederici*) ut vix ad audiendos Magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit primo Præceptorem Rozelinum quendam, qui primus illa tempestate Sententiam vocum in Logica instituit; sed adiit postmodum Guillelmum Campellensem. In Theologicis hinc audivit Anselmum Laudunensem; æqua tamen ubique sorte, fastu nempe tumens; atque aliorum disciplinam ut inanem insimulans, Magisterium summa cum laude auspicatus est.

Multas, easque gravissimas passus est persecutiones, potissimùm ex quo propugnavit, Dionysium Areopagitam Corinthiorum potiùs, quàm Atheniensium fuisse Episcopum; hinc etenim in aperto erat, Galliarum Apostolum non esse Dionysium Areopagitam, quem Atheniensium Episcopum ejus acta testantur. Effervescente procella, fugâ se abripuit, atque apud Trecenses Monachos se contulit, donec factâ tranquillitate, in solitudinem Trecensis agri recessit; sed jussus iterum docendi munus assumpsit, flebiliori tamen eventu. Factum namque est, ut plurimos spargeret in Fide errores, quibus Galliam, universamque turbavit Ecclesiam.

88 Præstat audire S. Bernardum Epist. 190. *ad Innocentium II.* datâ — Habetis in „ Francia novum de veteri Magistro Theologum; qui ab ineunte ætate sua in arte „ Dialectica lusit, & nunc in Scripturis Sanctis insanit... Qui dum omnium, quæ „ sunt in Cœlo sursum, & quæ in Terra „ deorsum, nihil præter se solum, nescio „ quid nescire dignatur, ponit in Cœlo os

„ suum

„ suum — & Epist. 199. *ad Eundem* — Novum cuditur Populis, & Gentibus Evangelium, nova proponitur Fides, fundamentum aliud ponitur præter id, quod positum est. De virtutibus, & vitiis, non moraliter: de Sacramentis Ecclesiæ, non fideliter: de Arcano Sanctæ Trinitatis, non simpliciter, nec sobrie disputatur; sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præterquam accepimus, ministrantur. Procedit Golias, procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque ejus armigero Arnaldo de Brixia. Squama squamæ conjungitur, & nec spiraculum incedit per eas; siquidem sibilavit apis, quæ erat in Francia, api, quæ de Italia, & venerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. In victu, & habitu habentes formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, eò decipiunt plurimos, quò transfigurant se in Angelos lucis, cum sint Satanæ. Stans ergo Golias cum armigero suo inter utrasque acies, clamat adversùs Phalanges Israel, exprobatque agminibus Sanctorum, eò nimirum audaciùs, quò sentit David non adesse —

Bernardo concinit Trithemius *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis* — Petrus Dialecticus Parisiensis dictus Abælardus, natione Gallus, Vir in Sæculari Philosophia eruditissimus, & in Divinis Scripturis nobiliter doctus, gaudens novitate terminorum, & altiora se scrutari tentans, oppressus à gloria in plures incidit errores —

Itidem Vincentius Bellovacensis *in Speculo Historiali lib. 27. cap. 13.* — Eo tempore fuit Petrus Abælardus Magister insignis, celeberrimus in opinione scientiæ, sed de Fide pessime Dogmatizans —

Similia leguntur apud alios Historicos, qui in eam confluunt Sententiam, sub ornatu verborum apparatu ipsum falsa Dogmata disseminasse.

89 Ut ejus falsis Dogmatibus occurreret Ecclesia, Provincialis Synodus Suessionensis indicitur, quæ sub præsentia Legati Romani Pontificis congregata, convenientibus egregiis Viris, Librum, quem ediderat de Trinitate, propria manu, igni tradere coegit, nullâ ei datâ respondendi copiâ, eo quod disceptandi peritiâ plurimum valeret.

Hinc reassumpto Magisterii munere, frequentem habuit discipulorum turbam. Post annos undeviginti ad Senonense Concilium fuit accitus, ut ab Hæresibus, quibus palam criminabatur, sese defenderet. Præsentibus Ludovico VII. Francorum Rege, Theobaldo Comite Palatino, nec non plurimis, hisque nobilibus Viris, Petri scripta in medium deferuntur, notantur errores, data postmodum optione vel negandi, fuisse a se exarata, vel corrigendi, vel respondendi. Sed Abælardus, aut non valens Spiritui Sancto resistere, qui per os Patrum loquebatur, aut nolens resipiscere, Concilium se subduxit, Romanumque Pontificem appellavit. Nihil

A proinde actum est adversùs ipsum Abælardum, sed perversa Dogmata censurâ notata, atque Romam transmissa fuere, quibus itidem ab Innocentio damnatis, Auctori ceu Hæretico silentium impositum fuit. Errores suos emendavit — Deinde, *ut legitur in Chronico Cluniacensi*, mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina fuere —

90 Alia inter hujusce Viri proscripta Capitula illud unum mihi examinandum committitur, quod artificiosa verborum circumlocutione adversùs Divini Verbi æqualitatem cum Patre protulit. Illud prælias audire ex S. Bernardo Epist. 190. *ad Innocentium II.* — Constituit denique Deum

B Patrem plenam esse potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum Sanctum nullam potentiam; atque hoc esse Filium ad Patrem quod quandam potentiam ad potentiam, quod species ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum sigillum ad æs —

Sunt, qui velint, Abælardum talia quidem scripsisse, sed alio plane sensu; Patrem videlicet plenam esse potentiam, quatenus ipsi speciatim attribuatur, sicut sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto.

C Ut ut res se habeat, de quo alii judicent, nemo inficias ibit, relata verba Hæresim præseferre. Si enim Filius non est plena potentia, æqualis non est Patri; si ut species ad genus, utique minor est Patre; si ut sigillum ad æs, dubio-procul Patri minime consubstantialis.

VERBI DIVINI CONSUBSTANTIALITAS ENUCLEATUR.

91 Plura tamen sunt, eaque dilucida Scripturarum testimonia, quibus

D Verbi astruitur Divinitas, probatur Consubstantialitas, inæqualitas reprobatur.

In principio, inquit Joannes cap. 1., *erat Verbum*. Verùm quale Verbum? Illud sane; quo æternus Pater seipsum perfectè cognoscit, illud quod est Patris imago, Christus Jesus. At cur Verbum dicitur, non Filius? Ne per hujusce nominis nuncupationem vitiosa suggeratur suspicio inferioritatis, advertit Chrysostomus. Sed cur Verbum indefinite, non Verbum Dei appellatur? Ne forte participatam veritatem fingat incautus; sed veritatem per essentiam, quæ est ipsum esse Divinum, fatetur Sapiens. Verbum absolute dicitur, utpote Verbum per seip-

E sum, Verbum super omnia elevatum, Verbum denique, per quod omne aliud verbum. *(In principio erat Verbum.)*

In principio, hoc est, in Patre Filius; per identitatem nempe essentiæ, non extra principium partitione naturæ, divisione substantiæ. *In principio*, ante omnia, ut hinc facilè percipiamus, æternam sortitum esse originem. *(Quomodo in principio.)*

Erat, dicit Evangelista, non autem fuit, vel erit; ne temporale credatur Verbum, sed rursus confirmetur æternum. Et apte admodum, ait S. Thomas *ibid.*, ad designandum æternum, præteritum imperfectum *(Cur erat, & non dicitur fuit, vel erit.)*

ctum usurpatur . Siquidem -- quod futurum " ast , nondum est actu , præsens autem, actu " est, & per hoc quod est actu præsens , non " designatur fuisse . Præteritum autem per- " fectum designat , aliquid extitisse , & esse " jam determinatum , & jam defuisse ; sed " præteritum imperfectum significat , aliquid " fuisse , & non esse adhuc determinatum , " nec defuisse , sed adhuc remanere ; ideo " signanter Joannes , ubicunque ponit aliquid " æternum , dicit : Erat -- Angelico prævit Hilarius *ad Psal.* 122. verba Joannis : *In principio erat Verbum*, explanans -- Idcirco Deus " unus , quia neque duo innascibiles , neque " Unigeniti duo , sed unus ex uno , & ambo " unum , non dissimili scilicet , aut diffe- " renti a se substantia divinitatis in utroque , " Ideo namque Deus Filius in Patre tanquam " in principio esse dicitur , quod a Patre ve- " lut ex principio fluat , a quo ex suamet " substantia generetur --

92 *Et Verbum erat apud Deum* prosequitur Evangelista , *Apud* conjunctionem significat , & distinctionem . In distinctione , Personarum discretio indicatur ; in conjunctione identitas divinæ naturæ , ideo *Apud Deum*, non apud Creaturas . Hinc Tertullianus contra Praxeam scripsit -- Nam etsi Deus " sermo , sed apud Deum , quia ex Deo " Deus -- *Apud Deum* , utpote semper manens , non transiens ; substantialiter subsistens , non accidentaliter inhærens .

Verbum erat apud Deum significat conjunctionem, & distinctionem.

93 *Et Deus erat Verbum*, prædicatione Deitatis, identificatione Consubstantialitatis, indivisibilitate æternitatis ; ideoque *Hoc erat in principio apud Deum* . Hinc egregie dixit Ambrosius *in Tract. de Symbolo cap.* 4. -- Ergo " qui erat , non cœpit , & qui apud Deum " erat , non cœpit , & quia Deus erat , non " cœpit , & quia hoc erat in principio apud " Deum , non cœpit --

Quomodo Deus erat Verbum.

94 *Omnia per ipsum facta sunt* ; Deus ergo magnus , & Patri coæqualis . Solius enim Dei est rerum omnium esse principium. *Omnia per ipsum facta sunt* ; ergo & omne tempus per ipsum factum est . Omne igitur præcessit tempus ; adeoque æternum . *Omnia per ipsum facta sunt* ; ipsum non ergo factum , nam omnia per Verbum facta . Perbelle Augustinus *Tract.* 1. *in Joan.* -- Quomodo po- " test fieri , ut Verbum Dei factum sit , " quando Deus per Verbum fecit omnia ? " Si & Verbum Dei ipsum factum est , per " quod aliud Verbum est ? Si hoc dicis , " quia hoc est Verbum Dei, ipsum dico esse " unicum Filium Dei . Si autem non dicis " Verbum Verbi , concede non factum , per " quod facta sunt omnia --

Per Verbum facta sunt omnia.

95 *Et sine ipso factum est nihil* . Si sine ipso nihil factum est ; quomodo Pater plena potentia , non Filius ? Si nihil ; quomodo quædam potentia, non tota ? Si nihil ; quomodo potentia ad potentiam ? Totum, quod Pater potest , totum valet & Filius ; totum quod ille , totum fecit & iste .

Sine Verbo factū est nihil.

Hinc Gen. 1. ubi hominis describitur Creatio , legere est : *Dixit Deus ; faciamus hominem ad imaginem , & similitudinem nostram* . Pluralis numerus non unam, sed plures designat Personas ; suadetque simultatem operationis, nec non potestatis æqualitatem . Cumque ipsemet Deus dixerit : *Faciamus* , fateri necesse est , Personas illas unum esse Deum .

Audiamus ex Calvino laudatæ Scripturæ explanationem ; etenim , ut ait Augustinus , ad corroborandam veritatem mire deservit Adversariorum testimonium. Igitur *lib.* 1. *Instit. cap.* 13. §. 24. habet -- Quos alloquitur " Pater dicens: Faciamus hominem ad ima- " ginem , & similitudinem nostram , certum " est fuisse increatos ; nihil verò increatum , " excepto ipso Deo , & quidem uno . Nunc " ergo nisi concedat Patris , & Filii , & " Spiritus , unam fuisse creandi potestatem , " & commune jubendi imperium , sequetur , " Deum non intus secum ita locutus esse , " sed direxisse ad alios extraneos Opifices ser- " monem suum -- Hæc ille, qui aliàs Spiritu vertiginis actus Lib. adversùs Gentilem *Refut.* 10. scripserat -- Nomen Dei per ex- " cellentiam ad solum Patrem pertinet , qui " solùm , & proprie , Cœli , & Terræ Crea- " tor est , immo & Filius Patri subjectus est " etiam secundùm Divinitatem --

Calvinus sibi contrarius.

96 Idem Evangelista cap. 16. vers. 15. aliud suppeditat momentum ad evincendam plenam potentiam in Filio , *Omnia , quæcunque habet Pater , mea sunt* . Porro ubi totum comprehenditur , quidnam exceptum dicetur ? Si omnia , plena Patris potentia utique Filii erit .

Omnia sunt Verbi quæcunque habet Pater.

Rem apte dilucidat . S. Basilius *Homil.* 15. *de Fide* -- Pater omnium principium &c. " unde vitæ fons orta est: sapientia , poten- " tia , imago ipsissima invisibilis Dei . Filius " ex Patre genitus , Verbum vivens , Deus " existens , & ad Deum existens , existens " non factus . . . . Cuncta existens , quæ est " & Pater , Filius , inquam, & Pater . . . . " Manens igitur in essentia Filius , omnia " est , quæ Pater est , secundùm ipsius Do- " mini vocem dicentis : Cuncta , quæ habet " Pater , mea sunt --

97 Nec illationis vim enervat Calvinus , dum locum hunc explicandum duxit per alium , quo Joan. 5. vers. 19. dicitur : *Non potest Filius a se facere quidquam , nisi quod viderit Patrem facientem . Quæcunque enim ille fecerit , hæc & Filius similiter facit.* His dubio-procul (infert ipse) minor in Filio potestas abunde innuitur. Et revera (subdit Prævaricator) Patre minor censendus est Filius , si quid a Patre accipit , quod priùs desiderabat ; porro ipsemet Christus dicit Matth. 28. vers. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo , & in Terra* .

Verùm enim verò Calvinus non vult intelligere , ut erret . Ergone Filium Patre minorem dicis , quia non nisi quæ viderit Patrem facientem , peragit ? dic quæso , ubi legis , Patrem siccis pedibus super aquas deambulasse , jejunasse quadraginta diebus , & hujusmodi alia ? Ceterum tuo te gladio jugulas . Si enim non aliqua tantummodo , sed quæcunque facit Pater , facit itidem Filius ; quo pacto inferiorem in Filio fingis potestatem ? Ubi legis , Filium non posse a se quidquam facere , intellige Filii potentiam esse originaliter a Patre ; sed dum audis ,

Calvinus retunditur.

dis, quæcunque agere, quæ Pater operatur, æqualitatem eum Patre confitere. Data quidem est omnis potestas Filio, sed æterna generatione communicata. Ita plane ait Augustinus *lib. 2. de Trinit. cap. 1.* — Filium „ quippe dicimus Deum de Deo, Patrem „ autem Deum tantùm, non de Deo. Unde „ manifestum est, quod Filius habeat alium, „ de quo sit; & cui Filius sit: Pater autem non Filium, de quo sit, habeat, sed „ tantùm cui Pater sit. Omnis enim Filius „ de Patre est, quod est, & Patri Filius „ est —

98 Perperàm igitur sibi plaudunt Calviniani insimul, & Transylvani, dum legunt Joan. 14. vers. 28. *Pater major me est*: Matth. 20. vers. 23. *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*: Joan. 1. vers. 30., ubi Præcursor ait: *Qui post me venit, ante me factus est*: & 1. ad Corinth. 15. vers. 28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei*.

In Scripturis alia de Christo homine, alia de Christo Deo.

Perperàm, inquam, sibi plaudunt. Noverunt Transylvani, noverunt Calviniani, alia in Scripturis de Christo homine, alia de Christo Deo prædicari; sed & seipsos fallere noverunt, ne resipiscant. Audiant Augustinum *lib. 1. de Trinit. cap. 7.* — Non immerito Scriptura utrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei; hoc autem propter formam Servi, sine ulla confusione intelligitur — Et *in Enchiridio cap. 35.* — Exinanivit se, formam Servi accipiens, „ non amittens, vel minuens formam Dei; „ ac per hoc & minor factus est, & mansit „ æqualis, utrumque unum, sicut dictum „ est, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Propter enim Verbum „ æqualis Patri; propter hominem minor — Discant a S. Joan. Damasceno *Lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 4.* — Humanitati tribui, quæ „ incrementum nominis, vel potestatis sonant, quæ subjectionis, quæ infirmitatis; „ Divinitati verò, quæ sublimitatem præseferunt —

Quomodo Filius æqualis Patri, & Pater major Filio.

Hinc poterat Christus ut Deus morem gerere Matri postulanti pro filiis dexterum, & sinistrum locum; sed quia quasi homo fuerat rogatus, quasi homo respondit, e re ipsius non fore præmia largiri, ut apte innuit S. Ambrosius *Lib. 5. de Fide cap. 30.* — Quasi „ hominem rogaverat, & Dominus, quasi „ tantummodo homo de sua passione respondit: Potestis bibere calicem, quem ego „ bibiturus sum? —

Christus quasi homo respondit: Sedere autem &c.

Dixit quidem Præcursor: *Qui post me venit, ante me factus est*; verùm non secundùm Divinitatem, ut impie sentiebat Arius, sed, teste Chrysostomo, prælatione dignitatis, prioritate prædestinationis, superioritate auctoritatis.

Nec alia sane est subjectio, de qua Apostolus, quàm subjectio consummatæ Beatitudinis, perfectæ victoriæ, atque exaltationis, tum in corpore, tum in membris; ut explicat S. Ambrosius *Lib. 1. de Fide cap. 6.*

Quomodo Christus ex Apostolo subjectus Patri.

99 Itaque, qui inficiatur Filium Patri coæqualem, cum Nicænis Patribus credat in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia Secula. Deum de Deo, lumen de lumine &c. Hoc namque fatentur Scripturæ, Patres, & Concilia.

DISSERTATIO DOGMATICA V.

AD CANONEM III. CÆSARAUGUSTANUM.

DE GRATIA EUCHARISTICA.

Romæ in Academia Concilii.

100 HÆretici Homines arbores illæ autumnales sunt, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, quas in sua Canonica describit Apostolus Judas; seu ossa illa arida in medio campi, quæ vidit Ezechiel *cap. 37.*, utinam super ea veniat Spiritus, & reviviscant. His & jure & merito eos accenseri debere, qui Eucharisticæ Mensæ efficaciam oppugnant, nemo inficias ibit.

Messaliani, seu Psaliani, Eucharistiam nec lædere, nec quidquam prodesse, deprædicant. Hisce Hæreticis adstipulantur Armeni; at in eo discriminantur, quod illi nec animæ, nec corpori, hi verò corpori, prodesse affirmant. Eadem laborantes amentiâ fas est suspicari Priscillianistas, quos Canon III. Cæsaraugustani Concilii redarguit; cum ad præstigia exercenda Eucharistiam domi asportarent.

FIDELIBUS RITE, SANCTEQUE DISPOSITIS PRODESSE OSTENDITUR SACRAMENTUM EUCHARISTICUM, ET AB HÆRETICORUM INJURIIS VINDICATUR.

101 VErùm Eucharisticum Sacramentum Fidelibus rite, sanctèque dispositis prodesse Scripturarum evincit veritas. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum .... Et qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Sic legitur Joan. 6. vers. 52., & 58. Quo pacto igitur nihil prodesse quis affirmare audebit, quod prægustatum vitam confert æternam, quod manducantem vivificat?

Eucharistia vitã confert æternam.

102 Domini sensa ad futurum referre studènt Hæretici, quasi dixerit Dominus, manducantem vitam habiturum æternam, nullo verò ditari fructu cum primùm sumitur.

At verò jam ultro fatentur, maximum inde reportari commodum in jure sempiternæ hæreditatis. Si hæres, jam filius, nec filius, nisi de plenitudine Christi gratiam recipiat, quæ est fons aquæ salientis in vitam æternam. Hinc spes illa, quæ non confundit;

Non in futurum tantum vitã confert, sed & de præsenti Gratiã largitur.

dit; dicit namque Joannes Epist. 1. cap. 3. verf, 3. *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille Sanctus est.*

Omnes thesauros Sapientiæ, & Scientiæ Dei in Christo absconditos novit Apostolos: in eo siquidem Divinitatis inhabitavit plenitudo; non nisi igitur insaniendo, Cœlestium charismatum vacua censeri potest Altaris Mensa, in qua humanitati conjuncta traditur suscipientibus Divinitas ipsa. Chrysostomus explicans Apostoli verba: *Panis, quem frangimus, nonne &c*, ait -- Est nervi nostræ
„ salutis, mentis vinculum, fiduciæ funda-
„ mentum, spes, salus, lux, vita -- Et
Hom. 83. in Matth. -- Ea re nos alimur,
„ quam Angeli videntes tremont, nec absque
„ pavore propter emicantem inde fulgorem
„ aspicere possunt: & nos in unum cum illo
„ massam reducimur; facti sumus unum
„ Christi corpus, & una caro -- Porro si Eucharistiâ alimur, si unam efficimur cum Christo, inficiabitur nemo, hoc speciale fore impræsentiarum privilegium, atque peculiare Dei donum.

Qui sumit Sacramentū Corporis, & Sanguinis Christi, manet in Christo.

103 Sed redeamus ad Scripturas. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Joan. 6. verf. 57. *In me manet*, loquit Jesus; & quidem in præsenti, ut hinc compertum sit, non omnem in futuro reservari fructum. Et sane qui in Deo manet, in charitate manet, & Deus in eo.

104 Attamen nescio quem oblaterantem audio: quæ ex Joanne retulimus, Christum quidem spectare, secus Eucharistiæ Sacramentum.

In Mensa Eucharistica Christi Corpus datur, & Sanguis.

Sed hunc falsitatis redarguit Apostolus, qui 1. ad Corinth. 10. verf. 16. in mysterio Altaris Christi corpus, & sanguinem datum profitetur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Redarguit itidem ipsemet Christus, qui seipsum in cibum tradit: *Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum*, Matth. 26. verf. 26. Inscite igitur, impudenterque, ut sterile venditatur hujusmodi Sacramentom.

105 At jure & meritò, inquis, sterile censendum est hujusmodi alimentum. Si enim quod intrat per os, non coinquinat, utique neque mundat.

Inter vigilantis hominis somnia indubie tale effugium accensendum fore plane fit ex Apostolo 1. ad Corinth. 11. verf. 27., & 29. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini . . . Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Mors est malis, & vita bonis.

Quid ad hæc, o impie? fœtida adeo ne dicam, formidanda coinquinatio non te terret? Si tamen mors est malis, vita est bonis, Qui digne hoc utuntur cibo, pinguescunt; prophetice namque dictum est Gen. 49. verf. 20. *Pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Inebriata divinæ bonitatis dulcedine spiritualiter delectatur anima, quæ tanto reficitur Sacramento, juxta illud Cant. 5. verf. 1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* Hinc terribilis fit Diabolo, dicente Propheta Psal. 22. verf 5. *Parasti in conspectu meo mensam, adversùs eos, qui tribulant me.*

106 *Spiritus est, qui vivificat*, inclamas importune, *caro non prodest quidquam.* Joan. 6. verf. 64.

Caro Christi tripliciter sumitur.

Utique carnaliter intelligentibus, utique his, qui Christi corpus nullo cordis affectu degustant. Triplici siquidem comestionis genere Christi caro sumitur; tantummodo nempe spiritualiter; tantummodo corporaliter; spiritualiter insimul, & corporaliter. Spiritualis comestio, Charitate enutrita, pascit; verùm Sacramentum ne dicas. Corporalis verò Sacramentum quidem est, sed vacuum, subjecto obicem ponente; quæcumque enim esca, saluberrima licèt, nocet, ubi necessarius ad decoctionem deficit calor. Spiritualis autem, & corporalis sumptio, & Sacramentum est, & mirabiliter alit.

Hæc habes ex Augustino *Tract. 26. in Joannem* -- Hoc est ergo manducare illam
„ escam, & illum bibere potum, in Christo
„ manere, & illum manentem in se habere.
„ Ac per hoc, qui non manet in Christo,
„ & in quo non manet Christus, procul du-
„ bio nec manducat spiritaliter carnem ejus,
„ nec bibit ejus sanguinem, licèt carnaliter,
„ & visibiliter premat dentibus Sacramentum
„ corporis, & sanguinis Christi: sed magis
„ tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi
„ manducat, & bibit, quia immundus præ-
„ sumpsit ad Christi accedere Sacramenta,
„ quæ aliquis non digne sumit, nisi qui
„ mundus est -- Habes itidem ex Chrysostomo *Hom. 46. in Joannem*, quid nobis prosit Christi caro -- Hic Sanguis facit, ut imago
„ in nobis regia floreat. Hic Sanguis pul-
„ chritudinem, atque nobilitatem animæ,
„ quam semper irrigat, & nutrit, langue-
„ scere non sinit. Sanguis enim a cibo non
„ fit repente, sed priùs aliud quiddam.
„ Hic quamprimum irrigat animam, eam-
„ que vi quadam magna imbuit. Hic my-
„ sticus Sanguis Dæmones pellit, Angelos,
„ & Angelorum Dominum ad nos allicit.
„ Dæmones enim, cum Dominicum San-
„ guinem in nobis vident, in fugam vertun-
„ tur; Angeli autem concurrunt. Hic San-
„ guis effusus Universum abluit Orbem Ter-
„ rarum, de quo multa Paulus *ad Hebræos*
„ prosecutus est. Hic Sanguis abdita, &
„ Sancta Sanctorum purgabat. Quod si ejus
„ figura tantam habuit vim in Templo He-
„ bræorum, in media Ægypto liminibus
„ aspersus, longe magis veritas --

Confundantur igitur, qui in Eucharistico Sacramento nullam vim deprædicant, atque cum Sancto Thoma *Opusc. 59.* exclamare non desinant -- O pretiosum, & admi-
„ randum convivium, salutiferum, & omni
„ suavitate repletum! Quid enim hoc con-
„ vivio pretiosius esse potest? . . . Quid hoc
„ Sacramento mirabilius? . . . Nullum etiam
„ Sacramentum est isto salubrius, quo pur-
„ gantur peccata, virtutes augentur, &
„ mens omnium spiritualium Charismatum
„ abundantiâ impinguatur --

107 Quidam ex Græcis, de quibus

Le

De Castro *De Hæresibus, hær. 9. Verbo Eucharistia*, fabulati sunt, præstantissimum hujusmodi Sacramentum die Cœnæ celebratum excellentioris fore virtutis; idcirco illa die consecratum pro Infirmis asservant.

Quidam ex Græcis fabulantur de hoc Sacramento.

Verùm & hos cum præcedentibus tanquam a veritate aberrantes rejicimus. Quoties enim legitime Consecrationis verba proferuntur, Sacramentum conficitur. Ex temporis circumstantia nequaquam dependet; absolute namque Christus dixit Lucæ 22. vers. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; & Paulus indefinite locutus est 1. Corinth. 11. vers. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Porro ubi idem est Sacramentum, eadem quoque virtus adinvenitur; ideoque pro quolibet tempore dictum est: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Joan. 6. vers. 57. Utinam ad unum omnes in eo maneamus, dum peregrinamur a Domino, cum ipso victuri in æternum.

DISSERTATIO DOGMATICA VI.

DE SIMONIA.

Romæ in Academia Dogmatica.

108 SUprema Numinis Providentia, qua Ecclesiam dirigit, calicem versat plenum misto, dum prosperis miscet adversa, ut inde tamen purior evadat. *Oportet*, dicebat Apostolus 1. ad Corinth. 11. vers. 19. *& hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Eo consilio maximum Evangelicæ prædicationis opus malignantium hominum insectationibus tradidit, ut hostibus tandem profligatis, Divina virtus, & Gloria clariùs elucesceret, magisque innotesceret Fidei veritas; teste namque Augustino *Lib. 16. de Civit. Dei* — Multa ad Fidem pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine excogitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & prædicantur instantiùs — Nil ergo inde mirum, si sub primordiis nascentis Ecclesiæ, dum Verbi Dei Semen feliciter cœperat multiplicari, superveniens inimicus homo, scilicet Simon Magus, hæreticæ pravitatis Zizania superseminaverit.

Ecclesia ex Hæresi purior elucescit.

HISTORICA NOTIO SIMONIS MAGI.

109 ORtum duxit Simon e vico Samariæ, qui dicitur Gitthon. Magicis artibus operam dedit, quibus, Samaritis deceptis, grande nomen sibi acquisivit. A Philippo Diacono, qui post Stephani Martyrium in Samariam descenderat, Sacro regenerationis lavacro ablutus est. Cumque, superveniente Petro, vidisset, per manus impositionem Spiritum Sanctum super Baptizatos descendere, hujusmodi potestatem ab Apostolorum Principe sacrilege voluit pecuniâ comparare. Sed acriter, ut par erat, increpatus, Christum ejuravit.

Hinc perversa evulgando Dogmata universam peragravit Samariam, ibique Deum se esse astruens, qui descenderat apud Samaritas ut Pater, ut Filius apud Judæos, ut Spiritus Sanctus apud Gentes. E publico libidinis loco evocatam Helenam meretricem circumducebat, quam primum suæ mentis partum, omnium Matrem nominabat.

Romam veniens tantam sibi nominis celebritatem præstigiis conciliavit, ut teste Justino *Apologia* 2., in Insula Tiberina eidem Statuam erexerint Romani cum hac epigraphe: *Simoni Deo Sancto*. Præ ceteris Neronem Præstigiatorum amantissimum sibi addictum habuit, cui volatum pollicitus, statuta die, a tartareis Spiritibus in sublime levatur, sed accurrens Petrus, fusis ad Deum precibus, fugatis Dæmonibus, dissolutisque præstigiis, Magum in ima præcipitem dedit, qui confractis cruribus, totoque elisus corpore, extremos inter cruciatus efflavit animam.

110 Hic itaque Simon Magus, quem Primogenitum Satanæ dicebat Martyr Ignatius *Epist. ad Trall.*, & Epiphanius *hær.* 21. Hæreticorum omnium Principem, & Auctorem, alia inter vesana Dogmata illud statuit nempe Spiritus Sancti Gratiam posse venundari. At verò hanc Hæresim Sacra utriusque Testamenti Pagina execrabilem proclamat.

Simonia vocatur in Scripturis nefarium, & inauditum Scelus.

SIMONIÆ DEMONSTRATUR EXECRABILE VITIUM, GRAVISSIMUMQUE MALUM.

111 N*Efarium, & inauditum scelus* Simonia vocatur 2. Machab. 4. vers. 13., ubi emptum a Jasone plurimo talentorum pondere refertur Sacerdotium.

Sane quis scelus execrandum non fore crediderit, quod justus, & misericors Deus gravi mulctatum voluit supplicio? Duo talenta recepit Giezi pro salute, quam Naaman Syro, divina virtute, Eliseus Propheta contulerat; & perpetuo Lepræ morbo affectus est. 4. Reg. 5. vers. 26., & seq. *Nunc ergo accepisti argentum . . . Sed & Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix*. Hinc *c. altare* 1. *q.* 1. dicitur — „ Cito turpem sequitur lepra mercedem, & „ pecunia corpus, animumque male quæsita „ commaculat . . . Vides, quia facto Auctoris successio damnatur hæredis. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii, & „ Gratiæ vindicta Cœlestis transit ad posteros —

Simonia gravi mulctatur supplicio.

Ob Simoniæ labem traditi sunt in interitum imitatores Balaam, qui prophetandi munus vendidit, mercede namque conductus ibat ad maledicendum Israel, de quibus in Catholica Judæ vers. 11. *Errore Ba-*

laam mercede effusi sunt, & 2. Petri 2. vers. 15. *Derelinquentes rectam viam erraverunt, secati viam Balaam, ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.*

Propter hujusmodi scelus delevit Dominus domum Jeroboam, qui Sacerdotes excelsorum constituit juxta illud 3 Reg. 13. vers. 33., & seq. *Fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum; quicunque volebat implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum, Et propter hanc causam peccavit Domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terra.*

Severiùs punitur quàm Idololatria.

112 Tanta porro in hoc crimine reperit pravitatem Deus, ut severiùs illod puniat, quàm Idololatriæ flagitium; ut legere est es Ambrosio 1. q. 1. *cap. cit.* -- Sed cum „ illi, *de Moabitis occurrit sermo*, quia in „ Deum idololatriæ errore deliqœrunt, in „ quartam generationem videantur esse mul- „ ctati, profectò durior videtur esse Senten- „ tia, qua Giezi semen usque in æternum „ pro cupiditate habendi prophetica aucto- „ ritate damnatur -- Et jure quidem. Nam Idololatra tantummodo Creaturæ tribuit honorem Deo debitum: Simoniacus autem contendit, Servum sibi facere Spiritum Sanctum. Quod dicebat Thara[illegible]s *in Epistola ad Adrianum Papam*, & refertur laudata quæst, cap. *Eos* -- Tolerabilior est Macedonii, „ & eorum, qui circa ipsum sunt, Spiritus „ Sancti impugnatorum impia Hæresis. Illi „ enim Creaturam, & Servum Dei Patris, „ & Filii, Spiritum Sanctum delirando fa- „ tentur; isti verò eundem Spiritum efficiunt „ suum Servum. Omnis enim Dominus, „ quod habet, si vult, vendit sive Servum, „ sive aliquid aliud eorum, quæ possidet; „ similiter & qui emit, Dominus ejus vo- „ lens esse quod emerit, per pretium pecu- „ niæ illud emit -- Quapropter Paulus 1. ad Corinth. 4. Ecclesiæ Ministros admonet, spiritualium charismatum, rerumque Ecclesiasticarum Dominos nequaquam fore: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Divina contemnuntur per Simoniam.

113 Porro quonam pacto innoxia censeri poterit sacrilega Divinorum venditio, si per hanc indigne tractantur Sancta, donum Dei contemnitur, Cœlestia vili pretio rediinuntur? Apte dicebat Hormildas -- Quis „ non vile putat, quod venditur? -- Et tamen quod terreno lucro supponitur, pretiosius est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Quid mirum igitur si Canonica Sanctio Cap. *Eos*, Judæ. qui Christum vendidit, comparet Simoniacos. Hinc singulis inclamat Petrus Act. 8. vers. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunià possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Quibus in aperto est, Simoniam gravissimum fore crimen, quod tanquam execrabile anathematizat Canon *Reperiuntur* 1. q. 1.

Simoniacus comparatur Judæ, qui Christum vendidit.

Sacrilega est Simonia, sive in parvis, sive in magnis.

114 Nec sacrilegii labem aufugit, ex quo quis parva recipiat. Nam, ut egregie notat Angelicus 4. *Sent. Dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 3. -- Apud Deum, qui cor videt, Si- „ monia est & in parvis, & in magnis mu- „ neribus, si animus Judicis ex eis flectatur -- immo eò magis spiritualia parvipendi videntur, quo viliori pretio comparantur, & coæquantur.

Injuriam irrogat præcepto Domini.

115 *Gratis accepistis, gratis date*, ait Dominus Matth. 10. vers. 8. itaque tum Salvatoris præcepto, tum Sanctitati Divinæ Gratiæ irrogat injuriam terrenus rerum Cœlestium Mercator. Siquidem, Hieronymo teste *ibidem* -- Semper dona spiritualia, si „ merces media sit, viliora fiunt, adjun- „ gitur avaritiæ condemnatus, gratis acce- „ pistis, gratis date -- Quod optime elucidant Petri verba Epist. 1. cap. 4. vers. 10. *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

Pœna Simoniæ a Concilio Toletano mulctata.

116 Criminis gravitatem satis innuit pœna, quibus Simonia mulctatur a Patribus Concilii Toletani XI. *Cap.* 8., qui sic hac super re definierunt -- Quidquid invisibilis „ Gratiæ consolatione tribuitur, nunquam „ quæstu, vel quibuslibet præmiis venundari „ penitus debet, dicente Domino: *Quod* „ *gratis accepistis, gratis date*. Et ideo qui- „ cunque deinceps in Ecclesiastico Ordine „ constitutus, aut pro baptizandis, consignan- „ disque Fidelibus, aut collatione Chrisma- „ tis, vel promotionibus gradnum pretia „ quælibet, vel præmia . . . pro hujusmodi „ ambitione susceperit, equidem si sciente „ loci Episcopo, tale quidquam a subditis „ perpetratur, idem Episcopus duobus men- „ sibus Excommunicationi subjaceat pro eo „ quod sciens mala contexit, & correptio- „ nem necessariam non adhibuit. Sin au- „ tem suorum quispiam, eodem nesciente, „ de superadictis quodcunque capitulis acci- „ piendum esse sibi crediderit, si Presbyter „ est, trium mensium Excommunicatione „ plectatur, si Diaconus quatuor, Subdia- „ conus verò, vel Clericus his cupiditatibus „ serviens, & competenti pœna, & debita „ Excommunicatione plectendus est --

117 Quod si Patrum interpretationem adoptare velimus, a corpore Ecclesiæ sejungendos Simoniacos palam docuit Christus, dum ementes, & vendentes ejecit de Templo.

Simoniaci a corpore Ecclesiæ sejungendi.

Audiatur Alexander II. 1. q. 3. Can. *Ex multis* -- Unde humani generis Redemptor „ omnes ementes, & vendentes, de Tem- „ plo ejiciens, cathedras vendentium co- „ lumbas evertit, nummulariorum effudit „ æs, præcepti sui auctoritate denuncians, „ & dicens, *Nolite facere Domum Patris mei* „ *Domum negotiationis*. Illud quoque in eo- „ dem facto solicite considerate, quod per „ totum textum Sancti Evangelii nunquam „ reperitur, Dominum tanta severitate, tam „ distinctà censurà justitiæ peccantes corri- „ puisse, cum non solùm eloquio increpans, „ verùm etiam facto flagello de funiculis „ verberans omnes eliminavit de Templo, „ aperte demonstrans, quod tales negotiato-

„ res

„ res, non ficut ceteri Peccatores sunt corripiendi, sed a Templo Dei, Idest a Sancta Ecclesia, longiùs sunt projiciendi. Nam „ ficut per columbarum venditores illi denotantur, qui sacram manus impositionem vendere conantur, sic per nummularios, „ Ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui Domum Dei, teste Evangelio, „ speluncam Latronum efficiunt — Et hæc dixisse sufficiat.

A

DISSERTATIO DOGMATICA VII.

B

AN ORDINATIONES AB HÆRETICIS EPISCOPIS FACTÆ VALIDÆ CENSENDÆ SINT.

118 SPiritu vertiginis acti Pseudoprophetæ quæcunque clara, quæcunque sana, quæcunque firma summis circulationibus obnubilant, inficiunt, convellunt. Eodem ducti Novatores pulcherrimum Ecclesiasticæ Hierarchiæ splendorem, tetra quadam caligine, offundere, atque Sacrorum Ministrorum Dignitatem evertere student. Horum Princeps meritò censetur Lutherus, qui nusquam sibi constans, nunc quoslibet de Plebe, nunc delectos Sacramentorum Ministros desiderat; nunc ad legitimam inaugurationem, Fidei fundamentum vult necessarium, nunc nihili facit; ipsosque adoptat Dæmones, quos pro magnis habuisse Theologis gloriatur. Malis hisce artibus sive Laicorum, sive Clericorum animos sibi conciliare satagebat. Ceterum singuli Sacrorum Ordinum Gradus erant Luthero infensi, potissimùm tamen Episcoporum, quos diris devovebat, Papales larvas vocitabat, eorumque Ordinationes figmenta.

Lutherus nunquam sibi constans.

Universam hanc excurrere Provinciam hujus loci non est. Impræsentiarum igitur sermo erit de Ordinationibus ab Hæreticis, Schismaticisve Episcopis celebratas; has namque irritas deprædicant Novatores, atque obscura pleraque Canonum Jura in sui patrocinium perperàm evocant.

C

ADVERSUS NOVATORES ADSTRUITUR, VALIDAS ESSE ORDINATIONES AB HÆRETICIS EPISCOPIS FACTAS.

D

119 UTque veritas dilucide innotescat, illud animadvertendum occurrit, quod sive hisce temporibus, sive primis rei Christianæ Seculis, quibus hujusmodi quæstio utrinque Propugnatores habebat, quibusdam aliàs de Fide bene sentientibus visum est, apud Hæreticos Episcopos nullam fore potestatem. Hoc autem propugnare contendebant, ea quo Sacramentum ab effectu, vel ejusdem usu, non discriminabantur. Verùm si Divinarum Scripturarum oracula, si Apostolicam consuetudinem, si Conciliorum Statuta, æqua lance perpendere velimus, satis compertum fiet, etiam a Fide aberrantes valide conferre, validèque recipere sacræ inaugurationis Sacramentum.

Quæstio pro ∫ens e ∫im... Propugnatores habuit.

E

120 In Scripturis Ecclesiam Regno bene ordinato assimilari, & Civitati supra montem positæ, ignorat nemo. At quis inficiabitur, Regem non amittere, quam habebat potestatem procreandi necessarios, utilesque Reipublicæ Ministros, quamvis insidelitatis labe polluatur? Ipse veritatis Magister Ethnico Principi præcipit tributum solvere. Sublimioribus potestatibus obtemperandum esse affirmat Apostolus, illis nempe, quæ impie in Christi ovile desæviebant. Petrus obedientiæ reverentiam Dominis modestis æque, ac dyscolis prædicat.

Ecclesia Regno & Civitati assimilatur.

121 Equidem novi, non unam esse Theologorum Sententiam; num Episcopalis Ordo suum habeat Characterem; concedentibus enim plerisque, denegant ceteri. Illud tamen compertum habeo, perpetuam sibi vendicare potestatem, id exigente natura specialis consecrationis, quâ deputatur Minister ad Hierarchica exercenda munia, quâ divino cultui singulariter adjicitur, quâ peculiari jure Sacerdotii Christi, quod in æternum manet, particeps creditur.

Episcoporum consecratio perpetuam exigit potestatem.

Audiatur Augustinus *Lib. 2. adversùs Parmenianum cap 13.* — Utrumque enim Sacramentum est, & quadam Consecratione „ utrumque homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur. Ideo in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare — Audiatur Angelicus *quæst. 38. Suppl. art. 2.* — Omnis potestas, quæ datur cum aliqua „ Consecratione nullo casu contingente tolli „ potest, sicut nec ipsa Consecratio annullari, „ quia etiam Altare, vel Chrisma, semel „ consecrata perpetuò consecrata manent; „ unde cum Episcopalis potestas cum quadam Consecratione detur, oportet, quod „ perpetuò maneat, quantumcumque aliquis „ peccet, vel ab Ecclesia præcidatur... „ Quare exequendo suam potestatem verum „ Consecrationem faciunt.... Et sic ab eis „ ordinati, vel promoti, habent eandem „ potestatem, quam & ipsi —

122 Dari porro Episcopalem potestatem Consecratione, testatur Apostolus ad Timotheum scribens Epist. 1. cap. 4. vers. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.*

Episcopalis Potestas Consecratione datur.

S. Ambrosius *Lib. De dignitate Sacerdotali cap. 5.* ait — Quis dat, Frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Responde sine dubio, Deus; sed tamen per „ hominem dat Deus — Dat igitur Deus Episcopalis Dignitatis potestatem, quam nemo auferre potest, ut fatetur Concilium Carthaginense III. *Can. 38.* — Illud autem „ suggerimus mandatum vobis, quod etiam „ in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes, „ & reordinationes — Hinc Gregorius Magnus ad Joannem Ravenatem Episcopum scribebat de Ordinatis ab Hæreticis — Illud „ autem quod dicitis, ut is, qui ordinatus „ est

„ est , iterum ordinetur , valde ridiculum
„ est , & ab ingenii vestri consideratione
„ extraneum . . . Absit a Fraternitate Vestra
„ sic sapere . Sicut autem baptizatus semel ,
„ iterum baptizari non debet ; ita consecra-
„ tus semel in eodem Ordine iterum non
„ valet consecrari --

123 Sed quid ultra in hisce immoramur ? Ecclesia ipsa validas Hæreticorum Ordinationes affirmat , Conciliorum consuetudo non reprobat , Apostolicæ Sedis Oracula recognoscunt .

> *Antiqua disciplina Ordinationes Hæreticorũ non censuit irritas .*

Sacras Schismaticorum inaugurationes nequaquam irritas priorum Seculorum disciplina censuit , ut nos docet S. Augustinus , eam referens *Epist.* 50. , quæ cum Donatistis ad Ecclesiam redeuntibus servata fuit -- Hoc
„ erga illos ab initio servavit Africa Catho-
„ lica ex Episcoporum Sententia , qui in
„ Ecclesia Romana inter Cæcilium , & par-
„ tem Donati judicaverunt , damnatoque
„ quodam uno Donato , qui Auctor Schis-
„ matis manifestatus est , ceteros correctos ,
„ etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent , in
„ suis Ordinibus suscipiendus esse censue-
„ runt -- Et *Epist.* 162. plurimùm Melchiadis Papæ commendat prudentiam , & indulgentiam -- Qui Donato solo , quem totius
„ mali principem invenerat , maxime culpa-
„ to , sanitatis recuperandæ optionem libe-
„ ram ceteris fecit , paratus Communicato-
„ rias Litteras mittere etiam iis , quos a
„ Majorino ordinatos esse constaret ; itaut
„ quibuscumque locis duo essent Episcopi ,
„ quos dissensio germinasset , eum confirmari
„ vellet , qui fuit ordinatus prior , alteri au-
„ tem eorum Plebs alia regenda provideretur -- Idem legitur apud Tharasium ad calcem Actionis 1. Synodi VII. Generalis , ubi quid de Monothelitis factum sit , disserentem habemus -- Qui verò intermediis
„ temporibus fuerunt , Thomas scilicet , Joan-
„ nes , & Constantinus , ab Hæreticis fue-
„ runt ordinati . Verùm ea de causa non
„ sunt reprobati . Circiter enim quinqua-
„ ginta annos Hæresis illa viguit , & tamen
„ in VI. Synodo quatuor illos prænominatos
„ (*Sergium* , *Pyrrum* , *Paulum* , & *Petrum*)
„ tantùm damnarunt ; ceteros cum Ordini-
„ bus susceperunt --

> *Gregorius validas recognovit Hæreticorum Ordinationes .*

In Nestorianorum causa habet Gregorius *Lib.* 9. *Indict.* 4. *Epist.* 61. -- Nestorium cum
„ omnibus sequacibus suis , & reliquas Hære-
„ ses anathematizent , venerandas quoque
„ Synodos , quas Universalis Ecclesia reci-
„ pit , se recipere , & venerari promittant ,
„ & absque ulla dubitatione eos Sanctitas
„ Vestra , servatis eis propriis Ordinibus ,
„ in cœtu recipiat -- Ulteriora referre non vacat , cum indubiam versemus causam .

> *Canones non irritant substantiam Ordinationum Hæreticorũ , sed effectum .*

124 Equidem non ignoro , Canones quosdam vacuas , & fictitias enunciare Hæreticorum Ordinationes : sunt & Pontificum Sanctiones , quæ Schismaticorum Consecrationes dicunt execrationes . At verò hujusmodi Canones , seu Sanctiones , non Ordinationum substantiam , sed earundem effectum feriunt ; validitatem non irritant , sed honorem ; Sacramentum non damnant , sed usurpatam reprobant jurisdictionem . Dilucide explicat Urbanus II. ad Lucium Præpositum Sancti Joventii apud Ticinum -- Ce-
„ terum Schismaticorum , & Hæreticorum
„ Sacramenta , quoniam extra Ecclesiam
„ sunt , juxta Sanctorum Patrum Traditio-
„ nes , scilicet Pelagii , Gregorii , Cypria-
„ ni , Augustini , Hieronymi , formam qui-
„ dem Sacramentorum , non autem virtutis
„ effectum habere profitemur --

PARS TERTIA.

DISSERTATIONES CANONICÆ.

DISSERTATIO CANONICA I.

AD CANONEM DECIMUM CONCILII AURELIANENSIS QUINTI:

Episcopatum, sola Dei vocatione assumendum, haud fas est appetere.

Judicium durissimum his, qui præsunt.

1 T*Empus est, ut incipiat judicium a domo Dei*, Inquit S. Petrus Epist. 1. cap. 4. vers. 17. Qui enim Sacra Domini vasa portant, apparebunt primi rationem redditurí ;' & qnia primi dignitate, primi itidem gravitate discussionis. Durissimum siquidem judicium his, qui præsunt, fiet. Et meritò sane. Nullum namque majus patitur detrimentum Ecclesia Dei, quàm ab iis, quorum sollicitudini demandatur custodienda. *Qui bene præsunt Presbyteri*, scribebat Apostolus ad Timotheum Epist. 1. cap. 5. vers. 17., *duplici honore digni habeantur*; qui igitur male, dupliei contritione conterendi. Porro male præest, qui non vocatus Pastorale munus exoptat, atque suscipit; male præest, qni pecuniis Infularum emit splendorem. Hos execratur Canon Concilii Aurelianensis V. Porro jus, & meritum hujusce execrationis expendere cura mihi demandata est. Huic muneri ut faciam satis, breviter narrabo.

IMPROBATUR AMBITIO EORUM, QUI NON VOCATI EPISCOPATUM EXOPTANT, ET SUSCIPIUNT, VEL AD EUM EMPTIONIBUS ASCENDUNT.

Non intrant per ostium, qui emptionibus ad Episcopatum ascendunt.

2 TEstatur Dominus Joan. 10. vers. 1., & seqq. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro . . . Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat . . . . Qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium. Huic ostiarius aperit*, qui alius esse non valet, nisi spiritus ille, qui & omnia docet, & omnia dirigit, non verò quem ultro aut cæca ambitio, aut blanda admittit adulatio.

Parum refert, inquit Chrysostomus *hom.* 3. *in Acta Apostolorum* -- Si non das pecuniam, „ sed pecuniæ loco adularis, subornas . . . „ Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad „ illum (*supple Simonem*) dictum est, & „ his dicetur: Ambitio tua sit tecum in „ perditionem, quoniam putasti, ambitu hu„ mano parari Regnum Dei -- Et *in Lib.* 7. *Capitularium cap.* 449. legitur -- Ille in „ ovile ovium intrat per ostium, qui intrat „ per Christum. Ipse autem per Christum „ ingreditur, qui de eodem Creatore, ac „ Redemptore humani Generis vera sentit, „ ac prædicat, & prædicata custodit, cui„ men regiminis ad officium portandi oneris „ suscipit, non ad appetitum gloriæ transi„ torii honoris, curæ quoque suscepti ovilis „ solerter invigilat, ne Oves Dei, aut per„ versi homines prava loquentes dilanient, „ aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum „ suadentes devastent --

Præstat audire S. Thomam in laudatum Joannis caput *lect.* 1. -- Sciendum autem „ quod ut qui sicut ovis per ostium non in„ trat, non potest conservari, ita nec qui „ ut Pastor intrat, conservare potest, nisi „ per ostium intret, scilicet per Christum, „ per quod quidem ostium intraverunt veri „ Pastores, de quibus Heb. 4. . . . Mali verò „ Pastores non intrant per ostium, sed per „ ambitionem, & potentiam Secularem, & „ Simoniam; & isti sunt fures, & latrones. „ Oseæ 8. *Ipsi regnaverunt . . . & non co*„ *gnovi*, idest, non approbavi. Et dicit: „ sed ascendit aliunde; quia ostium istud „ scilicet Christus, cum sit parvum per hu„ militatem, Matth. 11. *Discedite a me, quia* „ *mitis sum, & humilis corde*, non possunt „ intrare, nisi qui Christi humilitatem imi„ tantur. Qui ergo non intrant per ostium, „ aliunde ascendunt, idest, superbi sunt, & „ non imitantur illum, qui cum Deus esset, „ factus est homo, & humilitatem suam non „ recognoscit --

3 Novimus, Episcopos Successores fore Apostolorum, dicente Psalmista Psal. 44. vers. 17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii. Constitues eos Principes super omnem terram* -- „ Patres missi sunt Apostoli, *subdit S. Augustinus*, pro Apostolis filii nati sunt tibi: „ constituti sunt Episcopi. Hodie enim „ Episcopi, qui sunt per totum Mundum, „ unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos „ appellat; ipsa illos genuit, & ipsa illos con„ stituit in sedibus Patrum -- Quos itaque in munere æquat successionis Privilegium, hos & æquare oportet electionis similitudo. *Non vos me elegistis*, inquit Salvator Joan. 15. vers. 16., *sed ego elegi vos*. A Deo est assumptio. Assumptioni viam sternit non quidem ambitio, aut vana cupiditas, sed juge Orationis studium, quod & Dominus exemplo suo firmavit, Luc. 6. vers. 12., & seq. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*. Non igitur ad Infulam vocandi sunt, eligendique, qui ab ejusdem fulgore illiciuntur, sed qui assidua Cœlestium contemplatione se Deo vu-

Ab Ecclesia assumendi sunt Episcopi.

vent

vent, parati, ut Deo placeant, animam suam ponere pro Christi Grege. Scitè namque dicebat Origenes *Hom. 6. in Isaiam* — „ Bonum est non prosilire ad eas, quæ a Deo sunt Dignitates, & Principatus, & „ Ministeria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, „ & dicere cum eo: provide alium, quem „ mittas. Neque ad Principatum Ecclesiæ „ venit, qui salvari vult, sed ad servitutem —

4 Alte conqueritur Deus Jerem. 23. de Pastoribus, qui non vocati virgam directionis assumunt: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant* vers. 21. Adversùs ipsos diram minatur vindictam: *Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle* vers. 15. Et meritò sane. Nam ut habet S. Leo 1. q. 1. Can. *Principatus* — Principatus, quem aut seditio „ extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi „ moribus, aut actibus non offendit, in „ ipso tamen initio sui est perniciosus exem„ plo, & difficile est, ut bono peragantur „ exitu, quæ malo sunt inchoata principio—

Vindictam minatur Deus iis qui non vocati Episcopatum assumunt.

5 Nec alios profectò urget Apostolus ad Heb. 5. nisi hujusmodi ambitiosos homines, dicens: *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, Ego hodie genui te*. Ubi Angelicus — Hoc est enim contra naturam, quod „ aliquid producat se ad statum altiorem suâ „ naturâ, sicut aer non facit seipsum ignem, „ sed fit a superiore. Unde disciplina Dei „ non habet, quod quisquam sibi sumat ho„ norem, favore, pecuniâ, potentiâ: Amos „ *6. In fortitudine nostra assumsimus nobis* „ *cornua*. Sed debet vocari a Deo, sicut „ Aaron Exod. 28. *Applica ad te Aaron*; & „ ideo Dominus confirmavit Sacerdotium „ ejus, sicut patet Num. 18. per virgam, „ quæ floruit. Tales ergo debent assumi, „ qui non se ingerunt — Hinc 1. q. 1. Can. *In Scripturis* aptè dicitur — Sicut locus regi„ minis desiderantibus negandus est, ita fu„ gientibus offerendus: & sicut scriptum „ est: nec quisquam sumit sibi honorem, „ sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron —

Adversùs eos urget Apostolus.

DIGNITATUM AMATORUM EFFUGIA PRÆCLUDUNTUR.

6 Infularum splendore decepti sibi oblandiuntur nonnulli, dum lippis oculis Scripturas percurrendo scriptum legunt apud Apostolum 1. ad Timoth. 3. vers. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Operatio utique, quæ in Episcopatu adinvenitur, utilitas scilicet proximi, bona est, atque secundùm se exoptabilis; secus ut gradui præeminentiæ conjuncta. Sic Chrysostomus super Matthæum ad illa verba: *Principes Gentium dominantur eorum* — Opus „ quidem desiderare bonum est; quia nostræ „ voluntatis est, ut nostra merces. Prima„ tum autem honoris concupiscere vanitas „ est. Neque enim Apostolus laudem habe„ bit, quia Apostolus fuit, sed quia opus „ Apostolatus bene implevit —

Quomodo exoptabilis sit Episcopatus.

(A) Porro si opus hoc, ut inquiunt Tridentini Patres, onus involvit Angelicis humeris formidandum, quis usquam illud concupiscet? Quis usquam credet tali pollere sanctitate, ut propria Episcopi munia valeat implere? *Omnis Pontifex*, ait Apostolus ad Heb. 5. vers. 1. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*. Ubi Angelicus *Opusc. 18. cap. 18.* — „ Cum enim Episcopus mediator inter „ Deum, & hominem constituatur, opor„ tet, ipsum & in actione præcellere, in „ quantum Minister hominum constituitur, „ & in contemplatione præcipuum esse, ut (B) „ ex Deo hauriat, quod hominibus tradat— Quis autem adeo superbe sapiat, ut ad hæc, aliaque rite, sanctèque peragenda se aptum dijudicet?

Episcopatus opus formidandum.

7 Periclitabitur Ecclesia, inquiunt, si non itur ad Infulas. Quis pascet Gregem, si ultro sese non offerant, qui Pastoris officium velint assumere? Pauci admodum sunt, qui tantummodo Divino acti spiritu Sacris accenseantur Ministris: plerique humanis etiam alliciuntur; nec reprobandi: *Quid enim?* scribit Apostolus ad Philipp. 1. vers. 18. *Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur: & in hoc gau*(C)*deo, sed & gaudebo*.

Verùm enim verò quid hoc flebilius excogitari potest? Non Medicorum multitudo, sed unus, isque in arte præcellens, malevalentem sanat. Sed audiamus Bernardum Tract. *De Convers. ad Cler.* cap. 30. — Di„ latata videtur Ecclesia, ipse Cleri etiam „ Sacratissimus Ordo, Fratrum numerus „ super numerum multiplicatus est. Verùm „ esti multiplicasti Gentem, Domine, non „ magnificasti lætitiam, dum nihil minus „ apparet decessisse meriti; quàm numeri „ accessisse. Curritur passim ad Sacros Or„ dines, & reverenda ipsis quoque Spiritibus (D) „ Angelicis ministeria homines apprehen„ dunt sine reverentia, sine consideratione— Nec dum hi ad Ecclesiæ regimen assumuntur, Populis consulitur, sed ad eorundem perniciem eliguntur — Non est hoc consu„ lere Populis, sed nocere; nec præstare „ regimen, sed augere discrimen — docet Leo Dist. 61. Can. *Miramur*.

Multitudo Ministrorum, nisi sint digni, non prodest, sed officit.

Quod si pauci adinveniantur, qui Pastoralis officii habeantur digni, nil timendum est; etenim in protectione Cœli commoratur Ecclesia, adversùs quam nequaquam prævalebunt Portæ inferi.

Si pauci sint Ministri digni, nihil timendum.

(E) Fateor cum Augustino tolerandos fore Mercenarios. Verùm dum eorum Evangelizatio Fidelibus prodest, ipsimet nocere, indubium est. Sic S. Doctor *De verbis Domini* Ser. 49. — Sunt homines in Ecclesia, „ de quibus dicit Apostolus, qui ex occa„ sione evangelizant, quærentes ab homini„ bus commoda sua, sive pecuniaria, sive „ honorum, vel laudis humanæ... & non „ tam salutem ejus quærunt, cui annun„ ciant, quàm commodum suum. Ille au„ tem, qui audit salutem a Deo, qui non „ habet salutem, si ei crediderit, quem illo „ annunciat, neque in illo spem posuerit,

„ per

„ per quem illi annunciatur salus, qui annunciat, habebit detrimentum, cui annunciatur, habebit luctum -- Hi sunt de quibus ait Catechismus Romanus *Parte* 2. *De Sacram. Ordinis cap.* 7. §. 4. -- Verùm „ etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quàm Judas ex „ Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit --

Et licèt ex Apostoli Sententia Lex sive naturalis, sive Divina velit, ut qui Altari servit, de Altari vivat; quæstus tamen, & lucri causâ ad Altare accedere maximum sacrilegium est -- Nam, *inquit idem Catechismus*, qui in hoc Ministerium seipsos arroganter inserunt, atque introducunt, de „ his Dominum intellexisse dicendum est, „ cum inquit; Non mittebam Prophetas, & „ ipsi currebant; quo quidem hominum „ genere nihil infelicius, ac miseriùs, nihil „ Ecclesiæ Dei calamitosiùs esse potest --

8 His momentis pressi Ecclesiasticarum Dignitatum Amatores, sese continere non valentes, clamoribus aerem verberant, atque voce contendunt, nos damnare tum Prophetam, qui dicebat: *Ecce ego, mitte me*, tum præstantissimos Viros, qui ultro prædicationis munus, quod utique minoris perfectionis non est, quàm Episcopatus, adoptant, atque exercent. Nonne præsto est Numinis ausilium, ubi humanæ non suppetunt vires? illi quisque meritò se credat, nil de humana infirmitate pertimescens.

Isaias spiritu charitatis dixit: Ecce ego mitte me.

Utinam, qui Isaiæ venditant effatum, Isaiæ spiritus forent æmulatores! A Domino jam fuerat constitutus Propheta: *Et nunc Dominus meus misit me, & spiritus ejus* cap. 48. vers. 16. A Domino jam fuerat Seraphici ignis calculo emundatus. A Domino legitimæ vocationis signum acceperat, maxima scilicet urgente necessitate, quam satis innuebat vox illa: *Quem mittam?* Hinc non spe lucrandi ibat Propheta, sed irrisionibus appetendus, utpote dura ingrato Populo enunciaturus; proinde non spiritu præsumptionis, sed charitatis. Nec priusquam purgatus, aut requisitus esset, se obtulit, ait S. Thomas.

Munus evangelizandi gratiam prærequirit vocationis.

Excellentissimum evangelizandi munus veneramur; sed ad hoc itidem gratiam vocationis prærequirit Apostolus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur*, ad Rom. 10. vers. 15. -- Quasi dicat non digne -- ut subdit D. Thomas. Duplex vocationis genus exponit idem Angelicus; per interiorem scilicet inspirationem, ut de Præcursore habetur; vel per legitimam Prælatorum auctoritatem, 2. ad Corinth. 8. vers. 18. *Misimus cum illo fratrem, cui laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*. Qui sic mittitur, quamvis facundiæ, & potentiæ, inops sit, Dei speret adjutorium.

Primatum Ecclesiæ concupiscere, neque justum, neque utile est.

9 Reus totam cum Chrysostomo *Hom.* 35. *in Matth.* placet absolvere -- Primatum „ Ecclesiæ concupiscere, neque justum est, „ neque utile. Quis enim sapiens vult ultro „ se subjicere servituti, & periculo tali, ut „ det rationem pro omni Ecclesia, nisi fortè „ qui non timet Dei judicium --

DISSERTATIO CANONICA II.

AD CANONEM XIV. CONCILII SARDICENSIS.

DE RESIDENTIA EPISCOPORUM.

10 S*I quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; opus, ut explicat S. Hieronymus Epist. *ad Oceanum*, non dignitatem, laborem non delitias. Inter oves siquidem medius a Domino constituitur Episcopus, non tanquam qui recumbit, sed velut qui administrat. In sublimi sedet Sanctuarii Cathedra, venerabili Clericorum stipatus coronâ, num ut turgidam obsequiorum ebibat auram, ut decimarum opulentiâ avaritiæ expleat ingluviem? Falleris. Audi Augustinum *in Psal.* 126. -- „ Quomodo Vinitori altior locus fit ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior „ locus factus est, & de illo alto loco periculosa redditur ratio -- Vinitor est Præsul; & ideo ne vulpes Christi vineam demoliantur, obdormire ne audeat. Vinitor est; ideo ut omnem palmitem non ferentem fructum purget, apprime unumquemque noscere opus est. Vinitor demum est; adeoque arbores debet excolere, ut dent fructum tempore suo. Si vitis inutilibus frondescat pampinis, aut vomere non fossa, nec innovata arescat, si devastetur non custodita, Vinitoris crimini vertitur. Si ergo sordent Altaria, constuprantur Templa, Sacra violantur, profanantur Sanctuaria, nonne criminandi erunt Episcopi? Oscitanti Præsidi commendati Gregis adjudicantur delicta. Hujusmodi plane censendi sunt, qui alinrsum a Grege divagantur Episcopi, quibus Divino Jure mandatur Residentia.

Episcopus comparatur Vinitori.

Oscitanti Præsidi adjudicantur delicta Gregis.

DECLARATUR EPISCOPORUM RESIDENTIA DE JURE DIVINO.

11 IPsa multimodæ nomenclaturæ privilegia, quibus divinitùs insignitur Episcopalis Dignitas, realis Residentiæ jura indubie statuere videntur. *Apoc.* 2. Angeli, idest Nuncii nuncupantur Episcopi: *Isaiæ* 22. Vigiles, & Custodes super muros Jerusalem: 1. *ad Corinth.* 4. Ministri, & Dispensatores: 1. *Petri* 5. Dominici Gregis Pastores: *Ezech.* 3. Speculatores. Jam verò qualis Nuncius alieno loquitur ore? Quis Custos sedulò non agit excubias? Quis Vigilator alienis circumspicit oculis? Quis Speculator longe discedens nusquam prospectat, an hostes veniant? Agnosce, clamat Augustinus *Lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 19. Agnosce, opus tuum, Episcope; quia nomen operis habes, non honoris. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, clamat Apostolorum Princeps 1. Petri 5. vers. 2. *providentes non coactè, sed spontanee secundùm Deum: neque*

Episcoporum multiplex nomenclatura.

turpis lucri gratiâ , sed voluntarie : neque ut dominantes in Cleris , sed forma facti gregis ex animo ; morum nempe integritate , vitæ innocentiâ , exercitin virtutum , sanctimoniæ exemplo , prudentiâ , consilio . Ideo diecbat Areopagita *Ecclesiastica Hierarchia cap.* 13. -- Oportere ordinem purgativum alio„ rum , ex abundantia purgationis , quam in „ se habent, aliis communicare--Facti itidem forma Gregis ex animo , ut ovis morbida sanetur , sana consistat , ut errans revocetur , revocata non fugiat , ut esuriens pascatur , satiata pinguelcat , ut sterilis virtutibus fœcundetur , fœcunda coronetur . Ast quomodo forma Gregis efficitur Episcopus , qui luporum incursus flocci faciens , atque a Grege alienus aut delicias consectatur , aut Ecclesiæ Dignitatem , jura , & disciplinam Procerum libidini fœdissime subjicit , ut eorum benevolentiam aucupando suis famulentur cupiditatibus ? Quomodo ad Pastoris exemplum suos component mores Populi , si ejus vultum ignorant ? Mercenarius est , qui oves deserit ; Pastor autem & suas agnoscit oves , & ab eisdem agnoscitur . Nec aliunde sane depravatos Ecclesiasticorum mores collacrymatur Ecclesia , cullapsam Sacrorum Canonum observantiam , exundantem in Populis vitiorum eluviem , quàm ex Prælatorum absentia a Diœcesibus . Hos redarguit Dominus Zachariæ 11. vers. 17. *O Pastor , & Idolum , derelinquens gregem* ! Hos privationi communionis subjicit Canon Sardicensis XIV. -- Episcopo in aliena Civitate , & Provin„ cia , commorari non liceat absque urgenti „ necessitate ultra tres septimanas , aliter „ communione privandus -- Hos fructos facere suos vetat Tridentina Synodus *Sess.* 23. *cap.* 1. otpore divini .

Episcoporum munia.

12 Verùm Divinum Residentiæ jus clariùs innotescit ex Sacris eloquiis , quibus Episcoporum munia referuntur . Act. 20. vers. 28. legitur . *Attendite vobis , & universo gregi , in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos , regere Ecclesiam Dei* . Et Matth. 24. vers. 45. *Quis putas est fidelis servus , & prudens , quem constituit Dominus suus super familiam suam , ut det illis cibum in tempore* . Porro quisnam Dominus Gregem regit , eique dat cibum in tempore , nisi qui verbo , & exemplo , navat operam pro salute Populorum , publicis itidem eleemosynarum largitionibus , quibus Subditi recreentur ? Vacuum Episcopi nomen gerit , qui his liberaliter non incumbit ; ut habetur Dist. 85. Cap. *Fratrem nostrum* , & Distinctione eadem Cap. *Florentinum* . Vigiles etiam oportet , ut ad Sacrorum Canonum observantiam dirigat Presbyterium , ut idoneos præficiat Ministros , ut doctos , probosque Viros ad Sacrum Pœnitentiæ Ministerium assumat . Annua Diœcesis lustratione ovium mores debet exquirere , punire crimina , schismata componere , Clericos in officio continere , & quæcunque ad Ecclesiæ cultum , Fideliumque incrementum pertinent , constituere ; atque præscribere -- Quæ omnia (inquit Tridentina Sy„ nodus *Sessione supralaudata*) nequaquam ab „ iis præstari , & impleri possunt , qui Gregi „ suo non invigilant , sed Mercenariorum „ more deserunt . Sacrosancta Synodus eos „ admonet , & hortatur , ut Divinorum „ præceptorum memores , factique forma „ Gregis , in judicio , & veritate pascant , „ & regant --

Episcopus Sponsus est Ecclesiæ , cui præficitur.

13 Quod si casti Conoubii jura spectemus ; quis usquam inficias ibit , Sponsum debere insimul cum Sponsa vitam agere ? Ecclesiæ , cui adscribitur Episcopus , Sponsus est , Cap. *Inter corporalia . De translatione Episcoporum* , ubi Innocentius habet -- „ Cum ergo fortius sit spirituale vinculum , „ quàm carnale , dubitari non debet , quin „ Omnipotens Deus spirituale Conjugium , „ quod est inter Episcopum , & Ecclesiam , „ suo tantùm judicio reservaverit dissolven„ dum -- Et Cap. *Licet* eodem titulo legitur -- Quod in electione initum , ratum in „ Confirmatione , & in Consecratione intel„ ligitur consummatum -- Violator igitur fieri fœderis dicetur Antistes , qui posthabitis Residentiæ vinculis ab Ecclesia Sponsa longe vagatur .

OBJECTA REFELLUNTUR .

14 VErùm nescio quem obmurmurantem audio , qui me , ac meam Orationem tanquam Pontificiæ Sedi injuriosam succenset , a qua omnis Episcopalis descendit auctoritas , atque ad ejus nutum huic , vel illi Ecclesiæ præficitur Episcopus . Sacrilegi erunt in Jus Divinum Sanctissimi Pontifices , cum plures ex Episcopis ab onere residendi liberare non dubitent . Si Spirituale ipsorum Connubium fortius astruitur carnali , jam semel initum neque Pontificia dissolvi poterit potestate . Inter vigilantis hominis somnia hujusmodi Conjugium recensendum est , nisi Linum , & Cletum larvatos Episcopos dicere velimus , nulli namque præerant Ecclesiæ .

Sed hostem fingit , quem feriat Adversarius . Primæ Sedis splendorem prædicta non obnubilant ; sed plurimum dilucidare valent Amabo te : hunc , illumve in Pontificem eligunt Purpurati Patres ; ergone Papatus Juris est humani ? Si assentiris , non Pontificiæ Dignitati , sed Regiæ famulatris , & quem Ecclesiæ Principem extollis , alieno subdis judicio . Si autem illud refugis ; eccur vereris admittere Episcopalis Residentiæ onus Divini Juris ? -- Si , cum Pe„ tro dicitur , omnibus dicitur , amas me ? „ Pasce oves meas -- ait Augustinus Lib. *de Agone Christ.* cap. 30. Votum relaxat Pontifex ; non ergo Divini Juris erit ejusdem obligatio ? Conjugem duxit Servus : quod autem Deus conjunxit , homo sejungere non valet ; ergo non debet ad tempus thorum deserere , ut Domini justa exequatur ? A Deo est Episcopalis potestas ; sed Pontificiæ subordinata .

Episcopalis Potestas a Deo est , sed Pontificiæ subordinata .

Non est Episcopus sine Ecclesia .

Sine Ecclesia Episcopum non admitto ; quod satis innuit Concilium Chalcedonense *Can.* 6. , ubi absolute ordinari Clericos prohibet sine titulo , idest sine Ecclesia ; & ideo Joannes III. *Epist. unica cap.* 2. Linum , & Cletum , in solius exterioris administrationis adjutorium absque

absque ulla Clavium prærogativa a Petro adscitos fuisse declarat.

15 Quod si quis nervis omnibus contendat, verum fore Episcopum nulli licèt Ecclesiæ adscriptus habeatur; non Jurisdictionis, sed puri Ordinis dicetur, Sacramentorum Minister, secus ovium Pastor. Hunc porro mea hæc non ferit Oratio; quippe quæ ad eum dirigitur, quem ut Servum fidelem constituit Dominus super familiam suam. Hic Sponsus est, de quo Evaristus Epist. 2. *de Episcopis ejectis*, & refertur Cap. *Sicut vir* 7. q. 1. -- Sicut ei, *scilicet Christo*, „ sua conjuncta est Sponsa, idest Ecclesia, „ sic Episcopis junguntur Ecclesiæ, unicui„ que proportione sua . . . Et sicut Vir non „ debet adulterare Uxorem suam; ita nec „ Episcopus Ecclesiam suam, idest, ut illam „ dimittat, ad quam sacratus est, absque „ inevitabili necessitate --

Sicut Vir Uxorem ita Episcopus Ecclesiam non debet dimittere.

16 Sed quid plura? Audiant Episcopi Dominum per Ezechielem loquentem cap. 34., & contremiscant. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersa sunt oves meæ, eo quod non esset Pastor, & facta sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersa sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso . . . Propterea Pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum; & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem &c.*

Alloquitur Dominus in Scripturis Episcopos.

DISSERTATIO CANONICA III.

AD CAP. II. SESSIONIS VII. CONCILII TRIDENTINI.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

BENEFICIORUM PLURALITAS REPROBATUR.

17 OPtimo sane consilio, nec sine speciali divini Numinis afflatu Tridentina Synodus agens de Reformatione, indignam execratur Beneficiorum pluralitatem, atque mandat laudato capite in -- Nemo quacunque etiam „ dignitate, gradu, aut præeminentia præ„ fulgens, plures Metropolitanas, seu Ca„ thedrales Ecclesias, in titulum sive Com„ mendam, aut alio quovis nomine, con„ tra Sacrorum Canonum instituta, reci„ pere & simul retinere præsumat; cum val„ de felix sit ille censendus, cui unam Ec„ clesiam bene, ac fructuose, & cum ani„ marum sibi commissarum salute regere „ contigerit --

Tridentinum prohibet Beneficiorũ pluralitatem.

18 Nec aliter sane regenda, instituendaque Ecclesia est, si modum spectemus, quo eam Christus condidit, atque sacravit. Mittens enim per Universum terrarum Orbem Apostolos, ut Evangelicæ veritatis lucem ubique gentium diffunderent, atque Idololatriæ dissiparent tenebras, ipsis præcepit *Luc.* 9. ne duas tunicas haberent; in his porro affabre descriptas peculiares voluit Ecclesias Hugo Cardinalis, laudati textus scrutator egregius. Dum ergo duas habere tunicas prohibet Dominus, Prælatos edocet, ne plures adeant Præbendas, unius Præfecturæ contenti.

Christus docet ne quis duas habeat Præbendas.

19 Ecclesiæ Antistites velut Christi milites considerat Apostolus 2. ad Timoth. 2. vers. 3. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*. E munere namque ipsorum est Crucis vexillum deferre, tueri Evangelium, Fidei hostes arcere, & vincere. At verò militem duobus nomen dare, Juris vetat auctoritas, *l. qui militat, ff. Imposterum*.

Ecclesiæ Antistes velut Christi miles.

Fateor equidem cum Apostolo 1. ad Corinth. 9. neminem suis stipendiis usquam militare, & qui Evangelium enunciat, de Evangelio vivere debere; attamen ubi de Evangelio vivitur, duplicia denegantur stipendia. Audi sibimet loquentem Hieronymum *in cap. 3. Mich.* -- Permittitur Tibi, o „ Sacerdos, ut vivas de Altari; non ut luxu„ ries -- Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam, & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque, concordent. Qui plurium Titulorum emolumenta, sed non operam, nec plurium Ecclesiarum laborem assequitur, ipse quidem de Altari non vivit, sed luxuriatur. Propterea S. Bernardus *Ser. 23. super Cantic.* clamabat -- Timeant Clerici, „ timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris „ Sanctorum, quas possident, tam iniqua „ gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere de„ beant, minime contenti, superflua, qui„ bus egeni sustentandi forent, impie, sa„ crilegeque sibi retineant, & in usus suæ „ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum „ consummere non vereantur --

20 Boni nominis sit oportet, qui de Altari vivens, Altari deservit; & ideo Dominus Levit. 21. vers. 17. locutus est ad Aaron dicens: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo*. Porro inter maculas, quæ Sacerdotium vitiare possunt, dubio-procul recensetur ab Apostolo Beneficiorum pluralitas; scribens enim ad Timotheum Epist. 1. cap. 3. vult Episcopum unius uxoris virum. Carnalis ne Uxoris, an spiritualis? Spiritualis utique; cum Sacerdotum Sponsa sit Ecclesia, cui præsunt. Dividit autem cum Meretricibus spiritum suum, qui plures appetit, aditque, Commendas. Naturale Jus humanum indulget, ut unum unam tantummodo

Qui Altari deservit oportet esse sine macula.

Apostolus vult, unum unam habere Ecclesiam.

modo quis carnalem Conjugem habeat, & maximo deturpatur piaculo, qui plures fibi vendicat. Damnabilis itaque criminis reus erit, qui plures habebit Ecclesias.

OBJECTIONI FIT SATIS, ET ROBORATUR DOCTRINA.

21 VErùm ex laudata Pauli Epistola fibi plaudunt Adversarii, dum inibi Cap. 5. vers. 17. legunt: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo, & doctrina.*

Bene equidem; utinam non ad insipientiam. Duplici utique honore digni sunt, qui & docendo præsunt, & operando. Attamen qualis est duplex hujusmodi honor? Non alius sane, nisi spiritualis obedientiæ humilitas, & temporalis providentia. De illa dicitur Ecclesiastici 4. vers. 7. *Presbytero humilia animam tuam*; de hac verò ad Gal. 6. vers. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Perperàm igitur legit, qui ad duplicia Præbendarum distrahit textum; quoniam præesse debent Pastores, non ut a Sede honorem aucupentur, sed ut eidem conferant; non ut de Subditis pinguescant, sed ut Subditi ab ipsis pascantur. Non datum quærebat, sed fructum spiritualem requirebat Apostolus ad Philipp. 4. v. 17. De hoc honorandus est Præsul, ideo dicebat Dominus Luc. 22. vers. 25. *Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Quodnam quæso largiuntur beneficium Populis? si dum plures congerunt Præbendas, unice sibi studere in aperto est. Ecclesiastica bona sunt Fidelium vota, & pretia peccatorum, ut ait Urbanus Pontifex in sua Decretali, quibus Sacerdotum laborem, quasi dixerim, emunt, quo in viam salutis dirigantur.

Quomodo Præsules duplici honore honorandi.

22 A Domino super familiam suam constituitur Præsul tanquam fidelis Servus, & prudens, ut det escam in tempore. E re ipsius est, ut prava, indirecta, & aspera sint in vias planas, ut aberrantes ad veritatem revocentur; delinquentes corrigantur, ne pereant; rudes instruantur, ne desipiant; solentur tristes, ne desperent; fortes roborentur, ut proficiant. Hæc omnia sane perstrinxit Tridentinum *Sess. 23. cap. 1. de Reformat.* — Præcepto divino mandatum est om„nibus, quibus cura animarum commissa „est, oves suas agnoscere, pro his sacrifi„cium offerre, verbi Dei prædicatione, Sa„cramentorum administratione, ac bonorum „operum exemplo pascere, pauperum, alia„rumque miserabilium personarum curam „paternam gerere, & in cetera munia Pa„storalia incumbere — Ast quomodo hæc præstabunt, qui Beneficiorum pluralitate distracti, Ecclesiis suis assistere non valent? Quomodo huic obtemperabunt mandato, qui Præbendarum pluralitate præpediti, Gregem suum nequeunt dignoscere? Mercenariorum more commendatas sibi oves deserere necesse est, qui multiplicia exquirunt Beneficia, pia Fidelium vota fraudantes.

Præsul tanquam fidelis servus, & prudens.

Pastoralia munia nequeunt præstare qui multiplicia Beneficia aucupantur.

23 De his Pastoribus conqueritur Dominus apud Jeremiam cap. 12. vers. 10., & seq. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam; conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem: luxitque super me.* Durioribus tamen lacrymis flebunt isti cupiditatem suam; quoniam ipsorum non erit Regnum Cœlorum. Quod innuit S. Bernardus *Ad Comitem Theobaldum Epist. 271.* — Offendo procul-dubio, si ha„beo, quod requiritis .... Nam nec cui„quam vel Adulto plures in pluribus Ec„clesiis habere licet, nisi dispensatorie qui„dem ob magnam, vel Ecclesiæ necessita„tem, vel Personarum utilitatem ... Hinc „est, quod contra Deum nolo aliquid ha„beat, ne non habeat Deum —

Regnum Cœlorum non possidebunt.

Infaustum hocce omen comprobatum habemus a Philippo Magno quondam Parisiensi Cancellario. Quid illi profuerunt duplicia Beneficiorum stipendia? Quid multiplices Præbendarum fructus? Detractus est ad Inferos, atque sempiternis addictus suppliciis. Sic ipsemet terrà sub hominis larvà testatus est Guilielmo Parisiensi Episcopo, qui eum paterna sollicitudine admonuerat, ut pluralitati cederet Beneficiorum. Historiam habes apud Dionysium Carthusianum *Opusc. de Pluralitate beneficiorum.* Et licèt nec scientia, nec ratio sit apud Inferos; est tamen non fallax experimentum, quo viventes edoceantur, ut rectè sapiant.

Exemplum Philippi Magni ex Parisiensi Cancellario.

DISSERTATIO CANONICA IV.

AN EXCOMMUNICATIO AB HOMINE LATA ABSQUE PRÆVIA ADMONITIONE SIT VALIDA.

INJUSTA EST EXCOMMUNICATIO AB HOMINE LATA SINE PRÆVIA ADMONITIONE.

24 QUantùm exhorrenda, pertimescendaque sit Excommunicationis Sententia, ex eo facilè quisquam conjicere potest, quod per eam, qui Christo nomen dedit, visibiliter ab Ecclesia præscinditur; ut habet Augustinus Cap. ult. *De unit. Eccl.*; seu ut Cyprianus loquitur *Epist. 62.* — Spirituali gla„dio superbi, & contumaces necantur, „dum de Ecclesia ejiciuntur — Verùm, proh dolor! quò altiùs infligitur vulnus, eò minùs sentitur. Væ tamen spernenti. Sciat, non hominem, sed Christum spernere, ut nos docet Canonica Sanctio 11. q. 3. Cap. *Nemo* — Nemo contemnat Ecclesiasticæ vin„cula, non enim homo est, qui ligat, sed „Christus, qui nobis hanc potestatem de„dit — Apage nunc insanum Erasmi effatum *In colloquiis de Fide*, quo asserere non cru-

Excommunicatio multùm pertimescenda.

erubuit, Excommunicationem territare pueros, non quidem Viros fortes. Hæc igitur terrifica pœna, ut justa sit, præviam exigit monitionem.

De charitate venire debet Excommunicatio.

25 Corripiantur (Augustinus habet Can. *Corripiantur* 24. q. 3. relatus) — Corripiantur a Præpositis Subditi Fratres correptionibus de charitate venientibus, pro „ culparum diversitate, diversis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipsa, quæ „ damnatio nominatur, quam facit Episcopale judicium (quâ pœnâ in Ecclesia nulla „ major est) potest, si Deus voluerit, in „ correptionem saluberrimam cedere; atque „ proficere — Verùm enim verò de charitate nequaquam venit Excommunicatio, quam non præcedit monitio.

Canones præviam admonitionem exposcunt.

26 Qui tanto percutitur fulmine, prævenientis fulgoris coruscationem videat, inde ictum sustineat; ita traditum habemus Can. *Reprehensibilis. De Appellationibus* — Præsenti „ Decreto statuimus, ut nec Prælati, nisi „ Canonica commonitione præmissa, Suspensionis, vel Excommunicationis Sententiam „ proferant in Subditos —

Excommunicatio a Jure monitione non indiget.

27 De ea porro Excommunicatione loqui Canones decet vos scire, quæ ab homine dicitur. Illa enim, quæ a Jure nuncupatur, videlicet per Legem, aut Statutum, pronunciatur, monitione non indigere haud dubium est; quippe Lex ipsa semper loquitur, semperque urget transgressorem.

NON TANTUM INJUSTA EST, SED ETIAM INVALIDA.

28 At verò nedum injustam, sed nullius fore momenti Excommunicationem absque prævia admonitione Jura proclamant. Irritus siquidem meritò censetur actus ille, cui essentialis deficit forma.

Ex Evangelio eruitur monitio præmittenda.

Adeamus primò Evangelium, & Christo Magistro, percipiamus, quæ forma, quisve substantialis præmittendus sit modus. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, Matth. 18. vers. 17. At quomodo dicetur, non audire Ecclesiam, quem ipsa Ecclesia non monet?

Itidem ex Apostolo.

Primum formalis Excommunicationis testimonium exhibuit Paulus, ubi incestuosum Corinthium tradidit Satanæ; sed & eaemplar ferendæ Sententiæ docuit, cum 2. ad Thessal. 3. vers. 14. scripsit: *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini, cum illo, ut confundatur*, Ad Titum 3. vers. 10. vitandum præcipit aberrantem a Fide; verùm non nisi admonitum: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.*

Canones volunt pedetentim Judices procedere.

29 Hinc etiam Canones volunt, pedetentim Judices procedere — Ut Judices non „ festinato, temere, & imprudenter... „ ea quacunque levissima causa, unico verbo, Censuræ gladio, quem jugulent — Temerariæ festinationis crimen dubio-procul non efugiet Pastor, qui Subditum nil tale cogitantem graviter anathemate percellit. Et meritò sane. Cum enim monitio præcedit, quid magis deceat, attenditur, mens

A componitur, ita sedatur.

Excommunicatio non ligat ignorantem.

Ignorantem non ferit Ecclesiasticus gladius Can. 2. *De Constitut.* in 6. — Ut animarum periculis obvietur, Sententiis per „ Statuta quoruncumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen ignorantia crassa non fuerit, aut supina — Et Can. *Si verò. De Sententia Excommunicationis* — Si verò aliquis in Clerum nutrien„ tem comam manus injecerit violentas, „ propter hoc nou debet Apostolico præsen„ tari conspectui, nec etiam Excommuni„ catione notari: dummodo ipsum esse Cle„ ricum ignoraverit — Utique criminis igno-

B rat turpitudinem, qui nec lege, nec verbo, minantem novit Judicem.

30 Heu quot perdidit improvidus Prælati Zelus! — Quo circa (eum admonet „ Nazianzenus *Orat.26.*) ne citò, ac temere „ membrum feces, ac projicias; cum incer„ tum sit, an hac ratione partes quoque „ sanæ perniciem aliquam contracturæ sint — Discat a Christo, qui curaturus Asiæ Antistites gladium deferebat in ore: Apoc. 1. vers. 16. *Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat*. Appareat in ore monentis, inde ad manum exequentis descendat.

C

UNA DILUITUR OBJECTIO, ET CORROLARIUM ANNECTITUR.

Qualis pœna sit Excommunicatio.

31 Clamas, medicinam non fore Censuras sed pœnam. Esto. Sed qualis sit, habes ex Augustino Lib. 1. *contra Adversarium Legis, & Prophetarum cap.* 17. — „ Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut „ Ethnicus, & Publicanus; quod gravius „ est, quàm si gladio feriretur, si flammis „ absumeretur, si feris subigeretur — Ecquid enim magis reformidare debet Christianus,

D quàm a Christi corpore separari? Si ab ipso sejungitur, jam non est membrum ejus; propterea nec ab ejus spiritu roboratur. Quo pacto igitur gravis adeo pœna, monitione prætermissa, poterit infligi?

Nemo inauditus punitur.

Juris naturalis esse novimus, neminem inauditum posse puniri. Immo priusquam a Fidelium cœtu quemquam sejungat Ecclesia, modis omnibus, hisque suavibus studere debet errantem revocare, infirmum sanare; ut satis apte innuit Canon *Ecce* 24. *q*. 3. — Quæcunque (*crimina*) non fuerint „ patientiæ leni medicamento sanata, velut „ igne quodam piæ increpationis urenda

E „ sunt, & curanda; quod si nec sic quidem „ æquanimiter sustinentis, ac pie increpantis „ medela processerit, in eis, qui diu portari, „ ac salubriter objurgati corrigi noluerins, „ tanquam putres corporis partes debent fer„ ro Excommunicationis abscindi —

Solùm contumax Excommunicatione feriendus.

In eam ad unum omnes confluunt Sententiam, tantummodo contumacem Excommunicatione feriendum; quod & S. Thomas ajebat *in Suppl. quæst.* 21. *art.* 3. — Excom„ municatio infligi non debet etiam pro pec„ cato mortali, nisi contumax fuerit — Porro contumax ille censetur, qui obtempe-

rare

tare retractat. -- Tunc enim (prosequitur ,, S. Doctor) postquam monitus fuerit, si ,, contempserit, contumax reputatur -- Si autem quis non moneatur, quo jure obedire nolle judicabitur? Quomodo contumax dicetur? Monitionem itaque omnimode præmittenda est.

32 Hanc monitionem decernunt Canones Cap. *Sacra de Sentent. Excommunicationis* in 6., Cap. *Statutum* sub eodem titul.; & alibi sæpe, & unam quidem pro substantiali valore, trinam pro solemnitate Fori. Can. *Constitutionem, de Sentent. Excommunicationis* in 6. -- Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas ut Canonice promulgetur Excommunicationis Sententia, statuunt Jura ,, præmitti, Judices sive monitionibus tribus ,, utantur, sive una pro tribus, observent ,, aliquorum dierum competentia intervalla, ,, nisi facti necessitas ea suaserit moderanda --

Canones ad valorem unam petunt monitionem, trinam ad solemnitatem.

33 Excipies tamen Excommunicationem latam in Communicantes cum Excommunicatis; ut in aperto est ex Canone *Statuimus, de sentent. Excommunic.* in 6. Hanc quippe Generale Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. nullam declarat, nisi trina in proprietate præcedat monitio. Id etiam ad Sententiam Suspensionis, & Interdicti, extendit Gregorius X. Can. *Statutum* eodem Titulo; cujus Constitutionis rationem reddit Glossa, ut nimia facilitas cohiberetur anathematizandi participantes. Hoc autem momentum apte deservit, ut nulla quæcunque declaretur Censura, ubi nulla præcessit monitio.

Exceptio aliqua.

34 Hæc quidem certa credimus, nisi criminis notorietas a communi regula cogat recedere. Notorium porro aliud est facti, contumaciæ alterum. Notorium facti tunc censetur, cum delictum publicum est, atque nullimode obvelari potest. Notorium contumaciæ importat evidentiam perversæ voluntatis, qua reus admonitionem se conculcantum profitetur. Notorium facti sine prævia admonitione puniri non valet. Potest tamen sine prævia admonitione puniri Notorium contumaciæ; ipsa enim obduratæ pravitatis manifestatio æquivalet inobedientiæ præmissarum admonitionum. Potissimùm cum Excommunicatio, utpote ex essentiali conceptu medicinalis, Evangelicæ sapit naturam correptionis, quæ præcepti vim non consequitur, quoties spes non apparet emendationis, propterea inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 6. -- Ubi probabiliter æstimatur, quod ,, Peccator admonitionem non recipiat, sed ,, ad pejora labatur, est ab hujusmodi cor- ,, reptione desistendum --

Notorium aliud facti, & aliud contumaciæ.

35 Ex hoc inferas velim, Judicem non debere Reum diris vovere, si nulla subsit spes resipiscendi, nisi delicti gravitas exigat, vel ut alii terreantur, vel ut a simili noxa abstineant. Can. *Quapropter* 2. q. 7. -- Ut ,, transgressionis ultio fiat, & ceteris inter- ,, dictio delinquendi -- Can. *Ad liberandum, de Judæis, & Saracenis* -- Quod si fortè sol- ,, vendo non fecerint, sic aliàs reatus talium ,, castigetur, quod in pœna ipsorum aliis ,, interdicatur audacia similia præsumendi --

Utinam omnes ea, qua par est reverentia, obediant Evangelio, ne tam acri medicina contumaces curari debeant.

DISSERTATIO CANONICA V.

AD CANONEM I. CONCILII ANDEGAVENSIS ANNO 453. IN GALLIA CELEBRATI.

DE EXEMPTIONE ECCLESIASTICORUM A JUDICIIS SECULARIBUS.

36 UNiversam Ecclesiasticæ immunitatis Provinciam elucidandam minime aggredior. Quis enim in tanta rerum, & difficultatum varietate, temporis coarctatus angustiis, pro rei dignitate verba faciet? In præsentia itaque sermonem instituo de Concilii Andegavensis Canone, qui eò tendit, ut Valentiniani III. infirmaret Sanctionem, qua anno 452. qualcunque Ecclesiasticorum causas, iis dumtaxat exceptis, quæ ad Fidem immediate pertinent, Secularibus Judiciis subjecerat. Imperialis hujusmodi Constitutio infausta illa sacrilegæ impietatis projecit semina, quibus toties Ecclesia vexata fuit, donec in apertam eruperunt Hæresim, quam in Angliam invexit Henricus VIII., atque inde Apologeticis Scriptis tutatus est Jacobus Primus Britannorum Rex, eique agglomeratis Argumentorum quisquiliis suppetias tulit Marcus Antonius De Dominis Apostata Spalatensis. Attamen ea quovis tempore fuit veritatis conditio, ut vividior exurgeret, atque felicior viresceret. Hinc ad Clericalis Dignitatis splendorem plura inita Concilia, multiplices editi Canones.

DEFENDITUR PRIVILEGIUM FORI CLERICORUM.

37 ET sane quid indignius, quàm Pastorem ab ove judicari, liberum a Servo, filium ab alienigena, Sacrum a profano? Tantò altior effectus est Ecclesiasticus Ordo, quantò nobilius præ aliis nomen hæreditavit. Hoc apprime novit Magnus Constantinus, quo oblatos querimoniarum Libellos, quæ quosdam inter Episcopos versabantur, jussit exuri, subdens -- Vos etenim ,, nobis a Deo dati estis Dii, & conveniens ,, non est, ut homo judicet Deos -- Sic apud Ruffinum *Lib.* 1. *cap.* 2.

Indignum est Superior ab Inferiori judicari.

Dii sunt, quos sibi ipse speciali jure in obsequium delegit Deus, sui cultus præfecit Ministros, Dominici Corporis constituit Custodes, effectores Sacramentorum, atque Mysteriorum Dispensatores; propterea -- ,, Non a Legibus publicis, non a Potestati- ,, bus Seculi, sed a Pontificibus, & Sacer- ,, dotibus, Omnipotens Deus Christianæ Re- ,, ligionis Clericos, & Sacerdotes, voluit or- ,, dinari, & discuti -- Can. *Imperator* dist. 96.

38 Eo Dignitatis, ac excellentiæ gradu Christi Sacerdotium excedit Aaronicum, quo corpus umbram, veritas figuram, atque

Sacerdotium Christi excellsius Aaronico.

eum

cum Apostolo loquar, Domina Ancillam, caro Spiritum, Magisterium Pedagogiam; unde egregie dicebat Leo Magnus Serm. 8. *De Passione Domini* -- Nunc, & Ordo clarior „ Levitarum, & Dignitas amplior Seniorum, „ & sacratior est unctio Sacerdotum -- Æquum igitur est, melioris Testamenti Clericos meliori etiam veneratione excipi; ut apte Alexander III. in Concilio Lateranensi relatus Can. *Non minus, de Immunitate Ecclesiast.* in 6. -- Non decet, Ecclesiam Dei „ minùs liberam esse tempore Principum „ Christianorum, quàm fuerit tempore „ Pharaonis -- Porro Gen. 47. cum Joseph universam Ægypti Terram subjiceret Pharaoni, liberos voluit Sacerdotes. Artaxerses quoque Persarum Rex pro Ministris Sanctuarii ad Ministros suos scripsit: *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, Nathinæis, & Ministris Domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos.* 1. Esdræ cap. 7. vers. 24. Quid damnabiliùs itaque in Lege Gratiæ laicali potestati subdere Ecclesiasticum Ordinem?

Sacerdotes liberos esse voluit Pharao.

Quid Artaxerses Persarum Rex.

Hinc meritò Marcellinus Papa II. q. 1. Can. *Clericum*, ajebat -- Clericum cujuslibet Ordinis, absque Pontificis sui permissu, „ nullus præsumat ad Sæcularem Judicem „ attrahere, nec Laico quemlibet Clericum „ liceat accusare -- Et Can. *Nullus, de Foro competenti* gravi pœna mulctatur, qui id attentare præsumit -- Nullus Judicum, neque „ Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Ecclesiæ sine „ permissu Pontificis, per se distringere, aut „ condemnare præsumat. Quod si fecerit ab „ Ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignoscitur, tandiu sit sequestratus, quousque „ reatum suum cognoscens emendet --

Canones de privilegio Fori Clericorum.

39 Et sane si Aaron Sacerdotum Principi Levitas subesse voluit Dominus, ne in eos Jus ullum terrena Potestas haberet, Numer. 3. vers. 9., & seq. *Dabisque dono Levitas Aaron, & filiis ejus, qui traditi sunt a filiis Israel*; quantò magis decuit, ut Præsulibus suis subessent Christianæ Religionis Ministri?

Nullum Jus habebat terrena Potestas in Levitas.

Ita plane -- Nullus Clericus alium Clericum ad Judicem Secularem accusare, „ aut ad causam dicendum trahere quocunque modo præsumat, sed omne negotium „ Clericorum, aut in Episcopi sui, aut „ Presbyterorum, cum Archidiacono præsentia finiatur -- Sic definivit Concilium Matisconense 1. q. 1. Canoni 6. insertum. Et eadem causâ Can. *Si quis* -- Si quis autem Laicus Clericum cujuscunque gradus „ esse pulsandum, ad Episcoporum judicium „ in eadem Civitate, vel Territorio constitutorum proponat eis, quas se habere existimat actiones -- Quod & sequenti Canone ex Concilio Agathensi *cap.* 32. repetitur -- Clericum nullus præsumat apud Secularem Judicem, Episcopo non permittente „ pulsare, sed si pulsatus fuerit, non respondeat -- His concinunt Bonifacius I. *ad Honorium Augustum*, Cajus *ad Felicem*; Leo *ad Episcopos Africæ*, Gelasius I. *ad Anastasium Imperatorem*, aliique passim . . .

Alii Canones.

VERSUTIÆ MARCI ANTONII DE DOMINIS, ET MAIMBOURGI EVERTUNTUR.

40 AD hæc erigit aures versipellis Apostata Marcus Antonius de Dominis, nosque irridet, quasi Clericos Christo majores efficere velimus, magisque deferre Presbyteris, quàm Evangelicæ Legis Auctori. Se Cæsaris Ministro subjectum agnovit Christus: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joan. 19. vers. 11.; & exundans Romanorum Ecclesiasticorum superbia Regibus ipsis dedignatur subesse? Vere cum Lucifero in lateribus Aquilonis posuit Sedem suam, ut inde in barathrum detrudatur confusionis. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, clamat Apostolus ad Rom. 13. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis*, repetit Petrus Epist. 1. cap. 2.

Quis non execratur os blasphemum? Siccine in Filium Dei assurgis? Siccine tibi vilescit Salvatoris Majestas? Haud tamen mirandum, quod Domini Majestatem deprimas; cum ejusdem veracitati sacrilegos Desertor non credas. Si Christum Pilato subdis, ex quo legis: *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper*; cur ipsum non subjicis Militibus, Satellitibus, Tortoribus, immo & Dæmonibus, cum audis Lucæ 22. vers. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*? Si ublatus est, quia ipse voluit, jam in aperto est, voluntarium Judicem, a quo damnaretur, eligere voluisse.

Christus Pilato, & Militibus, quia voluit, se tradidit.

41 Verùm quoniam ad Scripturas nos appellas, Scripturas adeamus. Matth. 17. vers. 23., & seqq. litteraliter hujusmodi quæstio occurrit. Petrum alloquuntur Judæorum Ministri: *Magister vester non solvit Didrachma . . . Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens: quid tibi videtur Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Jesus. ergo liberi sunt Filii.* Liber itaque est Filius Dei; terrenæ non subjicitur potestati.

Terrenæ Potestati non fuit Christus subjectus.

Quod si ubi Regis Filius immunis est, eodem immunitatis privilegio familiares ejusdem obsequio specialiter addicti congaudent, fas est immunem quoque Ecclesiasticum Ordinem peculiariter in sortem Domini vocatum concedere. Hoc satis innuit ipse Dominus subdens vers. 26. *Da eis pro me, & te.* Quasi dicat: Liber sum ab onere solvendi, utpote Filius Regis: liber tu quoque, utpote domesticus meus: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad Mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me, & te.*

42 Ex his Scripturis satis superque eruitur esse Juris Divini Immunitatem Ecclesiasticam. Et sane Divini Juris fore plura declaravere Concilia. Coloniense II. sub Julio III. *Can.* 1. *partis* 4. -- Immunitas Eccle-

Immunitas Ecclesiastica est de Jure Divino.

„si astica

„ siastica vetustissima res est, Jure pariter „ Divino, & humano introducta -- Lateranense sub Leone X. *Sess. IX.* -- Cum a Jure „ tam Divino, quàm humano Laicis potestas „ nulla in Ecclesiasticas Personas attributa „ sit, innovamus omnes, & singulas Con„ stitutiones &c. -- Lateranense sub Innocentio III., ut habetur in Cap. *Nimis*, *de jurejurando* -- Nimis de Jure Divino quidam „ Laici usurpare nituntur, cum Viros Ec„ clesiasticos nihil temporale obtinentes ab „ eis, ad præstandum sibi fidelitatis Sacra„ menta compellunt -- In Can. *Quanquam*, *de censibus* in 6. Bonifacius VIII. habet -- Eccle„ siæ, Ecclesiasticæque Personæ non solùm Jure „ humano, sed etiam Divino a Secularium „ Personarum exactionibus sunt immunes -- Tridentinum denique *Sess. XXV. cap.* 20. *de Reform.* -- Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum Per„ sonarum immunitas Dei ordinatione, & „ Canonicis Sanctionibus instituta est --

Quod si legitima Scripturarum Interpres, Apostolica Sedes Ecclesiastici Ordinis exemptionem a Seculari Potestate Juris Divini credidit, fieri nequaquam potest, ut Scripturis adversetur.

43 Laicos igitur sunt allocuti sive Petrus, sive Paulus, ubi Principibus coactivam præceperunt subjectionem; Laicos monuere, ubi Regum timere gladium docuerunt.

Omnis anima suis Potestatibus subdita.

Omnis quidem anima sublimioribus Potestatibus subdita sit, sed quæque suis. Annon sublimes Potestates sunt Presbyteri, quos duplici honore dignos censuit Apostolus? Annon Episcopi præcellenti hujusmodi fulgent præeminentia, quos regere Ecclesiam Dei posuit Spiritus Sanctus?

Sapientissimi Imperatores Immunitatem agnoverunt Ecclesiasticà.

Hoc noverunt sapientissimi æque, ac potentissimi Principes, qui olim Imperii Jura propugnabant. Audiant Caroli Magni, & Ludovici Pii legem *lib. 6. cap.* 109. relatam -- „ Clerici etiam non Secularibus Judicibus, „ sed Episcopali audientiæ reserventur. Fas „ enim non est, ut Divini muneris Ministri „ temporalium Potestatum subdantur arbi„ trio -- Audiant Valentiniani Senioris effatum -- Super nos est vestrum negotium, & „ ideo vos de vestris inter vos agite causis; „ quia supra nos estis -- Et Marcianus Cap. *De Episcopali Audientia*, habet -- Volentes „ Ecclesiarum Clericum aliqua lite pulsare, „ ad Episcopum causam dicant -- Et Justinianus *Constit.* 123. -- Si Ecclesiasticum ne„ gotium sit, nullam communionem habento „ Civiles Magistratus cum ea disceptatione, „ sed Religiosissimi Episcopi secundùm Sa„ cros Canones negotio finem imponunto -- Propterea & jure, & meritò Alexander III. Lib. 2. *Decretalium* Tit. *De Judiciis* Can. 4. concludit -- At si Clerici coram Seculari „ Judice convicti fuerint, vel confessi de „ crimine, non sunt propter hoc a suo Epi„ scopo aliquatenus condemnandi; sicut „ enim Sententia a suo non Judice lata non „ tenet, ita nec facta confessio coram ipso --

44 Veneranda sunt hæc Venerabili Ecclesiasticorum Choro concessa privilegia, submurmurat Ludovicus Maimbourg; at ubi abusus subrepit potestatis, Regium patet Parlamentum; Appellationi tanquam ab abusu, præsto esse debet Secularium Judicum examen, atque Sententia.

Privilegium Fori Clericorum nequit eludi.

Verùm quis unquam Politicum Hominem docuit, Sacrosanctas illas Sanctiones fallaciis eludere, quas iteratis Sessionibus firmarunt innumera cujuscunque, & potissimùm Gallicanæ, Nationis, Concilia: quas repetitis Canonibus ab universis Catholici Orbis Academiis adoptatis, Apostolica Sedes roboravit: quas Imperatores, atque Christianissimi Principes Populis servandas tradiderunt: quas, ut propugnarent, tot Sanctissimi Præsules exilia passi sunt, & sæpenumero fortissimi Martyres sanguinem suderunt; quas demum naturale lumen dictat, Jusque Divinum approbat?

45 At, inquit, in Ecclesiastico judicio si abusus obrepat, quis vindex habebitur, nisi Parlamentum?

Appellatio ad Parlamentum nulla.

Admirabile sane magisterii genus, minorem injustitiam velle majori vindicare. Si Ecclesiastica potestas excelsior est Seculari, pluris ne faciendum est privatum unius Clerici damnum, quàm Hierarchici Ordinis perversio, quàm Superioris dignitatis Jus, atque decus? Si Appellatio, ut ajunt, ab abusu, adoptetur, quænam Ecclesiasticorum causa a laicali Jurisdictione erit immunis, cum justissima quæque de abusu criminentur? In Tridentino adversùs Novatores actum esse, legimus, qui cum vocati accedere noluerint, calumniati sunt Patres, quod, inaudita Parte Sententiam dixerint. Parlamentum Itaque hac super re judicet, & sanctiora quæque Jura susdeque vertet. Cavete igitur vigilantissimi Præsules, ne delinquentem Clericum puniatis; nam æquam criminis pœnam abusum dicet. Sinite Presbytero, ut perdite vivat; ad Parlamentum appellabit, si in ipsum animadvertet Ecclesiastica potestas. Quid porro absurdius?

Clerus Gallicanus.

Præstat audire, quid sentiat Clerus Gallicanus Tract. *De libertate Ecclesiastica* Tom. 1. cap. 9. -- Omnium maiorum, vulnerumque, „ quibus Ecclesiastica Potestas, & disciplina „ aliquando afflicta est, illud maximum, „ quod ab Appellationibus tanquam ab abusu „ recepit. Artificium a Regiis Officialibus „ excogitatum, ut omnes causas Ecclesiasti„ cas, quarum nulla eis cognitio, aut ju„ dicium competit, suis Tribunalibus adi„ cerent. Cum enim nihil in Mundo sit, „ cui non abusus aliquis objectari possit; ita „ nulla jam erit Persona Ecclesiastica cujus„ cunque gradus, aut dignitatis sit, quæ „ colore, obtentuque exercitii abusus, non „ ad pedes sisti possit profani Tribunalis, „ prostratâ interim, captivâque ea libertate, „ quæ & Galliæ ornamento, & toti Terra„ rum Orbi olim exemplo fuit, id est, quod „ ultimo hoc Seculo Ecclesiæ Gallicanæ au„ ctoritatem justa & venerationem subtrahit, „ ac sacram morum disciplinam plane sub„ vertit --

46 Canonum Custodes, instat ille, constituti sunt Principes, Jurisque naturalis Custodes.

Custodes Canonum debent tueri Canones.

Egregie sane. Si igitur Custodes sunt, tueantur Canones, non evertant. In aperto est, ipsos Ecclesiasticum Ordinem a Seculari-

ribus

tribus Judicibus immunem velle. Quomodo igitur Custodes Canonum censendi erunt, qui ad profanum Tribunal Clericos attrahunt?

47. Consuetudinem jam inoletam urget Adversarius, quam veriùs dixisset corruptelam.

Consuetudo adversus Ecclesiasticam immunitatem nulla.

Ceterum Privilegii robur non fortitur consuetudo etiam immemorabilis, si Jus quovis tempore obstet. Porro Jus naturale, Divinum, tum Canonicum, tum Civile, antiquitatis pondus, effususque Martyrum sanguis, incapaces reddunt Laicos pro Ecclesiasticorum causis judicandis.

Nec damnata consuetudo longissimo etiam tractu valet præscribere. Quamlibet autem consuetudinem adversùs Ecclesiasticam immunitatem reprobant Canones, quorum Custos Secularis Potestas dicitatur. Can. *Noverit*, *de Sentent. Excommunic.* legitur -- Nec non excommunicamus, & qui „ de cetero observare fecerint Statuta, Edi„ cta, & Consuetudines introductas contra „ Ecclesiæ libertatem -- Et Can. *Clericis*, *de Judiciis* -- Cum Imperator dicat, quod Le„ ges non dedignantur Sacros Canones imi„ tari, in quibus generaliter traditur, ut de „ omni crimine Clericus debeat coram Ec„ clesiastico Judice conveniri, non debet in „ hac parte Canonibus ex aliqua Consuetu„ dine præjudicium generari -- Ubi Gloss. -- „ Consuetudo irrationabilis est, quæ contra „ nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, vel Ec„ clesiæ libertatem tendit -- Hinc quotidie inclamant Romani Pontifices, conqueruntur, Censuras infligunt adversùs violatores Ecclesiasticæ libertatis.

Quandoque ad evitanda Scandala vim patiuntur Clerici.

Quod si quandoque inviti vim patiuntur Clerici; ut majora evitentur scandala, injuriam sustinent. Noverunt siquidem, plurimos potentià fretos spiritualem gladium parvipendere. Verùm non ideo justior censenda est causa, quia potentior.

Rem igitur absolvamus cum Tridentino *Sess.* 25., *de Reformat. cap.* 3. -- Nefas sit „ Seculari cuilibet Magistratui prohibere „ Ecclesiastico Judici, ne quem excommu„ nicet, aut mandare, ut latam Excommu„ nicationem revocet, sub prætextu quod „ contenta in præsenti Decreto non sint ob„ servata, cum non ad Seculares, sed ad „ Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat --

PARS QUARTA.

DISSERTATIONES HISTORICÆ.

DISSERTATIO HISTORICA I.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM.

Romæ in Academia Concilii.

APOSTOLI FIDEI SUMMAM, QUÆ SYMBOLUM VOCATUR APOSTOLORUM, CONCINNARUNT.

1 QUamvis, ut testatur Chrysostomus *Hom. 4. in Act. Apost.*, quamvis esset Petrus os omnium, causam Fidei ageret pro omnibus, doctrinâ suâ instrueret omnes, ipse præcipuus Fidei Assertor, præcipuus Catechista haberetur, & primus extiterit Verbi Concionator, primusque coegerit Ecclesiam: cum omnium Pastor fuerit a Domino constitutus, ex omnibus Nationibus cogere cœperit oves, docens eos Fidem simul, & Apostolicos mores; nihilotamenminus ingravescente in Judææ Regionibus persecutione, gravique procellâ, quassatâ Ecclesiæ naviculâ, dum Apostoli quæruntur ad necem, consilium iniere, ut in omnem Terram Evangelicæ prædicationis sonus exiret. In eam jampridem devenerant Sententiam, ut Gentibus veritatem enunciarent, licèt iisdem jam pateret Ecclesiæ ostium, atque ob hoc Evangelium conscripsisset S. Matthæus. Verumenimverò ut Domini mandatum, statutumque consilium complerent, Herodis Agrippæ odium eos compulit, & demandatâ singulis prædicandi Provinciâ die decima quinta Julii, ut plurima referunt Martyrologia, anno Christi 37., sive 44. ut pluribus placet, Jerosolymis discesserunt Apostoli.

Apostoli consilium ineunt, ut per totum Orbem Evangelizarent.

Horum Princeps Petrus ad Arcem Romani deputatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium salutem revelabatur, fortiùs ab ipso Capite in præcipua Orbis parte diffunderetur, ibique omnium sacrilegiorum destrueretur impietas, ubi esquisita superstitione collectum adinveniebatur quidquid per Universum, qua late patet, Orbem vanis erroribus fuerat institutum. Joannis prædicationi minor Asia concreditur, Andreæ Sustharum conversio, Philippo Asia superior. Thomas apud Parthos, Medos, Persas, Brachmanos, Indos evulgavit Evangelium. Bartholomæus majorem Armeniam, & citeriorem Indiam docuit: Æthiopiam Matthæus: Mesopotamiam Simon Zelotes: Thadæus Arabiam, & Idumæam peragravit; sicut & Judæam Matthias, ubi cum prædicasset Jacobus Major ante Apostolorum profectionem ad Gentes, Herodis jussu, obtruncato capite, Martyrio coronatus est. Jacobus verò Alphæi cognomento Justus, Domini Frater, primus Jerosolymorum creatus Episcopus, ibidem Fideles excolebat in Fide.

Divisio prædicationis Apostolicæ.

Hinc facessant eorum commenta, qui aut sortibus commissam Provinciarum partitionem contendunt, aut eam cuique commendatam, cujus dialectum peculiariter quis noverat. Omnes sane die Pentecostes repleti Spiritu Sancto loquebantur Apostoli omnium linguis. Et licèt ante Paracleti adventum sortibus commiserint proditoris Judæ Apostolatum, postmodum dirigente Numine operabantur; quod satis innuit S. Marcus cap. 16. vers. 20.: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Dirigente Numine facta fuit hæc partitio.

2 Sed antequam Apostoli commendatum sibi Gregem instituendum susciperent, communi consilio Fidei Summam, quæ universa Catholicæ Religionis Dogmata perstringeret, constituerunt, quamque vulgari vocabulo Apostolorum Symbolum Ecclesia nuncupare consuevit. Eo veri Christi Milites a simulatis discriminabantur, & consona etiam in verborum serie doctrina Gentibus tradebatur. Hanc igitur Fidei Summam concinnarunt Apostoli, ut in Evangelii evulgatione apparens non haberetur diversitas; & ut recenter conversi faciliùs Mysteriorum veritate imbuerentur, altiusque commendaretur memoriæ.

Quandonam, & cur Apostoli Symbolum confecerint.

3 Porro ab ipsismet Apostolis fuisse concinnatum non nisi impudenter negari potest. Præclare siquidem ab Augustino *Lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.* habemus -- Quod universa tenet Ecclesia, nec „ Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate „ traditum rectissime creditur --

Imprudenter negatur Symbolum ab Apostolis fuisse concinnatum.

Nec hac super re veneranda antiquorum Patrum desiderantur testimonia. Etenim Irenæus *Lib. 1. adversùs Hæreses cap. 2.* scribit -- Ecclesia per Universum Orbem ad „ fines Terræ seminata, & ab Apostolis, & „ a Discipulis eorum accepit eam Fidem, „ quæ est in unum Deum Patrem omnipo„ tentem --

Tertullianus *Lib. de Præscriptionibus cap. 37.* -- In ea regula incedimus, quam „ Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, „ Christus a Deo tradidit -- Porro regulæ nomine Symbolum intelligere compertum est ea bis, quæ tradit *laudato loco cap. 13., & 31.*

Clariùs ex S. Ambrosio *Sermone ult. de Jejunio Eliæ*, ubi de Symbolo agens scribit -- „ Ista autem ipsa Clavis, quam Fidem di„ cimus, videamus quemadmodum conster,

quem-

„ quemadmodum solida sit . Arbitror illam duodecim Artificum operatione conflatam ; Duodecim enim Apostolorum Symbolo Fides Sancta concepta est , qui velut periti Artifices in unum convenientes , Clavem suo consilio conflaverunt . Clavem enim quandam ipsum Symbolum dixerim , per quam referantur Diaboli tenebræ , ut lux Christi adveniat --

Ruffinus in idem confluit , in Præfatione namque Expositionis Symboli *ad Laurentium* habet -- Tradunt Majores Nostri , quod „ post Ascensionem Domini , cum per adventum Spiritus Sancti supra singulos quosque Apostolos igneæ linguæ sedissent , ut loquelis diversis , variisque loquerentur , per quod eis nulla Gens extranea , nulla linguæ barbaries inaccessa videretur , & invia , præceptum eis a Domino datum hoc , ad prædicandum Dei verbum , ad singulas quemque proficisci Nationes . Discessuri itaque ad invicem , normam sibi priùs futuræ prædicationis in commune constituunt ; ne fortè alii aliò adducti , diversum aliquid his , qui ad Fidem Christi invitabantur , exponerent . Omnes enim in uno positi , & Spiritu Sancto repleti , breve istud futuræ sibi , ut diximus , prædicationis indicium conferendo , quod sentiebat unusquisque , componunt , atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt -- Quid manifestius ?

Demum pluribus prætermissis , Ephesina Synodus in relatione ad Theodosium Augustum de Nestorii depositione , agens de Symbolo -- Fides , *inquit* , initio quidem a „ Sanctis Apostolis tradita , postea verò a trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæna expusita -- Quid igitur certius ?

4 Sed quid de modo concinnandi Symbolum dicam ? Anne singuli singulas protulere Sententias ? aut unus Petrus , ceteris approbantibus , omnes retulit ?

Quomodo symbolum constituerint Apostoli .

Indubie Symbolum ita conditum fuit , ut Apostolus quilibet unum Fidei Articulum enunciaverit . Hoc testatum habemus ex Ruffino *loco superiùs cit.* -- Omnes igitur in uno „ positi , & Spiritu Sancto repleti , breve istud futuræ , ut diximus , prædicationis indicium in unum conferendo , quod sentiebat unusquisque componunt --

Ejusdem labii fuisse S. Leonem in aperto est ex Epist. 13. *ad Pulcheriam Augustam* -- „ Siquidem ipsius Catholici Symboli , brevis , & perfecta confessio , quæ duodecim Apostolorum totidem est signata Sententiis , tam instructa sit in munitione cœlesti , ut omnes Hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio obtruncari --

Quod si Augustino concedimus Sermonem 115. *De tempore* , & Clementi Epistolam *ad Jacobum* , quæ saltem antiqui Auctoris dubio-procul censenda est , ulius non superest ambigendi locus .

Et sane æquum erat , ut qui omnes Sancto Spiritu fuerant repleti , generalia Fidei rudimenta suis confirmarent Sententiis .

Porro si hujusmodi opinio , quam veriorem credimus , propugnetur , jam palam fit , Symbolum ab Apostolis ante Jacobi necem conditum , privatis illis congressibus , in quibus aptiora ad enunciandum Gentibus Evangelium meditabantur .

Ante Jacobi necem psum conditorum ;

A CALUMNIIS VINDICATUR .

5 EXeat nunc nescio quis ex Anglia sacrilegus Christi Desertor , & inscite laudatum Symbolum venditare studeat tanquam a Romanis Presbyteris confictum , ex quo in Apostolorum Actis hac de re altum sit silentium .

Non fuit a Romanis Pontificibus confictum .

An ignorat impius Evangelicæ legis dignitatem , quæ , stupore amoris , tabulis non indiget commendari ? Audiat Hieronymum Epist. 61. *ad Pammachium* ipsum redarguentem -- Symbolum Fidei , & Spei nostræ , „ quod ab Apostolis traditum , non scribitur in charta , aut atramento , sed in tabulis cordis -- Audiat Chrysologum -- Symbolum Fidei , sola Fide firmatur : non litteræ , sed spiritui creditur , & mandatur cordi , non chartæ --

Et sane ea omnia , quæ vera Dei credit Ecclesia , num scripta sunt ? Num quæ tantummodo Scriptis tradiderunt Apostoli , docuerunt ? Num solùm quæ litteris mandata legimus , Christus enunciavit ? Ubinam legis , quæ per quadraginta dies Apostolos docuit loquens de Regno Dei ? Ubinam quæ incipiens a Moyse , & Prophetis , interpretatus est ? Perperàm igitur nos admonet Apostolus ? 2. Thessal. 2. vers. 15. *Tenete Traditiones , quas didicistis sive per sermonem , sive per Epistolam nostram* . Tene & tu , o Hæretice , & crede , inquit Ambrosius Epist. 7. *ad Siricium* -- Symbolo Apostolorum , quod „ Ecclesia Romana intemeratum semper custodit , & servat -- *Intemeratum custodit* ; non ergo illud finxit . *Semper* ; non ergo post tertium cœpit Seculum . *Apostolorum* ; non igitur a Romanis Presbyteris confictum .

Non fuit criminandi Romani qui in Sacris Cp. Symbolum non canebant .

6 Neque verò criminandi sunt illi , immo laudibus sunt prædicandi , qui non nisi post alias Ecclesias in Sacris usurpare cœperunt Symbolum Contuminopolitanum . Apostolorum doctrinæ addictissimi illud omittebant , ne in eo execratas approbare viderentur Hæreses . Ita Berno Augiensis Lib. *de rebus ad Missam spectantibus* cap. 2. -- Cum „ Romanorum Presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarentur , cur post Evangelium , ut in aliis Ecclesiis fiebat , Symbolum (*supple Cp.*) non canerent , me assistente , audivi eos ejusmodi responsum reddere , videlicet , quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla Hæreticos fæce infecta , sed secundùm Sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcussa ; & ideo magis ipsis necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare , qui aliquando Hæresi potuerunt maculari . At Imperator non antea destitit , quàm omnium consensu id Domino Benedicto (scilicet VIII.) persuasit , ut ad publicam Missam illud decantaret --

Unica igitur Fidei regula ab Apostolis tra-

In symbolo Apostolorum omnes Fidei articuli.

tradita sat erat Romanæ Ecclesiæ, nusquam Hæresis coinquinatæ, pro qua rogavit Christos, ut non deficeret; immo ipsà solâ, ut inquit S. Leo Epist. 13. *contra Euth.* -- Om„nium fere Hæreticorum machinæ destruun„tur -- Nec immeritò; cum & ipsis Hæreticis comperium sit, omnes Fidei articulos ab ea complecti. Hoc fatetur Lutherus *In tria Symbola tom.* 7. -- Apostolorum Symbolum „brevissime, & quodam veluti compendio, „omnes Christianæ Fidel Articulos comple„ctitur -- Fatetur & Calvinus Lib. 2. In„stit. cap. 16. §. 8. dum affirmat Symbolum plenam, & omnibus numeris absolutam Fidei Summam continere; quamvis ejusdem Auctores Apostolos renuat asserere.

DISSERTATIO HISTORICA II.

DE EODEM SYMBOLO APOSTOLORUM.

Variæ appellationes Symboli Apostolorum.

7 SYmbolum ab Isidoro Lib. 2. *de Ecclesiasticis Officiis* cap. 22. dicitur collatio, ex quo plures in unum conferunt; a Ruffino *de Expositione Symboli ad Laurentium* vocatur Indicium, quatenus indicantur, qui recte credunt, & Fideles ab Infidelibus secernuntur; a Maximo Taurinensi *de Tradit. Symboli* signaculum Fidei; Regula a Smaragdo *Dominica I. post Pentec.*; a Paschasio *in Præf. lib. de Spiritu Sancto* Summa, qua brevi methodo credenda complectuntur; Tessera denique nuncupatur a S. Petro Chrysologo Serm. 62. *de Symbolo Apostolorum*, quatenus per illud cum Deo pactum inimus in Baptismate.

Heretici qui negarunt Symbolum ab Apostolis compositum.

8 Laurentius Valla Lib. 4. *Invect.* contra Pogium primus omnium ausus est affirmare, Apostolicum Symbolum falsò adscribi Apostolis. Erasmus *in Præf. Comment. in Matth.* se nescire fassus est, an ab illis conditum. Brentius *in sua Catechesi* dubitavit. Calvinum Lib. 2. *Instit.* cap. 16. hac super re nil sollicitom habemus. Chamierus Lib. 9. *de Canone* cap. 10. vel falsum esse affirmat proditum ab Apostolis, vel parum a falso distare. Spinas, & Soræus, ne Traditiones adoptent, nusquam ipsos Auctores fateri voluerunt Apostolos; quod & perfracte propugnavit Colloqoium Parisiense, aliique ejusdem furfuris homines.

DICENDUM tamen est, Symbolum Apostolorum fuisse ab ipsismet Apostolis compositum.

9 PROB. I. Ex S. Augustino *Epist.* 118. *cap.* 5. -- Ut quid horum sit facien„dum, si Divinæ Scripturæ præscribit au„ctoritas, non sit dubitandum, quin ita „facere debeamus, ut legimus, ut jam non „quomodo faciendum, sed quomodo Sacra„mentum intelligendum sit, disputemus. „Similiter etiam si quod horum totum per „Orbem frequentat Ecclesia. Nam, & hinc, „quin ita faciendum sit, disputare insolen„tissime insaniæ est -- Sed Ecclesia laudatum Symbolum frequentat, atque adoptat ut ab Apostolis proditum, dicente S. Irenæo Lib.

A 1. *adversùs Hæreses* cap. 2. -- Ecclesia enim „per Universum Orbem, usque ad fines „Terræ seminata, & ab Apostolis, & a „Discipulis eorom, accepit eam Fidem, „quæ est in unum Deum Patrem omnipo„tentem -- ergo.

10 PROB. II. Apostolus ad Philipp. 3. scribens ait vers. 16. *Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Porro regula hujusmodi alia non est, teste Tertulliano Lib. *De Velandis Virginibus* cap. 1., nisi Symbolum Apostolorum -- Regula Fidei una omnium „est, sola immobilis, & irreformabilis,

B „credendi scilicet in unum Deum Omnipo„tentem, Mundi Conditorem, & in Fi„lium ejus Jesum Christum &c. -- hancque ab Apostolis habitam fatetur Lib. *de Præscriptionibus* cap. 37. -- In ea regula incedimus, „quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a „Christo, Christus a Deo tradidit -- Et Lucifer Calaritanus confirmat Lib. 2. *adversùs Constantium Imp.* -- Formam disciplinæ, & Re„gulam Fidei per Apostolos traditam -- ergo.

11 PROB. III. Ecclesia *in Canticis* bene ordinato assimilatur Exercitui: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*; unde Ruffinus Lib. *de Expositione Symboli* haber -- Denique,

C „& in bellis civilibus hoc observari ferunt, „quoniam, & armorum habitus par, & so„nus vocis idem, & mos unus est, atque „eadem Instituta bellandi; ne qua doli sur„reptio fiat, Symbola distincta unusquisque „Dux suis militibus tradit, quæ latinæ signa, „vel indicia, nuncupantur, ut si fortè oc„currerit quis, de quo dubitetur, interro„gatus Symbolum prodat si sit hostis, vel „socius -- Atqui hæc adoptati sunt Apostoli pro Spirituali militia, ut præfatus Ruffinus *ibidem* refert -- Id enim fecerunt Apo„stoli &c. -- Cui concinit S. Maximus Hom. *De Traditione Symboli* -- Apostoli Ecclesiæ Dei

D „Mysterium Symboli tradiderunt, ut quia „sub uno Christi nomine credentium futura „erat diversitas, signaculum Fidei inter Fi„deles, perfidosque, discerneret -- ergo.

12 PROB. IV. De Lege nova scribitur Jerem. 31. vers. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*; sed ut scriberetur in corde, Symbolum condiderunt Apostoli, ut docet præter Hieronymum *Epist.* 61. Ruffinus *in Expositione Symboli* -- Idcirco hæc non scribi chartulis, „aut membranis, sed requiri credentium „cordibus tradiderunt -- & S. Petrus Chry-

E sologus *Serm.* 62. -- Symbolum Fidei sola „Fide firmatur: non litteræ, sed spiritui „creditur, & mandatur cordi, non char„tæ -- ergo.

13 PROB. V. Necesse est, unum esse Fidem per Universum Orbem enunciandam, sicut unam Ecclesiam, unumque Caput ejus, ad Ephes. 4. vers. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*; sed ob hoc Symbolum condiderunt Apostoli, ut sæpe laudatus Ruffinus affirmat *in Præf. Exposit. Symboli* -- Di„scessuri itaque ad invicem, normam sibi „priùs futuræ prædicationis in commune „constituunt, ne fortè alii aliò adducti, di-

versum

„ versum aliquid his, qui ad Fidem Christi „ invitabantur, exponerent — ergo.

14 PROB. VI. Ad Rom. 10. vers. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Cum autem fieri nequaquam possit, ut omnes singula Dogmata retineant, opus fuit ad compendium ea revocare, quæ & corde credere, & ore confiteri quilibet posset. Audiatur Cassianus Lib. 6. *de Incarnat.* cap. 3., & 4. — Collata ab Apo„ stolis Domini totius Catholicæ Legis Fide, „ quidquid per diversum Divinorum Volumi„ num corpus immensâ funditur copia, totum „ in Symboli colligitur brevitate perfecta — Et S. Leo Epist. 13. *ad Pulcheriam Augustam* — Siquidem ipsius Catholici Symboli, brevis, „ & perfecta confessio, quæ duodecim Apo„ stolorum totidem est signata Sententiis, „ tam instructa sit in munitione cœlesti, ut „ omnes Hæreticorum opiniones ipsius pos„ sint gladio detruncari — ergo.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR MOMENTA.

15 OBJIC. I. De Symbolo hoc altum est silentium apud Lucam; ergo non ipsum condiderunt Apostoli, sed veriùs finxerunt Romanæ Ecclesiæ Pontifices.

RESP. Fidei Symbolum utpote quod amoris est Lex, non indiget tabulis commendari, sed in corde, ut habet Chrysologus — Symbolum Fidei, sola Fide firmatur: „ non litteræ, sed spiritui creditur; & man„ datur cordi, non chartæ — Sic etiam Hieronymus respondit Pammachio ipsum redarguens *Epist.* 61. — Symbolum Fidei, & „ Spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, „ non scribitur in charta, aut atramento, „ sed in tabulis cordis —

Cur in Act. Ap. altum silentium de Symbolo.

16 DICES. Non est utique minoris momenti Fidei confessio, modusque illam confitendi, quàm oratio, orandique modus: sed Apostoli suis scriptis commendarunt orandi formam a Christo traditam; ergo potiori jure conscribere debuissent Fidei Summam.

RESP. Proh quàm inscite talia promuntur? Quisnam Spiritus Sancti consiliarius fuit? Quis conscribendi normam tradidit? Quæ voluit, Canonicis dictavit Scriptoribus, & secundùm Sapientiam beneplaciti sui calamum Scribæ direxit. Innumera fere, ut testatur Joannes, Christus, dum in humanis agebat, peregit; plurimum iisdem laboraverunt Apostoli, plura passi sunt, ut ipsis enunciatum est a Christo, plurima similiter patraverunt prodigia, ut Marci ult. promissum fuerant. Nunc placet inquirere, cur hæc potius de Christo Scriptis tradita, præ aliis, quæ indubie præclarissima fuisse certo certius est? Cur tot itinera, tot labores, tot conversiones, tot Apostolorum miracula prætermissa? Una plane omnium ratio est: Spiritus, ubi vult, spirat.

17 OBJIC. II. Si compendium Fidei fuisset immediate ab Apostolis traditum, Canonicis jure merito accensendum esset documentis. Canonici namque Doctores erant Apostoli; sed dubio-procul nusquam fuit in Canone relatum; ergo.

RESP. Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 9. contendit, ea ratione in Canone non fuisse descriptum, quia, non Spiritu Sancto revelante, sed solummodo suggerente, editum est; ob quod in Canone non reponerentur familiaria Apostolorum colloquia, si ab audientibus scripta non fuissent, & de facto in eo describuntur Concilia. Verùm momentum hoc pluribus non arridet. Etenim Apostoli immediata revelatione agebant; cum fundamentales essent Ecclesiæ lapides; propterea æquali afflatu Symbolum edidere.

Cur in Canone non describitur Symbolum Apostolorum.

Lorca *ibid.* asserit, non contineri in Canone; quia primam non continent revelationem, sed revelatæ doctrinæ explicationem. Attamen neque hujusmodi solutio adoptanda videtur. Siquidem universaliores Fidei Articuli sunt primariò revelati, & totius Spiritualis ædificii fundamenta; hos porro immediate continet laudatum Symbolum.

Satius igitur est dicere, in Canone non recenseri; quia ab Apostolis Scriptis non est commendatum. Quomodo enim inter Scripturas recenseri debet, quod non est scriptum? Dicamus itaque ad Verbum Dei traditum ipsum spectare.

18 DICES. Quod non est indubiæ veritatis, ab Apostolis editum nequaquam dici debet: sed Symbolum est hujusmodi: cum probari fas sit per Scripturas, in quas resolvitur, & ex quibus componitur, ut docet Cassianus superiùs *num.* 14. laudatus; ergo.

RESP. Instantia habetur a Waldensibus, eorumque Sectatoribus; sicut e Calvimiana Confessione *art.* 5. contendentibus, Symbolum fore adoptandum, quatenus Verbo Dei cohæret. Verùm prælaudati Patres in nostris probationibus relati omnimodam Symbolo infallibilitatem attribuere non dubitant. Et meritò sane; ejusdem siquidem certitudinis est revelatio habita sive oretenus, sive scripto, sive verbo, sive chartæ commendata. Indubiam prorsus fortitur auctoritatem, sive ex parte Auctorum, qui sunt Apostoli a Spiritu Sancto missi, atque edocti; sive ex parte Mysteriorum, quæ in eo continentur, utpote præcipua, spectantia ad Deum, ad creaturas, & ad gloriam; sive ex parte suscipientium, nempe Fidelium, qui Ecclesiam constituunt, cujus fundamentum sunt Apostoli, unde si nutaret Symbolum, nutaret & fundamentum.

Symbolum Apostolorum omnino infallibile.

Perperàm dein dicitur, Symbolum probari per Scripturas. Nam aliud est probari per Scripturas, aliud consonare Scripturæ. Fides utique tum per Symbolum, tum per Scripturas comprobatur: utrique namque consonat; nec incongruum est duplici medio idem evinci. Quædam habemus ex novo, veterique probata Testamento; quia in utroque adinveniuntur. Ceterum si apte loquendum est, Symbolum ex Scripturis non constatur; sive quia non omnes illius Articuli in Scripturis leguntur; sive quia novum Testamentum præcessit, si Matthæi Evangelium excipias, de quo quæstio occurrere posset, num priùs conscriptum. Illud tamen invicte propugnandum est, Apostolos & in Symbolo, & in Scripturis, eandem nobis Fidem tradidisse.

Proprie non probatur per Scripturas.

19 OBJIC.

19 OBJIC. III. Abs re dicitur ab Apostolis editum, quod prævie ad ipsos legebatur. Symbolum prævie ad Apostolos legebatur; non enim in veteri Lege illorum Articulorum desiderabatur notitia; & in antiquo Hebræorum Symbolo, quod omnibus proponebatur, in tredecim capita diferti erant Articuli, de Dei scilicet Unitate, Simplicitate, Æternitate, Scientia, Providentia, & mediis Prophetis promittebantur præmium, & pœnæ, Messias, mortuorumque resurrectio, ut ex Breviario Hispanico Hebræorum refert Genebrardus in Symbolo Fidei ex Rabbi Mose Ægyptio Parisiensis editionis an. 1569. Symbolum igitur perperam dicitur ab Apostolis editum.

RESP. Quæ nos præsentia credimus, ut futura videbant Patriarchæ, & Prophetæ; & ideo Joan. 8. dicebat Christus vers. 56. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum*. Verùm cum res eadem aliter annuncietur in figura, aliter in veritate, ut docet S. Augustinus *Lib.* 19. *contra Faustum cap.* 16., hinc fit, Articulos Fidei excellentiori modo ab Apostolis fuisse traditos, quàm ab antiquis Patribus, & longe plura luculentiùs insinuisse mysteria, quæ ab ipsis nequaquam explicata fuere, ut Trinitatis Mysterium, Incarnationis Christi, Nativitatis, Passionis. Propterea vere ipsi Apostoli fuere Auctores Symboli, licèt quidam ex Articulis quoad substantiam in Hebræorum Symbolo reperiantur.

In Symbolo Hebræorum plura mysteria non erant explicata, ut in Symbolo Apostolorum.

20 OBJIC. IV. Symbolum male dicitur Apostolorum opus; cum incongrue sit dispositum.

I. Recenset inter Fidei Articulos veritates naturales, ut eæ sunt, quæ ad Dei unitatem, & Providentiam, pertinent.

II. Divinas inter Personas inæqualitatem constituere videtur, dum de una plures, de altera pauciores constituit Articulos.

III. Deficit itidem in necessariis; nam de Sacramentis, quæ sunt Ecclesiæ fundamenta, & potissimùm de Eucharistia, ad quam reliqua ordinantur, eitque specialioris difficultatis, altum habet silentium.

RESP. Symbolum concinne dispositum esse affirmat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 8., & 9. Fides namque respicit pro objectu Deum, quæque ad ipsum ordinantur. Deus autem, & in se, & relate ad suos effectus consideratur. In se Unus est, & Trinus. Unitas in primo; Trinitas in diversis Articulis ad Personas spectantibus renunciatur. Effectus Dei ad triplicem ordinem referuntur, Naturæ scilicet, Gratiæ, & Gloriæ. Ordo Naturæ in Articulo Creationis exprimitur; ordo Gratiæ in Mysterio Incarnationis, quod est gratia unionis, & primum, sicut & mensura ceterorum. Attinent ad hoc Nativitas, Passio, Sepultura, insimul Resurrectio, & Ascensio, suntque media nobis Gratiam demerentia, & Sancti Spiritus missionem sanctificantis Ecclesiam, & dantis remissionem peccatorum. Demum ordo Gloriæ in Articulo de Resurrectione, & vita æterna apte describitur.

Symbolum concinne dispositum.

Nec obstant objecta. Ad I. Ultro admittimus doctrinam Pauli ad Rom 1., quâ evincit, inexcusabiles fuisse Philosophos, eo A quod Deum non cognoverint, nec coluerint, nec Juris naturæ præcepta servaverint; cum Deus, ejusque Providentia ex visibilibus dignoscatur. Multa tamen occurrunt circa Dei Providentiam difficillima, quæ perspicue Fidei lumine percipiuntur, & declarantur. Quapropter optime etiam pro Sapientibus Dei unitas Fidei Articulis accensetur. Præterea Deus unus Auctor est, & Provisor ordinis sive Naturæ, sive Gratiæ; & quantum ad utrumque in Symbolo refertur.

Dei unitas etiam pro sapientibus Fidei articulis accensetur.

Hæc per naturalia momenta Deo convenire compertum sit, sicut per scientiam plures dignoscuntur veritates, quas nihilo- B minus credere necesse est, sive quia citiùs, expeditiusque homo ad divinæ veritatis agnitionem per Fidem pervenit, quàm per scientiam, quæ non nisi duro labore comparatur; sive quia Divinitatis notitia communis esse debet, & plerique sunt, qui eam vel ob ingenii tarditatem, vel ob terrenorum involucra, vel ob torporem acquirere non valent: ne autem hi tali fraudentur cognitione, proponitur per modum Fidei; sive tandem, quia humana ratio circa Divina est fallibilis, ea propter in multos prolapsi sunt errores Philosophi. Unde Fide credenda traderentur, oportuit, ea etiam, quæ omnimodam habent C certitudinem, ut legere est apud S. Thomam 2. 2. *q.* 2. *art.* 4.

Ad II. Nulla inæqualitatis suspicio conjici potest in Personis, ex quo plures Articuli de Personis Filii, & Spiritus Sancti, quàm de Patre constituantur. Pater siquidem non mittitur, secus Filius, & Spiritus Sanctus, qui ad Creaturarum utilitatem mittuntur; unde plura credenda occurrunt; adeoque multiplicandi erant Articuli.

Cur de Filio, & Spiritu Sancto plures articuli quàm de Patre.

Ad III. Sacramentum Eucharistiæ comprehenditur sub Gratiæ effectibus, qui in Articulo de Ecclesia, & Remissione peccatorum continentur; & difficultates, quæ oc- D currere possunt, per Articulum Omnipotentiæ enucleantur.

21 OBJIC. V. Ab Apostolis nequaquam editum esse potest, quod præcipuo fini adversatur, atque ducit in errorem: sed Symbolum prout impræsentiarum dispositum, est hujusmodi; ergo. Evincitur Minor. Nam finis is est, ut per Symbolum Fideles ad unum omnes corde, & ore profiteantur Fidem ad justitiam, & ad salutem; hoc porro Peccatoribus adversatur; quod sic probatur. Peccatores nequeunt dicere, *Credo in Deum*; etenim Fidem, quam formatam vocant, non habent, & aliàs talis actus ab E ipsa elici debet, siquidem dicit motum in Deum tanquam in ultimum finem per dilectionem. Hinc error Lutheranorum, qui volunt, Peccatores non aliam habere Fidem, nisi quam Dæmones habent. Est & error alter circa Articulum Ecclesiæ, in quam credere dicimus. Ecclesia enim quid creatum est; particula autem *in* innuit tendentiam in Deum, cum sit motus Fidei in ultimum finem. Fieri igitur nequaquam potest, ut Symbolum taliter concinnatum fuerit ab Apostolis. Hoc ducti momento negant Eruditi, ab iisdem conditos fuisse Canones, qui Apostolorum nuncupantur. RESP.

Quid sit credere.

RESP. Utique finis condendi Symbolum is fuit, ut omnibus æqualiter deserviret. Quod ut explicetur, notandum, quod credere, ut ex Augustino Lib. *De Prædest. Sanctorum* cap. 2. habemus, nil aliud est, quàm *assensione cogitare*, triplicem habens habitudinem, & respectum. Primus respectus est ad objectum materiale, idque præcipuum, quod est Deus, sicut & ea, quæ ad ipsum sunt; & secundùm hunc dicitur credere Deum; quia Deum existere confitemur. Est alter respectus ad formale objectum, quod est revelatio, seu prima veritas loquens; & secundùm hunc dicitur credere Deo, quia ipsi loquenti, & revelanti assentimur. Tertius est ad objectum ut ad finem; & secundùm hunc dicitur credere in Deum, quia in ejus assecutionem movemur. Duo primi communes sunt Fidei sive informi, sive formatæ. Ultimus Fidei Formatæ tantummodo competit; siquidem credere in Deum importat assensum intellectus moti, & directi a voluntate in ultimum finem, propter quem credere volumus, & ad quem Fidei actum referimus.

Doctrina hujusmodi est Augustini *Serm.* 181. *De tempore* ad illa verba Symboli *Credo in Deum*, ubi habet — Non dicit: Credo „ Deum, vel Credo Deo, quamvis & hæc „ saluti necessaria sunt. Aliud est enim cre„ dere in illum, aliud credere illi, aliud „ credere illum. Credere illi est credere „ vera esse, quæ loquitur; credere illum, „ credere, quia ipse est Deus; credere in „ illum, diligere illum — Idem tradit Tract. 29. *in Joan.* — Quid est credere in eum? „ Credendo amare, credendo in eum ire, „ & ejus membris incorporari — Diversi hi respectus actum Fidei non multiplicant, sed solummodo in eodem actu diversæ dantur habitudines ad diversas formalitates in adæquato Fidei objecto adinventas. Tertia tamen habitudo actum charitatis in voluntate requirit; propterea ipsa in solis Justis est invenire, dicente Augustino *loco laudato de tempore* — Credere vera esse quæ loquitur, „ multi & mali possunt; credere autem ip„ sum esse Deum, & Dæmones possunt; „ credere verò in Deum soli noverunt, qui „ diligunt illum, qui non solùm nomine „ Christiani sunt, sed & factis, & vita, quia „ sine dilectione Fides inanis est — Et ex Tract. cit. — Sed si creditis in eum, credi„ tis ei; Non autem continuò qui credit ei, „ credit in eum —

His positis, quantùm ad objectionem Lutheranorum jam patet ex mox dictis. Quoad primum principale argumentum respondere potest ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 9. *ad* 3. — Quod confessio Fidei tradi„ tur in Symbolo quasi ex Persona totius „ Ecclesiæ, quæ per Fidem unitur; Fides „ autem Ecclesiæ est Fides formata. Talis „ enim Fides invenitur in omnibus illis, qui „ sunt numero, & merito de Ecclesia, & „ ideo confessio Fidei in Symbolo traditur, „ secundùm quod convenit Fidei formatæ, „ ut etiamsi aliqui Fideles Fidem formatam „ non habent, ad hanc formam pertingere „ studeant —

22 Quibusdam solutio hujusmodi non A arridet; siquidem qui gravi irretiti sunt crimine, quandoque ad Fidei confessionem tenentur, atque secundùm Symbolum credere. Porro in eo casu vel eliciunt actum Fidei formatum, quasi in Persona Ecclesiæ, vel informem. Si primum; jam sunt justificati. Si secundum; non credunt in Deum. Unde credunt actu Fidei, quomodo plures Infideles credunt, scilicet Deum esse; ideoque nonnulli affirmant, ipsos delinquere, nisi Charitatis actum eliciant quia omnia, & ipsum actum Fidei tenentur in Deum referre; & insuper mendacii reos volunt.

Peccatores veraciter credunt in Deum sed imperfecto modo.

RESP. itaque, actum Fidei elici posse B ab intellectu moto a voluntate dirigente in finem ultimum perfecte, & imperfecte, seu per Charitatem, & Spem. Actus Fidei relatus in finem ultimum perfecte, in solis Justis adinvenitur, & ipsi proprio etiam nomine in Deum credunt; alii verò solùm objective, & Ecclesiæ nomine. Hic porro actus imperfectus est etiam in Peccatoribus, & vere inter Fidei actus recensetur; non enim Fides informis essentialiter a formata discriminatur, & Spes vere tendit in Deum ut assequendum. Veraciter itaque credunt in Deum, licèt imperfecto modo. Hinc Joan. 12. vers. 42., & seq. dicitur: *Verum-* C *tamen & ex Principibus multis crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Proinde non peccant, nec mentiuntur; moventur enim sub pia affectione per Spem in Deum. Hoc modo Dæmones non credunt, omni charitate, & spe carentes. Infideles verò non credunt secundùm regulam Fidei: unde de ipso Deo perperàm sentiunt; adeoque in eis non est vera Fides.

An sit articulus Fidei in Ecclesiam.

23 Quoad Articulum de Ecclesia duplex occurrit solutio. Prima propugnans, adesse in Symbolo illam particulam *in*, usur- D par *Ecclesiam*, ut facit unum cum Articulo de Spiritu Sancto; quatenus creditur in Spiritum Sanctum Ecclesiam sanctificantem. Unde Anselmus affirmat, dici posse *in Ecclesiam*; cum in isto effectu increata Veritas, nempe Spiritus Sanctus invenitur; reddit enim sensum: Credo in Sanctam Ecclesiam, idest in Spiritum Sanctum suis donis venientem, & sanctificantem Ecclesiam. S. Augustinus Epist. *ad Neophitos*, relata *distinct.* 4. *de Consecrat. cap.* 1. circa hanc difficultatem eos sic admonet — Intelligite, nos dicere, & dixisse, „ ut in Ecclesia Sancta Catholica in Deum „ crederetis —

E Solutio altera negat, apponendam esse particulam *in*; cum hæc importet tendentiam in ultimum finem, & nullum creatum est finis Fidei nostræ. Propterea S. Cyprianus *in Expositione Symboli*, seu potius Ruffinus, cui merito illud Opusculum adscribitur, asserit particulam *in* discriminari Creatorem a Creaturis. Redarguendus tamen Erasmus, dum *in Colloquio de Fide* ob eam rationem, non fore admittendam scribit, quia Ecclesia falli potest, utpote aggregata ex hominibus; cum illud indubium sit, esse Columnam veritatis. Quare particula *in* non fuit ab Apostolis apposita,

posita, ut innuit Ruffinus, sed fortuito adjecta ob connexionem cum anterioribus Articulis. Rem totam habemus ex S. Thoma *laudato loco ad* 5. -- Dicendum, quod » si dicatur: In Sanctam Ecclesiam Catholicam, hoc est intelligendum secundùm » quod Fides nostra refertur ad Spiritum » Sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit » sensus: Credo in Spiritum Sanctum sanctificantem Ecclesiam. Sed melius est, & » secundùm communiorem usum, ut non » ponatur ibi *in*, sed simpliciter dicatur, » Sanctam Ecclesiam Catholicam, sicut etiam » Leo Papa dicit --

24 OBJIC. VI. Symbolum sub primordiis nascentis Ecclesiæ non erat Fidelibus necessarium, nisi ut sese adversùs Hæreticos munirent: sed temporibus Apostolorum non erant Hæretici; ergo non fuit necessarium; adeoque perperàm dicitur ab iisdem conditum, cum nil superfluum ab ipsis peractum.

RESP. Munire se adversùs Hæreticorum fraudes non unum fuit momentum condendi Symbolum. Plura nos dedimus supra in Probationibus. Verùm esto tunc temporis nullus fuerit devius a Fide, adhuc necessarium erat Symbolum, ut Apostoli Fidei consulerent, ea aptando, quæ Hæreticorum ictus valerent retundere.

Temporibus Apostolorum plures Hæresiæ.

Ceterum falsò dicitur, tunc nullas exortas fuisse Hæreses. Plures refert in suis Epistolis Paulus. Hæretici erant Simon Magus, a quo Simoniani, sicut & Cherintus, & Ebion, Apostolis suppares -- Ruffinus ageus de Symbolo monet, ob multos de circumcisis Hebræis, se Christi Apostolos simulantes, obque turpe lucrum Christum annunclantes, conditum fuisse ab Apostolis Symbolum -- Idcirco ergo istud indicium posuere, per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundùm Apostolicas Regulas » prædicaret --

25 DICES: Ad revincendum Arium oportuit novum condere Symbolum, & Nicænum celebrare Concilium: atqui hoc abs re fuisset, si invicte probatum fuisset, Symbolum editum fuisse ab Apostolis: cum in eo expressa habeatur Divinitas Verbi; ergo.

RESP. Solvit objectum S. Leo Epist. 13. *ad Pulcheriam Augustam* -- Cujus Symboli » plenitudinem, si Eutyches puro, & simplici voluisset corde concipere, in nullo » a Decretis Sacratissimi Nicæni Concilii deviaret -- Sat erat etiam ad Arium, & ad Macedonium revincendus, si corde sincero, & humili, Symbolum scrutati fuissent. Verbosi Hæresiarchæ ex brevitate, atque veritatum compendio, occasionem captabant Fidem labefactandi; quapropter e re Conciliorum fuit illam pleniùs explicare, & quæ in paucis erant comprehensa fusiori Symbolo exponere Mysteria. Unde egregie laudatus Pontifex plenitudinem Fidei Symbolum nuncupavit, quæ ut habemus ex Concilio Ephesino *ad Theodosium Aug.* -- Initio quidem » a Sanctis Apostolis tradita, postea verò a » trecentis decem, & octo Patribus in Me» tropoli Nicæna exposita --

Hinc palam fit, cur Apostolorum Symbolum in Solemniis non cantetur, sed solummodo sub silentio, dum Horæ Canonicæ recitantur; quia scilicet conditum fuit adversùs Hæreticos, sed ad numeros Sacræ Scripturæ, quæ sub paucis plura involvit, ut locus detur Magisterio Ecclesiæ. Symbolum verò Patrum cantatur, dum Solemnia peraguntur; quia reddita Ecclesiæ pace, Fides clariùs fuit manifestata.

26 INSTABIS. Apostoll nequaquam usi sunt Symbolo ad errores eliminandos, ut in aperto est in quæstione de Legalibus, quam ex Scripturis S. Jacobus in Jerosolymitano Concilio resolvit. Itidem Patres non Symbolo, sed Scripturis usi sunt ad confundendos Arium, & Macedonium. Porro si editum fuisset ab Apostolis, ut foret Fidei regula, eo usi fuissent tum Apostoli, tum Patres in Conciliis; ergo.

Symbolum, ut Fidei regula, conditum, & susceptum.

RESP. Argumentum Adversarios ferit. Ex quo vim regulæ in Symbolo non agnoscant Hæretici, nolunt ab Apostolis conditum: atqui ipsum ut Fidei regula fuit creditum, atque susceptum a Patribus; ergo. Irenæus Lib. 1. *adversùs Hæreses* cap. 1., & 15. ipsum Symbolum vocat regulam veritatis per Baptismum acceptam, Tertullianus *de Velandis Virginibus* cap. 1. Regulam Fidei immobilem, & irreformabilem, Augustinus *Serm.* 119. complexam Fidei regulam; quod vel similibus, vel æquipolentibus terminis plures ex Patribus superiùs enunciatis tradunt.

Et meritò sane Symbolum regula nuncupatur. Etenim Regula illa dicitur, quæ recte ducit, dirigitque cetera; porro stante ordine per Symbolum constituto, apte ducimur ad Deum, qui primum salutis nostræ principium est, dein ad Christum, qui est medium præcipuum, per quem ad æternam perducimur felicitatem, quæ est finis nobis propositus. Quem ordinem innuit S. Joannes cap. 17. vers. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Dirigit itidem cetera, quatenus, ut ait Tertullianus Lib. *de Præscriptionibus* cap. 13. -- Regula est Fidei, ut » jam hinc quid defendamus, profiteamur -- Et S. Leo supra laudatus in ea est Sententia -- Ut omnes Hæreticorum opiniones solo » ipsius gladio possint obtruncari --

Principiis generalibus, vel etiam particularibus Hæreses confutantur.

Hujusmodi autem regula est per principia generalia; secus per particularia, quæ in illis involvuntur, atque ab eis derivantur. Unde ad expugnandos errores, quandoque particularia ex generalibus principiis deducenda sunt. Nec momenti est, Apostolos usos esse Scripturis veteris Testamenti; arguebant enim ex iis, quæ a Judæis per Cherintianos seductis adoptabant. Deinde sicut perperàm diceretur, novum Testamentum non fore Fidei regulam, quia eo non sunt usi Apostoli; ita in nostro casu.

Patres generalibus quandoque principiis, quandoque particularibus, Hæreticos impetere non dubitarunt. Generalibus usus est S. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. *de Theologia* -- Ut alia omittamus præsidia, nobis » sufficere debet, quod abhorret hinc Ec» clesiæ Nostræ doctrina -- Potissimùm eo utebatur principio S. Augustinus adversùs

Do-

Donatiſtas, & Lib. *de Hæreſibus* prope finem habet -- Quid contra iſta ſentiat Catholica „ Eccleſia .... ſuperfluò quæritur, cum pro„ pter hoc ſcire ſufficiat, eam contra iſta „ ſentire -- Et S. Hieronymus in Dialogo *adversùs Luciferianos* ſcribit -- Poteram .... „ omnes propoſitionum tuarum rivulos, uno „ Eccleſiæ Sole ſiccare -- Idem legere eſt apud pleroſque Patres. Peculiaribus etiam principiis utebantur. Hac de re plurima occurrunt momenta in Scriptis Patrum, qui ex Scripturis, atque ex Theologicis principiis efformant rationes ſive ad Catholicam firmandam veritatem, ſive ad Hæreſes evellendas. Primus modus eſt compendioſior; amplior alter, magiſque obvius ſallaciis.

27 OBJIC. VII. Traditio fallax cenſeri debet, quoties circa idem diſcriminantur Auctores; atqui hoc impræſentiarum verificatur: cum Auctores diſſideant ſive in aſſignanda ratione condendi Symbolum, ſive referendo tempus, quo ab Apoſtolis editum fuit; ergo.

RESP. Conſtans eſt Auguſtini Canon Lib. 5. *de Baptiſmo* cap. 24. -- Quod Uni„ verſa tenet Eccleſia, nec Conciliis Inſtitu„ tum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi „ authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſi„ me creditur -- Indubie autem a nullo Auctore, a nullo Pontifice, a nullo Concilio hoc Symbolum legitur conſcriptum. Etiam ipſimet Hæretici neſciunt tempus conſcriptionis aſſignare. Ferunt alii quarto Seculo, alii quinto editum. Varii etiam ſunt in Auctore. Unde argumentum Adverſarios ferit.

Ignorantia circumſtantiarum non officit ſubſtantiæ.

Ceterum ignorantia circumſtantiarum rei, ſubſtantiæ non officit. Hujuſmodi exempla præſto ſunt ſive in Eccleſiaſticis, ſive in profanis monumentis. Catholici ad unum omnes in ea perſiſtunt Sententia, Symbolum conditum ab Apoſtolis fuiſſe, antequam demandatam ſibi provinciam ipſi ſuſciperent peragrandam. Quare diſcrimen in eo verſatur, ut tempus aſſignetur, quo ad Gentes profecti ſunt; adeoque ad accidentalia lis devolvitur. Quoad motivum condendi Symbolum alii alia dicunt. Verùm plures etiam occurrere potuerunt rationes Apoſtolis ad illum edendum; idcirco nil mirum, ſi unus ex Patribus unam referat, alius aliam.

28 DICES. Potiſſimum momentum, unde deſumitur Traditio affingens Apoſtolis Symboli editionem, eſt Epiſtola Clementis Papæ ad Jacobum Fratrem Domini. Hæc Epiſtola dubio-procul ſuppoſititia eſt, atque ob apertam contradictionem rejiciendam. In ea ſiquidem occurrit mentio de obitu Sancti Petri, qui anno XIV. Imperii Neronis notatur, octo videlicet annis poſtquam Jacobus vita functus erat, obierat namque anno VII. ejuſdem Imperatoris.

Qualis ſit Traditio editionis Symboli ab Apoſtolis.

RESP. Non eſt hujus loci propugnare veritatem Epiſtolæ Clementis Jacobo inſcriptæ; quidquid enim de hac Epiſtola dicatur, non urget inſtantia. Siquidem Teſtes Traditionis a Catholicis relati Sententiam ſuam non quidem ad Clementem referunt, ſed ad ipſam Traditionem ab Apoſtolorum Diſcipulis derivatam, atque ab Eccleſia conſervatam, & evulgatam. Ceterum veritatem prælaudatæ Epiſtolæ ſatis comprobavi in alia Diſſertatione *De veritate Epiſtolarum Clementis I., ceterorumque Pontificum uſque ad Siricium*. Vide Tom. II. Diſſert. Critica in reſponſ. ad Object. XII. *colum.* 650.

29 OBJIC. VIII. Symbolum, quod circumfertur in Catechiſmis, Apoſtolicam dedecet dignitatem. Modus namque, quo ibidem aſſeritur conditum, videlicet, quemlibet ex Apoſtolis unum Articulum dictaſſe, æqualitatem innuit inter ipſos, & partitas aſtruit revelationes: porro æqualitas inter Apoſtolos, & partitio revelationum, ipſorum dedecorant dignitatem. Deinde Articulus tertius Jacobo adſcribitur, martyrio jam coronato; ergo falsò adſtruitur a duodecim Apoſtolis compoſitum Symbolum, erant namque tantummodo undecim.

RESP. Non inficias imus diſcrimen eſſe inter Catholicos de modo, quo Symbolum fuerit concinnatum. Contendunt namque aliqui, ipſum editum fuiſſe a Petro, ceteris approbantibus Apoſtolis; alii verò ſingulis ſuum adſcribunt Articulum. Hæc porro opinandi varietas rei ſubſtantiam non ferit. Placet tamen Objectionem ſolvere, ſecundum conſcribendi modum adoptando, quem nervis omnibus quidam ex Theologis reprobare contendunt.

Quilibet Apoſtolus unum condidit articulum.

Igitur Symbolum non abs re in his præfiguratum aſſeritur, quæ Joſue cap. 4. verſ. 2., & ſeqq. leguntur. *Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas Tribus, & præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes Sacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria &c.* Æternus Pater loquitur ad Filium ſuum. Duodecim Viri ſunt duodecim, quos Chriſtus nominavit Apoſtolos. In duodecim duriſſimis lapidibus intelliguntur Articuli duodecim veritate firmiſſimi. Tolluntur de alveo Jordanis, ideſt de profunditate Scripturarum. Ubi ſteterunt pedes Sacerdotum. Sacerdotio quippe munus collatum eſt intelligendi Scripturas. In loco Caſtrorum ponuntur, videlicet in Eccleſia, quæ ut Caſtrorum acies ordinata deſcribitur, in qua Fideles in nocte præſentis vitæ deambulantes in ænigmate figunt tentoria, ut Diabolo reſiſtant in Fide. Atqui Joſue ibidem verſ. 5. mandavit: *Ite ... ad Jordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris*; ergo convenienter etiam Apoſtoli ſuum Articulum ad conflandum Symbolum protulere. Eſt & alia in Scripturis figura *Apocalyp.* 12. relata. Deſcribitur ibidem Mulier duodecim coronata ſtellis. Mulier eſt Eccleſia, Fides corona, Stellæ ſunt duodecim Articuli Symboli. Porro Stellæ ſibi proprium in Cœlo vendicant locum. Non igitur incongrue ſinguli Apoſtoli, Spiritu Sancto inſpirante, Articulum proprium ediderunt. Hanc propugnant Sententiam Gloſſa in Proœmio ad caput *Firmiter, de Summa Trinitate*, S. Eucherius, ſeu alius Gallicanæ Eccleſiæ Pater, Lib. 1. *de Symbolo*, S. Leo *loco ſuperiùs laudato*, Ruffinus *De Expoſitione ſymboli*, Innocentius III. Lib. 2. *De Myſter. Miſſæ* cap. 49. S. Ambroſius, ſeu alter Auctor Sermonis 38. *De Jejunio Eliæ*, Cœleſtinus I. Epiſt. *ad Neſtorium*,

ftorium, aliique plures, quorum Sententiam adoptat Ecclesia in instructione Fidelium.

Petri praeminentia.

Nec opposita momenta quidquam negotii facessunt. Non primum. Siquidem abunde ex Symbolo colligitur Petri præeminentia; cum primus locutus sit, & primus ipse suum ediderit Articulum de Unitate Dei, qui radix, & omnium principium est. Addas velim, ex actis conventionaliter factis inter plures, non inferri, juxta regulas Juris, præjudicium Primatui.

Omnibus Apostolis revelati articuli.

Secundum, de partitis revelationibus inscite objicitur. Non enim Spiritus Sanctus unum uni, alium alteri revelavit Articulum, sed omnes omnibus, & ad Symbolum componendum singulos movit Apostolos, ut suum Mysterium proferrent.

Tertium, quod objicitur, aliquibus quidem arduum visum est. Attamen Andreas Saussaius Episcopus Tullensis *Prima parte Sui Andrea lib. 2. cap.* 4. facili negotio difficultatem resolvit. Nam Paulus, ait ille, tunc temporis Apostolatum susceperat, eique Petrus, Joannes, & Jacobus dictus Minor, dexteras Societatis dederant, & in locum Jacobi Zebedæi jam fato functi subrogatus fuerat. Verùm hujusmodi solutio non arridet. Etenim constans omnium Seculorum Sententia est, ab his Apostolis editum fuisse Symbolum, qui descendente Spiritu Sancto Pentecostes die aderant in Cœnaculo. Hos inter dubio-procul non erat Paulus. Hinc optime docet S. Bonaventura, Paulum non recepisse dexteram Societatis, quando Symbolum fuit concinnatum. Compertum est igitur, conditum fuisse Symbolum adhuc in vivis agente S. Jacobo, dum in privatis congressibus Apostoli de evulgando Evangelio sermonem instituebant.

Symbolum conditum fuit vivente S. Jacobo.

30 DICES. Nullius momenti ea est opinio, quæ in aperto errore versatur; porro hujusmodi est opinio eorum, qui asserunt, singulos Apostolos suum protulisse Articulum. Etenim hoc evincere student, ex quo Symbolum dictum sit collatio, seu Cœna collatitia; in hoc autem manifesta adest allucinatio. Nam nec Græcum vocabulum id refert, nec Grammatici adoptant; siquidem collatitiam Cœnam, ad quam quisque bolum, seu partem suam apponebat, Symbolam quidem dixerunt, secus Symbolum; ergo.

Symbolum quid significet.

RESP. Non omnes, qui hanc propugnant Sententiam, Symbolum explicant juxta prædictam ethymologiam. Ceterum Ruffinus in Expositione Symboli notat. Symbolum, non Symbolam, duo significare, indicium videlicet, & collationem -- Symbolum
„ autem hoc multis, & justissimis ex causis
„ appellari voluerunt. Symbolum enim Græ-
„ ce, & indicium dici potest, & collatio;
„ hoc est, quod plures in unum conferunt--

31 INSTABIS. Eruditi plerique volunt, conditum esse Symbolum in Concilio Jerosolymitano, de quo *Act.* 15. Sed in illo nequaquam potuerunt singuli Apostoli suam dicere Sententiam; cum non omnes ibi adessent; ergo.

RESP. Si argumentum quidquam evinceret, probaret neque ab Apostolis conditum fuisse Symbolum; cum in eo Concilio non nisi duo, aut tres ex undecim interfuerint, jam enim obierat Jacobus. Potissimùm momentum, ob quod denegandum est, Symbolum ibidem conditum, illud est, quod tempus celebrationis illius Concilii non cohæret cum ea temporis serie, 25. scilicet annorum, qua volunt Catholici, Petrum sedisse Romam. Hæretici ut veritatem hanc eludant, & cum ea Romani Pontificis Primatum evertant, eo utuntur argumento, quod Petrus illi Concilio præsens fuit, proindeque nondum Jerosolymis discesserat Romam; illud porro Concilium contigit anno IX. Imperii Claudii, a quo usque ad annum XIV. Neronis, quo interfectus est S. Petrus, nequaquam anni 25. intercedere potuerunt. Huic argumento faciunt satis Catholici, quod Petrus Romam venit anno II. Claudii, ibique ad IX. usque ejusdem Imp. commoratus est, sed jussis Judæis Româ discedere, ascendit Petrus Jerosolymam, atque Concilium celebravit. Jam itaque a multis annis ad Gentes discesserat Apostolorum Princeps, sicut & ceteri Apostoli. Atqui ejusdem labii sunt Patres, affirmantes Symbolum ante dispersionem ad Gentes editum; ergo longe ante Jerosolymitanum Concilium conditum fore Symbolum meritò censendum est.

Non fuit conditum in Concilio Jerosolymitano.

32 OBJIC. IX. Symbolum variis formulis, variisque Sententiis adoptatum habemus a pluribus Ecclesiis. Hoc autem palam evincit, Symbolum hujusmodi ab Apostolis non fuisse conditum; nulla namque Ecclesia audax adeo fuisset, ut Apostolorum Sententias mutaret, inverteretve; ergo. Hanc porro mutationem subjisse Symbolum, ex plurium collatione in aperto est.

I. Symbolum Orientale habet: *Credo in unum Deum Patrem*. *Unum* non legitur in Symbolo Apostolorum.

II. In Aquilejensi desiderantur verba, *Creatorem Cœli, & Terræ*; additum tamen legitur, *Invisibilem, & impassibilem*.

III. Est & in tertio Articulo mutatio; apud nos namque dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: sed apud Aquilejense: *Qui natus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*.

IV. In quarto Articulo desunt verba hæc, *Passus, & mortuus*.

V. Etiam in nono Articulo deficit vox *Catholicam*.

VI. In undecimo ad verbum *carnis* additur *hujus*, prætermittuntur tamen verba *Vitam æternam*; quod & Romanum Symbolum facit, nullam similiter faciens mentionem descensus ad Inferos, sicut & Orientale.

VII. Articulus de Communione Sanctorum non invenitur, nec in Ravenatensi, nec in Aquilejensi.

Cur in variis Ecclesiis Symbolum variis formulis adoptatum.

RESP. Integritas Symboli non ab una particulari, aliave Ecclesia, sed a generali Ecclesiarum consensione desumenda est. Siquidem particulares Ecclesiæ quædam addidere, ut exortas Hæreses eliminarent; vel aliqua prætérierunt ad majorem conciliandam brevitatem, utpote in aliis Articulis præcontenta. Patres itidem neque omnes referunt Articulos, neque semper Symboli seriem prætexunt, sed summatim Fidei Articulos explicant,

cant, atque in his altiùs insistebant, qui loco, tempori, & necessitati, magis congruebant. Itaque Traditio primorum Seculorum adoptanda est; hæc autem commendat Symbolum, quod Romana servat Ecclesia. Nam ut ait S. Ambrosius *Lib. 1. Epist. 7. ad Siricium* -- Credatur Symbolo Apostolorum, „ quod Ecclesia Romana intemeratum sem- „ per custodit, & servat -- Et Ruffinus in Expositione Symboli postquam notavit, in aliquibus Ecclesiis quædam fuisse adjecta, subdit -- In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc „ non deprehenditur factum -- Qua de re doplex refert momentum; primum videlicet, quia ea in Urbe nulla Hæresis sumpsit exordium: alterum, quia Populo audiente, solet Symbolum publice recitari, quoties Baptisma confertur. Hine

Ad I. Usurpare licet, quæ in simili usus est Vigilius *Lib.* 4. adversùs Eutychetem criminantem Catholicos, qui non dicebant: *In unum Jesum Christum Filium ejus* justa Nicæni Concilii Decretum--Nec præju- „ dicant verba, ubi sensus incolumis permanet -- Porro hoc ipso quod dico *Deum*, unum dico, cum pluralitas Deorum nullitas sit Deorum. Sicut cum dico *Filium ejus*, unum dico; cum pluralitas Filiorum Dei eorundem esset nullitas; nequit enim dari naturalis Filius Dei, qui non sit in linea filiationis infinitus, universamque exhauriens lineam generationis.

Ad II. Similiter in verbo *Omnipotentem* continetur esse *Creatorem Cæli, & Terræ*. Omnipotens non foret Deus, nisi posset creare, immo nisi existentem Mundum ab ipso conditum non fuisset. Aquilejensis Ecclesia adjecit Symbolo *Invisibilem, & impassibilem* ob Hæresim Patripassianorum Patrem visibilem factum, passumque affirmantem.

Ad III. Articulus conceptionis in nativitate habetur; non enim natus ex Spiritu Sancto, ab alio conceptus est. Aquilejensis Ecclesia utitur termino natus, quia sub hoc Mysterium incarnationis Angelus S. Josepho annunciavit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Dicitur tamen *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*, ad auferendam quamcumque libidinis suspicionem, etiam in umbra, in Verbi Divini incarnatione.

Ad IV. Passio, & Mors, aperte declarantur, dum dicitur Christus crucifixus, sepultus, indeque resurrexisse. Qui enim crucifigitur, dubio-procul patitur, & qui sepultus resurgit, jam mortuus erat.

Ad V. Quidam volunt, vocem illam *Catholicam* additam fuisse Symbolo Apostolorum, quatenus ipsa est proprietas conveniens Ecclesiæ in statu perfecto: Fides autem temporibus Apostolorum non nisi in paucis inveniebatur; adeoque Christiani tunc non dicebantur Catholici, ut colligitur ex S. Paciano *Epist. 1. ad Sympronianum*. Illud indubium est, quod apud Ruffinum non legitur, sicut nec apud Augustinum *de Symbolo ad Catechumenos*, licet ipse majoris explicationis causâ eam apponat.

Verùm trepidatur, ubi non est timor. Ecclesia triplici titulo dicitur Catholica; universalitate Dogmatum, quatenus omnia complectitur Fidei Dogmata; universalitate temporum, utpote duratura per omnia Secula; universalitate locorum, prædicanda namque erat, immo fuit enunciata per universum Orbem. Tribus hisce modis Apostolorum temporibus Ecclesia universalitatem habebat; quia omnem Fidei doctrinam complectebatur; usque ad consummationem Seculi erat perseveratura; promulganda etiam ubique gentium. Cum hæc apprime noscerent Apostoli, meritò Catholicam dicere potuerunt Ecclesiam, immo & dixerunt.

Apostoli Ecclesiam dixerunt Catholicam.

Ad VI. in Aquilejensi Ecclesia addita fuit particola *hujus*, ut oppugnaretur illorum error, qui Resurrectionem in identitate carnis, qua homo vixit, negabant. Ultro concedimus, in Symbolis Orientalis, & Romanæ Ecclesiæ desiderari, *Descendit ad Inferos* -- „ Vis tamen verbi (ait Ruffinus *in Exposi-* „ *tione Symboli*) eadem videtur esse, in eo „ quod sepultus dicitur -- Idem Auctor affirmat, Articulum de Vita æterna virtute contineri in Articulo de Resurrectione; non enim resurgent mortui nisi ad pœnam, vel ad præmium. Propterea S. Thomas 2.2. *quæst.* 1. *art.* 8. tum carnis Resurrectionem, tum Vitam æternam unum efformare Articulum innuit--Proponitur nobis alius Articulus de Re- „ surrectione carnis, & de Vita æterna --

Ad VII. Articulus de Communione Sanctorum non constituit quid distinctum ab Articulo, quo Sanctam Ecclesiam Catholicam profitemur; unde non est nisi ejusdem explicatio, ut declarat Catechismus Concilii Tridentini *Part. 1. de IX. Symboli articulo num.* 24. Nil igitur mirum si in Symbolo Aquilejensi fuerit prætermissus.

33 INSTABIS. Tertullianus, a quo potissimum Traditionis pondus habetur, Lib. *de Velandis Virginibus* cap. 1., *de Præscript.* cap. 13., *Adversùs Praxeam* cap. 2., non recitat Articulos de Descensu ad inferos, de Spiritu Sancto, de Ecclesia, de Sanctorum Communione, de Remissione peccatorum, de Vita æterna; ergo non eodem modo Symbolum traditum fuit Ecclesiis; adeoque neque Apostolorum censendum est.

Responderi posset, Tertullianum nimiùm deferentem Montanistarum erroribus male insurrexisse adversùs Ecclesiam; adeoque Symbolum obtruncasse. Satius tamen est dicere, Tertullianum iis in locis indicasse Symbolum ab Apostolis traditum, sed nec integrum, nec per eorundem Sententias recitasse; hoc enim non intendebat, sed ea tantummodo ad intentum elegit, quibus revincere poterat Praxeam, Valentinianos, Marcionitas, aliosque, quos confodere intendebat.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO.

34 OBJIC. ultimò. Nemo unus, quacunque pollens auctoritate, Apostolorum doctrinam valet immutare: sed quandoque a Patribus per varias additiones Symbolum, quod Apostolicum dictitatur,

fuit immutatum; ergo non est censendum opus ab Apostolis editum.

RESP. Hac objectione celebris concertatio recurrit: an liceat additio ad Symbolum; qua de re jam plura scripsi *Tom. I. Tract. I. Controv. X.* Hic breviter notandum est, acriter disputatum a Græcis adversùs Latinos ob additionem Nicæno Symbolo factam, declarantem processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, per illa verba: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Marcus Episcopus Ephesinus contendebat anathematis ictu perculsos, quicunque quidquam addere fuissent ausi. Græcorum Prodromi fuere Ariani ablegantes ab Ecclesia hujusmodi potestatem, clamantes, abradendum esse a Nicæno verbum ὁμοούσιον. Fortiùs instant Pseodoevangelici, nullamque in Ecclesia recognoscunt auctoritatem in Verbo Divino declarando; hinc Conciliorum Decreta commenta hominum effutiunt. His concinit Philippus Mornæus *in suo Mysterio Iniquitatis* pag. 523. de posterioribus potissimùm Conciliis loquendo. Ochinus, quidquid Symbolo additur, hæreticum vocat. Verumenimverò mirum est, Sectarios urgere hac super re Catholicos, cum ipsi tot Fidei regulas, quot Confessiones, ediderint.

Additio itaque alia est contraria, impertinens altera, alia demum explicativa. Prima additio est contra Fidei regulam; quapropter hæretica meritò censetur. Secunda est præter regulam Fidei, & inutilis, immo insanientis est. Tertia verò est juxta regulam Fidei, & ut prudens habetur. Hoc plane valet Ecclesia, eandem enim habet potestatem, qua donati sunt Apostoli ut Pastores: ut Pastores autem Symbolum condiderunt, ad certam methodum revocando Fidei Dogmata, ut Ecclesiæ Filios æqualiter instituerent; unde ipsamet Ecclesia Symbolum potest ordinare, atque potiori jure explicare. Spiritus Sanctus, qui datus est ad docendam omnem veritatem, & Ecclesiam regit, servabitque usque ad consummationem Seculi, rectam Mysteriorum intelligentiam eidem innuit. Ante Nicænum a plerisque non percipiebatur perfecte naturalis Filiatio Dei in Symbolo descripta; ideo Patres addiderunt ὁμοούσιον, clare manifestans Filii Divinitatem. Articuli Symboli ut quædam generalia principia sub se plura involvunt; propterea Divini Numinis afflatu Ecclesia, cum opus fuerit, ea explicat, traditque credenda. Et sane non satis Ecclesiæ provisum esset, si dum ab Hæreticis falsis sophismatibus impetitur, haud posset Fidei Dogmata propugnare, & clarioribus verbis elucidare; quod sæpe fit aliqua, explicandi causâ, Professioni Fidei addendo.

Ecclesia Symbolum potest ordinare, & explicare.

35 DICES. Symbolum Apostolicum ad Evangelizationem spectat: sed Paulus ad Galat. 1. vers. 8. anathema dicit ei, qui evangelizat præter id, quod enunciatum est; ergo.

RESP. Apostolus dicit anathema adversùs eos, qui doctrinam præsumpserint prædicare Fidei a se evangelizatæ contrariam; aliàs S. Joannes Evangelista, qui post evulgatam Pauli Sententiam, Evangelium scripsit, fuisset sub anathemate; quo nil absurdius.

36 INSTABIS. Quod est invariabile, nullius capax est additionis: sed Symbolum est Fidei regula invariabilis, ut testatur Tertullianus Lib. *de Velandis Virgin.* cap. 1.; ergo.

RESP. Quod est omnino invariabile, utique nullius capax est mutationis, quantumvis levissimæ, sicut Deus. Ceterum quod est tantùm essentialiter invariabile, aliquam subire potest mutationem. Quælibet veritas revelata, est quidem essentialiter invariabilis: implicat enim, quod aliter se habeat; sed quod his, aliisve verbis declaretur, non est ipsi essentiale; & in hoc cadere potest variatio. Tertullianus secundùm hanc distinctionem intelligendus est.

Veritas revelata essentialiter invariabilis.

37 REPLICABIS. Quod additur distinctâ gaudet naturâ ab eo, cui additur: sed natura distincta essentialem inducit diversitatem; ergo si quid addatur Symbolo, essentialiter mutat Fidei regulam.

RESP. Quod additur, distinctam habet naturam, si transferat in aliam speciem; secus si non transferat. Additamentum per modum explicationis non transfert Symbolum ad aliam speciem, ut sic dicamus, Fidei; nam tota natura Symboli sita est in significatione. Si quod additur sensum mutat, illud certe corrumpit; si autem tantummodo explicet, quod implicite continebatur, non dicitur mutari.

38 URGEBIS. Quod ab imperfecto transfert ad perfectum, essentialem inducit variationem; sed additamentum Symbolo factum ab imperfecto ipsum transfert ad perfectum; priùs namque non erat sufficiens pro communi Ecclesiæ bono, alioqui abs re facta fuisset additio; ergo.

RESP. Perfectum editum fuit ab Apostolis Symbolum, sufficiensque ad bonum Ecclesiæ pro quovis tempore, si sincero corde, atque servata verborum proprietate intelligatur. Sed quia pravo animo, pravisque sophismatibus Hæretici illud expendere ausi sunt, apte, prudenterque Ecclesia notioribus terminis præstò fuit, ut veritas innotesceret; & hoc essentialem non importat mutationem.

Perfectum ab Apostolis editum fuit Symbolum.

39 SUBSUMES. Additamentum illud jure non fit, atque essentialem inducit mutationem, quod sub anathematis pœna vetitum fuit. Ex Concilio Ephesino additamentum quodlibet sub dicta pœna fuit vetitum. Legitur enim -- Decrevit Sancta Sy-
„ nodus alteram Fidem nemini licere pro-
„ ferre, aut scribere, aut exponere, præter
„ eam, quæ definita fuit a Sanctis Patribus
„ apud Nicænam Urbem in Spiritu Sancto
„ congregatis -- Hinc contra Refractarios subditur anathema. Porro Nicænum Symbolum in idem redit cum Apostolico; ergo.

RESP. Prohibita fuit ab Ephesinis Patribus mutatio contraria doctrinæ jam traditæ, & non qualiscumque. Hujus rei invictum habemus argumentum, ex quo Charisius Presbyter, & Philadelphiæ Œconomus a Photio, & Anastasio Nestorianis excommunicatus suam Fidei confessionem in Ephesino Cœtu protulit, quæ licèt in quibusdam a Nicæno, & Constantinopolitano Symbolo discreparet, quia tamen nil prædictis adversum

Concilium Ephesinum mutationem prohibuit contrariam Symbolo.

sum in eo referebatur, non fuit a Concilio reprobata, sed ipse Charisius ut Catholicus (A) ab omnibus habitus, atque susceptus.

40 ADDES. Qui asserunt neque *vocalam* addendam esse Niceno Symbolo, intelligunt, Ephesinam Synodum prohibere, quamcumque additionem Symbolo. Id asserunt Patres, ut clare habetur ex S. Cyrillo Epist. *ad Joan. Antiochenum*, quæ incipit: *Lætentur Cæli*, quæque Orientalium Fidei confessionem continet — Nullo autem modo „ patimur, ut ab aliquo Fides illa, sive „ Fidei Symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicænis editum est. „ Neque enim aut a nobis, aut ulli omnino „ alteri, vel unam voculam ibi positam im- (B) „ mutare, aut unam etiam syllabam prætergredi permittimus &c. — ergo.

RESP. Nil mirum, si reprobent additio-rio unius vocis, cum sæpenumero hinc habeatur Hæresis. Lutherus Apostolo dicenti ad Rom. 1. vers. 17. *Justus autem ex Fide vivit* addidit *solá*; & Hæresim conflavit. Passim similia occurrunt; propterea potissimùm proscribuntur voces, quæ Catholicam coinquinare valent doctrinam. Diximus potissimùm ob ea, quæ mox subduntur.

Ex additione unius vocis sæpe habetur Hæresis.

41 SUBSUMES. Sed Patres omnem prorsus vocis cujuscunque additionem excludunt; ergo. Actione II. Chalcedonensis Concilii petentibus Judicibus Fidei expositionem (C) responderunt Patres — Expositionem alteram „ nullus fecit, neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, & in Scriptis custodiuntur, quæ ab „ eis sunt exposita, & extra ea dicere non „ possumus — His omne additamentum reprobatur. Clariùs eruitur ex Synodo VII. Nam post Fidei definitionem dixerunt — Nos „ leges Patrum custodimus. Nos eos, qui „ addunt quid, vel adimunt, anathematizamus —

RESP. Quamvis proprie in prædictis intelligatur vetita sive additio, sive expositio (D) Symbolo contraria, attamen dici potest reprobata etiam verbalis expositio per verba a præexistentibus diversa. Ad cujus intelligentiam recolenda est conventio inter Orientales inita, occasione Nestorianæ Hæresis. Conventio fuit ut sine technis, & in sinceritate res elucidarentur; utque palam fieret, qui Orthodoxam Fidem servaret, & ut a Nestorianis discriminarentur Catholici, decretum fuit, ut Nicænum Symbolum absque ulla verborum variatione custodiretur. Hoc innuit S. Cyrillus in laudata Epistola ad Joannem Antiochenum præcipuum Nestorii Patronum. Hinc est, quod S. Doctor clamat, nec voculam quidem addendam, aut (E) Syllabam immutandam; quod Chalcedonense suo Decreto firmavit. In causa Arianorum constantissime Patres, & Concilia propugnarunt vocem *consubstantialis* nullimode immutandam, nec usquam pacem dare voluerunt Adversariis, nisi eam profiterentur. Et quidem jure optimo; sæpe enim Ariani nominum varietate Catholicos deceperant. Itaque, justa urgente causa, æquum est omnem mutationem vetare; non tamen absolute, atque ineluctabiliter,

Omnis mutatio jure prohibita, sed non absolute.

42 INSURGIT demum adversùm nos Mornæus, plurimoque verborum apparatu instat. Additio recentium Articulorum formalem importat variationem, & ab Apostolo anathemate perculsa est, & a Niceno proscripta: sed Romano-Catholici Articulos plane novos, primisque Ecclesiæ Seculis ignotos, ab antiquissimis Conciliis nusquam recognitos addiderunt, ut Missæ Sacrificium, Transubstantiationem, Purgatorium, Indulgentias, Cultus Sanctorum, aliaque plura, quæ in confessione Fidei a Tridentino composita recensentur, credendaque proponuntur; ergo.

RESP. Crambe recocta fastidium parit, & nauseam. Omnia, quæ in sua Fidei confessione tradit Synodus Tridentina, primitivæ Ecclesiæ ab Apostolis consignata fuere, explicite, vel saltem implicite in Scripturis contenta, per Traditionem nobis commendata, atque per usum confirmata. Non est hujus loci veritatem hanc comprobare, cum suis apte locis abunde fuerit propugnata.

Tridentinum in unum collegit confessionem Fidei ab Apostolis consignatam.

Aliquorum utique in antiquis Conciliis nulla recurrit mentio; verùm hoc ita contigit, quia, ut ait S. Basilius *Epist. 60.*, non fuevit Ecclesia quidquam addere Fidei confessioni, nisi exurgentibus Hæresibus. Propterea in Niceno nil de Spiritu Sancto additum legitur; quia nondum Macedonius adversùs ipsum insurrexerat; quod tamen factum fuit in Concilio Constantinopolitano, ut ejusdem error destrueretur. Idem habes de Cultu Sanctorum, & hujusmodi. Itaque cum Hæresis aliqua evulgabatur, tunc Conciliaria Decreta efformabantur, sed evolvendo depositum, & primorum Seculorum Traditionem. Omnia porro Universalis Tridentina Synodus in unum collegit; quia Novatores, prætextu Reformationis, omnium Seculorum Hæreses extumulaverunt.

43 Illud ultimò hac super re notandum occurrit, ad nostra usque tempora ordine quodam Hæreses adversùs Symbolum excitatas fuisse. Primo, & Secundo rei Christianæ Seculo contra primum Articulum insurrexerunt Simon, Menander, Basilides, Valentinus, Marcion, Manres, atque universus Gnosticorum Grex. Post illa Secula Praxeas, Sabellius, Paulus Samosatenus, aliique prodiere, qui de secundo Articulo male sentientes, plures evulgaverunt errores. His post Seculum Tertium suppetias ferre ausus est Arius. Quinque sequentibus Articulis Mysterii Incarnationis adversati sunt Theodorus Mopsvestenus, Nestorius, Eutyches, Sergius, Pyrrus, Paulus Monothelitæ, Macarius Antiochenus, Apollinaris &c. His ab Ecclesia profligatis, circa Seculum IX. Articulum de Spiritu Sancto impetiere Photius, & potissimùm Græci, qui aperto Marte pugnaverunt. Non inficias imus Hæreticos per hæc tempora alias quoque Fidei veritates oppugnasse; verùm fortiùs adversùs præcitatos Articulos pugnatum est.

Hæreses adversùs Symbolum.

Posterioribus Seculis Catholica Fides infensos habuit Berengarianos, Waldenses, Albigenses, Lutheranos, Calvinianos, Anabaptistas, aliosque hujus surfuris homines, qui adversùs reliquos Symboli Articulos de Ecclesia, de Communione Sanctorum, de Pec-

Peccatorum Remiſſione &c. decertarunt, quos omnes anathemate confixit Tridentina Synodus.

44 Ex his, quæ hucuſque diximus, pro comperto habeamus, Apoſtolos immediate Symbolum edidiſſe, velut earum rerum compendium, quas diſtinctè, & explicite prædicaverunt. Cumque Symbolum hujuſmodi primaria, & principaliora contineat Fidei principia, optimo jure majus Symbolum dicitur; alia verò dicuntur minora. Illud eſt Fidei fundamentum; ideirco quotidie in Eccleſia recitatur. Alia duo, Nicænum ſcilicet, & Athanaſianum, in Solemniis, conveniente Populo, alta voce decantatur, utpote quæ a Sanctis Patribus conflata ad Hæreſes eliminandas. Omnia tamen veneranda, atque ſincere ſuſcipienda ſunt.

Apoſtolorum Symbolū dicitur majus, & quare.

DISSERTATIO HISTORICA III.

DE CONCILIO CARTHAGINENSI, QUOD VULGO FERTUR QUINTUM.

Romæ in Academia Concilii.

45 CArthaginenſis Concilii, quod Quintum nuncupatur, Hiſtoria, quam dilucidare aggredior, denſas inter caligines ex varia Africanorum Canonum collectione involvitur. Sunt, qui cum Cardinali Perronio ejuſdem celebrationem ad annum 401. referunt; ſunt & alii, qui cum Emmanuele a Schelſtrate anno 400. celebratum affirmant; reliqui verò cum Annalium Eccleſiaſticorum Parente congregatum, abſolutumque volunt anno 398.

Variæ ſententiæ de anno, quo fuit celebratum.

Illud quidem hac ſuper re indubium eſt, Concilium hocce, quod Quintum vulgariter enunciatur, Quartum revera eſſe cenſendum. Licèt enim eodem anno utrunque habeatur; hoc tamen menſe Majo, illud menſe Novembri fuit completum. Sed improba Collectorum translatione factum eſt, ut Quartum Quinto poſtpoſitum errandi occaſionem dederit, ita ut communibus Tabulis Quartum Concilium ſub Quinti nomine circumferatur.

Quartum revera cenſendum eſt.

AFFIRMATUR CELEBRATUM ANNO CCCXCVIII.

46 NUnc ad rem noſtram deveniendo, meum equidem non eſt Eruditorum placita dijudicare; attamen ſi illationes ex certis, atque ab omnibus ultro probatis momentis quidquam valent, propugnandam crediderim ſupputationem, quæ hujuſce Concilii celebrationem anno CCCXCVIII. conſignat.

Etenim ad unum omnes Africanorum Canonum Collectores in hac Synodo Decretum agnoſcunt, ut a piiſſimis Imperatoribus ſupplici libello expoſcerent Patres, ut relicta Idololatriæ ſemina prorſus diſperderentur.
A Porro invicta hujuſmodi veritas poſitionem noſtram apte dilucidat. Siquidem laudatæ poſtulationi occaſionem præbuit evulgatum a Gentibus Oraculum, quo enunciabant, Petrum maleficiis conſtituiſſe, ut Chriſti nomen per annos trecentos ſexaginta quinque coleretur, quibus completis Chriſtianam Religionem finem habituram; ſi verò prædictis annis tres ſupra triginta, qui a Chriſti nativitate præteriere, ſuperaddamus, jam planè habemus annum CCCXCVIII. Honorio, & Eutychiano Conſulibus. Sic legimus apud Auguſtinum *Lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 53. -- „ Excogitaverunt neſcio quos verſus græcos „ tanquam conſulenti cuidam Divino Oraculo effuſos, ubi Chriſtum quidem ab hujus tanquam ſacrilegii crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficia feciſſe „ ſubjungunt, ut coleretur Chriſti nomen „ per trecentos ſexaginta quinque annos, „ deinde completo memorato numerorum „ anno, ſine mora ſumeret finem -- Idcirco ne fallacibus hiſce Oraculis Vulgus allucinaretur, In eam devenerunt Sententiam Africani Patres, ut funditùs everteretur, Imperatorum ope, Idololatria.

Poſtulavunt Patres Impp. opem pro Idololatriæ extirpatione.

B

Præterea anno CCCXCIX. XIV. Calendas Aprilis Honorii Imperatoris Decreto
C Idolorum delubra ubique fuerunt everta; ut teſtatur laudatus Auguſtinus *Lib.* 18. *cap.* 54. -- Porro ſequenti anno, Conſule Manlio „ Theodoro, quando jam ſecundùm illud „ Oraculum Dæmonum, aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit Religio Chriſtiana, quid per alias Terrarum partes forſitan factum ſit, non fuit neceſſe perquirere. Interim quod ſcimus, in Civitate „ notiſſima, & eminentiſſima Carthagine „ Africæ Gaudentius, & Jovius Comites „ Imperatoris Honorii XIV. Calendas Aprilis „ falſorum Deorum Templa everterunt, & „ Simulacra fregerunt -- Igitur in aperto
D eſt, præcedenti anno, qui eſt CCCXCVIII. factam fuiſſe poſtulationem, Epiſcoporumque Conventum.

Idolorum delubra ann. 399. everſa.

47 Nec momenti eſt Canon LVIII. Codicis Africanæ Eccleſiæ Concilii Carthaginenſis poſt IV. Conſulatum Honorii, & Eutychiani, quo inſtante, Honorius Imp. Reſcripto ad Apollodorum Africæ Proconſulem dato Idola Gentium a Templis auferri præcepit, & eorundem Sacrificia aboleri, integra ædificiorum mole; quæ cum an. CCCXCIX. acciderint, jam cogimur admittere Carthaginenſem Synodum, quam Quintam dici-
E mus, ſequenti anno celebratam, cum hæc tantummodo reliquias Idololatriæ abolendas peticrit. En verba Canonis XV. -- Item „ placuit, ab Imperatoribus Glorioſiſſimis peti, ut Reliquiæ Idololatriæ non ſolùm in „ Simulacris, ſed in quibuſcunque lucis vel „ lucis, vel arboribus, omnino deleantur --

Non, inquam, momenti eſt laudatus Canon LVIII. Nam ſub eodem tempore, quo primum editum fuit Decretum, illud in ſimul emanavit de abolendis Idolis in lucis, & arboribus; ut abunde conſtat ex Reſcripto Arcadii Imp. in Oriente ad Eutychianum, relato in Theodoſiano Codice *Lib.* 16. *de Pagan.*

Quando emanatum Decretum de abolendis Idolis.

gan. sub hac forma -- Si quæ in agris Tem„ pla sunt, sine turba, & tumultu diruantur. „ His enim dejectis omnis superstitionis materia consummetur -- Utrumque autem Patres postulasse, verba laudati Canonis XV. compertum faciunt -- Non solùm in Simula„ eris, sed in quibuscunque locis -- Unde Imperator posterioribus litteris, de quibus Canon LVIII. Rescriptum præcedens, quoad Templorum destructionem temperavit, ne Urbes depopulatæ viderentur.

Carthaginense Concilium celebratum fuit post Cæsarii, & Attici Consulatum.

48 Nostræ supputationi pondus additur ex MS. Codice, qui hujus Concilii celebrationem reponit post Cæsarii, & Attici Consulatum die 6. Calendas Junii; cui plane antiqua conciunt Exemplaria. Porro Cæsarii, & Attici Consulatus an. CCCXCVII. incidit. Si ergo post eorundem Consulatum consignatur hujus Synodi celebratio, dubio procul ad an. CCCXCVIII. referri debet.

Non post Stiliconis Consulatum.

49 His mendosa apparet Isidori Mercatoris collectio; cum post Stiliconis Consulatum hoc Concilium initum velit. Crede, si placet, ab aliquo Interpolatore Codicem furatasse vitiatum.

50 Magis tamen eorum supputatio aberrat, qui ad annum CCCCI. celebrationem referunt, ex quo S. Augustinus *Epist.* 236. *ad Xantippum* duodecimum dicti Concilii Canonem, quo præscribitur, non audiendos Clericos damnatos, qui infra annum causam non egerint, velut novissimum rescribit. Data autem videtur Epistola anno CCCCII.; adeoque præcedenti anno convocata Carthaginensis Synodus meritò censenda est.

Falsa supputatio, quæ ad annum 401. refert Concilium.

Verùm enim verò quomodo hæc adoptanda, si nullus ex antiquis consonat Codicibus? Si nullum post annum CCCXCIX. datum legimus ab Honorio adversùs Idola Rescriptum?

Nec momentum ex Augustini Epistola desumptum quidquam urget. Etenim potuit S. Doctor Canonem illum appellare novissimum, quamvis ante tres circiter annos fuerit editus; cum familiaris sit hujusmodi locutio.

RELIQUA REFERUNTUR DE EJUS HISTORIA.

Dies, & locus Concilii.

51 HÆc de anno celebrationis hujusce Concilii. De die autem, & loco nulla difficultas. Exemplaria siquidem quælibet utrumque innuunt. Habent enim -- „ Post Consulatum placuit, ut die sexta Ca„ lendarum Junii, Carthagine in Secretario „ Basilicæ Restitutæ superinserta statueren„ tur --

Quis Præses, & quot Episcopi interfuerint.

52 Præfedit Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ Pastor. Duo supra septuaginta præter ipsum Aurelium interfuerunt Episcopi, ut subscriptio testatur -- Aurelius Episcopus „ Ecclesiæ Carthaginis supra comprehensis „ in nostro Concilio Statutis subscripsi; simi„ liter septuaginta duo subscripserunt --

Diaconi quidam ut ministrarent.

Aderant ex Diaconorum ordine nonnulli, non ut ferent suffragia, sed ut ministrarent; legitur namque -- Cum Aurelius „ Episcopus unà cum Episcopis suis conse„ disset, adstantibus Diaconibus, constituta „ sunt hæc --

Fuit Provinciale.

53 His colligitur, Provincialem fuisse Cœtum. Apostolicæ Sedis Clavum tenebat Anastasius Pontifex; Imperiale verò Sceptrum Arcadius, & Honorius. Quindecim, ut communior fert opinio, editi sunt Canones, quibus absolutum fuit Concilium.

Ejus Canones.

DISSERTATIO HISTORICA IV.

DE CONCILIO CELENENSI IN CAUSA PRISCILLIANISTARUM.

Romæ in Academia Concilii.

OB QUAM CAUSAM FUERIT INDICTUM CONCILIUM CELENENSE, QUOMODO, A QUO, ET QUIS FUERIT PRÆSES.

Priscillianæ Secta per Hispaniam serpebat.

54 CUm inscrutabili Divinæ Providentiæ consilio Barbarorum ingluvies per Hispaniarum Regiones debacchareutr, inclyta Gens illa sinceris quovis tempore Evangelicæ doctrinæ pabulis enutrita, quæque erat veritatis Propugnatrix, facta est sibimet aliena; dispersis enim Lapidibus Sanctuarii, Pastoribus videlicet, non erat, qui ei panem frangeret. Hinc obscurata est pietas, & mutatus color optimus, Pseudomagistrorum Lamiæ nudaverunt mammam, & pestifero errorum viru parvulos lactavere petientes cibum.

Unus Priscillianus, nobilitate celebris, dives opibus, sed profanarum rerum scientiâ inflatus, magicisque artibus addictus, ut refert Severus Sulpitius *Lib.* 2. *Historia Sacra*, ab Agape non ignobili Muliere, & Rethore Helpidio Discipulis Marci Ægyptii de Gnosticorum peste, pessime instructus floridas Iberiæ Ecclesias blandiendi arte, suadendique auctoritate, pluribus, hisque nefandis, infecit Hæresibus. Teste siquidem Augustino *Hær.* 70. -- Ex omnium Hæreticorum sen„ tina Hæreses hausit -- Augustino adstipulatur S. Leo *Epistola* 93. -- Nihil est sordium „ in quorumcumque sensibus impiorum, quod „ in hoc Dogma non confluxerit; quoniam „ de omnium terrenarum opinionum luto „ multiplicem sibi fœculentiam commiscue„ runt, ut soli totum biberent, quidquid „ alii ex parte gustassent --

55 Pereunti præstò fuit vigili affectu Pastoralis Romanorum Præsulum sollicitudo, sive admonitionibus, sive consiliis, ejaculatis etiam anathematum telis, sublatisque per Imperialem gladium Auctoribus. Exundans visus est exsiccatus Torrens; sed rivuli, qui in caveis latitabant, Theodosio II., & Valentiniano III. imperantibus, iterum excreverunt in fluvium.

Inundantium aquarum sonitum subaudivit Turibius Asturicensis Episcopus, humilitate minimus, sapientiâ magnus, maximus

mus Sanctitate, qui zelo Domus Dei fervens, & Catholicæ veritatis ardore succensus peregrinationem instituens, Hispaniarum Provincias peragravit: qui Ecclesiarum status, quæ Fides, quæ unitatis foret communio, sedulò inspexit; hinc datis litteris ad Idacium, & Ceponium, Episcopis rem totam manifestavit -- Quapropter mihi post „ longis annorum metas ad patriam reverso, „ satis durum videtur, quod ex illis Traditionibus, quas olim Catholicæ damnavit „ Ecclesia, quasque jamdudum abolitas esse „ credebam, nihil penitus imminutum esse „ reperio. Immo etiam pro uniuscujusque „ studio, & voluntate, prava Dogmata, „ velut quibusdam hydrinis capitibus pullulare cognosco: cum alii veteri errori blasphemiarum suarum argumenta cumulerint: alii integrum eum usque adhuc retineant: alii verò, quos ex parte aliqua „ ad respectum sui contemplatio veritatis adduxit, ex illius sensibus retinendo nonnulla, reliquis vinculentur; quod quidem „ per mala temporis nostri, Synodorum „ Conventibus, Decretisque cessantibus, liberiùs crevit, & impiissime (quod est cunctis deterius) ad unum Altare diversis Fidei sensibus convenitur --

Zelus Turibii Asturicensis Episcopi.

His ut efficaciùs consuleret, nec in dies effunderetur venenum, ad Apostolicam Sedem confugit, hac super re certiorem faciens Leonem Supremæ Cathedræ Moderatorem, ut ipsemet Pontifex sequentibus testatur -- „ Quàm laudabiliter pro Catholicæ Fidei „ veritate movearis, & quàm sollicite Dominico Gregi devotionem officii Pastoralis „ impendas, tradita Nobis per Diaconum „ tuum Fraternitatis tuæ Scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare „ curasti, qualis in Regionibus vestris de „ antiquis pestilentiæ reliquiis errorum morbus exarsit --

56 Acceptis itaque a Summo Antistite Turibii litteris, & pro opportunitate temporis omnibus mature consideratis, præmissâ ad sexdecim Hæreseos capita, quæ vigere perceperat, erudita confutatione, Generale Hispaniarum indixit Concilium -- Habeatur „ ergo inter vos Episcopale Concilium, & „ ad eum locum, qui omnibus opportunus „ sit, vicinarum Provinciarum conveniant „ Sacerdotes, ut secundùm ea, quæ ad tua „ Consulta respondimus, plenissimo disquirantur examine: an sint aliqui inter Episcopos, qui hujus Hæreseos contagio polluantur, a Communione sine dubio separandi, si nefandissimam Sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint --

A Leone Pp. indicitur Concilium.

Hic obiter adnotare juvat avitam Romani Præsulis consuetudinem dirigendi ad Concilia instructionis formulam.

57 Interea litteras dedit ad Episcopos Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicanos, ut ad Generalem Synodum convenirent. Idacium, & Ceponium cum ipso Turibio Præsides voluit, sicut laudata innuit Epistola -- Quod si aliquid (quod „ absit) obstiterit, quo minus possit celebrari Generale Concilium, Galliciæ saltem „ in unum conveniant Sacerdotes, quibus „ congregatis, Fratres nostri Idacius, & „ Ceponius imminebunt, conjuncta cum „ eis instantia tua, quo citius vel Provinciali Conventu remedium tantis vulneribus adferatur --

Idacium, & Ceponium cum Turibio Præsides voluit Leo.

58 Præcipienti Leoni obtemperarunt Præsules, convenerunt, Fidei Symbolum decreverunt, edideruntque.

Id testatum habemus a Concilio Bracharensi I. *in Præf.*, ubi bis Patres alloquitur Lucretius Episcopus -- Credo autem Vestræ „ Beatitudinis Fraternitatem nosse, quia eo „ tempore, quo in his Regionibus nefandissimæ Priscillianæ Sectæ venena serpebant, „ Beatissimus Papa Urbis Romæ Leo, qui „ quadragesimus * fere Apostoli Petri Successor extitit, per Turibium Notarium Sedis suæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscillianæ Hæresis Sectam Scripta „ sua direxit: cujus etiam præcepto Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, „ Lusitani quoque, & Bætici, facto inter se „ Consilio, Regulam Fidei contra Priscillianam Hæresim, cum aliquibus Capitulis „ describentes, ad Balconium tunc hujus „ Bracharensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt --

* *Adde Septimus.*

UBINAM, QUO ANNO, CELEBRATUM, ET QUÆNAM FIDEI DOCTRINA.

59 AT quot numero Episcopi, quales doctrinâ, & pietate, ubinam locorum, convenerint, ubscura omnia, atque incerta.

Sunt, qui hocce Concilium Toleti celebratum autument, ex quo Fidei regula a Leone approbata, & ad Balconium transmissa, inter Acta primæ Toletanæ Synodi inserta legatur. Verùm quo pacto hoc veritati Historiæ, annorumque supputationi congruat, non satis compertum est. Communi enim calculo Toletanum I. sub primo Stiliconis Consulatu scribitur convocatum: porro hujus Consulatus, juxta Consulum seriem per Cassiodorum, Prosperum Aquitanicum, & Marianum Scotum, elaboratam, ad annum Domini 402., vel ut aliis placet, 400. refertur: Leo autem, sub quo dubio-procul prædicta Regula exarata fuit, circa annum 440. Pontifex renunciatus est; itaque prædicto Concilio male assuta censenda est.

Ubinam indictum Concilium.

Initum est igitur Concilium a Tarraconensibus, & Carthaginensibus, Lusitanis insimul, & Bæticis Episcopis. Verùm cur in Galliciæ Provincia non convenerunt juxta Leonis mandatum, qui Generale Concilium inibi indixerat? Non aliud sane occurrit momentum, nisi quia Gallæci sub Imperio Svevorum Regis Rachilæ vivebant, reliqui verò sub Gothis Principibus Theodorico, & Torismundo. Unde factum est, ut Gallæci sejunctim Synodum celebraverint, quæ tamen unius labii dicenda est, cum ad ipsos miserint Patres Fidei Regulam, statuto que Canones simul conferrent, susciperent, confirmarentque, ut uno animo, uno spiritu, una-

unaque Sententia ex duobus Cœtibus integra nationalis consurgeret Synodus; quod A
non semel evenit.

Prædicta apte colligere juvat ex relata auctoritate Lucretii Episcopi mox laudati -- „ Tarraconenses, & Carthaginenses Episcopi, Lusitani quoque, & Bætici, facto inter se Concilio, Regulam Fidei contra Priscillianam Hæresin cum aliquibus Capitulis describentes, ad Balconium tunc hujus Bracharensis Ecclesiæ Præsulem direxerunt -- Seorsim igitur convenerunt, sed una omnium Sententia.

Sub Balconio itaque collectum est Concilium in Gallicia, ut sentit Baronius *ad annum* 447. *num.* 16. in Municipio Celenensi B apud Lucensem Civitatem, ut ex antiquis monumentis habetur, & a recentioribus Hispanis adoptatur.

Quo anno. 60 Annum colligimus ex Epistola præcitata S. Leonis ad Turibium, quæ data est sub Callypio, & Ardabure Consulibus, videlicet anno CCCCXLVII.

Fidei Doctrina. 61 Fidei doctrina per sexdecim capita fuit distributa, atque per Turibium ad Apostolicam Sedem, ut examinaretur, transmissa, quam summarie in sequentibus subjicere operæ pretium fore videtur.

Canon I. Anathemate percellit veram in una Deitate abnegantes Trinitatem, unamque C tantummodo sub triplici nomine statuentes Personam.

II. Confundentes Divinitatis, & Trinitatis nomina, ita quod ipsa Divinitas sit Trinitas.

III. Statuentes Dei Filium Dominum Nostrum ante temporalem ex Virgine nativitatem non fuisse.

IV. Dominico, vel Natalis Domini die jejunantes; quia in vera hominis natura Christum non credunt.

V. Admittentes Angelos, vel humanas naturas, ex Dei substantia extare.

VI. Dicentes, humanas Animas priùs in D Cœlo peccasse, atque ob hoc in corpora dejectas in Terram.

VII. Docentes, Diabolum non priùs bonum Angelum fuisse, nec a Deo creatum, aut Dei opificium, sed e tenebris emersisse, nullumque sui habuisse Auctorem, ipsumque esse principium absque mali substantia.

VIII. Credentes, Diabolum, aliquas, immundas licet, fecisse Creaturas, ipsumque Auctorem fore tonitruum, fulgurum, tempestatum, & siccitatum.

IX. Tradentes, Animas, humanaque corpora, fatalibus Stellis adstricta fore.

X. Propugnantes, duodecim Signa cœlestia a Mathematicis observata per singula E animæ, corporisque membra fore distributa, & Patriarcharum nominibus inscripta.

XI. Humana Conjugia damnantes, horrentesque procreationem.

XII. Humani Corporis formationem Diabolo adscribentes, ejusdemque ope conceptiones in Matrum utero figurari, indeque carnis Resurrectionem abnegantes.

XIII. Asserentes non Dei, sed pravorum Spirituum opus, creationem universæ carnis.

XIV. Abjicientes usum carnium, ut immundum, oleraque cum eis cocta recusantes.

XV. Clericos, vel Monachos, secum retinentes, & cohabitantes cum aliquibus quasi adoptivis fœminis, excepta Matre, aut Germana, vel etiam, quæ proxima juugitur Consanguinitate.

XVI. Solventes jejunium die Cœnæ Domini ante horam tertiam, atque hujusmodi Solemnitatem celebrantes per Missas Defunctorum.

Suscipientes denique Scripturas a Priscilliano depravatas, & Tractatus Dictinii, execrati fuere. Etenim ut venenata pocula linirent, secretas quasdam speciosis nominibus Scripturas veluti Canonicas venerabundi suscipiebant, tradebantque, apocryphos admiscentes Codices, quos Leucius pestifero calamo exscripserat. Evulgaverant Acta Sanctorum Joannis, Andreæ, & Thomæ, in quibus quamvis sint, ut scribit S. Leo -- „ quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cujuscunque erroris involvant -- Præ ceteris autem maximo prosequebantur honore sacrilegum Librum, qui *Apostolorum Memoria* inscribebatur. In eo tota evertitur Lex vetus, & quidquid divinitùs revelatum tradidit Moyses. Alio quoque iniquitatis artificio in foveam Auditores suos trahebant. Dictinius namque in Hæresim lapsus ex Priscilliani, Manetisque Dogmatibus Librum conscripserat. Hunc Pseudomagistri plurimùm commendabant; cumque ejurata Hæresi ad Fidei unitatem radiisset Dictinius, illum tanquam Catholici Viri legendum tradebant. Verùm ut S. Leo habet -- Non Dictinium, sed Priscillianum legunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correptus elegit -- Malis hisce artibus, & ut ait S. Hieronymus *Lib.* 18. *in cap.* 64. *Isaiæ* -- Per hanc occasionem, multasque hujusmodi, Hispaniarum, & Lusitaniæ deceptæ sunt Mulierculæ, oneratæ peccatis, quæ ducuntur desideriis variis &c. -- Istiusmodi itaque Scripta prorsus damnata fuere in Celenensi Concilio, de quo satis.

PARS QUINTA.

DISSERTATIONES SCRIPTURALES SUPER GENESIM.

DISSERTATIO SCRIPTURALIS I.

Ad illa verba Geneseos 3. verf. 1.

Sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.

AN SERPENS FUERIT VERUS; QUÆNAM EJUS CALLIDITAS; QUALIS TENTATIO; ET AN PECCATUM EVÆ GRAVIUS CENSENDUM PECCATO ADÆ.

Recitata Romæ in Academia Dogmatica.

1 QUatnor ex præcitatis Scripturæ verbis elucidanda mihi mandata fuere. Primò quidem, num Serpens, qui Evæ laqueum tetendit ad ruinam, verus fuerit, an simulatus. Secundò, qualis ejus calliditas, & qua ratione, cunctis animantibus Terræ major dicatur. Tertiò, externa ne tantummodo, an infimul interna fuerit tentatio. Quartò demum, gravius ne censendum sit Evæ, quàm Adæ peccatum. Equidem singula prolixe forent versanda; verùm ne temporis leges, quibus adstringor, transgrediar, breviloquentiam in dicendo colam.

CONFUTATIS CONTRARIIS OPINIONIBUS, VERUS ASSERITUR SERPENS, NON SIMULATUS.

2 UTque a primo exordiar. Multiplex ea de re occurrit Sententia. Prima Cajetanum Propugnatorem habet, qui *in Commentario ad caput* 3. *Gen.* contendit, In tota tentationis serie non verum Serpentem, sed Diabolum intervenisse, qui Serpentis nomine notatur. Sententiam suam pluribus communire conatus est.

Verùm opinionem hanc Fideles ad unum fere omnes refugiunt; ipsis namque compertum quovis tempore fuit, corporeo, ac sensibili quodam modo Prothoparentem Mulierem fuisse deceptam.

Scriptura litteraliter intelligenda si nullū absurdum.

Nec satis concinit Patrum regulæ, qua rite, sancteque decretum est, Sacræ Scripturæ verba litterali sensu esse intelligenda, quoties evidens non urget absurdum, aut Ecclesiæ Definitio. Adversatur iisdem historicæ methodo, qua Spiritus Sanctus per Moysem prosequitur conditi Orbis, huma-
A næque propaginis narrationem.

Et sane Epiphanius *Hær.* 64. erroris damnat Origenem, Hieronymus *ad Pammachium* carpit Joannem Jerosolymitanum, Augustinus *Hær.* 59. Hermetem, & Seleucum redarguit, ex quo Paradisum voluptatis secundo Geneseos capite relatum allegorice fuerint interpretati; & Synodus VI. *Act.* 13. approbat Epistolam Sophronii Patriarchæ Jerosolymitani recitatam *Act.* 11., quâ Origenistarum fermenta damnantur, quatenus *Extra paternam, & Apostolicam Traditionem Paradisi plantationem projecerint*. Hujusmodi
B notæ periculum haud facilè effugiet, qui ad metaphoram trahere studebit, quæ de Serpente narrantur; cum utrobique contextus æqualem vim locutionis habeat. Hinc egregie dicebat S. Joannes Chrysostomus *Hom.* 13. *in Gen.*, quod Moyses describens Paradisum, nomen loci, in quo erat, scilicet Eden, & plagam Orientalem, quam spectabat, & nomina fluminum ex Paradiso egredientium fere nota omnibus, tam subtiliter, & accurate enarravit -- Ut non liceat nugari, vo-
„ lentibus imponere simpliciorum auribus,
C „ & dicere, nullum esse in Terra hortum,
„ quem vocant Paradisum, sed in Cœlo, &
„ fabulas, quasdam ejusmodi somniare --

3 Opinio altera, quæ Cyrillo Lib. 3. *adversùs Julianum Apostatam* affingitur, Serpentem simplex credidit simulacrum, sub quo delitescens Dæmon Evam est allocutus. Huic opinioni suppetias ferre videtur Angelicus Doctor *in Genesim cap.* 3. — Si quæri-
„ tur, utrum ille Serpens esset Serpens ve-
„ rus, vel assumptus, ex vaporibus forma-
„ tus, non est magna vis. Tamen verosi-
„ mile est, quod fuit ex vaporibus; quia
D „ ille modus est communis Dæmonis --

Angeli assumpta corpus ocyus dimittunt.

Ceterom Opinio hæc nec litteræ candorem salvat, nec speciem præsefert veritatis. Angelis siquidem sive bonis, sive malis, solemne est, peracto ministerio, assumptum ocyus dimittere corpus; impræsentiarum autem, tentatione, lapsuque absolutis, adhuc superstes proponitur Serpens; ipsum namque in excusationem adduxit Mulier, illum alloquitur Deus coram Adam, qui apprime Serpentum naturam noverat.

Maledictio confictō Serpenti non cōpetit.

E Verùm enimvero si simulatus Serpens; quo tendit maledictio? *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, eodem cap. verf. 14. Conficto ne competont hæc? Solummodo verum Serpentem terram comedere ex Propheta didicimus: *Et Serpenti pulvis panis ejus*. Isaiæ 65. verf. 25. Nam Mulierem inter, & larvatum Serpentem, sicut & inter nnius, alteriusque semen positæ fuot inimicitiæ? *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum,* &

& semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus vers. 15.; quod utique perpetuam innuit dissensionem. Utique consicti censendi essent Serpentes, qui in dies hominum pedes mordent: & quotidie sub assumptis Serpentum speciebus Diabolum humano Generi insidiari dicendum esset; quo nil absurdius. Quæ igitur Serpenti sub primordiis fuerant naturalia, ut humi repere, clanculum latere, venena diffundere, eidem deputantur ad pœnam; sicut quæ sub statu innocentiæ juxta naturæ leges novimus, ut Terram progerminare spinas, hominem herbis vesci, Uxorem Viro subdi, peccantibus Prothoparentibus a Domino in probrum sunt deputata.

Nec fingimus naturale quoddam odium hominis in Serpentem, & vicissim Serpentis in hominem. Licèt enim ex ipsa utrinsque conditione, & origine dimanet, ante lapsum velut suspensum habebatur, & post illum uterque naturæ suæ redditus est, ut ambo sese hostiliter insidientur. Speciali tamen quodam modo viget in Muliere; nam ut inquit Rupertus *Lib.* 3. *cap.* 20. *in Gen.* — Si „ nuda Mulieris planta dentem Serpentis „ prævenerit, & vivacissimum caput ejus vel „ leviter presserit, statim totum cum capite „ corpus repente interit, Ita ut nullus om„ nino motus, nullus sensus in aliqua parte „ residuus sit, quod nec malleis, aut vecti„ bus, certe nec gladiis concidentibus, cito, „ aut leviter effici potest —

Serpens naturalis describitur. Quid plura? Si nos Scriptura docet, Serpentem, qui Mulierem allucinatus est, a Deo factum: non nisi perperàm Simulacrum ab ipso efformatum dicetur. Quomodo cunctis animantibus Terræ callidior describetur Monstrum prorsus inanime? Meritò itaque dicebat Rupertus *Lib.* 3. *in Gen. cap.* 3. — „ Terrenum quippe animal nos littera cogit „ intelligere, dum dicit, quia Serpens erat „ callidior cunctis animantibus — Quod clarescit ex Hebraico textu, ubi legitur: *Serpens erat in multas spiras, & giros complicatus, & involutus.* Naturalis hujusmodi corporis descriptio verum animal a ceteris discretum abunde innuit.

Eva Serpentem non exhorruit. Unum tandem addendum superest, Mulierem nempe nec Serpentem exhorruisse, neque fuisse admiratam, non ob aliud sane, nisi quia ipse jam occurrerat, cum Adam animantibus nomen apposuit; sive quia, ut sentit Rupertus *cap.* 2. gitogava Mulier *prospectans qualis extra Paradisum Mundus haberetur*, Serpentem fuerat intuita; sive quia cum quibusvis animalibus confidenter, teste Chrysostomo *Lib.* 16. *in Gen.*, conversabantur Prothoparentes. Quis autem ea Serpentum Simulacra credet, quibus nomen imposuit Adam intra Paradisum, vel quæ foris sylvas incolebant, & saltus, vel quorum utebantur consuetudine?

4 Fabellæ similem aliam profert opinionem Josephus *Lib.* 1. *Antiquitatum cap.* 1. Ultrò admittit, verum fuisse Serpentem, qui Evam seduxit; sed qui sublimis, erectisque pedibus insistens gradiebatur, cuique naturalis loquendi vis, atque ingenita intelligendi facultas inerat; qui humanæ felicitatis invidus, Mulieri esus vetiti pomi suasor fuit, ut eam perderet, hinc — Serpenti vocem ade„ mit Deus, Iratus ob malitiam, qua erga „ Adamum est usus, venenumque linguæ „ ejus indidit; ad hæc pedibus privatum, „ trahi per terram fecit —

Ophitæ cur inter Hæreticos adscripti. Credant Josepho Judæi, qui in suo Talmud turpiora confingunt; nobis sat est nosse Ophitas ideo inter Hæreticos ab Ecclesia adscriptos, quia primum illum Serpentem cognitionis capacem effinxerunt, ut testatur Epiphanius *Hær.* 37. — Attribuunt au„ tem & hi, Ophitæ appellati, huic Ser„ penti omnem cognitionem, dicentes quod „ hic principium fuerit cognitionis homini„ bus —

Quovis tempore compertum fuit, hominibus solummodo loquendi, intelligendique vim fuisse concessam, ut bonum inter, & malum, discrimen agnoscerent, perpenderent æternæ Beatitudinis dignitatem, Divinorum præceptorum perscrutarentur conditionem, atque profunda Divinæ Providentiæ arcana rimarentur. Novimus prævaricatorem Angelum, ubi condignas superbiæ pœnas subjit, in naturalibus haudquaquam mulctatum; & asserere quis audebit, pedibus, voce, cognitione, naturâ totâ mutatum Serpentem?

Demus tamen primum illum Serpentem tali pœna damnatum; quonam jure Serpentes reliqui consimili supplicio puniri, quâ criminis participes haud esse potuerunt? An sicut Adamum totius humani Generis caput constituit Deus, ceterorum etiam Serpentum caput facit illum Dominus, ut ipso fallente Mulierem, ad unum omnes, priori deperdita, novum naturæ genus sortirentur? — „ Ridiculum ergo est (Sic Salianus *in Anna„ libus Ecclesiast. Vet. testam. an. Mundi* 1. „ *die* 13. *n.* 15.) ei vocem ademptam, quam „ nunquam habuit; recens venenum linguæ „ inditum, quo nunquam caruit, etsi contra „ hominem tum uti non potuerit; pedibus „ privatum, quos nunquam possedit — Quod aperte de gradiendi modo testatur Theodoretus *Quæst.* 34. — At ipse quidem Serpens, „ nullum inde damnum accepit, cum ita „ gradi natus sit, hanc enim habet a natura „ motus speciem. Nihil autem naturale mo„ lestum videtur esse —

5 Quarta adinvenitur hac super re opinio, quam Moyses Barcephas *Lib. de Paradiso cap.* 27. prosequitur. Propugnat, Serpentem illum corporeum fuisse animal de genere Reptilium; sed cui Dominus, instante Dæmone ut Evam in errorem induceret, usum loquendi, intelligendique facultatem ad tempus concessit.

Serpens locutionis, & intellectionis incapax. Sed quæ Auctor iste commentus est, perspicue falsitatis revincuntur. In aperto siquidem est, nemini loquendi facultatem tribui posse, si apta desint efformandæ vocis organa: cognitio itidem actio vitalis est, a proportionato intrinseco principio exigens oriri; quomodo ergo fieri potuit, ut animal locutionis, & intellectionis incapax loqueretur, & intelligeret? Num dicetur, ad tempus elargita fuisse idonea tum efformandæ voci, tum mentis conceptui organa? Jam

Brutum in hominis naturam mutatum habemus. **A** Velut intelligentem, inquies, allocutus est Dominus Serpentem? Ita plane. Verùm intelligere ne diceris Montes Gelboe, quos velut intelligentes maledixit Propheta Domini? Nequaquam sane. Cur igitur dabimus Serpenti intelligentiam?

6 Receptissima itaque tum veterum Patrum, tum recentiorum Sententia ea est, quæ astruit, verum fuisse Serpentem, quem velut organum assumpsit Diabolus, ut præconceptum in humanum Genus evomeret invidiæ virus. Hæc Sententia litteræ majestatem servat, historiæ veritati congruit, mysteriorum elucidat consonantiam.

Verus fuit Serpens.

B Hanc adoptavit S. Augustinus *Lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 27.* -- Non est permissus „ Diabolus tentare fœminam, nisi per Serpentem, nec virum, nisi per fœminam, „ sed in serpente ipse locutus est, utens eo „ velut organo, movensque ejus naturam eo „ modo, quo vere ille movere, & moveri „ illa potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ Mulier „ suadentis intelligeret voluntatem -- Et *cap. 28.* idem evincit exemplo Energumenorum, qui a malo spiritu aguntur -- Non, „ itaque Serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad Mulierem. „ **C** Neque enim conversa credenda est anima „ ejus in naturam rationalem, quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis „ natura est, cum Dæmon in eis loquitur ea passione, cui Exorcista requiritur, sciunt, „ quid loquantur -- Indeque *in quæstionibus super Genesim* ortum esse duxit, quod ad homines fallendos præ cæteris animantibus gaudeat Diabolus Serpentum incantationibus uti.

Non dissentit ab Augustino Cyrillus *Lib. 3. contra Julianum*; irridenti enim historiam collocutionis Serpentis ad Evam, & insanationibus sciscitanti -- Quonam idiomate Serpentem, qui cum Eva locutus est, usum „ **D** dicemus? numquid humano? Et quid differunt hæ fabulæ ab iis, quas Græci finxerunt? -- respondet S. Doctor -- Vocem, „ hanc impii, & auctoris malorum, Dæmonis operatione factam, Serpente velamentum malignitatis illius adumbrante -- Hinc tum Poetarum, tum Philosophorum testimoniis palam ostendit, id a Dæmonibus facilè præstari posse.

Nec aliam sane propugnat Epiphanius Sententiam *Hær. 37.* -- Hac enim de causa, „ etiam Dominus ipsum hunc Serpentem in „ humani Generis inimicitiam constituit, „ quoniam omnino vas Diaboli factus est, „ **E** & qui pecus sit, & per ipsum Diabolus „ hominem in Paradiso decepit --

Quod si Patres alios placet audire, occurrit Rupertus *Lib. 3. in Gen. cap. 3.* -- Si „ autem scivit, Serpentem non nisi alieno spiritu potuisse loqui, profectò in eo miræ „ seductionis immensitas est, quod quasi „ omnipotentiam Spiritus ejus mirata est „ Mulier, qui per irrationale animal humana formare verba potuisset -- Occurrit Beda *in cap. 6. Joan.* -- Spiritus salvavit nos „ utens organo carnis ad salutem humani „ Generis, quia Diabolus utebatur Serpente „ quasi organo ad subversionem primi Parentis nostri --

Si recentiores quærimus Doctores, eligimus Magistrum Sententiarum, & S. Thomam. Ille *2. dist. 21.* habet -- Diabolus per „ Serpentem tentabat, in quo loquebatur; „ sic autem loquebatur Diabolus per Serpentem ignorantem, sicut per Energumenos, „ & Phanaticos -- Solvens alter *cap. 3. in Gen.* quæstionem, cur Mulier Serpentem non exhorruerit, scribit -- Ideo credo, eam non „ credidisse, esse purum Serpentem, sed scivit Angelum sibi in Serpente loquentem, „ & quamvis crederet fortè eum bonum Angelum, non propter hoc deprehendebat „ ejus fraudem, quia Angelus eo modo loquebatur, quo poterat loqui homini pro „ illo statu --

Verùm cur Serpentis organum assumpsit Diabolus? -- Nec sane debemus opinari, „ ait Augustinus *lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 3.* „ quod Serpentem sibi, per quem tentaret, „ persuaderetque peccatum, Diabolus elegerit, sed cum esset in illo propter perversam, & invidam voluntatem decipiendi „ cupiditas, non nisi per illud animal, per „ quod posse permissus est. Nocendi enim „ voluntas potest esse a suo quoque animo „ prava, non est autem potestas, nisi a „ Deo --

Serpentis nomine Eugubinus *in Cosmopeia* Draconem intelligit -- Potest nomine, „ Serpentis intelligi aut Draco ingens & „ alatus, aut coluber. Magis autem Draconem crediderim, ut quasi in forma Basilisci se obtulerit, quem latine Regulum, „ potes appellare, quod gestet in capite „ quasi coronam, perinde atque Gallus -- Et infra -- Credendum est autem fuisse Draconem pulcherrimum, cristatum, sublato „ pectore, & collo, qui speculatus formosissimam fœminam per Paradisum exultantem, corporeasque delicias captantem, „ eam minime occupatam, atque ad Creatorem suum animo, sed ad delicias illas „ intentam, invasit -- Solinus tamen *cap. 39.* mavult esse Scytalem eximia pulchritudine, fulgentem.

SERPENTIS CALLIDITAS EVINCITUR CONGENITA, TENTATIO EXTERNA, ET PECCATUM ADÆ GRAVIUS PECCATO EVÆ.

7 Veniamus ad partem alteram de Serpentis calliditate. Hac super re triplicem habemus Sententiam. Docet prima, loqui Scripturam de calliditate tantummodo quoad Dæmonem; ita ut Scripturæ verba, *Serpens erat callidior* in idem redeant, ac, *Diabolus erat callidior*. Concedit altera, Textum fore intelligendum de Serpente, non quidem ejusdem spectatâ naturâ, sed prout a Dæmone agebatur. Contendit ultima, Moysem de reali Serpente, atque de congenita eidem calliditate sermonem instituisse.

8 Hæc ultima Sententia tanquam veritati consona, a Patribus communiùs tradita,

dita, & Scripturis aprime conformior adoptanda est. Etenim Divini Verbi majestas ineptas refugit comparationes ; quæ porro ineptior comparatio, si de Diabolo literaliter intelligeretur ? *Et serpens erat callidior cunctis animantibus*. Nunquid ad statum animantium dejectus est Dæmon ? Utique Serpens ille callidior nuncupatur, cui postea dictum legitur : *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ* ; nunquid super terram reptat Diabolus, aut terram comedit Satanas ?

Calliditas Serpentis inepta de diabolica intelligitur.

Novi equidem sæpenumero in Scripturis Sanctis Dæmonem vocari Serpentem ; ubique tamen apposita nominis significatione. *In illa die*, scribit Isaias cap. 27. vers. 1. *visitabit Dominus . . . super Leviathan Serpentem vectem, & super Leviathan Serpentem tortuosum*. Apoc. 12. vers. 9. *Et projectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas*. Idem legimus cap. 20. vers. 2. *Et apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus*. Impræsentiarum ubinam hujusmodi declaratio ?

Docet nos Epiphanius *Hær.* 37. ideo Diabolum vocari Serpentem ; quia veri Serpentis calliditate usus est ad decipiendum -- Serpentem autem Divina Scriptura vocat „ Diabolum, non quod talis sit forma, sed „ propter apparentem hominibus obliquitatem, & eam, quæ in primis facta est, „ per Serpentem fraudis structuram --

Pluries Canonici Scriptores naturalis calliditatis Serpentis meminere ; & ipsa Æterni Patris Sapientia eam in exemplum sub prudentiæ nomine nobis proponit, Matth. 10. vers. 16. *Estote prudentes sicut Serpentes*. Eccur ergo ad impropriam confugimus significationem ?

Nec melior sane ea censenda est explanatio, qua contenditur, callidior appellari calliditate a Diabolo ipsum impellente accepta. Nemo enim inficias ibit, Diaboli vafritiem fore intellectivam, qua indubie incapax est animal.

9 Quæ verò in eo major sit calliditas, quod alterum est sub Dissertationis exordio propositum, ut clarescat, noscere operæ pretium est, in Scripturis duplex calliditatis genus Serpenti adscribi ; unum, quo sibi prospicit ; aliud, quo alterius damnum molitur. Ut sibi consulat, dum insectatur, circumvoluto corpore, caput obtegit, & ne incantantium ligetur carminibus, aurem unam terræ admovet, alteram caudâ obturat, de quo Psal. 57. vers. 5. -- *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas*. Senectutem præterea verno tempore, fœniculi usu, exuit ; ait namque Plinius *Lib.* 20. *cap.* 23. -- Fœ„ niculum nobilitavere Serpentes, gustatu „ senectam exuendo, oculorumque aciem „ succo ejus reficiendo -- Talia spectavit Salvator, dum Discipulos suos prudentes sicut Serpentes voluit, ut mysticis significationibus erudiret Ecclesiam.

Calliditas Serpentis duplex.

Attamen laudabilem hanc calliditatem deturpat Serpens, dum insidiose, & quasi oblandiens inter flores lethali vulnere sauciat. Pessimum hoc lædendi genus apte innuit tentationem, qua Diabolus Mulierem fefellit ; insidiosis namque quæstionum ambagibus, *Cur præcepit vobis Deus*, clanculis fallaciarum circulationibus, *Scit enim Deus, quod aperientur oculi vestri*, blanda promittens, *Nequaquam moriemini*, Genus perdidit humanum.

10 Qualis autem fuerit tentatio, externa tantummodo, vel insimul interna, quod tertiò elucidandum est, inter Scholasticos meritò versandum foret. Cum autem mihi Angelici Doctoris arrideat doctrina, externam tantummodo fuisse censeo. Interna siquidem tentatio peragi nequit a Dæmone, nisi vel appetitum sensitivum ad illicita excitando, vel phantasmata, quæ ad malum moveant hominem, confingendo ; utrumque autem perfectioni status innocentiæ repugnabat, ut egregie probat Sanctus Doctor 1. *Part. quæst.* 94. *art.* 4., & *in Quæstionibus disput. de veritate quæst.* 18. *art.* 6., sicut & alibi. Igitur dubio-procul Diaboli tentatio solummodo externa dicenda est.

Tentatio interna quomodo a Dæmone.

11 Ultimum superesset discutiendum, videlicet, num Adam, vel Eva graviùs deliquerit ?

Ut multa, quæ hac super re dici possent, contraham in pauca, audiamus Apostolum ad Rom. 5. vers. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Ibi plura versat, per quæ abunde innotescit, damna hominibus obvenisse, non ex Evæ, sed ex Adami delicto. Illa ruinæ nostræ occasionem dedit ; hic vera, & propria causa fuit. Graviùs igitur deliquit Adam, quàm Eva. Qui plura exoptat, adeat Scholasticos, qui fuse Prothoparentum crimen inter se conferunt. Mihi fas est summis labiis naviter, licèt sine ullo eloquentiæ fuco, proposita absolvisse.

Eva fuit occasio, Adam causa nostræ ruinæ.

DISSERTATIO SCRIPTURALIS II.

Ad Caput 4. Gen. vers. 8., & 15.

Consurrexit Cain adversùs Fratrem suum Abel, & interfecit eum . . . . . Posuit Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.

QUO MUNDI ANNO CAIN TRUCIDAVERIT ABELEM, ET QUALE SIGNUM POSUERIT IN FRATRICIDA DOMINUS, UT NEMO INTERFICERET EUM.

12 QUæ explicanda jussus aggredior, utique obscura sunt, Rabbinorum fabulis deturpata, atque Scripturarum silentio sunt obvoluta. Siluit Spiritus Sanctus ; quia forte hujusmodi cognitio utilitate caret, nisi satiùs dicere velimus magnum arcanum silentium ipsum, cujus scrutatione Sapientum mentes erudiuntur, sacrisque allegoriis imbui,

buti , piorum affectus ad Cœlestia diriguntur . Ita plane , Abelis occisio , Fratricidæ punitio mystagogiis scatet saluberrimis , quas ad Ecclesiæ bonum prosequuntur Patres . Nobis impræsentiarum operæ pretium est historicæ considerationi insistere .

QUÆDAM REFERUNTUR DIFFICULTATES CIRCA ANNUM , QUO OCCISUS FUIT ABEL .

13 PUerilis nequaquam ætatis , sed grandioris fuisse Abelem , cum Martyrium subjit , Sacra innuit Historia , utpote quæ pastoralem ea consuetudine vitam tunc agisse certò affirmat , & de ovibus , quas ipse educaverat , Domino munera obtulisse .

14 Qui verò esset determinatus annorum cursus , haud facilè deprehendi potest . Difficultatem auget incertitudo temporis , quo Adam cœpit propagationi incumbere . Obscuritatem adjicit dubietas , num Cain , & Abel , primi extiterint Adæ filii ,

15 Triginta quatuor numerasse annos suadere posset allegoria , qua Christum præsignavit , qui opus suum tali ætate absolvit , quem magnum ovium Pastorem in sanguine Testamenti æterni appellavit Paulus *ad Heb.* 13.

16 Nondum pubertatem nactum fuisse innuere videtur altum de ejusdem Conjugio silentium .

17 Centesimum complevisse annum propugnat Scholasticarum Historiarum Magister *cap.* 25. Methodii Martyris innixus testimonio .

In Revelationibus Methodii in Bibliotheca Patrum legitur anno 30. ex pulsionis de Paradiso genitus Cain, & post trigesimũ annum genitus Abel .

Fertur itaque , Methodium sub custodibus ob Fidei confessionem constitutum , orantemque , ut quidquam de principio , Seculorumque fine Deus ei revelaret , per visum accepisse , Prothoparentes mœrore affectus propter vetitæ arboris esum , quo sibi , atque universo humano Generi originariæ justitiæ , proindeque totius felicitatis jacturam fecerant , ad annum usque decimum quintum abstinuisse a thoro , habito inde a Domino præcepto , Cain , & Chalmanam Sororem procreasse , aliisque decem & quinque annis continenter peractis , Abelem genuisse , & Delboram ; cumque ante ortum Seth , qui anno contigit centesimo trigesimo ætatis Mundi & Adæ , Abelis occisio acciderit , jam plane compertum fit , Virum extitisse annorum centum .

Huic supputationi pondus additur ex Septuaginta Interpretum littera , quæ ducentesimo anno supra trigesimum consignat Seth nativitatem ; quod si verum foret , Abelem majoris fuisse ætatis ultro fateri oporteret .

Ut difficultati , quam Septuaginta Interpretum computatio ingerit , fiat satis , dixerunt quidem , a morte Abelis usque ad Seth centum fluxisse annos , quos Adam , & Eva in fletu egerunt in Valle apud Hebron , quæ lacrymarum dicitur , a thoro prorsus sejuncti ; cui recensita opitulatur visio Methodii , qui ob desolationem de morte Abel votum continentiæ emisisse affirmat , super quod , humani Generis propagandi gratiâ , a Deo dispensationem obtinuit . Tali pacto conciliare se putant Septuaginta litteram cum Hebraica , quæ ad annum tantummodo centesimum trigesimum reponit partum Seth ; Hebraica quippe littera centum annos luctus prorsus præteriit , utpote ad Mundi populationem , atque ad Adæ genealogiam , quam instituere intendebat Sacer Textus , nihili facientes . Ad centum annos luctus alius triginta addiderunt Rabbini , confingentes , tunc temporis Evam masculos Dæmones peperisse , Adamum verò fœmineos ; cui fabellæ perperàm accommodant illud 2. Reg. 7. vers. 14. *Qui si inique aliquid gesserit , arguam eum in virga virorum , & in plagis filiorum hominum* . Hæc apud Talmudem Babylonicum Lib. *Erubin* , & apud Bereschit Rabba in illud 3. Gen. vers. 20. *Et vocavit Adam nomen Uxoris suæ Eva ; eo quod Mater esset cunctorum viventium* . Trigenario ante Abelis nativitatem , & centenario anno ab ejusdem fato ad Seth favere itidem contendunt Scripturam , quæ raros admodum partus , magnoque annorum spatio interpollatos recenset .

FIRMATUR INTRA ANNUM C.XXX. AB ORBE CONDITO OCCISUM FUISSE ABELEM , ET OPPOSITIS DIFFICULTATIBUS FIT SATIS .

18 VErùm enim verò tum Patrum , tum Sacrorum Interpretum Traditio intra annum centesimum trigesimum ab Orbe condito , & ab Adami creatione , Abelis necem consignat .

Huic opinioni certum præbet fundamentum hebraica lectio , cui per omnia concinit Vulgata , quam sequendam tanquam Fidei regulam nobis exhibet Ecclesia . Seth namque nativitatem eo tempore refert Genes. cap. 5. vers. 3. *Vixit autem Adam centum triginta annis , & genuit filium ad imaginem , & similitudinem suam , vocavitque nomen ejus Seth* ; id porro paulò post a nece Abelis contigisse compertum facit gaudium , quo superfusus Adam , Deo gratias retulit dicens cap. 4. vers. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel , quem occidit Cain* . Hujusmodi animi exultatio satis innuit preconceptum desiderium vehemens filium alterum suscipiendi pro demortuo . Propterea meritò credendum est , defuncto Abele , quamprimum incubuisse Prothoparentes ut filium alterum susciperent ; quod conjici apprime valet ex contextu , enarratis siquidem , quæ ad Abelem , & Cainum spectant , subdit Scriptura : *cognovit quoque Adam uxorem suam* . His consentit nominis Etymologia , quod non sine mysterio Adam naturalium rerum cognitor imposuit . Seth enim ab Hebraico verbo Suth derivat , quod locare , & ponere significat ; unde Seth thesis , & positio dicitur , hoc est , fundamentum concupitæ posteritatis , ad quam ocyus reparandam naturalis eatimulat inclinatio .

Seth genitus paulò post necem Abelis .

Etymologia nominis Seth.

19 Quod si allegoria , in qua præfinita erat Abelis Genealogia Adamo utique revelata ,

data, spectetur, res plane clarescet. Nam sicut a Caino exordium sortita est Civitas Diaboli: ita ab Abele Civitas Dei; quemadmodum ergo illa nullâ temporis intercapedine propagabatur: & hæc pari passu crevisse jure merito censendum est. Equidem a veritate alienum videtur, centum annorum spatio, Sanctæ Civitatis defecisse fundamentum, ubi adeo feraciter exurgebar diabolica.

Ejusdem Seth allegoria.

20 Nec centum annorum conjugalis continentia foret commendanda in Viro, cui humani Generis propagatio demandata fuerat. Pariter injuriose affingitur ob unius filii mortem integri Seculi fletus Viro Sapienti, qui tot viventes natos habebat, & cui præsto erat novæ prolis solatium. Immo hujusmodi ploratus silentium Moysi verteretur in vitium; etenim licèt in lacrymarum valle elapsi fuissent illi centum anni, nihilotamenminus prætermitti non poterant, utpote ad vitam Adæ spectantes, sicut ceteri, quorum seriem studiose susceperat describendam.

21 Methodio igitur attributa visio inter somnia amandanda est, quippe quæ tot næniis conferta Martyri Christi incongrua prorsus videtur. Quis usquam eredet, de rebus sub Mundi primordiis peractis, æternæ saluti neutiquam obsequentibus, eo tempore Deum rogasse, quo catenis constrictus Carnificem, ut sanguinem pro Christo effunderet, lætanter imminere noverat?

Visio Methodio attributa inter somnia amandanda.

Inter aniles fabulas accensendum itidem est continentiæ votum in Eva effictum. Quomodo enim Dei præcepto contraire auderet, quæ Deum ipsum suæ legis vindicem quotidianis ærumnis experiebatur?

Nec momenti est Septuaginta Interpretum littera, quam indubie errare compertum est. In omni namque generatione ad Diluvium usque, teste Hieronymo *de Hebraicis quæst.* in annorum supputatione, quæ partum a partu distinguit, discriminatur, licèt in totali Genitorum numero conveniat. Addit Augustinus *Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 11., *&* 12. ex dicta Septuaginta Interpretum computatione inferendum fore, Mathulalem post Cataclysmum quatuordecim annis superstitem fuisse, reclamante S. Petro *Epist.* 1. *cap.* 3., atque affirmante octo tantummodo animas salvas factas per arcam.

Error in littera 70. Interpretum.

Unde autem hujusmodi error evenerit, non una omnium Sententia est. Nonnulli eum Judæorum perfidiæ adscriptum volunt; siquidem ut nostris detraherent fidem, suos turpiter corruperunt Libros. Hoc tamen reprobat S. Hieronymus *in Prologo super Genesim* ea ratione, quia Christus, sicut & Apostoli, Chronologiam referunt, ut impræsentiarum adinvenitur in Hebraica littera, non verò ut est apud Septuaginta; hi porro mentiti dicendi forent, si ab Hebræis Textus mutatus fuisset. Addit S. Augustinus *Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 14. haud possibile videri, Gentem toto Orbe diffusam uno consilio conspirasse ad conscribendum mendacium, nec eredibile censetur sibi veritatem auferre voluisse, ut aliis inviderent auctoritatem.

Unde evenerit talis error.

Contendunt alii hoc de industria factum a Septuaginta, qui, cum essent de Populo Dei, Ethnico Regi veritatem palam facere renuentes, aliter ab Hebræo contextu litteram sunt interpretati. Verùm S. Augustinus grande nefas hoc credidit, alienum prorsus ab eximia tantorum Virorum probitate.

Ex ignorantia id contigisse credunt alii, quatenus non eosdem tunc annos ac nunc, sed menstruos crediderunt, vel saltem unum ex nostris decem ex illis annis continere; ceterum cum eam noverint difficultatem, quod, ubi littera Hebraica dicit quosdam ætatis annorum septuaginta, vel centum genuisse, sequeretur septimo, vel decimo anno procreasse, quod a natura alienum est, propterea duplo majorem numerum addiderunt, ut ætas generationi apta consignaretur. Attamen ignorantiam hujusmodi refugit Augustinus. Ecclesia namque Septuaginta inter Sapientes veneratur; neque eo calculo omnis evincitur difficultas. Etenim nemo unus ex hominibus primæ ætatis ultra octoginta duos annos vixisset; quod non raro nostra hac tempestate contingere videmus. Tantus itaque tunc dies, ac nunc, quem diurnum, nocturnumque horarum curriculum determinat: tantus nunc mensis, ac tunc, quem Lunæ cursus concludit: tantus demum nunc annus, ac tunc, quem Solis circuitus perficit.

Sanam porro tradiderunt Ptolomæo Hebraicam interpretationem Septuaginta, sed qui exemplar inde conscripsit, falsatos sive casu, sive per imprudentiam tradidit numeros, quod facilè contingere potuit, additâ, seu imminutâ litterâ, ut sentit Augustinus; hinc Latius error in omnes Codices dimanavit.

22 Æquali veritatis jure compertum fit, paulo post ab egressu a Paradiso Prothoparentes Cainum, & Abelem progenerasse; in ea namque ætate creati fuere, ut generationi vacare possent, urgente potissimùm præcepto de Mundi propagatione. Quare inter fabulas amandanda est Sententia illa, quæ affirmat, Adam annis quindecim, multoque magis annis triginta continenter vixisse.

Cain, & Abel geniti paulo post egressum Prothoparentum a Paradiso.

23 Primos masculinos partus fuisse Cainum, & Abelem, satis innuit Scriptura. Primogenitum Cainum declaravit Eva gratulabundis illis verbis Genes. 4. vers. 1. *Possedi hominem per Deum*: quasi dicere vellet primum peperi filium, jam facta sum viventium Mater; hæc acquisitio, seu possessio apte Primogenito convenit. Si ergo alter a Caino primus fuisset, illi prædicta accommodasset Eva — Quod enim negari non potest, „ prior omnibus Cain ex conjunctione maris, & fœminæ natus est. Neque enim „ nato illo dixisset Adam, quod dixisse legitur: Acquisivi hominem per Deum, „ nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo „ additus primus — Sic Augustinus *Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 15. Et certe quoties Scriptura specialiter partum aliquem notat, particulas, ex quibus colligitur alios præcessisse, subnectit, ut legenti compertum fiet; istæ porro, ubi Caini nativitas enarratur, desiderantur;

Cain fuit Primogenitus.

tantur ; fignum proinde evidens eft , ante omnes fuiffe progenitum Cainum .

Abel fuit fecundus.

Abelem fecundum fuiffe nos docet Textus verf. 2. *Rurfumque peperit fratrem ejus Abel*. Hujufmodi immediata copulatio ipfum & primum poft Cainum, difcretumque conceptum declarat , falfitatis infimul evincens afferentes gemellos fuiffe .

Idem oftendit rerum feries. Difpar munus Agricolæ , & Paftoris , fanctitas morum unius , pravitas vitæ alterius , prima duplicis lineæ defignant principia . Duobus hifce Fratribus Civitates duas, Dei nempe , & Diaboli præfignatas , atque inchoatas , conftans eft Ecclefiæ doctrina, quam ex Auguftino *cit. Lib. de Civit. cap.* 1. adoptavit -- „ Natus eft igitur prior Cain , ex illis duobus Generis humani Parentibus, pertinens „ ad hominum Civitatem , pofterior Abel „ ad Civitatem Dei -- Ex nominum Etymologia roboratur . Cain enim poffeffio dicitur terrenorum ; Abel verò luctus , vanitas , & nihil ; piorum quippe eft fua , & aliena flere crimina , & nihili facere mundana .

Abel non fuit occifus impuber.

24 Sunt , qui Abelem impuberem fuiffe necatum fcribant ; cum in Scripturis de ejufdem nuptiis altum habeatur filentium.

Verùm non hoc tenerioris ætatis , fed magnæ virtutis, nempe virginitatis argumentum effe poteft . Si enim in illis duobus Fratribus duplicem Civitatem , Dei fcilicet , & Diaboli, præfiguratam dicimus, æquum erat, ut utriufque infignis primitùs haberentur , excellentia quidem in Abele , probrofa in Caino . Idcirco Auctor mirabilium Sacræ Scripturæ apud Auguftinum *Tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. triplicem juftitiam in Abele agnovit ; videlicet virginitatem non generando ; Sacerdotium grata Deo munera offerendo ; & Martyrium innocentem fundendo fanguinem. Hinc Abel mire Chriftum , qui Virgo , Sacerdos , & Martyr fuit , retuliffe dicitur .

Nec inde inferas velim , circa annum XXXIV. occifum ; cum ea ætate paffus fit Redemptor nofter . Configuratio fiquidem Electorum cum Chrifto non temporis rationem , fed ejufdem gefta refpiciunt ; ficut , quæ nobis Chrifti commendatur imitatio , non corpus , fed mores fpectat .

25 Sunt, qui contendunt , raros fuiffe conceptus , partufque Evæ , ut innuit Scriptura : adeoque non nifi poft multos annos procreatum Abelem , aliofque plures poft ejus mortem præteriiffe ante ortum Seth ; unde ante centefimum trigefimum annum a Mundi exordio occifum deprædicant .

Eva partubus fœcunda.

Hoc tamen communi fere Traditioni refragatur . Sentiendum namque videtur cum Hebræorum Traditionibus , fingulis annis partus fuiffe geminos , alterum marem , fœminam alterum .

Nec aliter fane intelligi poteft Mundi propagatio , aut fedula Terræ cultura Caini , ipfiufque Abelis follicita ovium cuftodia . Quorfum ab hominibus occidi metuebat profugus Cain , fi Prothoparentes tantùm, ipfiufque Uxor , fupererant ? Ad quid unius Civitatis ædificatio , fi tres folummodo Mundum incolebant ? Si partus unice admittendi funt , quos diftincte indicat Textus , fpatio A circiter bis mille annorum, tota prima Mundi ætate via triginta extitiffe homines cogemur admittere . Quis profectò hoc credet ? cum Deus ficut ærumnas , fic & conceptus multiplicatos prædixerit . Quadringentorum annorum curriculo a nativitate Ifaac ad egreffum ufque ab Ægypto , præter multitudinem Gentium ex Abraham , Madianitarum nempe , Idumæorum , Ifmaelitarum , ex fola ftirpe Jacob fexcenta millia peditum Virorum , abfque parvulis , mulieribufque B enumerati funt Exod. 12. verf. 37. Si infrequentes adeo generationes, perperàm Genef. cap.6. verf. 1. legeretur : *Cum cœpiffent homines multiplicari fuper terram* , & verf. 5. *Multa malitia hominum effet in terra* ; quod per recapitulationem utique dictum eft ; non enim fub diebus Noe cœperat hominum, eorumque malitia multiplicari , cum & raræ recenfeantur generationes , & Dominus jam hominem delere ftatuerat .

Scio equidem folos tres Noe filios cum Uxoribus fuis ingreffos in Arcam ; cum tamen fexcentos numeraret annos . Sed vel Noe alios habuit filios , qui aut demortui C erant , ne , exundante Diluvio , futura mala viderent , aut & ipfi , moribus corrupti , aquis deperiere , vel quid fingulare difpofuit Deus in Noe propter allegoriæ dignitatem .

Quare autem reliquos fileat partus Scriptura, paucorum mentione facta , docet Auguftinus loco fæpe laudato *cap.* 15. -- Non „ enim quia foli numerati funt propter ordi„ nes generationum , quas commemorare „ oportebat , ideo confequens videri debet , „ folos fuiffe tunc generatos ex Adam. Cum „ enim filentio , coopertis omnium nomini„ bus ceterorum , legatur , eum genuiffe „ filios , & filias , quota fuerit ifta proles D „ ejus , quis præfumat afferere , fi culpam „ temeritatis evitat ...... Sed cum Sacræ „ Scriptor Hiftoriæ ad ortum , vitamque „ Noe , cujus tempore Diluvium factum „ eft , per fucceffiones generationum , nota„ tis temporibus intenderet pervenire , eas „ utique commemoravit , non quæ primæ „ fuis Parentibus fuerint , fed quæ in propa„ gationis ordinem venerint --

Quo loco occifus Abel.

26 Quo autem loco , nefario fcelere , trucidatus fuerit innocens Abel , non fatis innuit Scriptura . Communiùs ager Damafcenus creditur ; non ille quidem , qui eft apud Syriam , fed qui apud Hebron . Hic E enim ab Hebraico vocabulo *Damfac* derivatur , ideft fanguinis faccus ; quia effufum Abelis fanguinem haufit , cujus vox de terra clamabat ad Dominum .

Quonam inftrumento.

27 Incertum itidem eft , quonam inftrumento Cain Fratrem occiderit . Hebræi morfibus laceratum dicunt : lapidibus obrutum Abulenfis : Irenæus falce truncatum : farculo Prudentius : ferro proftratum Ifidorus : gladio Chryfoftomus : Pictores mandibulâ : rufticanâ furcâ , vel fufte nonnulli ; alii denique ipfum fuffocatum volunt , at his contradicit Scriptura effufi fanguinis mentionem faciens . Non præftat ulteriori inquifitione his infiftere ; oportet enim aliud , quod explicandum fufcepi , brevibus perftringere .

QUI-

QUIBUSDAM CONPUTATIS FABULIS, RECENSETUR PRO SIGNO TREMOR, ET TIMOR INGENS.

28 POsuit itaque Dominus signum in Caino, ut nemo ipsum interficeret, utque per illud agnitus Fratricida abominabilis haberetur, servareturque ad diuturniores angustias, ut tandem supplicio infimul, & beneficio revocaretur ad pœnitentiam. Quodnam fuerit hocce signum alii alia dicunt.

29 Rabbinorum quidam canem fuisse venditant, qui Cainum quovis tempore præibat, atque per semitas ab hominibus infrequentes deducebat.

Verùm hujusmodi fabella Scripturæ adversatur. Ipsa enim Scriptura signum illud Caini Personam afficere abunde declarat, illumque profugum super terram in homines offendere debuisse testatur.

30 Rabbi Salomon Jarchi putat signum hoc fuisse ipsum Caini nomen, fronti ejus impressum.

At verò fini a Domino præfignato hujusmodi figmentum non cohæret. Etenim non omnes illud noscere potuissent; utpote nonnulli litterarum ignari. Nec Caino cederet in pœnam; cum eo minime gravaretur.

31 Vult Rabbi Eliezer *in Pirke cap.* 21., unam fuisse ex Hebraico Alphabeto litteram super brachium sugillatam.

At tunc temporis nec tale Alphabetum extabat, nec in brachio facta obfignatio patere poterat occurrentibus ad cognitionem, illiusque ignominiam.

32 Alii ex Rabbinis in *Tanchuma* fabulantur, signum illud fuisse Sabbathum, quod in remissionis signum Adamo concessum a Deo fuerat, hinc Caino.

Sed nec Prothoparenti in signum remissionis concessum est Sabbathum, quod divino culti fuit sacratum; nec Fratricidæ fuisset ad supplicium; nec ad securitatem deserviret, cum vagus, & profugus, futurus esset in terra Gentium, qui Sabbathum nequaquam venerabantur.

33 Communis Sententia ea est, quæ propugnat, signum a Deo impressum non alium fuisse ab ingenti capitis, totiusque corporis, tremore, quem Paralysim nuncupamus, cui addita ingenti animi perturbatione, vultu prorsus concidebat; unde omnia perditi hujus hominis membra peccatum loquebantur. Ingeminabat corporis trepidationem, animumque concutiebat perpetua quædam, atque secreta vox sanguinis effusi clamantis de terra vindictam.

Tremor, & timor Caini. 34 Tremorem hunc nobis declarant Septuaginta Interpretes, qui verba illa cap. 4. vers. 12. *Vagus, & profugus eris super terram* verterunt: *Suspirans, & tremens super terram*, sicuti sequentia vers. 14. *Ero vagus, & profugus in terra*, verterunt: *Ero gemens, & tremens*.

35 Audiamus S. Hieronymum *Epist.* 125. -- Ejicior a conspectu tuo, & conscientia sceleris tremebundus lucem ipsam ferre „ non sustinens, abscondar, ut latitem, „ eritque omnis, qui invenerit me occidet „ me, dum ex tremore corporis, & furiatæ „ mentis agitatu eum esse intelligit, qui „ mereatur interfici --

SS. Patres in tremore, & timore agnoscunt signum Caini. Ejusdem labii sunt Theodoretus, & Chrysostomus, quorum primus *quæst.* 42. *in Gen.* habet -- Ipsa Dei Sententia, quæ prohibebat illum occidi, signum erat, & ipsa „ membrorum concussio notum, manifestumque ipsum reddebat -- Alter verò *hom.* 19. *in Gen.* -- Rursus & hoc maximum est „ supplicii genus, assidue gemere, ac tremere. Quia enim abusus es robore corporis, & membrorum viribus, propter „ hoc continuum hunc tremorem, & motum tibi infero, ut non solùm ipse habeas „ jugem admonitionem, & memoriam hujus nefasti sceleris, sed & omnes, qui te „ intuebuntur, viso te, quasi clara illis voce „ denunciaretur, discant, ne talia audeant--

36 Est & aliud momentum. Ubi enim Scriptura describit, Cainum egressum a facie Domini habitasse in terram Eden, legunt Septuaginta *Naid*. Porro S. Hieronymus *in Quæstionibus Hebraicis super Genesim* scribit -- Quod Septuaginta *Naid* transtulerunt, in Hebræo *Nod* dicitur, & interpretatur fluctuans, & instabilis, ac sedis in„ certæ --

Rem totam verbis laudati Chrysostomi *hom.* 20. *in Gen.* absolvamus -- Et verò locus „ ille, in quo habitavit Cain perpetua me„ moria fuit, non illi soli, sed & Seculis „ posterioribus ob tremorem, & motionem, „ nomen enim *Naid* Hebraica dictio est, & „ vertitur motio. Itaque crimen illius no„ tum, & a loco quasi in columna ærea „ scriptum esset --

DISSERTATIO SCRIPTURALIS III.

Ad Caput 5. Geneseos vers. 23., & seq.

Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.

AN HENOCH VIVUS TRANSLATUS FUERIT, ATQUE ADHUC VIVAT?

37 NOnnulli apud Judæos in eam devenerunt Sententiam, ut legere est apud Sixtum Senensem Lib. 2. *Bibliothe. Sancta*, Verbo *Henoch*, ut Henoch Virum quidem justum commendent, sed ante terminum, sub quo ceteri tunc temporis homines mori consueverunt, fato functum, ne in peccatum laberetur, juxta illud Sapientiæ 4. vers. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. *Quorundam Judæorum Sententia.*

Aben-Ezra, cui adstipulatur Calvinus, sua-

suaviter efflasse animam asserit, eamque illicò in Cœlum translatam affirmat, facialis tamen visionis dono usque ad Christi Ascensionem caruisse.

Philo autem *de vita Sapientis* translationem Henoch, nil aliud fuisse asseverare non dubitavit, quàm sejunctionem ab impiorum frequentia; credidit namque in locum vulgaribus hominibus ignotum recessisse, paucis, iisque perfectissimis cognitum, ibique Eremiticæ austeritatis fervore dies suos egisse.

38 Graviori, & quidem temerario ausu Serenissimus Britannorum Rex Jacobus, nomine Primus, Scotorum verò Sextus, celeberrimæ, atque cum laude quammaxime memorandæ, Mariæ Stuardæ Proles, in sua *ad Principes* Præfatione, qua impie Catholici Orbis Primates ad Hæresim adoptandam sollicitare studuit, ut blasphemam propugnaret Sententiam, Papam videlicet fore Antichristum, ultrò concedit Henoch vivum raptum fuisse, verùm ex tunc gloriosi corporis dote donatum, atque immortali vita frui ita constanter asseverat, ut Patribus indulgendum esse affirmet, dum moriturum adhuc, & cum Elia adversùs Antichristum in Fidei, Ecclesiæque defensionem venturum tradiderunt; quid autem de recentioribus Theologis sentiat, his evomit -- Tantum abest, ut „ huic futili, & anili fabulæ credam, ut „ contra isto tam erudito Seculo (*Seculum* „ *eruditum nuncupat Lutheranorum, Calvi-* „ *nianorum, Puritanorum progeniem*) hoc „ qui credat, Deum testor, non modò pro „ magni nominis Theologo, sed nec Chri- „ stiano quidem habeam, quin potius Scri- „ bis, & Pharisæis accenseam -- Lutosam hanc doctrinam ex Theodori Bibliandri Chronico *Tabula* 14. hausit, ibi namque ut puerilem imaginationem, judaicumque somnium fore criminatur, -- expectare vel „ Eliam, vel Henoch, ut Personas suis pro- „ prietatibus definitas -- omnia, quæ hac super re de laudatis Viris affirmat Scriptura, ad metaphoram referens.

Jacobi I. Britannorum Regis doctrina.

Procopius *in Genesim* innuere videtur, translationem Henoch non jam mortem fuisse, sed immutationem quandam ex mortali ad immortale corpus.

EVINCITUR, HENOCH VIVUM FUISSE TRANSLATUM, ATQUE IN HUMANIS AGERE.

VErùm Henoch vivum fuisse translatum, atque adhuc in humanis agere, Scriptura suadet, Traditio evincit, universus Ecclesiæ consensus adoptat.

39 Et sane peculiaris illa locutionis forma, qua præ ceteris Sacer Textus Henoch describitur, satis apte speciale aliquod portendit privilegium; calamus ille velociter scribentis, qui in minimis Scripturæ apicibus sublimia absondit arcana, dubio-procul in varia adeo locutionis phrase maximum debuit occludere mysterium. Si novit, supputatis singulorum Decessorum annis, simplici verbo, *Et mortuus est*, eorundem vitam absolvere, sicut & Posterorum periodos comprehendere, cur loquendi modum immutat, dum de Henoch sermo occurrit? Mortui dicuntur ceteri, Henoch non apparuisse, Henoch raptus, seu, ut Septuaginta legunt, translatus. Palmare hocce loquendi discrimen quid aliud innuit, nisi Henoch inter mortuos superstitem fore?

Ex Scriptura eruitur Henoch vivus translatus.

Ita plane. Servatus est, ut, præfinito tempore, Gentes doceat pœnitentiam, ut testatur Ecclesiasticus 44. vers. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam*; cumque munus hoc ad hæc usque tempora non expleverit, fas est tandiu vivere, donec illud absolvat.

Diserte rem nostram declarat Apostolus ad Heb. 11. vers. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem*. Qui mortem non vidit, quomodo mortuis accensendus est?

40 Patres ejusdem labii fore in aperto est. Tertullianus Lib. *adversùs Judæos* cap. 2. habet -- Nam & Henoch justissimum non „ circumcisum, nec Sabbathizantem de hoc „ Mundo transtulit, qui necdum mortem „ gustavit, ut æternitatis candidatus -- Et Lib. *de Anima* cap. 50. -- Translatus est He- „ noch, & Elias, nec mors eorum reperta „ est, dilata scilicet; ceterum morituri re- „ servantur, ut Antichristum sanguine suo „ extinguant -- Idem sentit Lib. *de Resurre-* *ctione carnis* cap. 58. -- Quod Henoch, & „ Elias, nondum resurrectione dispuncti, „ quia nec morte functi, quia tamen de „ Orbe translati, & hoc ipso jam æternita- „ tis candidati, ab omni vitio, & ab omni „ damno, & ab omni injuria, & contume- „ lia immunitatem carnis ediscunt --

SS. PP. in eandem confluunt Sententiam.

Habet Epiphanius *in Ancorato* -- Hi „ duo (Henoch scilicet, & Elias) perma- „ nent in corpore, & anima, propter spem „ æternæ nempe felicitatis --

Audiamus Hieronymum *Epist. 61. ad Pamachium* -- Henoch translatus est in car- „ ne, Elias carneus raptus est in Cœlum, „ necdum mortui, & Paradisi jam coloni, „ habent quoque membra, cum quibus rapti „ sunt, atque translati --

Hieronymo concinit Augustinus Lib. *De peccat. meritis* cap. 3 -- Neque Henoch, & „ Elias per tam longam ætatem marcue- „ runt -- Et Lib. 2. *De Gratia* cap. 23. -- „ Quos tamen non dubitamus, in quibus „ nati sunt, corporibus vivere --

Hieronymo, & Augustino prælusit S. Ambrosius Lib. 4. *de Fide* cap. 1. -- Tran- „ slatus ergo Henoch, raptus Elias, ambo „ famuli, ambo cum corpore, sed non cum „ resurrectione, nec cum manubiis mortis --

S. Isidorus Lib. *de vita, & obitu Sanctorum* cap. 3. scribit -- Henoch septimus ab „ Adam mortis ignarus, meruit in eum lo- „ cum transferri, unde fuerat Protoplastus „ exclusus --

In eandem confluunt Sententiam Chrysostomus Hom. 21. *in Genesim*, Nazianzenus Orat. 34. *de Henoch*, Gregorius Magnus Hom. 29. *in Evangel.*, & reliqui ad unum omnes, qui hac de re scripsere, quos prosequitur Angelicus, sed invicte, ut assolet,

can-

eandem comprobans veritatem *in Comment. cap.* 5. *Genefeos*, ubi itidem declarat, hujusce rei Traditionem Spiritus Sancti afflatu fore directam.

41 Verùm enim verò si vivus translatus est Henoch; cur Scriptura certos ejusdem supputat annos, sicut ceterorum, qui Adæ Genealogiam componunt? *Facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni* cap. 5. vers. 23.

Raptus Henoch quando contigit.

Supputat quidem, sed eos, quibus ante raptum cum hominibus conversatus est. Porro raptus Henoch contigit annis ante Diluvium sexcentis sexaginta novem, post Adami mortem annis quinquaginta septem, ante obitum Patris sui Jared quatuorcentis triginta quinque, ante nativitatem Noe annis sexaginta novem.

CONFUTANTUR DELIRIA JACOBI I. REGIS ANGLIÆ.

42 ADversùs dicta oblatrat Anglicanus Princeps: & quæ utilitas, inquit, quisve finis, ut tanto tempore contra naturæ leges inter vivos degat Vir omni justitiâ insignis?

Cur Elias, & Henoch adhuc vivant.

Perperàm objurganti egregie occurrit Angelicus *in cap.* 5. *Genefeos* -- Sicut judicia „ Dei occulta, non sunt temere, & præsomptuose discutienda, sed potius veneranda, & metuenda; sic ejus arcana, „ opera, & consilia, non sunt curiose, & „ præsumptuose perscrutanda, sed fideliter „ magnificanda, & sobrie speculanda. Ratio „ tamen aliqua poni potest de ipso, & de „ Elia consimilis. Secundùm enim testimonium Christi, & Malachiæ Prophetæ, „ Elias fuit reservatus, ut in fine Seculi „ filios Israel converteret. Item ad confirmandam Fidem, & fortem, & grandem „ æstimationem magnalium illius temporis „ ultimi, & propter hoc duo erant maximi „ sui temporis, & suæ ætatis, ætatis dico „ Mundi. Nam Henoch fuit maximus ante „ legem, & Propheta secundùm quod dicit „ Judas in Canonica sua, & de judicio prophetavit; propterea ad istud tempus reservatus fuit. Elias autem fuit maximus Propheta post legem, & maximus justitiæ „ Zelator; ideo debet esse judicii (in quo „ fiet plena justitia) testis. Uterque fuit circa „ tempus grandis judicii, sicut Henoch circa „ tempus diluvii, Elias circa tempus magnæ „ persecutionis; nam tunc fuit magna persecutio Prophetarum ab ipsa Jezabel 3. Reg. „ 8. Instetit etiam captivitas decem Tribuum. Item isti duo Prophetæ, sicut Patres, & quædam capita Prophetarum, „ ideo convenienter reservantur in Testes illius temporis, in quo de universo Orbe in „ Gentibus, & Judæis necesse erit dare singulare testimonium de Christo, & imminentis judicii dare signa, & reducere dispersa in unum, ita quod ex Gentibus, „ & Judæis fiet unum ovile --

Neve S. Thomæ sensa inter nuperrimas Theologorum fabulas enumeret Adversarius, videat, quæ ex Tertulliano superiùs dedimus, audiatque Damascenum Lib. 4. *de Fide Orthodoxa* cap. 27. -- Mittentur Henoch, „ & Elias Tesbites, & convertent corda „ Patrum in filios, hoc est, Synagogam ad „ Dominum nostrum Jesum Christum, & „ Apostolorum prædicationem, & ab illo „ (*nempe Antichristo*) interficientur -- Audiat Magnum Gregorium *Lib.* 14. *Moral. cap.* 11. -- Illi, qui a prioribus Mundi partibus processerunt Henoch, & Elias, ad „ medium revocabuntur, & crudelitatis „ ejus (*Antichristi*) sævitiam in sua adhuc „ mortali carne passuri sunt -- Quid plura? „ Quotquot Patres illud Apocalypsis 11. vers. 3., & seqq. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis &c.* affirmant Henoch. & Eliam, adversùs Antichristum in fine Mundi propugnaturos.

43 Infremit hæc andiens Regius Apologista, & conviciis carpit Catholicos, haud valens percipere, quod laudati Prophetæ -- „ e Cœlo descendant, prædicent, pugnent „ contra Antichristum, interficiantur ab eo, „ posteaquam per multa annorum millia „ exempti fuerunt a maledictione mortis -- Hinc clamat -- blasphemum esse credere, ex „ quo Adam ab illo Paradiso ejectus est, „ aliquem ex Adami posteris illuc pervenisse -- His Sapientissimos illos tradoecos, qui Henoch, & Eliam, in hortum voluptatis translatos volunt.

Veritatem otique non percipit, qui arbitrarie audet Scripturas interpretari, utque suo pertinaciter adhæreat judicio, Patrum contemnit Sapientiam, atque Ecclesiæ Doctrinam nihili facit. Ultro asserit, Henoch suo, in quo natus est corpore adhuc vivere, atque translatum? verùm ne fateri cogatur, abs re affirmasse Pontificem Romanum fore Antichristum, nondum enim apparuit Henoch, ut adversùs ipsum bellum gerat, fingit a die raptus gloriosi corporis dote donatum.

Elias, & Henoch in mortali corpore peregrinantur a Domino.

Attamen quàm longe a veritate Anglus aberret, palam facit Apostolus 1. ad Corinth. 15. vers. 36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi priùs moriatur*, & vers. 42., & seq. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Audax sane consilium, Prophetam unum ab ea lege excipere, cui ipse Dominus subjici voluit: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium; sic & Christus semel oblatus est*, ad Heb. 9. vers. 27., & seq. Quis itidem credet Servum cœlestis Gloriæ participem, priusquam æterni Patris Filius hæreditatem adiret? *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*, Joan. 3. vers. 13. Unde egregie dicebat S. Ambrosius Lib. 4. *De Fide* cap. 1. -- Translatus erat Henoch, raptus Elias, sed non „ est Servus supra Dominum. Nullus enim „ ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de „ Cœlo. Nam & Moysem licèt corpus ejus „ non apparuerit in Terris, nusquam tamen „ in Gloria cœlesti legimus, nisi postquam „ Dominus Resurrectionis suæ pignore vin-

„ cula ſolvit Inferni, & piorum animas elevavit. Translatus ergo Henoch, raptus Elſas; ambo famuli, ambo cum corpore, ſed non poſt reſurrectionem, non cum manubiis mortis -- Rem clariùs evincunt Patres, qui Henoch, & Elſam noviſſimis temporibus Martyrio coronandos docent. Hinc diſcat Sereniſſimus Adverſarius nedum adhuc vivere, ſed in mortali corpore peregrinari a Domino, in Fide ambulantes, & in ænigmate ſublimis quidem contemplationis.

44 Ubi verò degant, ut alteram Regiæ Objectionis diluam partem, certò ſcire, parùm referre crediderim, cum inter quæſtiones, quæ, ſalva Fide, contrariis diſcutiantur opinionibus, Id ceponat Auguſtinus Lib. 2. *De Gratia Chriſti adversùs Pelagium*.

In terreſtri Paradiſo degunt.

Veeùm inter Patres plures, hique magni nominis, volunt in terreſtrem Paradiſum Henoch, & Elſam translatos. Sic Irenæus Lib. 5. *contra Hæreſes* cap. 5. -- Ubi ergo „ primus poſitus eſt homo, ſcilicet in Paradiſo, quemadmodum Scriptura dicit. Et „ plantavit Deus Paradiſum in Eden contra „ Orientem, & poſuit ibi hominem, quem „ plaſmavit, & inde projectus In hunc „ Mundum non obediens. Quapropter di„ cunt Presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum „ Diſcipuli, eos qui translati ſunt, illuc „ translatos eſſe -- Sic Athanaſius in Epiſt. *De Nicana Synodo contra Euſebium* -- Siquidem & Adam anticipans gratiam, & ſtatim ubi natus eſt in Paradiſo collocatus, „ nihil quicquam differentiæ habuit ab Henoch, qui poſt tempora nativitatis ſuæ, „ cum Deo placuiſſet, in Paradiſum translatus eſt -- Sic Juſtinus Martyr q. 85. *ad Orthodoxos*, ſic Iſidorus in Lib. *de vita, & morte Sanctorum*, ſic Procopius Gazæus *in cap. 4. Gen.*, aliique paſſim, quorum ſenſa non uno in loco adoptavit S. Thomas, & potiſſimùm 1. *Part. quæſt.* 102 *art.* 2. *ad* 3. -- Et ſimiliter Henoch raptus eſt ad Paradiſum terreſtrem, ubi cum Elſa ſimul creditur vi„ vere uſque ad adventum Antichriſti --

45 His abunde compertum eſt, perperàm male feciatum Regem eam Sententiam, quam venerabiles adeo in Eccleſia Doctores tutari ſunt, fabulis accenſuiſſe.

Equidem ſcio, Rupertum Lib. 3. *in Gen.*, alioſque Patres, negare Henoch in Paradiſum translatum, quemque Diluvii aquis deletum affirmant, ficut nuſquam in Græco Textu vocem Paradiſi adinveniri. Nullimode tamen hæc oppoſitio urget. Nam in vulgata editione, quam authenticam agnoſcit, atque ab omnibus haberi vult Tridentina Synodus, vox Paradiſi aperte legitur. Porro Patres, licèt quoad translationis locum non ejuſdem labii ſint, ſervatos nihilominus eos aſſerunt -- quouſque ad finem „ Mundi redeant, & mortis debitum ſol„ vant -- ſic Rupertus *loco laudato*,

DISSERTATIO SCRIPTURALIS IV.

Ad Caput 7. Geneſeos verſ. 2., 8., & 9.

Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam; de animantibus verò immundis duo, & duo, maſculum, & fœminam . . . De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod movetur ſuper terram. Duo, & duo ingreſſa ſunt ad Noe in Arcam, & maſculus, & fœmina.

AN SEPTEM, VEL QUATUORDECIM, EX ANIMANTIBUS MUNDIS IN ARCAM NOE INGRESSA FUERINT, ET QUOT EX IMMUNDIS.

46 Sicut luciſſimum Divinitatis Thronum circumdant caliginis umbræ, dicente Pſalmiſta Pſal. 96. verſ. 2. *Nubes, & caligo in circuitu ejus*; ſic Divinum eloquium in Scripturis enunciatum tenebris involvitur. Verùm *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*; ipſa namque Sacri Codicis veritas, difficultatem involucris implicata, lux eſt, quippe quæ ut adversùs malignantes invictè defendi valeat, evolvitur diligentiùs, clariùs intelligitur, atque efficaciùs prædicatur, ut apte ex S. Auguſtino adnotat Angelicus ad illud 1. ad Corinth. 11. *Oportet & hæreſes eſſe*. Utinam id mihi contingat propoſitam quæſtionem perſcrutanti. Implexam litteræ constructionem, plurimamque Sententiarum varietatem præſefecre obſcuritatem ad unum omnes facilè conjicere poſſunt.

Sacra Scriptura eſt Lux in tenebris.

Unam Titolus innuit quæſtionem, triplici tamen nodo colligatam. Primò videlicet, an ſub temporibus Noe mundorum animalium, & immundorum occurreret diſcrimen? Secundò, quot ex qualibet eorundem ſpecie individua Arcam fuerint ingreſſa? Tertiò ſolùm ne perfectorum animantium genus ipſa incluſerit?

SUB TEMPORIBUS NOE DISCRIMEN FUISSE OSTENDITUR MUNDORUM ANIMALIUM, ET IMMUNDORUM.

47 Circa primum. Solemne eſt apud Abulenſem *quæſt.* 3. *in cap. 7. Gen*, ante Moſaicam legem nullum animalis ſive mundi, ſive immundi exitiſſe diſcrimen, quod non niſi per legalia præcepta innotuiſſe affirmat, & per anticipationem in laodato Geneſis capite appoſitum fore propugnat; quo pacto *Exod.* 24., & 32. prævia narratione ſermo Inſtituitur de Joſue, cui tantummodo *Numer.* 13. a Moyſe tale nomen fuit accommodatum. Hujuſmodi opinio vera

falſis

falsis involvit, quod ut perspicue appareat, distinctione opus est.

48 Duplici itaque significatione animal mundum, vel immundum nuncupatur; nempe in ordine ad cibum; & in ordine ad Sacrificium. Quoad primum, illud censetur immundum, nullo spectato praecepto, quod qualitatibus humanae naturae adversatur, individui corruptionem gignens, vel horrorem provocans, & abominationem. Quoad Sacrificium verò illud est immundum, quod vel ineptum ad testificandam Divini Domini excellentiam creditur, vel minùs aequum, ut Dei majestati offeratur.

Dupliciter animal vocatur mundum, vel immundum.

Utroque modo ab Adami lapsu ad Noe usque tempora Immundum animal extitisse, dubio-procul censendum est, non singulari aliqua divinae legis Sanctione, sed naturali lumine, & humana consuetudine firmatum.

49 Equidem novi ad Dei imperium productas bestiarum species, omneque jumentorum, atque reptilium genus divino laudatum praeconio. Novi nil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, neque quod per os intrat animam coinquinare. Verùm illud indubium est, in unius Serpentis damnatione homines inter, & bruta inimicitias fore constitutas; adeoque quaedam sibi noxia fore apprime cognoverunt. Et sane a primordiis Creationis communes hominibus insimul, & animantibus, cibos fecit Deus, Gen. 1. vers. 29., & seq. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram . . . ut sint vobis in escam: & cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli, & universis, qua moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum*. At quos latet, jumenta naturalem habere pabulorum delectum, quibusdam refici, lufiei aliis?

Sub temporibus Noe quaedam animantia nescerentur hominibus noxia.

50 Verùm enim vero si rationali Creaturae terrae fructus dati sunt in escam: si nemo unus ex Adae posteris ad Diluvium usque carnes comedit: si prima, Orbe jam aquis purgato, facta est familiae Noe permissio vescendi volatilibus, caeterisque animantibus: *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, Gen. 9. vers. 3.; quomodo mundorum, & immundorum consingitur delectus relate ad cibum?

Andiatur Chrysostomus *hom. 24. in Gen.* hac super re egregie disserentem -- Operae „ pretium fuerit hoc loco inquirere, unde „ jussus ille noverit, quae animalia pura „ essent, & quae impura; nondum enim „ distinctio haec facta erat, quam postea „ Moyses in suis legibus statuit. Unde ergo „ sciebat? num a se ipso, & ab insita na„ turae suae doctrina? Nihil autem per se „ immundum est ex his, quae fecit Deus: „ quo pacto enim immundam vocemus crea„ turam ullam, cum omnia semel a Deo „ approbata sint, dicente Moyse: vidit Deus „ cuncta quae fecerat, & erant valde bona? „ Verum deinde natura a se ipsa haec distin„ xit. Quod autem id sit verum, considera „ quemadmodum nonnullis locis quidam ab„ stinent ab aliquibus ut immundis, alii verò „ illis ipsis vescuntur; tanta est vis consue„ tudinis apud homines in utramque par„ tem. Sic & fuit tempore Noe. Ipsa verò „ scientia ei Viro insita docebat eum, quae „ essent ad cibum commoda, & quae im„ munda; non quod talia per se essent, sed „ quia pro immundis habebantur -- Si natura haec distinxit, poterant indubie Antediluviani homines mundorum, & immundorum discrimen noscere, licèt hisce non vescerentur.

Naturaliter discrimen mundorum, & immundorum noscebatur.

51 Certiora ultro praedictum confirmant discrimen, si Sacra spectentur. Sub Lege naturae jam inde a Mundi exordio Sacrificia, Sacrosque ritus extitisse Sacrae Litterae nos docent: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui*. Gen. 4. vers. 3. Ubi Angelicus Doctor -- Ex hoc patet, quod „ falsa est opinio dicentium, quod Sacrificia „ essent in Lege introducta solùm ad tollen„ dam Idololatriam; enim constet hic ab ini„ tio Mundi secundùm naturam generis in„ coepisse --

Sacrificia a Mundi exordio.

Habemus quidem laudato Genesis capite vers. 26. *Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste coepit invocare nomen Domini*. Nunquid Abel, ad cujus munera respexit Deus, nomen Domini invocare non novit? Nunquid tot annorum intercapedine nulla extitit Ecclesia Deo fidelis? Cogitanti talia horret animus. Cur tamen dicitur, Enos coepisse invocare nomen Domini? Non alia sane ratione, nisi quia Sacrificia, quae nullo statuto ritu Deo offerebantur, certa lege praescripsit. Illud namque lumen, quod signatum est super nos, sicut Deum palam facit vitae, & mortis Auctorem, Ita colendum proponit, ejusdemque Omnipotentiam, atque Majestatem excellentiorum creaturarum immolatione venerandam. Quod optime Eusebius *Lib. 1. De Demonstrat. Evangel. cap. ult.* explicuit -- Hominem debere vitam suam „ Deo in Sacrificio; quia tamen hoc non „ expedit, ideo Lege naturae introductum „ fuisse, ut in Sacrificium animalis, vel ali„ quod hujusmodi commutaretur -- Omnis quippe Religio sive vera, sive falsa, docente Augustino, per sensibile aliquod signum constituitur, atque distinguitur. Necesse proinde est ante Noe tempora, vel omnem abnegare Religionem, vel determinatum aliquod rituum genus concedere.

52 Sed quid plura? audiatur S. Thomas 1. 2. quaest. 103. art. 1., ubi quam proposui, demonstrative resolvit quaestionem -- „ Dicendum, quod sicut patet ex dictis, „ Ceremoniae legis ad duo ordinabantur, „ scilicet ad cultum Dei, & ad figurandum „ Christum. Quicunque autem colit Deum, „ oportet quod per aliqua determinata eum „ colat, quae ad exteriorem cultum pertinent. „ Determinatio autem divini cultus pertinet „ ad Ceremonias, sicut etiam determinatio „ eorum, per quae ordinamur ad Proximum, „ pertinet ad praecepta judicialia, ut supra „ dictum est; & ideo sicut inter homines „ communiter erant aliqua judicialia, non „ tamen ex auctoritate alicujus Legis divinae „ instituta, sed ratione hominum ordinata; „ ita etiam erant quaedam Ceremoniae, non „ qui-

D. Th. Doctrina.

„ quidem ex auctoritate alicojus Legis de-
„ terminatæ, sed solùm secundùm volunta-
„ tem, & devotionem hominum Deum co-
„ lentium . Sed quia etiam ante Legem fue-
„ runt quidam Viri præcipui, prophetico
„ spiritu pollentes, credendum est, quod ex
„ instinctu divino, quasi ex quadam privata
„ lege, inducerentur ad aliquem certum
„ modum colendi Deum, qui & conveniens
„ esset interiori cultui, & etiam congrueret
„ ad significandum Christi mysteria, quæ
„ figurabantur etiam per alia eorum gesta
„ secundùm illud 1. ad Corinth. 10. Om-
„ nia in figuram contingebant illis . Fue-
„ runt igitur ante legem quædam ceremo-
„ niæ, non tamen ceremoniæ legis, quia
„ non erant per aliquam legislationem in-
„ stitutæ -- Et *ad* 4. subdit -- Dicendum,
„ quod distinctio mundorum animalium, &
„ immundorum non fuit ante legem, quan-
„ tùm ad esum, cum dictum sit Gen. 9.
„ Omne quod movetur, & vivit, erit vo-
„ bis in cibum; sed solùm quantùm ad Sa-
„ crificiorum oblationem; quia de quibusdam
„ determinatis animalibus Sacrificia offere-
„ bant. Si tamen quantùm ad esum erat
„ aliqua animalium discretio, hoc non erat,
„ quia esus illorum reputaretur illicitus,
„ cum nulla lege esset prohibitus, sed pro-
„ pter abominationem, vel consuetudinem;
„ sicut nunc videmus, quod aliqua cibaria
„ sunt in aliquibus Terris abominabilia, quæ
„ in aliis comeduntur --

53 His falsitatis revincitur opinio prima, omnem prorsus negans delectum: sicut & altera quorundam Judæorum positiva Dei Lege adstruens constitutum discrimen: tertiam itidem rejiciendam duximus, cum mundi, immundique discretionem desumendam affirmet, juxta majorem, minoremve ad humanæ Naturæ perfectionem accessum. Haud enim percipi valet, cujusnam qualitatis participatione hujusmodi metiendus sit accessus. Nam si rationis, jam nullum erit animal mundum: siquidem quodlibet ratiocinandi caret facultate; si sensationis: jam nullum erit immundum; si figuræ · non nisi monstra quædam aliqualem hominis referre imaginem visa sunt; si denique imitationis Psittaci tantummodo, & Simiæ ad mundorum classem revocabuntur.

TANTUM SEPTEM EX ANIMANTIBUS MUNDIS IN ARCAM NOE DECLARANTUR INGRESSA.

54 UT ad secundum accedamus. Justinus Martyr *in responsione ad quæst.* 43. *Orthod.*, Origenes *hom.* 2. *ad cap.* 6. *Gen.*, Olcaster *super* 7. *caput Gen.*, aliique, quatuordecim volunt ex mundis animantibus in Arcam ingressa. Attamen septem solummodo fuisse gravioribus momentis comprobatur.

Quenam sensum habeant septena, & septena.

55 Etenim termini numerales, ubi pluribus, hisque diversis accommodantur, ea distribuunt, non multiplicant: porro termini illi *septena*, *& septena* directè universo mundorum animalium generi accommodantur; propterea illud distribuunt, atque hunc reddunt sensum: ex speciebus singulis animantium, quæ mundis accensentur, septem assumes.

56 Et meritò sane, nam ut ait Theodoretus *quæst.* 50. *in Gen.* -- Cum hominibus
„ permissurus esset Deus manducare carnes,
„ & homines pii sacrificaturi essent, majo-
„ rem numerum mundorum animalium cu-
„ stodiri jussit, nempe tres conjugationes ad
„ augmentationem generis, unum verò ani-
„ mal reliquum ad sacrificandum; statim
„ enim ubi cessavit ultio, Noe Sacrificium
„ obtulit Deo gratiarum actioni conveniens;
„ ita ut certum sit, hac de causa Deum
„ jussisse ex unaquaque specie mundorum
„ animalium septena in Arcam introduci,
„ ut Noe unum animal offerens ex unaqua-
„ que specie, non perimeret conjugatio-
„ nes --

57 Quoniam verò, teste Augustino Lib. 15. *de Civit. Dei* cap. 27. errat, quisquis putat -- Aut tantummodo rerum gesta-
„ rum veritatem sine ullis allegoricis signifi-
„ cationibus hic esse quærendam, aut e con-
„ trario hæc omnia gesta non esse, sed so-
„ lùm verborum figuras . . . . Ubi etiæ,
„ ut alia omittam, si numerositas animalium
„ cogebat Arcæ tantam fieri magnitudinem,
„ immunda bina, & munda septena intro-
„ mitti animalia, quid cogebat, cum æquali
„ numero possent utraque servari? -- Egre-
gie quidem, & consone ad Apostolum, qui omnia in figura contigisse affirmat. Porro si res gesta mysterio non caret, septem individua tenemur intelligere, secus quatuordecim. Septenarius namque numerus, non quatuordecimus in Scripturis sacratus habetur. Hinc S. Ambrosius Lib. *De Arca*, *& Noe* cap. 12. habet -- Et ut ego arbitror inire
„ mundam asserit hebdomadam, quia mun-
„ dus, & sacer septenarius numerus est.
„ Nulli enim miscetur, nec ab alio genera-
„ tur, idemque virgo dicitur, quia nihil ex
„ se generat --

Septenarius numerus in Scripturis sacratus habetur.

58 His refragari videtur Chrysostomus *hom.* 24. *in Gen.* quatenus arcana ex numeris deprompta inter fabulas recenset.

Verùm nec Ambrosio, nec gravissimis Doctoribus, qui agentes de Sacris Litteris multa pie, utiliterque tradidere, adversatur, sed Valentinianos, Marcionitas, & Gnosticos juste traducit, qui fabulosis computationibus imperitos fallebant, atque impia dogmata exornabant.

59 Ast, inquies, cur finguntur mysteria, si littera hisce resistit. *De animantibus verò immundis duo, & duo, masculum, & fœminam. De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod movetur super terram. Duo, & duo ingressa sunt ad Noe in Arcam, & masculus, & fœmina.* Genes. 7. vers. 2., 8., & 9. Habuit ergo masculus quilibet unam fœminam, & ex adverso.

Inæqualitas septenarii numeri cum littera conciliatur.

Placeat audire Angelicum Doctorem apte septenarii numeri inæqualitatem cum littera conciliantem -- Quod autem dicitur
„ de omnibus duo, & duo, intelligitur
„ communiter, quasi diceret; communiter
„ uni

„ uoi correſpondebit compar ſuus in ſexu
„ diſtinctus. Unde ſi unus erat ibi non ha-
„ bens comparem, non impedit modum
„ loquendi communem; ſicur cum imus
„ proceſſionaliter, & eſt unus impar,
„ ultimus videlicet, dicitur, quod omnes
„ imus bini, & bini, quamvis ſit unus, cui
„ non reſpondet aliquis ſocius --

60 Nec officir generationi inæqualitas. Siquidem in Arca ſicut homines ab ea abſtinuerunt, id univerſali exigente tribulatione conſepulti Orbis; ita & animalia quælibet. Aliàs abſoluto Diluvio, impares maſculi oblati ſunt Domino in Holocauſtum; ut notat Theodoretus ſupralaudatus.

IMPERFECTORUM ANIMANTIUM DIFFICULTAS ENUCLEATUR DOCTRINA D. AUGUSTINI.

61 TErtium, quod diſcutiendum ſupercit, præclare elucidar Auguſtinus Lib. 15. *de Civit. Dei* cap. 27.

Ait itaque S. Doctor -- Quod autem
„ ſcrupoloſiſſime quæri ſolet de minutiſſimis
„ beſtiolis, non ſolùm quales ſunt Mures,
„ & Stelliones, verùm etiam quales Locu-
„ ſtæ, Scarabæi, Muſcæ denique, & Puli-
„ ces, utrum non amplioris numeri in Arca
„ illa fuerint, quàm qui eſt definitus, cum
„ hoc imperaret Deus; priùs admonendi
„ ſunt, quos hæc movent, ſic accipiendum
„ eſſe, quod dictum eſt: quæ repunt ſuper
„ terram, ut neceſſe non fuerit conſervari
„ in Arca, quæ poſſunt in aquis vivere,
„ non ſolùm merſa ſicut Piſces, verùm etiam
„ ſupernatantia, ſicut multæ Alites. Deinde
„ cum dicitur, maſculus, & fœmina erunt,
„ proculdubio intelligitur ad reparandum
„ genus dici, ac per hoc, nec illa neceſſe
„ fuerat ibi eſſe, quæ poſſunt ſine concubitu
„ de quibuſque rebus, vel rerum corruptio-
„ nibus naſci. Aut ſi myſterium ſacratiſſi-
„ mum, quod agebatur, & tantæ rei figura
„ etiam in veritate facti aliter non poſſet
„ impleri, niſi ut omnia ibi certo illo nu-
„ mero eſſent, quæ vivere in aquis natura
„ prohibente non poſſent, non fuit iſta cura
„ illius hominis, vel illorum hominum, ſed
„ divina. Non enim ea Noe capta intro-
„ mittebat, ſed venientia, & intrantia ad-
„ mittebat. Ad hoc enim valet, quod di-
„ ctum eſt: Intrabunt ad te, non ſcilicet
„ hominis actu, ſed Dei nutu. Ita ſane,
„ ut non illic fuiſſe credenda ſint, quæ ſexu
„ carent; præſcriptum eſt enim, atque de-
„ finitum: Maſculus, & fœmina erunt.
„ Aliæ ſunt quippe quæ de quibuſque rebus
„ ſine concubitu ita naſcuntur, ut poſtea
„ concumbant, & generent, ut Muſcæ;
„ alia verò, in quibus nihil ſit maris, &
„ fœminæ, ſicut Apes. Ea porro, quæ ſic
„ habent ſexum, ut non habeant fœtum, ut
„ Muli, & Mulæ, mirum ſi ibi fuerunt,
„ ac non potius parentes eorum ibi fuiſſe
„ ſuffecerit, equinum videlicet, atque aſi-
„ ninum genus. Et ſi aliqua ſunt, quæ ea
„ commiatiune diverſi generis, genus ali-
„ quod ducunt, ſed etſi hoc ad myſterium
„ pertinebat, ibi erant: habet enim & hoc
„ genus maſculum, & fœminam --

Quorum animantium numerus definitus.

Quoniam verò recentiores Philoſophi male audiunt, quædam animalia ex rerum corruptionibus generari, juxta eos non abs re erit, ſi dicas, eorundem ova etiam in aquis ſervata, donec exſiccatâ terrâ a Sole fota in genus ſuum eruperunt.

DISSERTATIO SCRIPTURALIS V.

Ad Caput 16. Geneſeos verſ. 3., & ſeq.

Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam . . . & dedit eam viro ſuo uxorem, qui ingreſſus eſt ad eam.

AN ABRAHAMO, CETERISQUE PATRIARCHIS, SIMULTANEA POLIGAMIA FUERIT LICITA.

DIFFICULTATES RECENSENTUR PROPOSITÆ QUÆSTIONIS.

62 SIcut Eva humani Generis Prothoparentem perdidit Adamum, dum ei fructum tradidit comedendum *Gen.* 3., ita dum Sarai in uſum Conjugii ancillam dedit Viro ſuo, timendum ſane ne Patrem Credentium perdat Abrahamum. Utrinque enim divinum præceptum urgere videtur. Ille namque Dominus, qui in ſubjectionis, & obedientiæ, argumentum, ligni eſum reſervavit, unam tantummodo Mulierem Viro conceſſit in Uxorem: *Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Gen. 2. verſ. 24. Utrobique Muliebris prurriginis intercedit affectio. Illic Eva ſcientiæ cupidine acta: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum*, Gen. 3. verſ. 5., refragante Domini præcepto, pomum comedit, ſibique ærumnas, laboreſque Viro multiplicavit; hic Sarai prolis ſuccenſa deſiderio: *Si fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*, Gen. 16. verſ. 2., ancillam profert, unde ſibi contemptum, Viro dedecus comparavit. Audio namque Lamechum, qui omnium primus, ut legere eſt Gen. 4. duas accepiſſe Uxores, nomen uni Ada, nomen alteri Sella, maledictis traduci a Tertulliano Lib. *De Exhortatione caſtitatis* -- Nu-
„ merus matrimonii a maledicto Viro cœ-
„ pit -- atque tanquam maximæ iniquitatis reum, maximis damnatum fore ſupliciis, ut ſcribit S. Hieronymus Lib. 1. *adverſùs Jovinianum* -- Primus Lamech ſanguinarius,
„ & homicida, unam carnem in duas diviſit
„ Uxores. Fratricidium, & Digamiam ea-
„ dam cataclyſmi delevit pœna. De altero
„ ſeptica, de altero ſeptuagies ſepties vin-
„ dica-

„ dieatum eſt . Quantùm diſtant in numero, „ tantùm & in erimine --

63 Maniehæi, venenato calamo malignantes, duplieis reum eriminis Abrahamum inſimnlant; neſariæ videlieet libidinia ob meretricium conſortium, & infidelitatis ob negatam Divinæ promiſſioni fidem . Audiamus Fauſtum viperinam Manichæorum progeniem apud Auguſtinum *Lib. 22. adverſus Faustum cap.* 30. impie obloquentem -- Habendæ pro„ lis inſanâ flagrans cupidine , & Deo , qui „ id jam ſibi de Sara Conjuge promiſerat „ minime credens , eum pelliee volutatus „ eſt --

64 Fornicarium eum faciunt Judæi *Joan.* 8. , ubi , ut Nothorum maculam effugiant , *Nos ex fornicatione non ſumus nati* , verſ. 41. ab Agar ſe progenitos negant .

65 Quin immo ipſemet Abraham id fateri videtur , dum Agarem e domo ejecit Gen. 21. verſ. 14. *Surrexit itaque Abraham mane , & tollens panem , & utrem aqua , impoſuit ſcapula ejus , tradiditque puerum , & dimiſit eam* ; & jamjam moriturus hæreditariis tabulis filios ea Concubinis genitos ſpoliavit . Gen. 25. verſ. 5., & ſeq. *Deditque Abraham cuncta , qua poſſederat Iſaac : filiis autem Concubinarum largitus eſt munera , & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo* .

66 Hoc ipſo ductus exemplo Leo Magnus *Epiſt.* 92. *cap.* 4. Spuriorum conditionem explicuit , atque jura diſtinxit -- Non „ omnis Mulier juncta Viro Uxor eſt Viri ; „ quia nec omnis filius hæres eſt Patris . „ Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos „ ſunt legitima, & inter æquales . Multò priùs „ hoc ipſum ̣. Domino conſtituente , quàm „ initio Romani Juris extitit . Itaque aliud „ eſt Uxor , aliud Concubina ; ſicut aliud „ ancilla , aliud libera . Propter quod etiam „ Apoſtolus ad manifeſtandam harum perſo„ narum diſcretionem , teſtimonium. ponit „ expreſſum ex Geneſi , ubi dicitur Abrahæ : „ Ejice ancillam , & filium ejus. Non enim „ erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ --

67 Adulterum declamat Abrahamum Ambroſius, qui ut culpæ minuat gravitatem, ingeminat , eum nondum adulterium Lege prohibitum aſſerere videatur, *Lib.* 1. *de Abraham cap.* 4. -- Movere aliquos poſſet , quo„ modo Abraham , Vir tam carus , & fami„ liaris Deo , ingreſſus ſit ad ancillam ? Sed „ conſideremus primùm , quia Abram ante „ legem Moyſis , & ante Evangelium fuit ; „ nondum interdictum adulterium videbatur. „ Pœna eriminis ex tempore Legis eſt , quæ „ crimen inhibuit , nec ante Legem ulla rei „ damnatio eſt -- Aſt ſi ante Legem nulla rei damnatio fuit ; cur Paulus ad Rom. 2. verſ. 12. inelamat . *Quicumque enim ſine lege peccaverunt , ſine lege peribunt* ? Quo pacto aſſeveranter adeo ſeripſit cap. 5. verſ. 13. *Uſque ad legem peccatum erat in Mundo* ? Nondum Lex data erat ; & tamen juſtus Dominus , miſſo cœlitus igne , Pentapolim conflagravit . Ante Legem Lamechus duas duxit Uxores; verùm adulterii flagitio deturpatum agnovit Nicolaus I. Pontifex Max. , dum Lotharium Regem reprehendit -- Annon di„ ſtincta ultione feriendus es , qui in duas „ Uxores adulterium Lamech , & flagitium „ imitatus eſſe dignoſceris , quod Dominus „ non niſi poſt ſeptuagiuta ſeptem genera„ tiones , ſuo ſalutifero adventu , delevit , „ cum Cain fratricidium ſeptima generatio„ ne aquis abolitum ſit Cataclyſmi ? --

68 Et ſane ut Polygamiæ dignoſceretur turpitudo. cur Legis ſcriptæ lumine opus fuit , cum ipſa Naturæ æquitas Juri naturali refragari doeebat ? Hæc eſt , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum ; atque ſatis innuit , quod ſemel uni traditum eſt , alteri concedi nequaquam poſſe: corpus autem ſuum ei , quam in Uxorem ſuſcipit , tradit Maritus , Hæc eſt , quæ conſuſam , atque inæqualem damnat filiorum educationem , quam ſatis incommodam , invidamque parturit Polygamia . Hæc eſt , quæ domeſtici principatus ſuadet ſingularitatem , ſociali contubernio apprime neceſſariam,quam funditùs evertit Mulierum pluralitas , jurgiis replens familias . In aperto ſunt exempla Annæ, & Phenennæ , Liæ, & Rachelis , fœminarum alioqui Sanctarum .

69 Id ipſum evincit Sanctitas Sacramenti , cujus per Polygamiam totus deperditur decor , myſteriique evacuatur majeſtas , & dignitas . De hoc præclare Hieronymus *Epiſt.* 11. *ad Ageruchiam* -- Unus Adam , & „ una Eva , immo una ea eo coſta ſeparatur „ in fœminam , rurſumque quod diviſum „ fuerat , Nuptiis copulatur , dicente Scri„ ptura : Erunt duo in carnem unam , non „ in duas, nec in tres . Propter quod relin„ quet homo Patrem , & Matrem, & adhæ„ rebit Uxori ſuæ , certe non Uxoribus . „ Quod teſtimonium Paulus ediſſereus , ad „ Chriſtum refert, & ad Eecleſiam, ut pri„ mus Adam in carne , ſecundus in ſpiritu „ monogamus ſit . Sit una Eva Mater cun„ ctorum viventium , & una Eccleſia parens „ omnium Chriſtianorum . Sicut illam ma„ ledictus Lamech in duas diviſit Uxores , „ ſic hanc Hæretici in plures lacerant Ec„ cleſias --

Hinc Leo Magnus *Epiſt.* 92. *cap.* 4. illud finale protulit decretum -- Ubi cum ſocietas „ Nuptiarum ita ſit ab initio conſtituta , ut „ præter ſexuum commiationem haberet in „ ſe Chriſti , & Eccleſiæ Sacramentum , du„ bium non eſt, eam Mulierem non pertinere „ ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale „ non fuiſſe myſterium --

70 Illud tamen præ ceteris exitiale occurrit , quod Abrahami exemplo , in Lege Gratiæ haud reprobanda videtur Mulierum pluralitas ; eo namque uſus eſt Valentinianus Imp. , ſi Socrati *Lib.* 4. *Hiſt. cap.* 27. credamus ; eo Anabaptiſtæ , ut tutiùs imitarentur , quod perperàm intelligebant Act. 2. verſ. 44. *Habebant omnia communia* ; eo demum Philippus Landgravius Haſſiæ Princeps, qui , priori vivente Uxore , Margaretam de Saal ſibi copulavit , præmiſſa cum Bucero , Luthero , aliiſque ejuſdem furfuris hominibus , conſpiratione . Hæc porro ſunt , quæ involutam reddunt propoſitæ quæſtionis reſolutionem .

DE-

DEFENDITUR INNOCENTIA ABRAHAMI.

71 QUanquam verò prædicta urgere videantur; solidiora tamen occurrunt, quæ Abrahami comprobant innocentiam.

Abraham a Deo commendatur.

Et certe nefas est, eum reprobare, quem Deus commendat; porro ita Deus sibi charum fatetur Abrahamum, ut glorietur se Deum ipsius fore: *Ego sum Deus Abraham*. Exod. 3. vers. 6., Matth. 22. vers. 33., Marci 12. vers. 26., Lucæ 20. vers. 37.

Quomodo mœchiæ crimine ipsum notare audebimus, quem per semitam sanctitatis deambulasse testatur Scriptura? *Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei Abraham, & Isaac*. Gen. 48. vers. 15.

In meretricio dicetur ne vitam duxisse, quem Deo dilectum describit Daniel cap. 3. vers. 35.? *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum*.

Fidelem deprædicat, & eum benedicendis enumerat Paulus ad Gal. 3. vers. 9. *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum Fideli Abraham*.

Vetitæ Polygamiæ labes absit a Nuptiis, quibus ob nubentis virtutem magnifice benedixit Deus: *Sed & filium Ancillæ faciam in Gentem magnam, quia semen tuum est*. Gen. 21. vers. 13. Impium enim est credere, Deum ob Genitoris dignitatem fœtum illum benedicturum, in quo edendo sese turpissimo flagitio obstrinxerat Parens, & gravissimo crimine Omnipotentem ad iram provocavit.

Bala, & Zelpha maritali jure Jacobo tradita.

72 Quod si ab exemplis momenta exquirimus; Balam, & Zelpham, maritali jure Jacobo traditas habemus, quarum filii tum ex Scriptura, tum ex Hebraici Populi tabulis legitimi censentur, atque jure hæreditario partem Terræ promissionis perinde ac filii Liæ, & Rachelis, acceperunt; scriptum est enim Gen. 50. vers. 23. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob*. Porro non nisi legitimis portio dividitur hæreditatis; propterea Jephte filio meretricis dicitur Judic. cap. 11. vers. 2. *Hæres in domo Patris nostri esse non poteris, quia de altera Matre natus es*. Ejusdem autem conditionis fuisse Conjugium Abrahæ cum Agar, ac Conjugium Jacob cum Bala, & Zelpha in aperto est; utrobique infœcunda Uxor ancillam substituit Viro; utrobique multiplicationis Divina promissio; utrobique præsignatio mysterii, quod innuit Augustinus Lib. *De bono conjugali* cap. 18. -- Sicut „ Sacramentum plurium Nuptiarum illius „ temporis significavit futuram multitudinem „ Deo subjectam in terrenis omnibus Gentibus, sic Sacramentum Nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem „ omnium nostram subjectam Deo futuram „ in una cœlesti Civitate --

73 Sed quid ultra egemus testibus? Spiritus Sanctus in veteri Testamento, dum Leges præscribit Regibus, reprobato in multitudine excessu, fœminarum pluralitatem concedit; Deut. 17. vers. 17. *Non habebit Uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera*.

In Deut. pluralitas Uxorum concessa.

Hunc locum versans Augustinus Lib. *quæst. in Deut.* q. 27. ita scribit -- Quæritur, utrum „ David contra hoc præceptum fecerit; non „ enim unam tantùm habuit Uxorem. Nam „ de Salomone manifestum est, quod transgressus fuerit hoc præceptum tam in fœminis, quàm in auro, & argento. Sed „ hinc potius intelligitur, permissum fuisse „ Regibus plures unà Uxores habere, plurimas autem habere prohibitum; quæ quidem prohibitio non habebat transgressionem in paucis Uxoribus, sicut Davidi fuerunt, sed in pluribus, ut fuerunt Salomoni. Quamvis cum addidit: ut non discedat cor ejus; hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando nimis Uxores, „ deveniret etiam ad alienas, per quas factum est, ut cor Salomonis discederet a „ Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita „ prohibita est, ut etiamsi ea Hebræis solis „ eas valde multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse meritò argui posset --

Nec pro Regibus tantùm, quibus æquandus est Abraham; sed & pro aliis regula præscribitur Deut. 21. vers. 15., & seqq. *Si habuerit homo Uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ; sed filium odiosæ agnoscet primogenitum &c.* Sane adulterinis fœtibus jura primogeniti non tribuit Scriptura, ut supra ex Lib. Judicum adnotavimus.

SS. PP. polygamiâ Abrahamum ab omni labe vindicant.

74 Quamobrem ab omni labe Polygamiam Abrahami, ceterorumque Patriarcharum, vindicant Hieronymus Epist. *ad Oceanum* -- Sciebat Paulus Apostolus lege con„ cessum, & exemplo Patriarcharum fami„ liare fuisse Populo Hebræo noverat, in „ multis Uxoribus liberos spargere, ipsis „ quoque Sacerdotibus hujus licentiæ pate„ bat arbitrium --

Chrysostomus *hom. 56. in Gen.* -- Au„ diens quod Jacob accepit majorem natu, „ & postea minorem, ne turberis, neque „ juxta statum, qui nunc est, opera tunc „ facta judices. Tunc enim quia principia „ erant, permissum fuit cum duabus, vel „ tribus, vel etiam pluribus Uxoribus misce„ ri, ut humanum Genus propagaretur, & „ pietas incrementum acciperet. Adveniens „ autem Christus, & virtutem in homini„ bus plantavit, & Angelos, ut ita dicam, „ ex hominibus fecit, omnemque illam ve„ terem consuetudinem abolevit --

Augustinus Lib. 3. *De Doctrina Christiana* cap. 12 -- Sufficiendæ prolis causâ, erat „ Uxorum plurium simul uni Viro habenda„ rum inculpabilis consuetudo -- Et Lib. 22. *contra Faustum* cap. 47. -- Quando mos erat, „ crimen non erat, & nunc propterea cri„ men est, quia mos non est. Alia enim „ sunt peccata contra naturam, alia contra „ mores, alia contra præcepta. Quæ cum

„ ita fint , quid tandem criminis est , quod „ de pluribus simul habitis Uxoribus objicitur „ Sancto Viro Jacob? Si naturam consulas , „ non lasciviendi , sed gignendi causâ illis „ mulieribus utebatur . Si morem , illo tem„ pore , atque in illis terris hoc factitaba„ tur ; si præceptum , nulla lege prohibe„ batur --

75 Desinant ergo Manichæi adversùs Patrem Credentium blaterare , eumque libidinis criminari . Desinat Calvinus ut lenam carpere Saram . Desinant Tertullianistæ convitiis Veterum impetere Polygamiam , quam & Scriptura , & Patres , commendarunt . Immo horum doctrinâ facilè , quæ canino dente objectabant , diluuntur .

DIFFICULTATIBUS OBJECTIS RESPONDETUR .

Sarai , Deo inspirante, ancillam Viro suo substituit.

76 Itaque muliebri prurigine culpanda non est Sarai ; non enim nitro , sed Deo inspirante , Ancillam Viro suo substituit . Impulsu pariter Dei suasit Abrahamo de domo ejicere Ancillam, ubi Ismaelem cum Isaac filio suo ludentem animadvertit ; unde reluctanti Marito dixit Deus Gen. 21. vers. 12. *Non tibi videatur asperum super puero , & super ancilla tua ; omnia , quæ dixerit tibi Sara , audi vocem ejus* . Hinc Augustinus *Lib. cit. contra Faustum cap.* 32. -- Quid ergo mirum „ si videns Abraham sterilem Uxorem cupientem sibi prolem , quam parere ipsa „ non potuit , ea famula sua , & ex Marito „ provenire, non sine carnali cupiditati ces„ sit , sed conjugali potestati obtemperavit , „ credens hoc Saram ex Dei nutu voluisse , „ qui jam ex seipso illi hæredem promise„ rat , sed ex qua fœmina non prædixerat --

Manichæorum calumnia repellitur.

77 Hinc ad hominem , ut ajunt , alteram pellit Sanctus Doctor calumniam , qua Infidelitatis reum Insimulabant Manichæi Abrahamum, quod Deo non crediderit promittenti ex Sara multitudinem posteritatis ; ait enim -- Sed apertissime falsum est . Non„ dum hoc promiserat Deus . Recenseant „ Scripturæ illius superiora , qui volunt , in„ veniant semini Abraham jam promissam „ terram , & innumerabilis multitudinis „ abundantiam , nondum tamen fuisse pate„ factum , quando illius seminis esset futura „ propagatio ; utrum ex carne Abrahæ , si „ de se ipse generaret , an ex voluntate , si „ aliquem fortè adoptaret . Denique si de „ carne ipsius , utrum ex Sara , an ex alia , „ prorsus nondum manifestum fuit . Legant , „ Inquam , qui volunt , & inveniant , Fau„ stum aut falli Imprudenter , aut fallere „ Impudenter --

Saræ pietas, humilitas, & continentia.

78 Impræsentiarum mirandæ potius sunt Saræ pietas , humilitas , & continentia ; pietas , dum suæ oblita dignitatis Agarem dedit Viro , ne promissio de prole evanesceret ; humilitas , qua sibi Ancillam prætulit ; continentia demum , dum a thoro se subtraxit , ubi se infœcundam agnovit .

79 Porro ubi subdebatur , Principes Pharisæorum cum Christo disputantes adulterinam affirmasse Agaris Progeniem , a vero plane aberrat Instantia ; non enim de carnali , sed de spirituali fornicatione ibidem sermo occurrit . Præstat audire S. Thomam in hunc locum rem apte explicantem -- Ne„ gant, *inquit* , se ex fornicatione natos ; „ quod quidem secundùm Origenem , quasi „ improperando Christo proponunt , laten„ ter designantes ipsum ex adulterio produ„ ctum fore , quasi dicat , nos ex fornica„ tione non sumus nati , sicut tu . Sed me„ liùs potest dici , quod Sponsus animæ spi„ ritualiter Deus est . Oseæ 3. Sponsabo Te „ mihi . Sicut enim fornicatur Sponsa cum „ præter Sponsum suum carnalem , alium „ Virum admittit ; ita in Scripturis Judæa „ fornicari dicebatur , quando Deum verum „ deserens , Idolis adhærebat : Oseæ 2. For„ nicans fornicabitur terra a Domino . Di„ cunt ergo Judæi , nos ex fornicatione non „ sumus nati ; quasi dicant : si aliquando Ma„ ter Nostra Synagoga a Deo recedens for„ nicata est cum idolis , nos tamen non re„ cessimus , nec cum Idolis fornicati sumus . „ Psal. 43. Nec obliti sumus te , & inique „ non egimus in testamento tuo , & non re„ cessit retro cor nostrum : Isaiæ 57. Ascen„ dite huc filii fornicationis &c. Affirmant „ autem se esse filios Dei , quod videbatur „ sequi , ex quo non credebant se natos ex „ fornicatione ; unde dicunt unum Patrem „ habemus Deum , Malachiæ 2. Nonne unus „ est Pater omnium nostrum ? Jerem. 3. Pa„ trem vocabis me -- Hoc ille .

Judæi de fornicatione spirituali loquuntur.

Concubinæ duplicis generis.

80 Quoad Concubinæ nomen plana est Responsio . Illæ enim reprobantur , de quibus Augustinus Lib. *De bono Conjugali* cap. 14. -- Concubinæ ad tempus adhibitæ , „ nec etiam si causa filiorum concumbant , „ justum faciunt concubinatum suum -- Secus aliæ, quæ pro incontinentiæ remedio copulantur , sed usque ad mortem , licèt prætermissa juris solemnitate , de quibus loquitur Justinianus *Novellâ* 18. *cap.* 5. legitimis Uxoribus Concubinas quasdam comparans , quæ sine dotalium tabularum formulâ fuerant nuptæ . De hisce sermonem habet Concilium Toletanum I. *Can.* 17. -- Ceterum is , qui „ non habet Uxorem , & pro Uxore Concu„ binam , a communione non repellatur , „ tantùm unius Mulieris , aut Uxoris, aut „ Concubinæ , ut ei placuerit , sit conjun„ ctione contentus --

S. Leo similitudinaria ratione loquitur.

81 Equidem scio , S. Leonem Agaris exemplo conditionem Concubinarum primi generis resolvere , & jura distinguere ; sed eo utitur non quidem veritatis suppositione , sed similitudinaria ratione , quatenus nec omnino perfectæ Conjugis dignitas servata est , cum ad tempus , non vinculi dissolutione , sed a contubernii societate fuerit ejecta , ejusque filius ad hæreditatem non fuerit admissus .

S. Ambrosius quomodo adulterũ vocat Abrahamum.

82 Ambrosii auctoritate , qua adulter appellatur Abraham , nonnullos angi , ac moveri non ignoro . Verùm si Ambrosii constans servetur stylus , evanescit difficultatis pondus ; cum in eo totus sit , ut a peccato ipsum excuset , quod aliter sane salvari non potest , nisi Agar legitima fuerit Uxor .

Fateri

Fateri igitur cogimur, Sanctum Doctorem adulterii nomen secundùm loquendi proprietatem nequaquam usurpasse.

Equidem Uxorum pluralitas primevæ Matrimonii institutioni adversatur; & ubi nullum admisceatur privilegium, carnale commercium veritatem sortitur adulterii. Si verò Legislatoris accedat remissio, dici valet, latâ quadam significatione, adulterium; vulnus namque legis dicitur dispensatio. Hinc Hebræos furatos dicimus Ægyptiorum vasa, ubi ea Dominus asportare præcepit: fornicariam itidem Oseæ Uxorem, non quæ maritalem frangeret fidem, sed quam ex numero Meretricum dederat Deus Prophetæ.

Nec Sapientissimus Præsul lege naturali minime vetitum intellexit adulterium, cum scripsit: *Nec ante legem ulla damnatio est*, cum cap. 11. ejusdem libri referens qualiter Pharao sublatam Abrahamo restituerit Saram, ait -- Etsi naturâ ferus, ac barbarus, tamen „ significat . . . & adulterii crimen sibi esse „ cavendum. Qui prætendit ignorantiam, „ condemnat intemperantiam . . . Ita major „ lex naturæ, quam legum præscriptio est -- Itaque eam negat damnationem, & pœnam, quibus Lex scripta per Moysem delinquentes subjiciebat.

Unde aliter Abraham adulter nuncupatur, aliter Lamech. Ille specie tenus ob concessam dispensationis rectitudinem, & involutam mysterii celsitudinem; iste veritate ob violatam ultro legem. Primus a Scripturis Sanctus prædicatur; secundus ut homicida execratur. Unus a Deo benedictionibus cumulatur; maledictionibus alter.

Polygamia non adversatur juri naturali primario.

83 Ea autem, quæ ut naturali æquitati contraria objiciuntur, plane dissolvit Angelicus 4. *Sent. dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 1., ubi postquam naturalis legis vim, finemque tum primarium, tum secundarium explicuit, subdit -- Matrimonium ergo habet pro fine prin„ cipali prolis procreationem, & educatio„ nem, qui quidem finis competit homini „ secundùm naturam generis, unde & aliis „ animalibus est communis, ut dicitur in 8. „ Ethic., & sic bonum matrimonii assigna„ tur proles, sed pro fine secundario, ut di„ cit Philosophus, habet in hominibus solùm „ communicationem operum, quæ sunt ne„ cessaria in vita, ut supra dictum est, & „ secundùm hoc fidem sibi invicem debent, „ quæ est unum de bonis matrimonii. Ha„ bet ulteriùs alium finem in quantum in „ Fidelibus est, scilicet significationem Chri„ sti, & Ecclesiæ; & sic bonum matrimo„ nii dicitur Sacramentum. Unde primus „ finis respondet matrimonio hominis, in „ quantum est animal; secundus in quantum „ est homo; tertius in quantum est Fidelis. „ Pluralitas ergo Uxorum neque totaliter „ tollit, neque aliqualiter impedit primum „ finem; cum unus Vir sufficiat pluribus „ Uxoribus fœcundandis, & educandis filiis „ ex eis natis. Sed secundum finem etsi non „ totaliter tollat, tamen multum impedit, eo „ quod non facilè potest esse pax in familia, „ ubi uni Viro plures Uxores junguntur; cum „ non possit unus Vir sufficere ad satisfacien„ dum pluribus ad votum: & quia commu„ nicatio plurium in uno officio causat li„ tem, sicut figuli corixantur ad invicem, „ & similiter plures Uxores unius Viri. Ter„ tium autem finem totaliter tollit -- Addit *art.* 2. -- Lex autem de unitate Uxoris non „ est humanitùs, sed divinitùs instituta, nec „ unquam verbo, aut litteris tradita, sed „ cordi impressa, sicut & alia, quæ ad le„ gem naturæ qualitercunque pertinent; & „ ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri „ potuit per inspirationem internam; quæ „ quidem principaliter Sanctis Patribus facta „ est, & per eorum exemplum ad alios de„ rivata est eo tempore, quo oportet prædi„ ctum naturæ præceptum prætermitti, ut „ major esset multiplicatio prolis ad cultum „ Dei educandæ. Semper enim principalior „ finis magis conservandus est, quàm secun„ darius; unde cum bonum prolis sit prin„ cipalis matrimonii finis, ubi prolis multi„ plicatio necessaria erat, debuit negligi ad „ tempus impedimentum, quod posset in „ secundariis finibus evenire; ad quod re„ movendum præceptum, prohibens plura„ litatem Uxorum, ordinatur --

Hujusmodi dispensationem agnovit Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, Extra, *De Divortiis* -- Nulli unquam licuit insimul plures „ Uxores habere, nisi cui fuit Divina revela„ tione concessum . . . per quam sicut Jacob „ a mendacio, Israelitæ a furto, Samson ab „ homicidio, sic & Patriarchæ, & alii Viri „ justi, qui plures leguntur simul habuisse „ Uxores, ab adulterio excusantur --

Quomodo Polygamia opponatur Matrimonio.

84 Opponitur quidem Poligamia Matrimonio ut Sacramenti mysterium involvit; verùm laudatus Angelicus postquam ostendit *in resp. ad* 5., prolem educandam pertinere ad Dei cultum, & fidem Conjugi servandam significare fidem Deo debitam, subdit -- Nec „ tamen omnino tolluntur, quia & fides „ manet ad plures, & Sacramentum aliquo „ modo; quia quamvis non significatur co„ njunctio Christi ad Ecclesiam in quantum „ est una, significatur tamen distinctio gra„ duum Ecclesiæ per pluralitatem Uxorum, „ quæ quidem est non solùm in Ecclesia Mi„ litante, sed etiam in Triumphante; & ideo „ illorum Matrimonia aliquo modo signifi„ cabant conjunctionem Christi ad Eccle„ siam non solùm Militantem, ut quidam „ dicunt, sed etiam Triumphantem, in qua „ sunt diversæ mansiones --

In Lege Gratiæ vetita Polygamia simultanea.

85 In aperto itaque est, licitam fuisse Abrahami, ceterorumque Patriarcharum Polygamiam; sed insimul compertum quisque habere potest, quàm sordide Novatores sub Lege Gratiæ propugnare contendant, liberam esse Uxorum pluralitatem, ac propterea nec vetitam, nec præceptam.

Christus ad pristinam institutionem reduxit Matrimonii jura Matth. 19. vers. 4., & seqq. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos; & dixit: propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Instantibus autem Judæis, permisisse Moysem libellum repudii, respondit: *Moyses ad duritiam*

ritiam cordis vestri permisit vobis dimittere Uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.

A

Innocentius III. laud. cap. *Gaudemus* ad illa verba. *Quicumque dimiserit Uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, subdit — Si ergo Uxore dimissa duci alia
„ de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad impa-
„ ria judicentur, circa Matrimonium reprobandam --

Et sane haud decet hujusmodi Uxorum pluralitas pro statu Evangelicæ perfectionis, ubi Virginitatis consilia laudantur. Unde perbelle dicebat Chrysostomus *hom. 56. in Gen.* -- Nunc verò, quia per Dei gratiam
„ humanum Genus valde multiplicatum est;
„ gratia quoque incrementum accepit: ad-
„ veniens enim Christus, & virtutem in ho-
„ minibus plantans, Angelosque, ut ita
„ dicam, ex hominibus faciens, omnem il-
„ lam veterem consuetudinem abolevit —

Rem totam absolvamus Canone 2. Sess. 24. Tridentini -- Si quis dixerit, licere
„ Christianis plures simul habere Uxores, &
„ hoc nulla Lege Divina esse prohibitum:
„ anathema sit —

PROTESTATIO AUCTORIS.

Omnia scripta, omnia & dicta quæcunque mea sincero corde, affectu puro, conscientia non ficta, judicio, & Censuræ Sacræ Romanæ Ecclesiæ subjicio. Si quid minùs rectum vel dixi, vel scripsi, ex nunc libentissime retracto, & deleo, interiùs, exteriusque. Utor ipse verbis S. Petri Damiani *Opusc. V.* — Nos si quid erravimus, ad Petri Magisterium corri-
„ gendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur.
„ Hæc est enim, ut ita dicam, Officina illa fabrilis, cui nimirum is, qui
„ Fabri Filius dicebatur, præsidet; ad cujus regulam omnis meritò moneta
„ reducitur, ad cujus rectitudinis lineam quidquid uspiam depravatum
„ fuerit, reformatur — Ulteriùs ex nunc retracto, & deleo, si verbum aliquod minùs honorificum protulerim, & scripserim adversùs Catholicos Scriptores, sive faventes, sive non, opinionibus meis. Addo cum Augustino *Lib. 1. de Trinitate cap. 3.* — Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est,
„ pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum
„ cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul
„ charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est: *quærite faciem*
„ *ejus semper*. Et hoc placitum, pium, atque tutum coram Domino Deo
„ Nostro, cum omnibus interim, qui ea, quæ scribo, legunt, & in omni-
„ bus scriptis meis —

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in Tractatu Octavo de Sacramento Matrimonii, & in Appendice Variarum Dissertationum continentur.

Numerus designat paginæ columnam, littera verò columnæ locum, & seq., vel seqq., columnam sequentem, vel sequentes significat.

A

B

Com-

a vo-

D

actum

na

F

Fœdi-

G

H

fectus

I

Con-

M

Infi-

ejus

N

Ejus

Q

R

S

Sermo

27.

T

Con-

V

Gre-

FINIS.

TA-

TABELLA ERRATORUM.

Colum.	*Litt.*	*Lin.*	*ERRATA*	*CORRIGE*
18.	C.	2.	voluntas se non obligandi non adest - -	voluntas se obligandi non adest
33.	D.	7.	cogi potes fœdifragus - - - - - - - - - -	cogi potest fœdifragus
47.	E.	3.	ipsum Deum famulari - - - - - - - - -	ipsum Deo famulari
87.	E.	12.	quia, sic putent, nisi peccessent - - -	quia sicut putant, nisi peccassent
88.	A.	6.	quatenus nunc per Dei gratiam - - - -	quantus nunc per Dei gratiam
94.	D.	4.	cum Moyses cum Judæis - - - - - - - -	cum Moyses eum Judæis
125.	A.	5.	*Remittetur ei*, non, sibi remitat - - -	*Remittetur ei*, non, sibi remittet
131.	B.	10.	indiscriminatim assumetur - - - - - - -	indiscriminetim assumantoa
132.	A.	3.	indeterminate sunt - - - - - - - - - - -	indaterminata est
136.	C.	9.	Ex his tria priora - - - - - - - - - - - -	Ex his duo priora
Ibid.	C.	11.	Quartum quod addit - - - - - - - - - -	Tertium, quod addit
Ibid.	D.	2.	Et quamvis Testes - - - - - - - - - - - -	Ad Quartam. Quamvis Testes
148.	C.	9.	essentieliter inhabilitabant - - - - - - -	essentialiter inhabilitant
152.	D.	9.	voatur Ancilla - - - - - - - - - - - - - -	vocetur Ancilla
159.	C.	10.	ne eliam ducet - - - - - - - - - - - - - -	ut aliam ducet
183.	B.	3.	Si non non liceret - - - - - - - - - - - -	Si non liceset
214.	E.	13.	Quot aliqui Episcopi - - - - - - - - - -	Quod aliqui Episcopi
213.	C.	6.	sincere condonationes - - - - - - - - -	sincera condonationia
204.	E.	1.	divortium perpepetuum - - - - - - - -	divortium perpetuum
232.	C.	9.	nequit ente Judicis Sententiam - - - -	nequire ante Judicia Sententiam
237.	C.	10.	Leondoniense I. en. 1102. - - - - - - -	Londoniensa I. an. 1102.
244.	C.	11.	Ecclesiam non babet - - - - - - - - - - -	Ecclesia non habet
248.	B.	1.	uberiùs disputari - - - - - - - - - - - - -	uberiùs disputavi
252.	A.	8.	Matrem interdicentem - - - - - - - - -	Matrem intercedentem
356.	C.	13.	sub conditione de præsenti - - - - - - -	sob conditione de futura
382.	B.	8.	& excessive asse possunt - - - - - - - - -	& excessiva esse possunt
383.	D.	12.	crassus, & prudans; sicut etiam - - -	crassus; & prudens, sicut etiam
387.	E.	3.	si rem probe nosset - - - - - - - - - - -	si rem probe noscerent
388.	C.	3.	si oppositum nosset - - - - - - - - - - -	si oppositum noscerent
390.	B.	7.	ipsam esse Regis filium - - - - - - - - -	ipsam esse Regis filiam
Ibid.	C.	13.	in Sponsalibus contigit - - - - - - - - -	in Sponsalibus contingit
393.	C.	7.	in perpetoum servitutem - - - - - - - -	in perpetuam sarvitutam
436.	D.	1.	duas ducera Uxores - - - - - - - - - - -	duas ducere Sorores
438.	D.	7.	cum Sorore defuncti Fratris - - - - - -	cum Uxore defuncti Fratris
440.	C.	14.	Sororem Fratris defuncti - - - - - - - -	Uxorem Fratris defuncti
448.	D.	2.	omnium finem a desse - - - - - - - - -	omnium finem adesse
449.	A.	12.	Errat enim & hoc - - - - - - - - - - - -	Erat enim & hoc
471.	A.	12.	elàs irrita - - - - - - - - - - - - - - - - -	aliàs irrite
481.	B.	8.	ad illud emittendum - - - - - - - - - - -	ad illud emittendum
531.	C.	13.	hæc affectata carentia - - - - - - - - -	hæc affectate cerentia
533.	A.	9.	finis exceptandus est - - - - - - - - - -	finis inspectandus est
544.	A.	6.	Concilium Forolivense - - - - - - - - - -	Concilium Forojuliense
546.	E.	1.	denuntiet, & diligentiam præmittat	danuntiet, diligentiam præmittat
556.	D.	1.	*Sess.* 24. *cap.* 5. - - - - - - - - - - - - -	*Sess.* 24. *cap.* 1.
587.	D.	12.	sansus hebetur - - - - - - - - - - - - - -	sensus habetus
619.	B.	11.	impetravit, Exod. 23. - - - - - - - - - -	imperavit, Exod. 23.
622.	D.	11.	cui hominibus placent - - - - - - - - -	qui hominibus placent
646.	C.	4.	*Discedite a me* - - - - - - - - - - - - - - -	*Discite a me*
678.	C.	5.	non peccant, nec metiuntur - - - - -	non peccant, nec mentiuntur

RE-

REGESTUM.

a. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.
Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll. Mm. Nn. Oo. Pp. Qq.
Rr. Sſ. Tt. Vu. Xx. Yy. Zz. Aaa. Bbb. Ccc. Ddd. Eee. Fff.

Omnes ſunt Duerniones, exceptis a., & Gg., qui ſunt Terniones.